

Fig. 10.



PAVLI AEMILII VERONENSIS, historici clarissimi, de rebus GESTIS FRANCORVM, AD CHRISTIANISSIMUM Galliarum Regem FRANCISCVM Valesium eius nominis primum, libri Decem.

ADDITVM EST DE REGIBVS ITEM FRANcorum CHRONICON, ad hæc vsque tempora studiosissimè deductum, cum rerum maximè insignium indice copiosissimo.



PARISIIS
Ex officina Michaëlis Vascosani.
M. D. XXXIX.

Cum priuilegio Senatus.

PRIVILEGIVM IN HANC SENTENtiam impetratum à Senatu Parisiensi.

CVM Michaël Vascosanus chalcographus postulasset à Senatu vt de editione Pauli Aemilii de rebus gestis Frã corum,cum Chronico,sibi priuilegium irrogaretur authoritate Senatoria: de ea re Senatui placuit priuilegiũ sanciri in Vascosani postulationem: eâmque ob rem Senatus voluit interdictum omnibus huius libri impressione biennio proximo ab editione, præterquam ipsi Vascosano. Additum etiam, vt siqua in alia prouincia extra Regis ditionem imprimatur,ne cuiquam venales proponere liceat. Qui contra hæc quippiam admiserit, libri impressi aut inter promercales habiti publicabuntur, & multa illi arbitrio Senatus irrogabitur. I. Tilius.

CHRISTIANISSIMO GALLIARVM REGI FRANCISCO VALESIO HVIVS NOMINIS primo Michaël Vaſcoſanus felicitatem.



RANCORVM res geſtas in memoriam crebrò reuocanti, Rex Regum Chriſtianiſſime, in iis permulta meo iudicio ineſſe videntur, quæ cũ priuatim & publicè vtilia, tum verò ſumma omnium admiratione digna eſſe poſſint. Etenim ſi vel belli vel pacis artes, quibus vſi ſunt Francorum principes in rebus gerẽdis, diligenter quis ſpectare voluerit, neque fortius atque generoſius, neq; maiori ſapientia quicquam excogitari aut adminiſtrari potuiſſe iudicabit. Aut certe amor erga patriam, me fallit, aut nullum vſquam Regnum fuit, in quo vel plura ſint vel meliora exempla, ac vbi tãtus virtuti ac religioni habitus ſit honos. Vnde enim tot clari heroes exorti, qui longinquis in regionibus ſedes quæſierint, ducatus ac regna ſibi compararint, ac conſtituerint? Ex qua tandem gente alia, q̃ Francorum, cęteri totius ferè orbis terrarum reges ac principes, nullo etiã fœdere nec amicitia cõiuncti, in ſuis rebus afflictis prẽſentius auxilium ſenſerũt? Quínam pari virtute ac cõſtantia cõtra noſtrę fidei hoſtes pro Chriſti religione propagãda plura & grauiora bella terra mariq; geſſerũt? Quæ omnia vera eſſe comperiet quiſquis Francorũ hiſtoriam vel curſim à principio ad finẽ legere voluerit. Verùm quo admirabiliora ſunt, & ad exemplũ digniora, tanto magis expediebat, illa non ſolũ noſtris, ſed penè omnium gentium linguis atq; literis celebrari. Præclara enim facta in luce collocari volunt: & quo præſtãtior eſt virtus, eo maiori verborũ honore cõmẽdata ad poſteros tranſmitti debet. Quod Græcos ac Romanos ſummo ſtudio factitaſſe videmus: quorũ alii de patria, quidã etiã de rebus à ſe geſtis ſcribere aggreſſi ſunt, nouo more ſuorũ facinorum inuerecũdi præcones. In quo tamen ferendi mihi viderẽtur, ſi non egreſſi cancellos quos veritas circundederat, fabulas rebus geſtis admiſcuiſſent, nec vana commẽta impudenter aſſeueraſſent. Illi enim amore ſui, ac patriæ, deinde vt vis illa ingenii qua valuere plurimũ, ſe exerceret, poſtremò vt lectori ocioſo magis placerent, quam ex rebus ipſis materiã nanciſci non poterãt, ipſi excogitarunt ſibi, raram, inauditã, admirabilẽ. A quo vitio tanto remotiores Franci fuere, quanto promptiores ad faciendum q̃ ad dicendum extiterunt. Sola enim factorum ſuorum conſcientia freti, virtutémque ipſam ſui precium eſſe ampliſſimum exiſtimantes, laudem ad poſteros per elegantiũ ſcriptorum monumenta quęrere ſibi neglexerũt. Verùm

quanto maiori cura ac ſtudio gloriam ex rectè factis aſpernabantur, tanto illi certe quidem digniores erant, ac laudari ab omnibus merebantur. Hiſtoria igitur Francorum hactenus, ſiue gallico, ſiue latino ſermone conſcripta, nihil ferè aliud fuit, quàm confectio annalium retinendæ memoriæ publicæ cauſſa, in qua res omnes ſingulorum annorum mandatæ ſunt literis, ſine vllis dicendi ornamentis, addita tãtum locorum, temporum, ac perſonarum ratione. Tentarunt quidem nonnulli eam latina lingua illuſtrare, ſed, vt res docuit, parum felici euentu. Etenim & rerum geſtarum veritatem non ſatis bona fide perſecuti ſunt, affectu nimirum abſtrahente animum à recto: & ſcribendi genus affectarunt parum elegans, nec hiſtoriæ ſatis accommodatum. Neque enim tenebant quibus ornatur oratio: & dum intelligatur quid dicant, magnam ſe laudem aſſecutos eſſe arbitrantur. Verùm vt neque hoc ſcribendæ hiſtoriæ, neque quoquam alio ornamento Francia careret, ſingulari Dei fauore, ac virtute tua planè regia effectum eſſe videmus. Etenim vt tu regum omniũ qui ante te Galliarum ſceptra tenuerunt, longe optimus es, ac maximus: ita præſtantiſſimo ingenio, & in omni rerum artiúmque genere, quibus magna imperia regi ſolẽt, excellentes homines ſub te principe quamplurimos eſſe conſtat. Quod inter alia plurima, quæ & tuam maieſtatem exornãt, & felicitatẽ augent, vel præcipuũ eſſe exiſtimarim: in quo tibi, quod in Græcia Alexandro magno, quod in Italia Cæſari, & Auguſto, idem planè in tua Gallia contigiſſe video. Nam vt circa eorum tempora magnus præſtantium virorum numerus extitit, ita ſub te principe tãtus in doctrina literarum, & Reipub. gubernandæ ſciẽtia, excellentium hominum prouentus velut emerſit, vt plures hoc tuo felici ſeculo, quàm ab aduẽtu Francorum in Gallias, reperiri poſſint. Nam vt alios omittam, quis lectiſſimos tuos copiarum duces nõ nouit? quis equitum alacritatem, quis legionariorum robur non audiuit? Quis diſciplinã militarem in antiquum ſtatũ reſtitutã eſſe ignorat? Nam de literis ac linguis nemini dubiũ eſt eò iam peruenisſe, vt nihil aut parum admodum reſtet, quò vlterius progredi poſſint. Verum laus hæc tota tua eſt, huius gloriæ ſociũ habes neminẽ. Omnes enim tum exemplo, tum præmiis ampliſſimis ad maxima quæq; & honeſtiſſima inuitas. Inter eos autem qui præſtantia ingenii, & ſcribendi facultate nomen ſibi famámque pepererunt, vnus potiſſimum recenſendus eſt Paulus Aemilius: qui cum Francorum rebus præclarè geſtis, orationis ornamenta, & eloquẽtiæ lumen deeſſe animaduerteret, ſibi honeſtum, cæteris vero vtile ſimul & iucundum fore putauit, ſi ad eam rem ingenium atq; induſtriam conferret. Quo in negocio ſic verſatus eſt vir eloquentiſſimus, vt nõ ſolum recentiores omnes, qui eandem materiam tractarunt, ſuperauerit, ſed etiam veterum hiſtoricorum permultos, qui populi Ro. res geſtas ſcripſerunt, longo interuallo poſt ſe reliquerit.

ſe reliquerit. Etenim ſi vel rerum geſtarum fidem, vel dicendi genus ſtudioſè velis expendere, nihil per deos immortales hoc quidem genere ſcribendi abſolutius inueniri poſſit. Res geſtas liberè quidem, ſine vlla tamen aut ſimultatis aut gratiæ ſuſpicione narrat. Ordinem temporum ita diligenter obſeruat, vt hoc nomine Liuio ſit præferendus, quòd ſemper ſibi conſtet, nec vſquam pugnantia loquatur, quod plerunque in illo deprehendere licet. Regiones porrò & loca, quum res poſtulat, ita deſcribit, vt illa oculis luſtrare videaris. Ad hęc conſilia, deinde acta, poſtremò euentus ita ſuo ordine inſeruntur, vt lector etiam parum attentus turbari nullo modo poſſit. Genus dicendi fuſum atq; tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, ita vt eum Liuio aliquãto magis compoſitum & perſpicuum ſentire poſſis. Quod opus adeo ex omni parte excellens & egregium, elegantius à nobis excuſum & caſtigatum, ex officina noſtra cum proditurum eſſet, putaui me non abſurde facturum, ſi maieſtati tuæ, cui omnia debeo, venerabundus offerrem, atque nuncuparem. Nam Paulus ipſe ſi viueret, tuæ maieſtati, cuius auſpiciis cœptum opus ferè abſoluit, conſecraret. Quare quoniã morte præuentus id non potuit, vicariam illi operam in hac re præſtabo. Cæterum cui iuſtius operis huius nuncupatio debetur, quàm tibi? qui Francorum res tam felici memoria tenes, tanta linguæ ſuauitate, tanta eloquentia, tanta deniq; oris ac vultus maieſtate narrare ſoles, vt te omnes differentem non minus admirentur, quàm veteres quondam Galli Herculem illum cuius meminit Lucianus, admirari ſolebãt. Cum enim virtutes omnes in te ſunt heroicæ, tum verò eloquentiam ſummam, ac planè regiam eſſe, nemo non prædicat, ac teſtatur. Quamobrem nihil mea quidem ſententia aptius fieri potuit, quàm rerum Francicarum ſcriptorem diſertiſſimum, Francorum regi Franciſco, vt in cæteris omnibus, ita in eloquentia eminentiſſimo, conſecrare. Eo etiam nomine gratior eſſe debet, quòd acceſſit liber Decimus, ad nos nuper ex Italia miſſus à Petro Daneſio, viro cum morũ candore amabili, tum verò vtriuſq; linguæ cognitione admirando. Porrò quoniã ad hiſtoriæ faciliorẽ intellectum, & memoriæ ſubſidium, aduertẽda etiam orationis ornamenta, denique ad rerum certitudinem conducit ſummatim prius legere hiſtoriam obſeruata in primis temporum ratione, adiecimus Chronicon de rebus geſtis Francorum, magno ſtudio, ſumma cura, multísque vigiliis cũ ex gallicis latinisq; aliis ſcriptoribus, tũ ex Aemilio maxime deſumptũ, à Iohanne Tilio viro non minus ob morum ac vitæ integritatem, quàm ob facundiæ & literaturæ vtriuſq; peritiam commendabili. Accipe igitur Francorum hiſtoriam Franciſce Regũ Maxime, eo cultu atq; ornatu veſtitam, vt in conſpectum regium prodire, & de maiorum tuorum rebus geſtis graues & iucundos ſermones cum tua maieſtate conferre geſtiat. Etenim eo ingenio & eloquẽ-

tia ſempiternæ ad poſteros gloriæ Francos hic noſter Aemilius commendauit,vt in eis commẽdandis propriam ingenii gloriam ſit conſequutus. Atq; vtinam quod Alexander de ſe pingendo atque fingendo conſtituit,id in ſcribẽdis regum & magnorum principum rebus geſtis aliquando ſanciretur.Permulti enim minuti ſcriptores, non ſolum dicendi & faciũdæ orationis,ſed etiam rerũ imperiti, magna ſcribere aggreſſi,eorũ dignitatẽ, dum ingeniũ extollere conãtur,non mediocriter labefactant. Quare ſapienter feciſſe Sylla mihi videtur,cui cum malus poëta de populo Epigrãma obtuliſſet, iuſſit quidẽ ei præmium tribui, ſed ſub ea conditione,ne quid poſtea ſcriberet.Atq; hoc etiam nomine præſtantius eſſe debet hoc opus,quòd non ingenium ſolum Francorũ regibus ſuppeditatum eſt,vt Cyro à Xenophonte,ſed etiam authoritas ſpectatiſſimi atq; in primis probati viri. Non enim magis in eo fuit admiranda eruditio excellens cũ pari eloquentia,quàm perpetua vitæ integritas atq; ſanctimonia . Porrò longe maior gloriæ fructus ex latine, q̃ gallice ſcriptis percipi meo iudicio poteſt, propterea quòd latina in omnibus ferè gentibus leguntur, gallica ſuis ferme finibus cõtinentur. Tantum igitur & tam excellentem rerum à Frãcis geſtarum ſcriptorẽ, quãta potuimus fide & diligẽtia à nobis excuſum, qua ſoles liberalitate accipe Rex potentiſſime . Sic enim ſuarum vigiliarum & laborum præmium ampliſſimũ ſe, ſi quis Manibus ſenſus eſt, conſequutum putabit. Vale Rex æquiſſime,& diu felicem vitam age. Lutetiæ Pariſiorum III Non. Maii, an. M. D. XXXIX.

1 FARAMVNDVS ann.11 fo.2.a.
2 Clodio Comatus ann.18 2.a.b
3 Meroueus ann.10 3.a
4 Childericus I ann.26 4.b
5 Clodoueus I ann.30 ibidem
6 Childebertus I ann.45 10.a
7 Clotarius I ann.5 10.b
8 Cherebertus an.9 12.b
9 Chilpericus I an.14 14.b
10 Clotarius II an.44 15.b
11 Dagobertus I an.14 21.a
12 Clodoueus II an.17 22.b
13 Clotarius III an.4 23.a
14 Childericus II an.12 ibidem
15 Theodoricus I an.14 ibidem
16 Clodoueus III an.4 25.a
17 Childebertus II an.18 ibidem
18 Dagobertus II an.4 ibidem
19 Chilpericus II an.5 25.b
20 Theodoricus II an.15 26.a
Carolus Martellus 26.b
21 Childericus III an.9 30.b
22 Pipinus an.18 32.b
23 Carolus magnus an.46 37.b
24 Ludouicus I, Pius,an.26 53.b
25 Carolus II,Caluus, an.38 55.b
26 Ludouicus II,Balbus,an.2. 58.a
27 Ludouicus III an.5 Carolomanus 58.b
28 Carolus Craſſus imp. an.5 58.b
29 Odo ann.9 59.a
30 Carolus III,Simplex,an.27. ibi.
31 Rodulphus ann.2 62.a
32 Ludouicus IIII an.27 62.b
33 Lotarius an.31 63.a
34 Ludouicus V an.1 64.a
35 Hugo Capetus an.9 64.b
36 Robertus ann.34 ibidem
37 Henricus ann.30 65.b
38 Philippus I an.49 67.b
39 Ludouicus VI,Craſſus,ann.27 97.a
40 Ludouicus VII,iunior,ann.43 104.b
41 Philippus auguſtus an.43.106.a
42 Ludouicus VIII, D.Ludouici pater, ann.3 141.a
43 D.Ludouicus,IX,an.44.142.b
44 Philippus III, D. Ludouici filius, ann.15 156.b
45 Philippus IIII,Pulcher, ann.28 164.b
46 Ludouicus X,Vtinus, ann.2. 177.b
47 Philippus V,Longus,an.5. 181.a
48 Carolus IIII, Pulcher, ann.7. 182.a
49 Philippus VI, Valeſius, ann.22 184.b
50 Iohannes ann.14 195.a
51 Carolus V ann.16 199.b
52 Carolus VI ann.42 207.a
53 Carolus VII ann.38 224.a
54 Ludouicus XI ann.23 233.a
55 Carolus VIII ann.14 246.a

PAVLI AEMILII VERONENSIS, De Rebus Gestis Francorum, Præfatio.



VM genere humano bene ac præclarè agerẽtur,si ſummi Duces Regésque ac Imperatores quæ gerunt,ea velut in omnium gentium theatro,ac poſteritatis oculis ſe gerere arbitrarẽtur: & quæ maxime excellunt, hiſtoricorum monumentis conſecrata, cæteri virtutis ſtudio accenſi lectitarent.Pulcherrimum enim certamẽ per multa ſecula intermiſſum, tandem repeteretur:ac vtrum illuſtres opibus proceres ſua ætate præclara facinora edendo, an nobiles fide ſcriptores in omne tẽpus profutura memoriæ prodendo,plus vtilitatis mortalibus afferant,ambigeretur.Illud quoque accedit,quòd guſtata ſemel tantæ rei dulcedine, totius præterea antiquitatis cognoſcendæ cupiditate facilè omnes incenderemur:minuſq; iuris Fortunæ libidiníque in nos eſſet.In primis bella rarius conſideratiuſq; ſuſciperentur : incruentiúsque,ac maiore virtute minoreq; vaſtitate geſta,facilius, & magis feſta pace dirimerentur: quòd qui rerum potirentur, dum ſe quiſque incorruptis futurorum ſeculorum iudiciis, claraq; in luce ſpectandos componerent, plura fidei clementiæq;, quàm flagitiorum atrocitatísve exempla ad veram magnitudinem , nominisq; immortalitatem contendenti propoſita eſſe cognoſcerent: nec nouorum ſemper armorum terrore cognitioni mortalium clauſus maxima ex parte,imperuiúsve orbis terrarum foret: quem,à quibus incolitur, ignorari,turpiſſimum duco. Simul vita tutior,& minore cupiditate degeretur:ſanctiúsque homini cæleſte numen eſſet,cognitis ſemel veræ religionis initiis,ac quibus rebus publica fœlicitas,& animorum integritas conſtituta conſeruataq; fuerit.Et quia non tam pietas, conſciúsque ſui animus, quàm ſua quenque commoda damnáve mouent: antiquitatis ignoratio vel eos qui in cæteris liberalibus artibus conſenuerunt, ſemper pueros,& ſenſus vitæq; communis ignaros videri cogit: & in patria ipſos ſua peregrinos, & à reipublicæ gubernaculis, conſiliorumq; conſociatione ablegandos: quandoquidem ciuilis militarisq; diſciplina:ad hoc inſtituta, iuráque Regnorum : ſimul artes & quibus pariantur, & quibus breuis æui,& quibus longioris ſint: ſimul quibus floreant, quibus intermortua reuiuiſcant:omnia hæc vna hiſtoriarum fide continentur:& eorum inſcitia contemptióque,maximorum incommodorum,publiciq; excidii perſæpe cauſſa extitit,futuraq; eſt, quoad erit dulcior iuncta cum bonarũ artium negligentia ſui admiratio,quàm antiquitatis omniũ probarum rerum

inuentricis contemplatio. Quæ tot tâmque magna frugiferâque ex multis quidem, ſed in primis ex rerum à Francis geſtarũ explicatione percipi ſumma cum iucunditate poſſunt. In his enim fortuna virtutis conſiliíque modò dux, modò comes, modò aduerſaria, modò ipſa per ſe vtraſque vires ſuas domi foríſque ita oſtendit, vt, tanquam in vna omnino gente illuſtre in omnes partes documentum præbere omnibus terris vellet, omne ſit exẽplum complexa, quo mortales edoceri, inſtituiq; luculentius aduerſus omnes caſus poſſint, quàm vllis ſapientium ſcholis, præceptísve. Quid enim aliud eſt ſeculorum, rerum, procerum memoria, obſeruatióque, quàm non modò quædam vitæ magiſtra, ſed ipſius etiam ſapientiæ ſtudii moderatrix? Et cætera cum ſemel ad ſummum peruenerint, ſcriptionem deinceps non deſiderãt: Hiſtoria non prius finem memorabilia facinora literis mandandi habeat neceſſe eſt, quàm genus humanum quietis impatiens facere ſcribenda deſierit: ſuúſque exorientibus ſubinde ſcriptoribus locus relinquitur. Nec mihi fraudi ſit, ſi, quas vetuſtiſſimæ bellicoſiſſimæq; gentis res geſtas animi ſtudiorúmq; cauſſa mihi notas efficere contendi, eas mortalium vſui cognoſcendas proponã. Cõtinens quidem erit temporum Regúmque ac ſtemmatum enarratio: ſed is & rerum & authorum delectus: neque tam multis voluminibus, quàm & comperta, & cognitione digna, complectar. Cæterum quia primordiis rerum Franci nõ erant Galliarum indigenæ, incolæ've: non antè propiora certioráque dicere ordiar, quàm & quæ ipſi de primis originibus ſuis produnt, paucis præfatus fuero: & quæ externa illis adeò cohærent, vt ſilentio præteriri nequeant, recenſuero.



FRANCI SE Troia oriundos esse contendunt. Ea capta, incẽsaq; , nobilissimam ciuiũ manum, quos ferrum hostium ignísque nõ absumpsisset, duce Frãcione ad Mæotin paludem se contulisse: nec procul ab ea vrbem cõdidisse: quam ad Valẽtinianum vsque Cæsarem Valentiniani filiũ incoluerint: ab eo primùm honore auctos, ac in decem annos immunitate donatos, quòd rebellãtes Alanos in ditionem nominis Romani redegissent: deinde cum circũacto eo temporis spacio ad vectigal pensitandũ reuocarentur, imperiumq; detrectarent, sedibus pulsos, Duce Marcomiro in eam Germaniæ regionem, quæ nunc Franconia est, concessisse. FARAMVNDVM Marcomiri filium primũ omnium Regem gentis, anno salutis quadringentesimo vicesimo appellatum: ab eo procreatum CLODIONEM cognomine Comatum, in Galliam transgressum: quæ illis patria est. Cicero vero (vt nos ab eo tot ante Valentinianos Cæsares ætatibus initium auspicemur) ad Atticum scribens, Francones nuncupat, eósque ex his Germanorum gẽtibus esse significat, vnde in Galliam ad Aurelium ab Hircio præpositum venisse legati dicerentur, qui se quod imperatum esset, facturos profiterentur: sed ea tantum ostentatio fuit: sua enim illis libertas incolumis tutáque permansit, bellis inter Romanos ciuilibus continuò renascentibus. Diuus quoque Hieronymus tanto pòst interuallo author est, inter Saxones & Alemanos Franciam incoli non tam latam, quàm validam: vt manifesta fides sit eandem & Franconiam fuisse, ac indidem ortos qui Francorum postea in Gallia consedere. Nec mirum videri potest eorum famam compluribus seculis minus illustrem extitisse: quòd imperii Romani splendor, viresque orbem terrarum complexæ, multas gentes obscuriores efficerent: quæ quòd postea repente in lucem prodiere, nouæ existimantur: & ambiguis originibus, liberum fuit aliis alias confingere. Quod primum memorabile sit, Aurelianus etiamnum Tribunus militum, ac Probus Cæsar, multique deinceps Romani Duces cum Francis Galliam tentantibus euentu secundo dimicarunt: quoad aliæ super alias gẽtes, iam consenescens, nouísque semper Tyrannis & cum iustis Cæsaribus, & inter se de summa rerum certantibus, lacerum Imperium Romanum adortæ, ingenti ab antiqua maiestate inclinatiõne cum euertere non possent, in ordinem prope coẽgere: nouáque subinde Regna exorta. Anno salutis quadringentesimo quarto, Franci relictis patriis sedibus Rhenum transgressi, in Treueris ac circuiectis finibus cõsedere. tertio ferè pòst anno à Stilicone initium malorum ortum. Is enim magnis opibus Comes, cum Theodosii Cæsaris filii duo, Arcadius in oriente, Honorius in occidente imperitarent: vt perturbatis rebus, rerum occidentalium arbitrium nonénque ingens ab Honorio Cæsare, cuius & tutor fuerat, & socer erat, in domum suam ad Eucherium filium pertrahere posset: quòd in pace, nouis rebus nefariísq; consiliis locus non videretur, Vandalos, vnde oriundus

erat, Alanosq́;, ac Sueuos, & Burgũdiónes ad Gallias euaſtandas vltro exciuit: coactíque ſunt Franci tot ſimul gẽtibus nequaquam pares, in præſens eorum furori cedere, ac domum remigrare. Nec reliquis regionibus res quietæ extitere. Radagaſus Gotthorum Rex, noſtræ religionis hoſtis, Thraciam, Pannonias, Illyricumq́; populatus, Italiæq́; vaſtitatem inferens, plus ducenta millia armatorum ad euertẽdam Vrbem Romam ducebat. Erant & aliæ Gotthorum manus, nec vnius omnes regebantur imperio: & Hunnum veterem hoſtem habebant: & Stilico non euerſam, ſed reſeruatam ſibi rem Romanam volebat. Duo igitur Duces, Vldinus Hunnorum, & Sarus Gotthorũ, ingenti mercede accerſiti, auxilio Romanis affuere. Barbarus Rex in Fæſulanorum montium vertices compulſus: dum omnium rerum inops, ſuis clàm deſertis fuga elabi abiectis Regiis inſignibus conatur, locorum iniquitate prodẽte ab hoſtibus interceptus, ac paulo pòſt occiſus eſt: milites eius incruenta victoria capti, & vt viliſſimum pecus venundati. Alteras Gotthorum copias, Alaricumq́; eorum Regem à Chriſti nomine nõ alienum, Italiam ingreſſos Stilico cum primo quoque tempore aut in perpetuum amicos facere, aut internecione delere poſſet, ſæpe circuncluſit, ſæpe paſſus eſt euadere: bellúmque trahendo alere maluit, quàm protinus profligare. Cognita cupiditate ab Honorio iuſſus eſt illis pacem, ac Aquitaniam, cui Vandali eorumq́; ſocii imminebant, ad ſedes concedere. Ita per ſpeciem pacis illis datæ, cum ſoluti animi eſſent, die reſurgenti Domino feſto ab eo Saulus Hebræus Dux immiſſus, Gotthos nihil tale metuentes repente inuadens, cædem ingentem edere cœpit: quoad Alaricus ſuorum animos confirmans, armis arreptis in hoſtes ſtragem vertit: coactusq́; Stilico ſupplementum ab Honorio petere. Noui Duces cum nouo milite aduenientes aduerſus barbaros nihil præclare geſſere. Stiliconem, filiumq́; Eucherium, vt meriti erant, hoſtes iudicatos occiderunt. Nec Gotthi interea conquieuere. Omiſſo adeundæ Aquitaniæ conſilio, arcem rerum vrbem Romam Alaricus petiit: eamq́; cum obſediſſet, fame domitam, Calendis Aprilibus Anno ſalutis quadringenteſimo duodecimo in poteſtatem redegit, ac ſuis diripiendam cõceſſit. In ea capta eſt Honorii Cæſaris ſoror Galla Placidia, magnifice alioqui & reuerẽter habita. Ipſe Honorius tam atrocibus temporibus caput ſuum nõ obiecit. Tertio pòſt die profectus Alaricus, quicquid Italiæ reliquũ erat, populationibus fœdauit. In eius ad Coſetiam repente defuncti locum, ipſius propinquus Athaulphus ſuffectus Placidiam ſibi matrimonio iunxit: cuius forma victus, & blanditiis captus, cum nomen Romanum tollere ſtatuiſſet, vrbẽ Romam recoluit. Procella in Galliam verterat: Sueui, Vandali, Alanique eam diripiebant, euaſtabantq́;: ſimul Conſtantinus gregarius miles à militibus Romanis qui Britanniæ præſidebant, fauore nominis Cæſar ſalutatus, filium Conſtantem, antea monachum ſacratum, conſortem Imperii facit. Vterque cum in Galliã tranſmiſiſſet, vt Vandalos ſociáſq; eorum gentes vel fœdere ſibi iungeret, vel bello deleret, ab illis ſpe pacis illuditur. Conſtans filius Didymo Seuerianóque fratribus Hiſpanorum nobiliſſimis opulentiſſimíſque, qui tranſitu Pyrenæi montis eum arcere conabantur, deiectis occiſiſq́;, in Hiſpaniam tranſcendit.

Cõtinuò eadem Vandali,Sueui,Alaníque ſubſecuti,Hiſpanias tenuere.Burgundiones in Gallia in Heduorum, Matiſconenſium , Lingonum, Cauillonenſium, Veſontionum finibus remanſere. Interea Athaulphus pacem fœdúſque ab Honorio petebat,pollicitus ſe Galliam, quò iam copias traducebat,Hiſpaniamq; pacaturum:nec impetrare potuit.Miſit ille ad recipiendam Galliam Cõſtantium comitum ſuorum fideliſſimum,ſummumq; bello Ducem . Athaulphus etiam in Hiſpaniam tranſgreſſus, Barchinone à ſuis occiſus eſt:quòd Gotthicam rem perditum ire illum dicerent charitate Placidiæ, & amore nominis Romani.Segericus ſucceſſit,& is eadem ſuſpicione cæſus à ſuis.Vallia deinde electus Rex, vt bello Romanos perſequeretur, bellum ſuſtulit:Placidiam fratri Cæſari repoſcenti reddidit. Nupſit Conſtantio Comiti.Ab eo Conſtantinus Arelate occiſus:filius Conſtans à Gerontio Comite ſuo Viennæ cæſus eſt , cum ex Hiſpania reuertiſſet . Pax Gotthis data, & Aquitania omnis,ac quædam præterea Narbonenſis Prouinciæ vrbes ad incolendum datæ:ibíque certas tandem ſedes habere cœpere : aliquanto pòſt & Hiſpania potituri.Híque Viſigotthi dicti.Duobus enim potiſſimum nominibus iam inde antiquitus Gotthi diuidebantur:alteri Oſtrogotthi ipſorũ lingua,noſtra orientales Gotthi dicti:alteri Viſigotthi,id eſt latina interpretatione occidentales Gotthi:ſimul duæ illuſtriſſimæ Regiæq; familiæ:inter Viſigotthos Balthi à moribus vocitati:ita enim dicuntur apud eos audaces: inter Oſtrogotthos Amali ab Amalo ſummo & Duce & Rege nuncupati. Conſtantius ob res bene fœlicitérque geſtas ab Honorio Cæſar declaratus, ſeptimo pòſt menſe obiit,relicto ex Placidia Valentiniano filio Cæſare futuro.Bellorum cura Aetio patricio magno viro demandata . Is Francos Rege Clodione Galliam rurſus tentantes,tranſitu Rheni prohibuit:Burgundiones non contentos finibus ſemel inſeſſis arma paſſim circunferentes coërcuit:nõ eadem fœlicitate in Hiſpaniis rebus geſtis.Vandalis enim Alaníſque ac Sueuis vlteriorem euaſtantibus ripam,milites ſuos in citeriore continuit.Id ignauiæ adſcribens Honorius,Caſtinum ei ſucceſſorem dedit. Is & cũ nouo exercitu aduenit,& veterem ab Aetio accepit:nec tamen eſt antê auſus in vlteriorem Hiſpaniam contra hoſtem ducere,quàm ei auxilio affuit Bonifacius, cui ab Honorio procuratio Africæ mandata fuerat . Aliquandiu communi animo conſilioq; res geſſere . Virtute prudentiáque ac fœlicitate Bonifacius præſtabat.Gloria in inuidiam vertit.magnitudine præclari Ducis offenſus Caſtinus,quòd ipſe ſummam illius belli obtineret, ſuperbo immodicoq; imperio illum premere cœpit , ac de eius pernicie nefaria inire conſilia:coactusq; eſt Bonifacius,vt ſaluti ſuæ proſpiceret, feceſſione facta in Africam ſe ſubripere.His motibus Honorius obiit.A Placidia Valẽtiniani Cæſaris pueri matre miſſi Mauortius & Gallio aduerſus Bonifacium, dum eum obſidere parant , ab illo occiduntur : Anno ſalutis quadringenteſimo triceſimo primo.

Magna clades ea fuit:ad cuius famã Franci velut nouo claſſico exciti,Duce MEROVEO in Galliam regreſſi ſunt.Valentinianus aduerſus Bonifacium maiores copias,nobilioreſq; Duces miſit. Ille diffidens rebus ſuis, Vandalos Alanosq; in Africam exciuit:à quibus breui Africa Arriana ſecta polluta eſt,

Aetius à Cæſare poſt varios fortunæ fluctus rurſus Patricius creatus, ac Galliis, belliſque circunſtantibus adminiſtrandis Dux datus eſt. Et ne quis motus in tanta rei Romanæ inclinatione, Galliæque fortuna deforet: qui Britannorum Romanis parebant, cum legiones Romanæ ad bella Gallica Hiſpanienſiáque deductæ inde eſſent: Scotorum Pictorûmque continenti bello exagitati, Anglos Saxonum gentem pacta mercede exciuere: & quia à doctoribus ſectæ Pelagianæ ſolicitabãtur, duos ex Gallia ſanctos epiſcopos, Lupum Tricaſſium, Germanum Altiſiodorẽſium, miſſis legatis ad ſe perduxere. Ita apud eos religio ſancta & inuicta permãſit. Angli vero coërcita Scotorum Pictorúmque audacia, Britannos, à quibus acceſſiti receptíque fuerant, per cauſſam quòd ſtipendia cum fide ſibi non perſolui dicerent, fortunis exuebant: poſtremò indignitate cogebãt eos nouas in Gallia ſedes ſpectare: & nouæ ſemper Francorum manus authoritate Merouei adductæ, relicta vetere patria ſe ad eum in Galliam conferebant. Primos Francos circa Toxiandriam: ſecundos in Tungris: ac mox & ad Axonam fluuiũ conſtitiſſe reperio. Coactus eſt Aetius Patricius exercitus Romani Dux, cum priſtinis hoſtibus Francis Burgundionibúſque fœdus ferire: nec vllius virtutem auxiliáque aſpernari: quòd quantus antè nullus terror Romanos inuaſerat. Attila Hunnorum Rex, non popularium modò, ſed deuictarum latè gentium iuuentutem ad quingenta armatorum millia in Galliam duxit. Non agris, non oppidis, non mortalibus parcebat. Remos nobiliſſimam vrbem, cæde, ruinis, incẽdióque fœdauit. Nicaſium ciuitatis pontificem virum ſanctiſſimum ſecuri percuſſit, hymnos ſuprema voce concinentem. Vaſtitatem eandem inde circunferens, Aurelianum primo impetu expugnare non potuit: obſidere cœpit: caſtríſque poſitis, omni vi miniſque territabat. Ciues extrema metuentes, Annianus ciuitatis Epiſcopus celeri ſpe ſubſidii in fide officióque continuit. Nec ipſe ſuos, nec eum ſanctitas, numiniſque fiducia fefellit: cum in mœnia hoſtis euaſurus videretur, ingenti nube pulueris procul conſpecta, Annianus exclamauit, id quod prædicarat, vrbis ſalutem cordi deo eſſe: auxilia aduentare. Theodoricus Rex Viſigotthorum, quòd victa hac Galliæ parte, Aquitaniam, Regnum ſuum, proximam Hunnico furori, prædæque expoſitam proſpiciebat, opem obſeſſis ferebat. Proinde reliquit obſidionem Hunnus, ſéque in Catalaunos campos recepit. Et eueſtigio contraitum eſt. Romani Aetio Duce non procul ab hoſte caſtra metantur: eis aduerſus Hunnos aderãt veteres Galli, Burgundionéſque, ac cæteræ ſociæ gẽtes, & in primis Franci vnius Merouei iam Regis ductu, imperióque, qui anno ſalutis quadringenteſimo duodequinquageſimo Clodioni Regi, ſiue filius, ſiue (quandò variant authores) alienus ſucceſſerat. ſumma contentione animi dimicatum eſt. Meroueus Francorũ rex cum ſuis filióque Childerico dextrum aciei cornu tutatus eſt, Aetio iunctus: alias aciei ſubſidiorũq; partes alii Reges Ducesq; firmarũt. Atrox dimicatio, cruentaq;. Centũ octoginta virorũ millia eo prælio cecidere: cecidit & Theodoricus Viſigotthorum Rex. Nox prælium diremit. Hoſtis ſpe orbem terrarum ac prædicatione complexus, quia non viciſſet, pro victo ſe in caſtra recepit: ac ea quàm maxime validis potuit munitionibus firmauit: ſimul, ne vi-

uus in

uus in poteſtatem hoſtium veniret,ſi quid grauius accideret,ſibi mortem cõſciſcere conſtituebat.Hoſtis beneficio haud ægre Gallia exceſſit.internecione deleri poſſe videbatur . Thoriſmundus Theodorici filius necem patris vlturus,caſtra hoſtium aut oppugnare, aut circunſidere contendebat: & Franci gloriam confecti belli abſumptis tantis reliquiis petebant . Deterruit ab eo animorum ardore ſocios Reges Aetius dimiſſis cum eximiis laudibus Francis,Meroueóque:author etiam Thoriſmundo, vt antequam fratres domi relicti allata morte patris Regnum ſuum efficere poſſent, ad ſuos eueſtigio rediret.Suſpicio fuit vereri eum ferociam ſociorũ Regum,ne tanto ſublato hoſte,támque nobili parta victoria, vires ſuas fortunámque experti, ac diſciplinam Romanam edocti,animos tollerent: néve non minus quàm Attila ſpei animo conciperent, rémque Romanam copiis coniunctis in nouum diſcrimen adducerent. Huic conſilio Aetii cruenta merces à Valentiniano Cæſare perſoluta eſt.Is Hunnum emiſſum in Pannonias rediiſſe,ac ſuppleto exercitu arma in Dalmatiam,Illyricumque, & florentiſſimam Italiæ partem vertiſſe,qui opprimi in Cathalaunis campis potuiſſet,ægre ferens, Aetium occidendum curauit, eũ appetitæ Tyrannidis inſimulans.Ipſe anno inſequẽti,qui fuit ſalutis quadringenteſimus quinquageſimus ſextus,Romæ interemptus eſt à Thraſila Aetii milite per ſpeciẽ vlciſcendæ ſummi viri necis,ſed quẽ Maximus Tyrannidem affectans,ingẽtibus pollicitationibus oneratũ immiſiſſet.Is Eudoxam Valentiniani inuitã ſibi thoro iunxit: vt eius maieſtate Prouincias exercitusq; ſibi conciliaret:ſed ea prioris viri ſuiq; vindex extitit.Ab hac ſolicitatus Gẽſericus Vandalorũ Rex,Afrorum,Numidarũ,Maurorum,populariũq; delectu habito,ad trecẽta millia mortaliũ in Italiã tranſmiſit:vrbẽ Romam metu trepidam ingreſſus , Maximum occidit,tertio à nece Valentiniani menſe.Cum Latium Campaniámque depopulatus eſſet,ac Capuam euertiſſet,in Africam regrediens,Eudoxam ſecum duxit:eiúſque filiam ex Valentiniano procreatã,filio ſuo nuptum dedit.Tam multiplici iactura , & in primis Aetii ſummi Ducis morte,ingens in occidente præſidium amiſit res Romana.Franci longius ſpe promota, Senonum etiam,Pariſiorúmque , ac Aurelianenſium ciuitates occupauere. Britanni cæſis ab Anglo ſuæ gentis proceribus,req; Romana,omníque ſpe in ea inſula complorata, ingentem nauigiorum vim nacti,in eam Galliæ partem quæ peninſulæ modo in Oceanum excurrit,generatim commigrauere : nouíſque eorum ſedibus,Britanniæ nomen inditum . Religionem incorruptam integrámque beneficio Gallorum patrum ſeruauere. Exin Anglia fuit,quæ Britannia fuerat: ac paſſim non res modò, ſed & nomina mutata . Burgundiæ nomen in Gallia celebre factum finibus gentis imperióque promoto. Quicquid Galliæ Meroueus Rex cum ſuis tenuit,Francia dici cœpit.Viſigotthi non Aquitaniam modò , nobiliſſimáſque Narbonenſis prouinciæ vrbes , ſed & perbonam Hiſpaniæ partem obtinebant: circa Ligerim quædam Romanum nomen adhuc ſequebantur. Nec tranquillæ diu res eſſe poterant, in tot imperia,támque diſcrepantes legibus,inſtitutis,lingua,animis,cauſſa, gentes Regéſque diſtractæ . Expectatione magnorum nouorúmque motuum cõſiliorumq; Meroueus obit: ſuc-

ceſſit filius CHILDERICVS, vir bello clariſſimus, pacis artibus minus nobilis. Cum pudicitiam illuſtrium fœminarum attentare diceretur, coniuratione procerum ſibi longinqua fuga conſulere coactus, in Turingiam ad paternos amicos ſe contulit, expectaturus fortunam aliquam redeundi: datiſque occultis mandatis amico Vidomaro acerrimi ingenii viro: nummúmque aureum cum duas in partes diuiſiſſet, alteram ſibi retinuit, alteram illi dedit, vt nulli nuncio fides haberetur, niſi qui partem nummi deferret: id pignus documentúmque ne capi fraude aduerſæ factionis poſſet, futurum. Nec bello opus fuit ad recuperandum Regnum. Plus amicitiæ neceſſitudo, quàm vlla arma, valuit. Franci Aegidium ciuem Romanum Sueſſionum præfectum, Regem ſuum ſalutant; nec procerum vlli videbatur cedere Vidomarus odio in Childericum: non maior veriórque amicus, quàm amicitiæ diſſimulator. Octo annos Francis iura dixit Aegidius, in amicorum cohortem recepto Vidomaro ob ſolertiæ famam, aſſiduitatémque. Quo temporis ſpatio, eorum qui in Childericum coniurarant, alii fato obiuere: aliorum iræ reſedere: alios Romani externíque Imperii tædere cœpit: alios fictis criminibus falſis'que ſuſpicionibus apud Aegidium largiter potens Vidomarus inſectatus, cum tollendos curaſſet, ac paucos ſupereſſe videret, tunc cum parte nummi mittit nuncium omnium in Turingiam ad Childericum. Is à maxima ſuorum parte ſecundiſſimis animis receptus, congreſſum Aegidium fundit fugátque. Victus, ad Viſigotthos refugit: eorum, quòd ſocii eſſent, auxilio aduerſus victorem vſurus. & extemplo redintegraſſet bellum, niſi Britanni, noui Galliæ incolæ, non contenti finibus primo ſuo aduentu occupatis, cum Andium, Pictonum, Engoliſmenſiúmque fines euaſtaſſent, ne Garunna quidem flumine coërceri potuiſſent, quo minus omnia infeſta Viſigotthis facerent. quorum conatui contrà eundum erat. nec illud bellum incruentum fuit. Aegre coërciti ſunt Britanni. Childericus pacatis domeſticis rebus, adeo doloris memor fuit, vt quòd ſolicitatæ pudicitiæ ſuſpicione exactus domo fuiſſet, nullam è Francorum nobilitate ſibi matrimonio iungere, in animum induxerit. Biſſinam Turingiæ nobiliſſimã vxorem duxit. Patri ſuperfuit triginta annis, partim in exilio, partim in Regno. Succeſſit ei filius CLODOVEVS, conditor vtique Francicæ religionis. Franci nondum noſtra receperant ſacra: necdum ad eos miſſos ſanctos viros reperimus: credo, quòd nullis certis ſedibus permultas egiſſent ætates. Galli iam vulgò CHRISTVM agnoſcebant: cum iam inde ab initio Chriſtianæ religionis & ſanctiſſimi & doctiſſimi viri vita orationéque veram pietatem intuliſſent: nec poſtea æmulatio intermiſſa ſanctorum eſt, ad diuum vſque Remigium Remorum Pontificem, iam inde à iuuenta ſanctum. Ab hoc Franci ſacro lauacro initiati ſunt: ex bellicis rebus religionis ſpe exorta. Syagrius Aegidii filius bellum Clodoueo mouit: Sueſſiones fauore nominis domeſtici occupauit: quòd pater eius Aegidius eam vrbem Regiam ſuam effecerat. Victus Syagrius ad Viſigotthos refugit: repetentíque atrocibus minis Clodoueo redditus: &

ſecuti percuſſus. Simul Viſigotthi, Francíque, ac Oſtrogotthi affinitate iuncti ſunt. Theodoricus Oſtrogotthorum idem ac Italiæ Rex, ex Hiſpania (vbi maxima ex parte ſedes Viſigotthorum erant) Eutharicum Regia Balthorum familia ortum, ad ſe in ſpem hæreditatis Regníque Italici accerſiuit: eíque filiam Amalaſiuntam deſpondit. Duæ reliquæ eius filiæ, altera Viſigotthorum Regi Alarico, altera Sigiſmundo Gundebaldi Burgundicnis Regis filio nupſerant. Ipſi vero Theodorico Regi Audefleda Clodouei Regis ſoror deſponſa fuerat. Bello Syagrii confecto, Francus victor Sueſſiones diripuit. Remis finitima ciuitate temperatum: niſi quòd cum ad eam diem ædes ſacræ veneratione & inopia tutæ inuiolatæ'que manſiſſent, tunc miles quidam Francus è templo calicem rapuerat. Gallis veteribus dolori erat, initium ſpoliandi fana fieri: & Remigius ſacerdotes miſit, qui ea de re apud Clodoueum agerent, cauſámque religionis Chriſtianæ defenderent. Rex ipſe proceréſque facilè exorabantur: cúmque placuiſſet in medium referri prædam, vt, qui mos gentis erat, pro cuiuſque virtute ea diuideretur: ac omnes milites ob id conueniſſent: Clodoueus author erat, vt calix ſeponeretur, Remigio reddendus. Miles, ſiue vecordia ingenii, ſiue ſacrilegii pœnis agentibus, in medium progreſſus, ferociter negat religioni alienæ reſtituendum videri, bello virtutéque partum. ſimul, ne quid furoris deforet, calicem haſta (anchonam patria lingua Franci vocitabant) petit. Diſſimulauit in præſentia iram Rex, ſuo tempore maiore acerbitate erupturam. Conſenſu optimatium redditus noſtris calix. Anno circumacto cum recenſeretur exercitus, idémque miles in armis prodiret, oblitum contumaciæ Regem ratus: tum Clodoueus haſtam eius quaſi inſpecturus cum prehendiſſet, inutilem bello dictitans, in terram proiecit: illúmque è veſtigio eam tollere conatum, demittentémque ſe, elata alte ſecuri, quo telo Reges vtebantur, in capútque deiecta ſtrauit, repetitúmque interemit: nemine damnare auſo pœnas truci memoríque ſumptas ira. Et noſtri ſperare cœpere Regem Chriſtianum effici poſſe: & acceſſit non modicum ex virgine momentum, Regiáque Burgundionum. Eos Oroſius tradit diuino conſilio ſua ætate Chriſtianos effectos, ſacerdotes noſtros recepiſſe, eíſque dicto audientes fuiſſe. Eius gentis religio, pietáſque perſancta: Reges minus bene audiebant. Gundebaldus Gundenci Regis filius maximus natu, Gundemari Chilpericíque fratrum armis impiis petebatur: qui ipſi ætate medii, Gundebaldum, Odeſillúmque, hunc ſtirpis minimum pellere domo, ac vniuerſum Regnum occupare contendebant, adoleſcentia feroces, ac Tranſrhenanarum gentium ſubnixi auxiliis. In Heduorum finibus victus Gundebaldus, depoſitis inſignibus Regiis, ſe ad tam certos amicos, in tam fidas tutáſque latebras contulit, vt cum nulla fugæ indicia extarent, cæſus in acie creditus ſit. Proinde cum velut confecto bello Tranſrhenana auxilia ſe domũ recepiſſent, tunc Gundebaldus in lucem rediit. Ad eum velut miraculo reſtitutũ, qui interemptus ferebatur, cũ concurſus vndiq; fieret, Viennam, Burgundiæ tunc contributam vrbem, fratreſq;, qui victoria freti

illucuſque progreſſi erant, in ea obſidet. Oppidani haud ægre ceſſere. Gundebaldus primo tumultu comprehenſum Chilpericum ſecuri percuſſit. Gundemarum in extrema ſpe è turri ſe defendentem, ſubiecto igne, exuſtíſque foribus, concremauit. Chilperici filia maior Mucutima, ſacrata virginitate veſtem mutauit: minorem Clotildem excellenti forma, & vere indole regia, occultis nunciis permouit Clodoueus, vt fidem nuptiarum acciperet, darétque: ſe quoque, quòd illa Chriſtiana eſſet, Chriſtianum futurum. Iam enim veterum Gallorum religione ipſe, Francíque recentes Galliarum incolæ mouebantur, ad eam diem falſorum deorum cultores: & Gundebaldus nemini minus quàm Franco Regi in matrimonium daturus erat occiſi à ſe fratris filiã: & ſi peteretur, religione impediri ſe dictitaſſet. Vt vero adſtantibus Francis oratoribus ad id ipſum, ſed gratulandi ſimulatione profectis, auſa eſt virgo patruo confiteri ſe Clodouei baptiſma pepigiſſe fide ſpeq; matrimonii: tunc Burgundio, ne nondum firmatis opibus ſuis Francum Regem in ſe denegata puella iritaret, ementiente lætitiam vultu, eam ad Francũ apparatiſſime magnificentiſſimeq; miſit. Diuturna feſtaq; pace floruit Francia. Iã quintumdecimum annum Clodoueus regnabat, cum arma Francorũ in Alemanos mota, quòd Sycambris ipſorum ſociis bellum inferebant, quos euerti non ſinere, è re fideq; ſua Clodoueus ducebat. In Alemaniam egregiæ copiæ ductæ, ſimul Francorum, Sycambrorũmque. Pugnatum eſt acriter ad Tilbiacum oppidum. Miraculo vtrunq; extitit: primum, duas gentes inſtructiſſimas bellicoſiſſimáſque ab vna vinci, deinde perturbatis ordinibus fuſas fugatasq; in vnum rurſus coire, ac victoriã victoribus victos ſtatim extorquere. Etenim Clodoueus & acie inſtruenda, & ſubſidiis collocandis, & loco temporéque pugnæ deligendo, incitandíſque popularium ac ſociorum animis omni arte bellica vſus, ſigna cum hoſte contulit. Equitibus ipſe præfuit. Peditibus præfecit Sigibertum amicorũ principem. Plus fauor ſuperum, quàm virtus arsq; Ducum gentiũmque ac nobilitas valuit. Equitatus peditatúsque ceſſit, & apparebat ingentem cædem imminere. Sigibertus graui vulnere accepto, vix à filio, qui & ipſe paterno nomine erat, ereptus è telis hoſtium, mètum ſuorum trepidationémque auxit: nec equitem Clodoueus à fuga continere poterat. Humana iam ſpe deſtitutus, vt miſeris rebus aſſolet, ad opem cæleſtẽ implorandam verſus, fidei vxori in paciſcendis nuptiis datæ memor, & opinione ſanctitatis religionis noſtræ imbutus, CHRISTVM ſeruatorẽ ſe profeſſurũ vouet, ſi victor domum redeat. Cõtinuò alacritate noua exorta, turmã, quam corporis ſui tegendi cauſſa ex delectiſſimis coëgerat iuuentutis proceribus, in hoſtem circumegit: ſignáque, quaſi tunc primùm pugna committeretur, canere deintegro iubet. Tunc vero velut cæleſti numine rem Francicam reſpiciente, mutata prælii fortuna. qui terga paſſim dederant, exhortantibus Ducibus obliti vulnerum, laboriſque, ad delendum dedecus in prælium reſtitutis ordinibus rediere. Attoniti hoſtes miraculo, vt ſegnius ſecuti fuerant, primum cõſtitere: deinde impreſſione valida loco moti, certiorem effuſioremq; ipſi, acrius inſtante Franco, fugam capeſſere cœperunt. Ingens cædes inſecuta. Cecidit & Alemanorũ Rex. Alemania fracta, ingens tributũ pendere iuſſa: le-

ges etiam graues,magiſtratúsque ab irato victore accepit.Reuertens domum Clodoueus,occurrente ei in Leucorum finibus Medardo viro ſanctiſſimo, nihil antiquius habuit,quàm vt ſe voto liberaret. Præſto & Clotildis gratulabunda affuit cũ Remigio,& ætate,& vitæ ſanctitate,& eruditione,& Pontificatu venerando.Dignitate enim & probitate ac literatura efficiendũ erat, ne voti damnatus Rex ab Arrianæ ſectæ aſſertoribus, qui iam eius ſororem Lantieldem impietate infecerant,fraude caperetur,ab eíſque Chriſti nomine accepto ſolutum victor exiſtimaret,quòd fuſus fugatúſque vouerat militaris imperatoriæq; diſciplinæ peritus,religionum diſcriminis ignarus:quod excellentia ingenia,nobiliſſimóſque Reges,ſummoſq; Imperatores, ac longe maximam terrarum partem circunueniſſet.Hic quoq; fortuna Galliæ, numenq; res bello ſeruatas,in pace ſeruauit.Remigius & Regem in ſui admirationem, veræq; religionis cultum fando adduxit, & milites concione perpulit, vt ad tria eorum millia catechumeni extemplo fierent. Remos vt ventum eſt,die luſtrico vrbs ea omni ornatu, celebritateq; ac magnificentia exculta cernebatur,ad excipiendum,proſequendúmque ad ſacram lotionem Regẽ,ingenti maximi belli victoria inſignem.Plauſu,feſtíſque acclamationibus & gratulationibus ac ludis cuncta plena erant. Aedes maxima velis albentibus circunueſtita,cereis accenſis collucebat,hymnis canticíſque ſacris perſonabat,acerrarum odoribus fragrabat. Sacerdotes in ampliſſimis veſtibus circunſtantes, Remigium humano propè cultu auguſtiorem cœleſtis chori ſpeciem introgreſſis viſentibúſque præbebant. Rex inter candidatos & ipſe candidatus ad baptiſterium ampliſſime apparatum proceſſit,ſublimi ceruice, cæſarie promiſſa,diſcriminataque,ſimul & vnguentata, eadem calamiſtro comentiúmq; arte per gradus in ſuggeſtum verticis concinne decoréque formata. Etenim apud Francos, tantum Reges Regiáque ſtirps crine intonſo ornatóque agebant:cum Alani,Burgundiones,Sycãbri incultiorem promitterent.Hos Regios ſpiritus,de Chriſtiana ciuilitate manſuetudineq; verba faciens Remigius ita demiſit,in vulgusq; æquauit,vt Clodoueus omni faſtu depoſito,in humilitatémque priuati hominis deſcendens,ſe purificandum abluendúmque Remigio mitiſſime tradiderit.Ita ſacra luſtratus aqua, & velut cœleſtis muneris chriſmate delibutus. Cúmque tribus diadematibus rubris in alba parma depictis ad eam diem vſus fuiſſet,pro gentilitiis inſignibus Liliata ſigna accepit: eíque è Clodoueo Ludouicus nomen factum.Lantieldis etiam reiectis veteribus præceptoribus,ſynceram religionem baptiſmate noſtro agnouit,& ingens Francicæ nobilitatis vis inſecuta eſt.Breuíque omnes Franci, noſtri effecti, & Romanis inſtitutis diſciplinæque dediti, Gallorum æmulatione. Nec vlla publica lætitia maior vnquam Gallis affulſit, quàm quòd vnius ſecum corporis effecti Franci,eiſdem myſteriis vterentur. Alemani vero mœrebant, armis victis, nondum animis domitis. Et Francorum fœlicitatem, florentéſque in dies magis res,certam ſempiternámque ſeruitutem ſibi allaturas exiſtimabant.Eorum non contemnenda nobilitatis pars,ac eorum quibus libertatis cura præcipua erat, iniquo animo ferentes graues ſibi leges à Franco impoſitas, veriti etiam ne in caput ſuum, vt qui nimis communis fa-

lutis,decoríſque auidi eſſent,durius à Francis dominatus ſemel parti retinẽdi cupidis conſuleretur : in Oſtrogotthorum fines ſe contulere . Theodoricus Oſtrogotthus Italiæ Rex,miſeræ gentis aduentu ne pax turbaretur,æquiores parendi leges Alemanis à Franco,ac reditum in patriam,veniámque ſeceſſionis per literas petiit,quas ipſas , alteráſque ſimul binas à Franco reſcriptas attexere non alienum ſit. Pro Alemanis Oſtrogotthus Ludouico in hanc ſententiam ſcripſit·

» TVAE de Alemanis victoriæ gratulor,eâmque mihi tecum ſtatuo com-
» munem.Tuam enim virtutem,meam exiſtimo fœlicitatem : quandoquidem
» ita poſtulat neceſſitudinis ius,meúmque de animi tui magnitudine iudicium
» excellens,&,qui omnia ſuperat,meus in te ſingularis amor. Hoſtium Duces
» authoréſque,amentiæ pœnas dedere:ſcelus eorum cruore expiatum eſt.Tuæ
» ſummæ prudentiæ eſt,ita præterita agnoſcere,vt futuris proſpicias. Magnifi-
» cus triumphus,ac te dignus eſt,multitudinem inſontem , cui fortuna belli ac
» numen pepercit,tibi ſupplicare: téque illi ſalutem ac incolumitatem conce-
» dere : vt ſecundum ſuperos nullus ſit cui plus ſe acceptum ferre ipſi prædi-
» cent . Tu quoque cæteras admirabiles virtutes tuas hac clementiæ palma,ac
» condonandæ vitæ laude cumulare ſtatuas. Qua vna re quamproxime potes
» ad Deum optimum maximum accedere,vt te & ſibi natum , & regnare ſe-
» culum noſtrum lætetur:glorieturq; ſe cum veterum fœlicitate certare. Gen-
» tis Alemanorum antè nobiliſſimæ reliquiis ignoſce , quæ(vt calamitoſorum
» fata ſunt)vano metu perculſæ,in meum hominis tibi coniuncti ſinum ſe con
» tulere:erroremq; hũc miſericordia dignum iudices, eóſque pace tua perfrui,
» & finibus ſuis vti,ac quas à liberalitate tuæ maieſtatis proficiſci par tibi vide-
» bitur , legibus parere iubeas . Spondeo nihil eos in poſterum niſi pia erga te
» & grata beneficii tui recordatione acturos,cogitaturóſq;. Sin quid ſecus agi-
» tarent,non magis tibi ſalutis eorum conditori,quàm mihi voluntatis illorum
» ſponſori & quaſi vadi hoſtes forent:& qui deprecatoris munere fungor, vl-
» toris partes,vicemq; ſuſciperem. Integros,florentéſque viciſti. Quæ gloria ac-
» cedat ſi perſequi exangues & confectos,in animum inducere magnitudo tua
» poſſet?Nihil pro popularibus,nihil pro affectibus meis deprecor:ſum tãtum
» tui gloriæq; tuæ memor.Nec quicquam perſuadere tibi ſtuderem , niſi mihi
» prius probaſſem id & laudi & gloriæ tuæ conducturum. Hæ literæ Franco
redditæ : legatorũmque preces cauſſæ miſerorum conuenientes nihil nõ impetrarunt apud Francum Regem nouæ religionis ardore ſuccenſum,ac concilium Epiſcoporum Aureliani habentem,cũ iam certatim ſancti Patres,qui multi ſupererant,vndiq; ad eius edictũ conuenirent,illiq; velut iuſto ſanctoq; Regi parerent.Igitur Francus ad Oſtrogotthum literas huiuſmodi dedit·

» MEAM de Alemanis victoriam non minus piam quàm fœlicem tibi vi-
» deri, gaudeo, agnoſcóque & beneuolentiam & humanitatem tuam. Quod
» prius naturæ meæ dederam,vt Alemanis victis ignoſcerem,nunc honoris tui
» cauſſa eorum ſeceſſioni defectioníque ignoſco: tibíque eo magis debebunt,
» quòd qui ſemel vita donati , continuóque ad furorem reuoluti , nullam ſibi
» ſpem iterum impetrandæ veniæ reliquiſſent , de illis,te agente,nulla piacula

expetam:ſed in patrias eorum ſedes,fidemq; meam,ac mitiſſimam iuris conditionem illos recipio:in futurum ſi plus conſuetudo amentiæ quàm officiū apud eos valebit,lenitas mea & priſtina & præſens,& hæc authoritas tua grauí cruentóque in eos exemplo ſancienda erit. Hæc partim per literas,partim per legatos acta. Pace, patriáque, ac æquiſſimis legibus impetratis, maior aduerſus Viſigotthos exorta eſt controuerſia: quos magis cordi eſſe Oſtrogottho,quàm Alemani fuerant,apparebat. Franci noua religione pii,Viſigotthos Arriana impietate pollutos oderant. Accedebant quæ animum Franci Regis magis ac propiore cauſſa iritarent,quòd Alaricus Viſigotthorū Rex, cuius pater auusq; amantiſſimi Francorum Regum fuiſſent,exules hoſtesq; Francorum recipiebat,colebátque:& cum de colloquio ageretur,inſidias vitæ ſuæ Francus Rex paratas ab eo cōperiſſe ſe dicebat:& finitima Regna ferocibus Regibus pacata diu eſſe non poterant. Ac eouſque contentio animorum exarſit,vt fama,quæ nec falſa fuit,increbreſceret,cæteris ſubmotis ad oſtentationem virtutis Reges ipſos Ludouicum Alaricumq; inter ſe concurſuros: nobiliſſimóque pari fortunam vtriuſq; gentis decretum iri. Quod vbi Oſtrogotthus accepit,in hanc ſententiam ad Francum ſcripſit.

ANIMVS meus,ingens altumq; vulnus accipit,cū audio omnium mortalium mihi chariſſimos, te tantæ maieſtatis, ac Alaricum Viſigotthorū Regem,leuibus aut ſaltē expiabilibus cauſſis concitatos,pugna certaturos. Quæ quàm atrox ancepsq; futura ſit, mente proſpicio. Nullius ex rei ſpectaculo maiorem voluptatē capere poſſunt ii qui fœlicitati veſtræ inuident,quibúsvē virtus veſtra magnitudoq; formidini eſt, quàm ex hoc concurſu veſtro,cum videbunt vos mutuis digladiari odiis,ac vtrumq;,dum alteri præſens molitur excidium, cadere poſſe. Qui verò vos diligunt,resq; veſtras florentes gloriæ præſidióque ſibi eſſe ducunt,quàm magno omnes iuſtóque dolore affici neceſſe eſt,cum triſtis affertur fama,vos à ſtirpe coniunctiſſimos,tam atroces inter vos hoſtes eſſe, q̄ ſancta patres maioresq; veſtri iura amicitiæ ſocietatisq; ſeruarunt?Ex meis enim ſenſibus de reliquis capio coniecturam.Tanto mihi mœrori eſt diſſenſio diſiunctióque hæc veſtra,vt quia ambo & mihi & inter vos neceſſarii,arma infenſa infeſtaq; capitis:tela in latus meū ſtringi intendiq; putē, bellumq; ſuſcipi,quo & vincere & vinci,peræque miſerū luctuoſumq; eſt.Sæuius finiūtur quàm inchoantur bella:nec vt initium illorum,ita & exitus in mortalium manu reponitur.Vbi tantum armorum corporūmque ſub ſignis ſtabit,quis cruori legem dabit,vnde,& quantus fluat?Qui vnū hoſtem ſponte ſuſcipit,multos inuitus habet.Amici ſinguli in periculis,hoſtes gregatim occurrunt. Dicam amantius quàm libentius · En ego ille,cuius magno dolore in ferrum ruitis, communis amici fiducia denuncio:amicis,qui rebus veſtris integris multi ſunt, rem cognoſcendam componendámque credite, arma ponite: per vtrum ſtabit quo minus ab armis diſcedatur, in eum pro altero coactus dextram meam meosq; armabo.Hæc mea charitatis impatiēs denunciatio,veſtræ veſtrorúmque ac orbis ſaluti proſpiciens,vos vel terreat, vel, quod malo, moneat. Superbum exiſtimauit Ludouicus, totius orbis moderatorem Oſtrogotthum videri, ac paulo antè eo contendente veniam

ſeceſſioni Alemanorum datam, & nunc arma Francorum abſterreri, ne in Viſigotthos ferrentur. In hanc igitur reſcripſit ſententiam·

» NON alio animo erga Alaricū ſum, quàm te velle æquum eſt, cum domum ſuam ſtatuerit hoſtibus domus meæ eſſe certiſſimū receptaculum. non ego illi, ſed ipſe mihi bellum indicit. Indictum ne capeſſam, gerámque, oro ne mihi author ſis, contrà atq; patrius mos, naturaq; mea ſuadet. Quod vero par hoc non probas, me cum illo, ſi caſus ferat, concurrere: non video cur æquius ſit illum in me, q̃ in illū me pugnare. Ego vero cum tu me ad pacem, ille ad bellum vocet: ſi duas habeam dextras, altera ab eo me tuter, alterā voluntati tuæ inermem dem: ſed hoc rerum naturæq; ſtatu, cum propè ſigna ab eo canant, verba de pace audire quî poſſum? - Hoc reſponſum cauſſæ Viſigotthi Oſtrogotthum magis coniunxit. Isq; euẽſtigio ad totius orbis Reges literas, quarum exemplum nunc quoque legitur, dedit, inclementes in Francum: eius aures æquo iuriq; clauſas: in iniuria viribúsque ac ferro eum omnia reponere. Communem gentium cauſſam agi, ne opes Francorum nimiis augeſcerent incrementis: futuras exitio reliquis Regnis, ſi euerſis Alemanis Viſigotthi tollantur. Omnium reliquorum Regum vnum concilium, corpusq; conſtituendum eſſe, ad cuius iudicium Francus euocetur. Singulorum ſalutẽ, vniuerſorum prouidentia contineri: mittendos vndique in Franciam oratores abſterrẽdi Ludouici cauſſa. In primis ſolicitabat Burgundionum Regem conſocerum ſuum Gundebaldum. Is dum per legationem nimia contentione rem apud Francos inuiſam agit, alienas ſimultates ſuum fecit bellum. Vtq; duos fratres quanuis fontes morte multarat, ita ipſe à fratre reliquo proditus Regnum domumq; amiſit. Odeſillus, quòd precibus nullam Regni partẽ impetrare ab eo poſſet, Ludouicum Regem iam Gundebaldo infenſum occulta legatione ſolicitat. Pacto cõuenit, vti ei Burgundionis Regis filio dimidia Burgundiæ pars daretur, altera pars Ludouico eiuſdem Regiæ genero cederet. Ludouicus depoſito in ſpeciem Viſigotthico bello, in Gundebaldum mouet, eúmque vrbibus Ciſarariçæ Burgundiæ ſpoliat. Intermiſſoq; pauliſper, ac mox redintegrato bello, quod atrocius futurum videbatur, nihil non auſuro per deſperationem Gundebaldo, Clotildis Regina, non hominis, ſed nominis patriæq; commiſeratione, vt apud eius gentis ſcriptores inuenio, adducta, ſimul pudore, quòd eius dos belli cauſſa prætenderetur, bellum tollere conata, à ſuísque prædocta, ita Regem maritum allocuta eſt·

» IAM dimidiam Burgũdiæ partem Rex obtines, ſatis amplum in præſentia præmium & virtutis & fœlicitatis tuæ. Quæ (malum) ratio eſt te & tuo & tuorum ſanguine quod reliquum Burgundiæ eſt, nec tibi nec tuis parare? Vis tu Gundebaldi qualiſcunq; patrui mei cruore perfuſus Odeſillo alteri patruo meo imbutum fraterna cæde ſolium inſidendum tradere? Cupiditate cæcus ille iniquum fœdus tecum percuſſit. Tantî ne tibi illud eſt fœdus, vt omnia euertere malis, quàm nõ ſanctum piumq; id ducere, in quo nihil ſancti piiq;? Magnificẽtius tibi omnium maximo Regi foret, quicquid Burgundiæ nunc tibi habes, Odeſillo tradere, quàm parricidiũ Odeſilli, qui morte Gundebaldi fratris funeſtũ diadema induere optat, tuum ſcelus facere. Eius enim in fratrẽ

tuorum ferro admiſſum, ac te contrà armato perpetratum, cui demum homines ſuperoſq; crimini daturos putas? ſed illæſa integraq; fœderis fide, quod Burgũdiæ telis, ac periculo tuo recepiſti, retinebis, ſimul finem incunabulorũ meorum ſanguine domeſtico irrigandorum facies. Spopondiſti te bello cõfecto victorem Burgundiæ dimidium Odeſillo traditurum. Quantum in te eſt, fidem perſoluiſti: quandoquidem omnia expertus es, vt poſſes perſoluere. Fortunæ nec tu, nec vllus mortalium imperare poteſt: quandò nec ſuperis vllus noſtrũ poteſt. Ipſa arbitrio ſuo pacem, ſed maxime bella regit. Non ſemel eam tentaſti: vires cõtuliſti. Quid præterea aliud expectare ille abs te debet? Tandem ſit aliquis meorum malorũ modus. Imminuere domus quæ me tibi genuit, mala, par eſt. Quibus mederi te æquius foret: oro ne augeas. Neſcio vtrum magis indignũ ſit, quòd patruus meus patruum meum tua dextra occidere conatur: an quòd tu fratrem in fratrem armare, ac inter ſe committere dicare. Quod non antea fama credere deſinet, q̃ impio Odeſilli conatui auxilio eſſe deſieris. Quòd ſi mortẽ noſtris cruentam imprecari fas nobis eſſet, ſimul optare deberemus, ne noſtris, ſed alienis occumberent telis. Tuæ quoq; prudentiæ eſt, ne quid in quenquam noſtrorum pie impiéve ſtatuas, vt non idem liberos noſtros inter ſe in ſuoſq; paterno exemplo ſtatuturos præſciſcas. Tu hac ſapientia, his parentibus maioribusq; ortus, inuictæ gentis Imperator, ipſe ſummæ virtutis fœlicitatísque, modò religionem Chriſtianam profeſſus, à rerum geſtarum clementiæq; gloria deficies, ac exiſtimationem expectationémque hominum fruſtraberis, qui velut cælo demiſſum te intuentur, ab ore tuo pendent, ac numen eſſe in te ferunt, quòd nulla te niſi pia neceſſariáque ſuſcipere bella prædicant, & vera virtute adminiſtrata, admirabili manſuetudine conficere: vt etiam victi te parentem ſibi rebúsque ſuis ſentiant. Alemanis atrocibus hoſtibus ſemel atque iterum veniam impertiſti. Burgundiones perſequi non deſines, niſi euerſos? Tu hac indulgentia & pater & Rex fratrem in fratrem armas? Quin, vt te dignum eſt, liberis tuis pia in te & inter ſe facinora imitanda proponis? Tuis illi veſtigiis inſiſtent. Paternum iudicium pro præcepto legéque viuendi accipient filii. Regnum tuum finibus Burgundiæ Ciſaraticæ auxiſti. Erit, cum quod armis obtinere nondum potes, affulgente occaſione ſine contentione obtinebis. Tu virtute viciſti. Eſt qui ſui ſceleris inuidiam intorquere in te conatur. Bellorum tibi tuíſque opulentiſſimorum cauſſa & iuſtior & ſanctior dabitur. Citius pacis quàm belli materia nos deficiet. Verbis lacrymas precésque addebat, Ludouici genibus aduoluta, nihil à viro Rege non impetratura concors vxor. Et Gundebaldus ab omni re occaſionéque petens auxilium, cum armis ſe imparem Francico bello ſuſtinendo ſentiret, vt arte falleret, nullas conditiones etiam vectigalis penſitandi aſpernatus, pacem impetrauit. Mox velut confecto bello dimiſſis à Franco copiis, fratrem repente adortus trepidum Viennam fratribus fatalem vrbem compulſum obſidet: ac antequam coacto rurſus exercitu Franci auxilio venire poſſent, expugnare omnibus viribus contendit. Ille contrà eruptionibus fortunam prælii non tentabat: tantum mœnia tutabatur; & ne commeatus deficeret, quoad Ludouicus Rex perſpecta

Gundebaldi perfidia occurrere poſſet,inermem turbam ex vrbe eiicit:in qua erat aquæductus curator, qui ſe per iram ad Gundebaldum in caſtra contulit, pollicens ſe furto Viennam in eius poteſtatem redacturum. Fides ei habita eſt à cupidiſſimo vel cum periculo confeſtim debellandi Rege. Erant in editiore vrbis parte, quorum nunc quoque veſtigia extant, ſpiracula, ſpecuſq; abditi,ac immiſſaria, quibus ex longinquis fontibus aqua operibus deriuata intra mœnia recipi ſolita fuerat. hæcq; tunc ſuis obicibus clauſa obſtructáque ac imperuia viſa, niſi ars, ac indignatio, ingeniúmque omnia domans peruaderet. Aquæductus curator à Gundebaldo delectiſſimos Burgundionum accepit: eósque,ſilentio noctis occultum iter ingreſſus,paruo molimine amotis quæ interſepiebant, in vrbem duxit: híque refractis portæ,quæ proxima erat,foribus,reliquas copias iam præparatas recepere. Mox muri occupati deiectis vigilibus præſidiísque,& cædes,cum lux oriretur,fieri cœpta. Odeſillus, cum in extrema ſpe ad tutelam templi confugiſſet, ipſe, Epiſcopúsque Arrianæ ſectæ occiditur. Triſtis nuncius is fuit Francis. Maiore igitur ira,iuſtioréque quàm antè cauſſa coactus ac ductus in Burgundionem exercitus, tanto omnium ardore, tantáque minarum mole, vt vltima deſperatio Gundebaldum ceperit,nullo vltrà fallẽdi loco relicto. Ad Oſtrogotthos fuga elapſus eſt prius quàm copiis hoſtium circumuallaretur: nec multo pòſt in exilio deceſſit. Tunc proceres gentis Regibus Ludouico Clotildiq; commendarunt Sigiſmundum Gundebaldi filium,cui (vt oſtendimus) nupſerat filia Theodorici Oſtrogotthi Regis generi Franciæ Regiæ. Ea affinitas inter Francum Oſtrogotthúmque ſimultatum certamina diſtulit potius quàm ſuſtulit. Sigiſmundo Regnum tranſararicæ Burgundiæ datum:qua in re Oſtrogotthi in præſens gratia quæſita, ne pronior in Viſigotthum reſpiciendum quàm in Francos foret. Ita compoſitis ex ſententia rebus, omni ſimulatione depoſita,in Viſigotthicum bellum omni conatu curáque incubuit. In Pictonibus decimo ab vrbe lapide in campis Vogladenſibus ad Hilarii obuiũ pari ferocia hoſtem habuit. Extemplo vtrinque acies ſtrui cœptæ. Nec mora dimicandi vlla interceſſit. Pugna æquo Marte commiſſa. Procedente certamine, impetum velut præcipitis torrentis inuehentium ſe Francorum Viſigotthi ferre minime poterant. Senſim primum cedebant:nec ordines iniecta trepidatione perturbabantur. Deinde Francis, vt ſemel loco motos ſenſere, acrius gradum inferentibus, haud dubie obliti decoris ordinumq; terga vertêre. Alaricus fugientibus obſtare: in pugnam redire iubere: non à pedibus tergoq; imbelli,ſed ab armata dextra præſidium ſaluti quærendum:in virtute audaciáque victoriam,prædam, gloriam poſitam: in fuga ignauiáque ſeruitutem,dedecus,exitium collocatum. Metus quàm pudor,premente,nec laxamentum dante hoſte,apud pauidos plus valuit. Tunc Alaricus effuſa ſuorum fuga, & ipſe,ſed poſtremus,inter aliquot equites abreptus eſt,ad id vſq; tempus ſummi Ducis & ſtrenui militis partibus functus. Rex Francus in primo agmine rem gerens eum conſpicatus,memor minarum,ferociumq; verborum, gloriæ etiam cupiditate ſtimulante,certaq; iam ſuorum victoria elatus,cæteris velut vilibus capitibus omiſſis,in eum vnum tanta vi,támque in-

feſtus equum admiſit,vt ad primum incurſum equo deiecerit.Tunc duo Viſigotthorum equites Regis ſui caſu magis iritati quàm territi,antequam Rex Regem conficere,ac opima ſpolia capere poſſet, diuerſi haſtas,equorúmque curſum in vtrunque eius latus dirigunt. Beneficio loricæ, ac auxilio Clodorici iuuenum fortiſſimi æquato Marte,incruentus periculum euitauit. Stratũ Alaricum pedes Francus attollere ſe conantem confodit . Hoc triſte his qui aderant, ſpectaculum, moræq; intercedentis ſpatium Viſigotthis fugam præbuit. Qui eorum Engoliſmæ in præſidio relicti erant,dum vrbem muniunt, repentina ſtrage territi, cum pars murorum vetuſtate corruens,miraculi ſpeciem præbuiſſet,Francos mœnibus admiſere.In Burdegalenſium finibus Viſigotthi qui prælio abfuerant,auſi fortunã prælii tentare,tanta cæde victi ſunt, vt is locus Campus Arrianus etiam ſeculo hoc noſtro vocitetur.Igitur Burdegala, Veſates, Cadurci, Ruteni ſe ſtatim dedidere . Aruerni amiſſo in acie Apollinare Duce, Sidonii Aruernorum Epiſcopi conſanguineo, iritati, poſtremi omnium ſe Ludouico tradidere. Iam præter Toloſates,vbi Regia Viſigotthorum erat, in fidem omnia venerant. His tandem & ipſis receptis,regreſſus Rex ad minora etiam domi ſananda tollenda've mala animum conuertit.Cannacarius Cameracenſium idem & Atrebatium Regulus,vetuſtiſſima generis nobilitate tumebat . Clodionis Regis Franci abnepotem ſe prædicabat : ac ad ſe legibus Francorum Regnum peruenturum fuiſſe dicebat. Non vires hominis,ſed cauſſa ingrata Regi erat. Is ipſe,fratrésque Ludouico proditi,necatiq;. Proditoribus,ne exemplum prodendorum Regum iudicio Ludouici ſanctum haberi poſſet:munera,quæ aurea dari conuenerat,adulterina data.Sigiberti è proceribus Francis ferocia maior,ſed cauſſa minus inuiſa . Pro Regis gloria ſe ſanguinem fudiſſe vulnere ingenti accepto iactabat: nec vllam ſibi relatam gratiam . Huius filium in paternum dominatum (Agrippinenſibus imperitabat) ſuccedere iuſſit.Iuuenis Regis imperium ita interpretatus, vt fata patris approperare ſe iuberi crederet,patrem occidit. Ludouicus ſupplicio filii necem ſenis eſt vltus . Chararicus magnæ cognationis vir, minus reuerens Regis videbatur. Is ipſe,pubeſcensq; filius, monachos ſe profiteri coacti ſunt . Aduleſcens lanuginem ſuam,abraſumq; caput contrectans, Mi pater,inquit,hæ frondes in virenti florenteq; arbore ſtrictæ,ſua maturitate ſuccreſcent . Deus faxit, vt author putandæ comæ tam cito areſcat, ipſe,ſtirpsq;,quàm fœlici vere hæ reuiuiſcent.Cellularũ arcana minime ſurda mutáve fuere.Gnarus ferocis dicti Ludouicus,patri filióque mortem indixit. Ita in cædes ibatur.Hæc domi patrabat externis bellis profligatis animus quietis impatiens: quoad Græca legatio aduenit . Anaſtaſii Imperatoris oratores Franciam ingreſſi,in Turonibus Regem conuenere:atque ita verba fecere·

TE AVGVSTVS Conſulem Patriciumq; ſalutat.Qua tituli maieſtate « ſecundum Cæſarum decus, nullum maius excelſiúsve faſtigium excogitare « potuit.Regium enim nomen ſanctum eſſe meminit, ſed tibi cum multis cõ- « mune . Magnitudo vero tua cæteros ſupergreſſa , nouam gloriam poſtulat. « Defendiſti Chriſtianum nomen,ac potius orbem terrarum,à Viſigotthorum « furore,qui & vrbem Romam euerterunt,& Imperiorũ Regnorumq; hoſtes «

„ erant: tantíque ſuperis pietas tua viſa eſt, vt tua vnius manu, Dei hominumq; 45
„ hoſtem occidi voluerint, inter tot tela hominum, tot cæli fulmina. Cum igi-
„ tur gentium ſalutem vnus conſtitueris, ac generis humani patrem te numen
„ & religio tua effecerit, accipe hæc Conſulatus inſignia, & Patriciatus nomẽ,
„ ſimul hanc auream coronam, qua honoris gratia donaris ab Auguſto quidẽ,
„ ſed orbis terrarum approbatione. Cúmque cauſſam mortalium ſemel defen- 50
„ dendam ſuſceperis, noli dubitare ſæpius hæc mortaliũ immortaliumq; de te
„ iudicia promereri. Sella curulis, faſcesq;, ac corona ſuſcepta, nummúsque in
populum ſparſus. Coronam eandem gemmis margaritisq; diſtinctam Romã
rex ad ædem Lateranenſem miſit. Nec tunc Græca defuit facundia. Legato-
„ rum Princeps, O Rex, inquit, in orbis arce lauream ſempiternam locas, qua 55
„ virtutis ergò donaris. Non vis eam in obſcuro iacere, aut memoriam rerum
„ cum rebus extingui. Inde ſocietas amicitiáque inita. Quæ non ſuſpecta
modò, ſed formidoloſa etiã Oſtrogottho fuit, verito ne cum Auguſtus nihil
cupidius moliretur, quàm vt nomẽ imperii in antiquam maieſtatem reſtitue-
retur, res Græcæ cum Francis recenti fœdere coniunctæ, Viſigotthica regia 60
propè euerſa, Oſtrogotthis ac cæteris regnis internecioni forent. Anteuertẽ-
dum igitur ratus, cum Italiæ Siciliæq;, ac circumiectis Italiæ inſulis, ſimul Illy-
rico Dalmatiæq; iura daret, ac Oſtrogotthos populares ſuos exercitatiſſimos
in armis haberet ad octoginta armatorum millia, Almarico Alarici à Franco
rege cæſi filio, duce Ilba Gepidarum Comite, auxilio miſit: qui Viſigotthis 65
coniuncti, victoriam reportarunt. Francorum millia viginti deſiderata. Pro-
uincia ad Oſtrogotthos, Vaſconia ad Viſigotthos rediit. Reliquas Frãcorum
opes tentare non eſt auſus: apparuítque eum tantùm quærere, vt finibus ſuis
ſe Ludouicus cõtinens, cæteris regnis abſtineret. Isq; antequam vlciſci poſſet,
obiit triceſimo regni ſui anno. Sepultus eſt ad Lutetiam Pariſiorum in æde 70
Petri & Pauli ſuburbana, quam Viſigotthico vouerat bello. Genouefæ nunc
eſt: in cuius diuæ tutela vrbs eſt: quam regiam eſſe iuſſerat. Ex eo tempore arx
caputq; regni eſt habita, in qua plurimum authoritatis maieſtatisq; foret. O-
ſtrogotthus poſt victoriam de Franco partam, nihil vera virtute geſſit: mi-
nas non modò in Græcos, ſed in ipſum numen religionémque vertit. Iuſti- 75
nus Auguſtus Anaſtaſio fulmine icto ſuccedens, Arrianos toto Oriente exu-
les eſſe iuſſerat. Centeſimum iam plus annum vtraque Gotthorum gens ſe-
ctæ Arrianæ erat. Id Iuſtini edictum Theodoricus Oſtrogotthus tam indi-
gnè tulit, vt Iohannem pontificem maximum cum Epiſcopo Rauennatium
& aliquot Senatus principibus ad Auguſtum Græcum legarit cum mandatis 80
& minis grauibus, niſi reſtituerentur domum Arriani, ſe templa noſtra ſolo
æquaturum, vrbem Romam nomenq; Italicum deleturum. Iohannes reue-
rentiſſimè exceptus, Auguſtum coronauit. Expoſitis mandatis conſultari cœ-
ptum: eoq; deſcenſum eſt, vt induceretur decretũ potius quàm furens Oſtro-
gotthus rabiem in innoxiam gentem verteret: numen ipſum cauſſam ſuã de- 85
fenſurum, quandò pietas humana nõ poſſet. Reuerſum nihilo ſecius cõfectis
mandatis Iohannem Theodoricus in arctam cuſtodiam Rauennæ coniecit,
velut Auguſtorum nomini deditum, & ab Auguſto cultũ, humaniq; generis

parentem ſalutatum. In carcere obiit Pontifex. In eadem cauſſa fuere viri clariſſimi Symmachus & Boëtius: quos ſuſpicatus Theodoricus Auguſtorum rebus æquiores, ac à Gotthicis alieniores eſſe, antè Legatos Conſtãtinopolim miſſos in cuſtodiam coniectos, tunc necari iuſſit. Pietas ipſa ſe, & ſanctiſſimos viros vlta eſt nulla mortalium ope, paucis diebus ſuperſtite Theodorico, nomineq; Gotthico aliquot pòſt annis obliterato: Ludouici ſobole in multa ſecula ſuperſtite, regnaturaq;, nec vlla grauius re, quàm multitudine liberorũ, atq; inde domeſticis bellis laboratura, fœlicitate temporum ſuorum, rebusq; nimis lætis corrupta, Franciæ verò nobilitate religioneq; immortalitatẽ nacta.

Inter Ludouici filios paternũ regnum ita diuiſum velut in tetrarchias eſt, vt CHILDEBERTO Pariſii, Clotario Sueſſiones, Clodamiro Aurelianũ, Theodorico Mediomatrices Imperia forent, Regésque omnes appellarẽtur. Nec illa ciuitatum modò nomina, ſed rerum arces opulentiſſimæ erant, vnde ſua cuiuſq; longe lateq; fuſa regio iura peteret. Sed dum ſinguli magnitudinẽ paternam æquare ſtudent, ſeq; anguſtis finibus clauſos putant, primum externa, mox & domeſtica exorta bella: quoad vnius ad arbitrium ſunt omnia reuocata. Primum omnium pax cum Almarico Alarici filio firmata ab Regibus Francis, data illi in matrimonium ipſorum ſorore nomine materno Clotilde, Toloſatiũmque præfectura reſtituta. Augendi Francis in Gallia Imperii materia propior, aut iuſtior cauſſa nulla videbatur, quàm vt Burgũndia peteretur, Aurelianenſium regno cõtinens. Et Clodamirus Rex arma in Burgundionum Regem Sigiſmundum pia capere ſibi videbatur, quòd eum populares coarguebant Sugerium filium ex filia Theodorici Oſtrogotthorum Regis procreatum, ſuperinducta nouerca non conferendæ nobilitatis necauiſſe. Sugerius non vt priuignus modò nouæ nuptæ inuiſus erat, ſed quòd improuide matrem defunctam laudaret nimis, generoſioremque eam fuiſſe contẽderet, quàm cuius mundo ornamentisq; illam excoli conueniret: adeò ſtimulos nouercales in perniciem ſuam acuit, vt ea illum appetiti Regni inſimulãte, pater vxori deditus, ad quieſcentem filium duos ſuorum intromiſerit, qui laqueo ceruici iniecto ſpiritum intercluderent. Hic finis fuit liberæ nimis linguæ, & incauti in matrem amoris. Clodamirus hoc parricidio Regem infamẽ bello eſt adortus: nec in difficili res fuit. Pugna commiſſa, deſertus ab ſuis Burgundio. Ipſe, liberiq; (hi ex poſteriore vxore procreati fuerant) capti Aurelianum ducti, ac in puteum coniecti, nece ſaltem Regiorum puerorum indigna, ſed non diu authori læta impunitáve. Gundemarus Sigiſmundi frater à popularibus Rex ſalutatur. Clodamirus vlterioré Burgundiam cum victricibus copiis penetrans, in prælio occiditur, cum ſecundis rebus ferox, ac certaminis ſtudio cũ paucis procul ab ſuis temere eueheretur, hoſteſq; conſultò viam perrumpenti darent, vt ab ſuis intercluſum circumuenirent. Nonnullæ etiam Burgundionum cohortes inſignia ornatúmque Francorum induerãt, vt tanquam inter ſuos res gerentẽ minore negocio adorirentur. Vndiq; dolo captus, egregie pugnans cecidit. Aliquanto pòſt Clotario Childebertoq; necem fratris perſequentibus, Gundemarus regno ſpoliatus in Hiſpaniam ad Viſigotthos ſibi conſciuit exilium: quod cum parum tutum arbitraretur, in

Africam ad Vandalos tranſmiſit. Burgundiam victores Reges inter ſe diuiſe-
re, nulla ratione habita filiorū Clodamiri. Tres admodum pueri erant, Theo-
dobaldus, Guntarus, Clodoaldus. apud auiam Clotildem educabātur. Ab hac
extorſerunt victores patrui, vt eos ad ſe mitteret, polliciti ſe illis regnum pa-
ternum reddituros. Clodoaldus ex itinere à paternis amicis futura proſpiciē-
tibus in tutum ſubreptus, aliquanto pòſt neceſſitatē in virtutem vertens, ton-
ſus cœnobio ſe ſacrauit. Reliquos duos cum in poteſtate haberet Clotarius,
occidit (quo maius nefas eſſet) manu ſua coram ipſo Childeberto initio cō-
ſilii participe, ſed tunc ſcelus deteſtante, illacrymantéque. Ita etiam defunctus
Clodamirus, morte inſontium filiorum pœnas dedit, necatis innoxiis Sigi-
ſmundi filiis. Hęc domi. Nec peregre ſanctius. Theodoricus iam indè ab inito
regno tanta cupiditate flagrauit amicitiæ ſocietatiſq; cum Turingis gente fe-
rociſſima, & tunc latioribus finibus vtente, ſanciendæ, vt eis obſides in fœde-
re paciſcendo petentibus daret. Tres fratres erant illius gentis Reges, Bade-
ricus, Hermenfredus, Bertarius. Hermenfredus Bertarium repētina vi aggreſſus
oppreſſit, à nullo minus quàm à fratre metuentem. Ac iam alterum fratrem
aperto Marte petebat, fratris caſu edoctum, ac egregie ſe tutantem: nec ſuis
viribus euertere poterat. Theodoricum Regem accerſit, promiſſa illi dimidia
fraterni regni parte. Auxilio Theodorici cæſo Baderico, tota Turingia poti-
tus, fidem mutauit, fratrum pœnis inſectantibus: exituq; (vt in ſcelere aſſolet)
infelici, partem Turingiæ ex fœdere Theodorico petenti, bellum anteuertēs
mouit, in prouinciasq; Francorū Trāſrhenanas excurſiones fecit. Cæde, incē-
diis, ruinis, direptione omnia miſcuit: obſides quoq; Francorum fœde excru-
ciatos interemit: iam opibus ſuis fretus, quòd triū Turingiæ Regnorū potēs
eſſet, ad tam inſanā cupiditatē perleui momento impulſus. Ei nupſerat Ama-
laberga filia Honorici Vandalorū Regis, genita ex Amalanfreda Theodorici
Oſtrogotthorū Regis ſorore. Adeo Oſtrogotthus maximas totius orbis terra-
rū regnas & ſibi, & inter ſe affinitate deuinxerat, omnium regum prudentiſſi-
mus: veritus ne ſi res Romana reſtitueretur, Reges à quibus euerſa eſſet, euer-
teret. Hæc Amalaberga Herměfredo viro conuiuiū habituro, dimidiā omni-
no triclinii partem ſtrauerat: interrogātiq; quid tandem id rei eſſet, nihil cun-
ctata reſpondit, qui parte regni exueretur, eū etiam triclinii parte cedere con-
uenire. Theodoricus in ſpē prædæ accerſito Clotario, Turingiam totam vi-
ctoriis peragrauit. Fide etiam accepta Hermenfredus ad eum cum ſe contu-
liſſet, ex editiſſima turri deiectus eſt. Clotarius Radegundam virginem ſanctā,
dignamq; quæ vel vna merces belli peteretur, filiam Bertarii Regis, vxorem
duxit, nihil cōſulto fratre cuius eo bello primas partes eſſe oportuerat: ſimul
eiuſdem virginis fratrem occidendum curauit. Hæ, ſuperioresque res omnes
exempli ſcelerisq; tragici. Ex eo tempore exorta ſimultas inter fratres, ſolici-
tam Franciam habuit. Quin Childebertus Theodoricusq; communi animo
conſilioq; fratri bellum intulere: nec obſecratione matris ad memoriam ger-
manitatis reuocari poterant. Cum copiæ ſtricto ferro paratæ ad pugnam ſub
ſignis ſtarent, repente ex ſumma ſerenitate tranquillitateq;, tanta cum horrē-
do fragore grandineq; deiecta eſt cælo tempeſtas, vt ea in religionem verſa, id

bellum depoſitum,ſalutatióque militum mutua inſecuta ſit,& dextræ interiunctæ,paceq; domi parta pium longinquumq; bellum ſuſceptum. Clotildis Regum Francorum ſoror à Viſigotthis Arrianis, in quos enupſerat ipſa pia, ignominioſe duriterq; tractabatur. Via euntem,cœno lapidibusq; inceſſebãt. Saucia imbutum cruore ſudarium ad fratres Reges miſit, quibus veluti literis ſanguine exaratis perciti ira Franci in Viſigotthos ducunt. Cæſus Almaricus,reducta in Franciam Clotildis,nec ita multo pòſt Viſigotthi bello repetiti. Cæſarauguſta obſeſſa, coactáque ſinceram religionem profiteri. Tunica Vincentii martyris,velut ingentes exuuiæ,Lutetiam aſportata,eiq; diuo ædes ſuburbana extructa,quæ nunc Germani eſt, qui fuit annus ſalutis quingenteſimus & vigeſimuſquintus, cum biennio antè Theodoricus Rex Oſtrogotthorum magno ſuorum malo obiuiſſet,relicto nepote Atalarico ex Amalaſiunta filia octauum annum agente. Pater Eutharicus deceſſerat. Mater omni laude à ſcriptoribus cumulata,immaturam filii ætatem regebat, erudiendúmque ciuilibus prius quàm bellicis artibus curabat. Ac vt ſanctum fœdus cum Francis (quorum vires formidoloſæ iam Italiæ erant) feriret, Prouinciam Theodoberto Theodorici Mediomatricum Regis iam defuncti filio attribuit, ne quid in Gallia Oſtrogotthos Franci poſſidere indigne ferre poſſent. Proceres gẽtis inter arma nati,quos perpetuus à Græcis Auguſtis metus in conſiliis bellorum continebat,non ſatis æqui matri erant. Tandem neq; bello neq; pace boni,ſed perditiſſimi aſſentatores, vt pueris Regibus aſſolet, dominabantur,animúmque Regis ac aures poſſidebant: quorum alios exilio, alios morte mulier multauit. Theodatum amitinum tãtùm verbis caſtigauit, Hetruriæ Prætorem à Theodorico Rege creatum. Cui nihilo ſecius octauo à patris obitu anno mortuo filio nupſit: cum eoq; res adminiſtrabat. Burgundiones Liguriam Aemiliamq;, Alemani Venetiam miſſu Theodoberti euaſtarũt,nec niſi præda pleni à Theodato reiecti domum ſunt. Illud vnum virtutis opus Theodatus edidit,literis quidem eruditiſſimus,ſed vita inerti,ignauaq;. Is tamen,ſeu vt ſolus regnaret,ſeu beneficii oblitus,caſtigationis memor Amalaſiuntam in inſulam lacus Volſiniẽſium relegauit. Ibiq; occiſam ab eorum liberis, quos illa malos filii ſuaſores neci tradiderat, haud moleſte tulit, nullo de illis ſumpto ſupplicio,ſed diſſimulatione præteritis. Aduerſus hunc Iuſtinianus Auguſtus ſummum Ducem Belliſarium tranſportare exercitum iuſſit, & ad Francos Reges oratores miſit, qui miſerarentur fortunam Italiæ, quòd nobiliſſimum Regnum ad indigniſſimos,& (quod nefas ſit) Arrianos recidiſſet, agerentq; cum Clotario & Childeberto vt Theodobertum fratris filium ipſi patrui à rebus Italicis capeſſendis, iuuandisq; Gotthis deterrerent. Mox affuerunt Oſtrogotthorum legati opem implorantes,ac edocentes,non charitate nominis Italici, religionéve vlla, ſed auiditate Imperii propagandi, iuraq; Regibus dandi,Græcum capeſſere id bellum. Interea ex ſententia bellũ gerebat Belliſarius. De Oſtrogotthis Siciliam receperat,Neapolin obſederat, arteq; ceperat,aquæductu ibi quoq; occultum ingreſſum præbente. Tali rerũ ſtatu Gotthi deſidiam Theodati peroſi,Vitigitem nobilitate nequaquam parem,ſed rei militaris artisq; Imperatoriæ peritiſſimum,Regem creauere: à quo

immiſſi qui Theodatum occiderent tertio q̃ regnare cœperat anno. Nouus Rex Mataſiuntam filiam Amalaſiuntæ Atalarici Regis ſororem inuitã,quòd impari nobilitate nubere indignum exiſtimaret,ſibi matrimonio iungit. Belliſarius Romã ſecundiſſima ciuium voluntate receptam,eorum fide virtuteq; defendit,cum eam Gotthi vndiq; contractis copiis obſiderent. Inter hos motus Theodobertus Rex Italiam prouinciã ipſe ſuſcipit; recenti gloria nitens, quòd Danos maritimã Franciæ oram claſſe appulſa publico latrocinio velut iuſto bello infeſtam facientes,cæde fugaq; affecerat. Tunc Italiam terrore nominis ſui impleuit. In magnarum rerum expectationem erectis omnium animis, morbo correptus domum rediit, relictis Auſtraſianis Ducibus Lotario, Amingo, Buccellino: qui digreſſo Rege decoris Imperiiq; cupido,prædæ ſibi quærendæ,quàm illius gloriæ opumq; ſtudioſiores,formidoloſi tamen vtriſq; partibus erant,vtris ſe iunxiſſent,ad eos victoriam inclinaturam. Gotthis Mediolanum,quòd Auguſti partium mallet eſſe, prementibus, decem millia armatorum ſtipendiis acceptis dederunt. Auſtraſianorum arma erant galea,ſcutum: tela,gladius,bipennis. Vrbs nobiliſſima fame domita Vitigiti Regi deditionem fecit. ſed breui rebus Gotthorũ in peius ruentibus, cum induciis impetratis per oratores in Græciam miſſos de pace ageret Gotthus, Iuſtinianus Galliam togatam ei permittebat,vbi regnaret,dimidiamq; publicorum ex illa vectigalium partem ſibi haberet,reliquam Auguſti fiſco inferret. Auſtraſiani Duces omnia ſe ſuis armis,viris,telis,equis cõpleturos,ipſosq; Reges Francos ad id bellum publice capeſſendũ excituros aduerſus Græcum pollicitabãtur, eumq; ex Italia trepida fuga ad mare compulſuros: ne tam turpis Gotthico nomini pax acciperetur. Belliſarii oratores Auſtraſianorum fidem maledictis inceſſebant: & Gotthus,ſi Franci Reges ductu ſuo id bellum gerẽdum ſuſciperent,non minus eorũ quàm Belliſarii arma horrẽda cenſebat,euentu triſti. Paci enim ab Auguſto datæ ſubſcribere noluit Belliſarius. Tantum in vno viro momenti erat,vt nihil niſi eo authore ratum videretur futurũ. Ille bello redintegrato,Rauenna Gotthorum Regia vrbe potitus,Vitigitem Conſtantinopolin deportat, Italia decedens velut confecta prouincia. Relicti ab eo Duces,nequaquam illi neque bello neque pace pares, auare ſuperbéque imperabant. Vixdum exacto biennio Gotthorum proceres incerto rerum ſtatu facta coitione à Græco defecere: primũmque Ildebaldum,deinde Ardaricũ, iisq; intra biennium per ſeditionem abſumptis, Tottilam Regem creant, virum acerrimum. qui fuit annus ſalutis quingenteſimus tertius & quadrageſimus. aduerſus quem nouos Duces,ac,cum in his parum fiduciæ eſſet,Belliſarium rurſus Iuſtinianus miſit. Virtus Tottilæ nihilo ſecius fœlicitasq; perſpecta eſt. Multa clementiæ,multa impotentiæ exempla edidit. Vrbem Romam obſedit,Belliſario graui morbo implicito: ac cum eam recepiſſet,ad Iuſtinianum oratores ciues Romanos miſit de pace iungenda. Paciſcebatur Gotthos eoſdem hoſtes amicosq; habituros,quos Auguſtus: ſineret Gotthos ſuis legibus viuere,ac Regio nomine. ſin pacem aſpernaretur,ſe vrbem Romã euerſurũ. Romani,quali pro ſalute patriæ oratione conueniebat,ſuppliciter apud Græcum cum lacrymis miſerabiliq; habitu egerunt. Nihil impetratum: re in-

fecta reditum. Nec irritæ Gotthi minæ cecidere. Vrbem muris propugnaculisq; nudauit: incendiis ruinisque fœdauit: ciues alios aliò in exilium diuersos exegit. Dum ad reliquias belli persequendas proficiscitur, aduenientique Lucani, Calabri, Brutii metu se dedunt: Belliſarius (iam enim conualuerat) Infero mari ostia Tyberina classe inuectus, vestigiáque Romæ ingressus, vrbem incredibili celeritate restituit, munitq;, ciuibus exilio reuersis, omniq; ope reficiendæ patriæ intentis. Iam Tottilas ad Francos Reges oratores miserat de affinitate iungenda: aliquam eorum filiam in matrimonium petens, nobiliorem se ratus recenti vrbis Romæ excidio, quæ Regibus imperasset. Cúmque à legatis de nuptiis missis Rex Italiæ vocitaretur, responsum à Francis est, eum Italiæ Regem vrbe Roma euersa non esse. Clotarius Rex filiã Clotosindam Alboino Regi Longobardorum collocauit. Aliquãto antè duæ Vacchonis Longobardorum Regis filiæ nupserant duobus Regibus Francis: maior Visegarda Theodoberto Mediomatricũ Regi, minor Vaderada Theodobaldo eiusdé Theodoberti ex Deuteria amica susceptо filio. Ita tria affinitatis Francorum pignora Longobardos nouam gentem nobilem effecerant, præcipue apud Germanos Pannoniosq;, cum Francorũ Imperium ad Bauarorum vsq; fines pertineret. Ita Alboinus Rex aduersus Gotthos duodecim millia egregiæ iuuentutis auxilio misit Narseti, qui & Narcissus ab aliis vocitatus, Belliſario ad Parthicum bellum reuocato succesſurus Græcorum exercitum ducebat subnixum auxiliis Thraçum, Vnnorũ, Herulorum, Gepidarum. Addita erat etiam Persarum non cõtemnenda manus Guinade Duce. Longobardorum procella ab hostibus sustineri non potuit. Hi cum cæteris copiis Narsete Flaminiam petente, ipsi ad Brixellum Tottilam Regem nonum annum regnantem occiderunt, exercitu eius partim cæso, partim longinqua fuga se tegente. Remissi cum summis laudibus ampliſſimisq; muneribus domum sunt Longobardi victores. Fuitq; suspicio, eorum virtutem Græco formidolosam, verito ne alia atque alia appetere loca soliti, fœlicitate cæli soliq; Italici caperentur, néve si diutius sub signis tenerétur, summam vniuersi belli mercedem sibi vincendo quærerent, fato quidem, sed suo tempore debitam. Cæterum mox desiderium eorum Græcos cepit, quòd Teias in locũ Tottilæ suffectus, auxilia à Buccellino impetrauit, bellumq; velut illibatũ trahebatur. Moræ tædio aduersus Narsetẽ in Campaniã profecto Teia, Buccellinus Foroiuliẽsem præfecturam, Amingus Veicetiam, Veronam, Mantuam, Brixiam, Bergomũ: Lotarius Ticinum, & vicinas vrbes præsidiis tenentes, prædam iuxtà ex pacato hosticoq; abegere, odiaq; hominum in se concitarunt. Cæso in acie à Narsete Teia altero Regni sui anno, aliquot Gotthorum proceres restituta belli specie accitis Austrasianis, Tannetum hostilium partium oppidum obsident: appropinquantiq;, vt obsessis auxilium ferret, Dagisteo inter Græcos magnæ authoritatis Duci, relicta obsidione occurrũt, nullo negocio oppido potituri si auxilia profligassent. Collatis signis, primo impetu hostem perculerunt. Recepto deinde animo, ac crescente certamine, æquis viribus res gerebatur. Tandem victoribus Græcis, Buccellinus cecidit, Amingus fuga sibi consulens, in Veronẽsium finibus, cũ vrbis ingressu à ciuibus arceretur, ab insecutis procul

hoſtium copiis cęſus. Lotarius Tridentum petens, in morbū incidit, deceſſitq;
Auſtraſianorum Ducum morte Gotthorum res deploratæ ſunt, Gotthicum
nomen abolitum. Omnes promiſcue Itali vocitati. Mortuo quoq; Theodo-
berto Rege filius Theodobaldus ſuccedens, curas externas omiſit. Vacuam
poſſeſſionem Venetiæ, Aemiliæ, Liguriæ Narciſſus nactus, Prouinciæ quoque
Amatum ciuem Romanum Præfectum dedit. Alterū ciuem Romanum no-
mine Francilionem Subalpinis præfecit, vt tranſitu Alpium Francos prohi-
beret. Theodobaldus moriēs vnicum hæredem teſtamento inſtituit Clotariū
magnum patruum Regem: quæ res offendit animum Childeberti Regis. Isq;
fœdus icit cū Grano audaciſſimo iuuenum à patre Clotario deficiente, quòd
ad eum ex Vaſconia de Viſigotthis recepta reuocatus ire noluiſſet, metu ne
pœnas minime indulgēti patri daret, apud quem coarguebatur eam Prouin-
ciam auare ſuperbeq; adminiſtrare. Pater cū Saxonico bello ipſe diſtringere-
tur, Cherebertum & Guntrānum item filios aduerſus eum miſit. In Lemoui-
cibus caſtra caſtris collata. Neutrius partis læta poterat eſſe victoria. Facilè di-
remptum eſt in præſentia bellum. Submiſit Granus qui ſpargerent famam, pa
trem à Saxonibus cæſum. Is mox pacatis in Saxonia rebus, in filium mouit.
Mors Childeberti fregit animū iuuenis. Sic quoq; patri credere ſe non auſus,
ad Conabum Britanniæ Comitem ſe recepit. Victis prælio Britannis Granus
à longinquiore fuga intercluſus, tugurium proximum petiit: ibiq; igne conie-
cto crematur. Clotarius iam ſolus Francorum Rex, anno quàm regnare cū
fratribus cœperat quinquageſimo obiit, filio annum ſuperſtes. Rurſus Frā-
corum regnum in Tetrarchias eodem quoque exitu diuiſum eſt. Chilpericus
Clotarii filius correpto auro paterno (quæ ingens vis emercandorum militū,
conciliandorūmque procerum videbatur) Lutetiam regni arcem occupat.
Optimates Francorū nulla vi artéve expugnari potuerunt, quo minus primo
in ſpem regni nato primas partes maieſtatis darent. Simul celeritate conſpi-
rationéque fratrum oppreſſis conſiliis, incepto deſtitit. CHEREBERTO
Pariſii, Sigiberto Mediomatrices, Chilperico Sueſſiones, Guntranno Aurelia-
num, regiæ vrbes euenere. Sed nullum propè vnquam regnum niſi domeſti-
cis bellis inſecutis diuiſum eſt. Quies tamē ab inteſtinis armis Franciæ aliquā-
diu tenuit: quam etiam externa bella præbuere. Narſes magnis rebus geſtis in-
gens ſibi toto orbe terrarū nomen pepererat: poſtremò ex ſplendore inuidia
orta. Ingentē vim auri congeſſerat, non ſine querela multorū ciuium Roma-
norum. Ea fuit materia eius incuſandi apud Iuſtinum Iuſtiniani ſucceſſorem,
vxoremq; eius Sophiam Auguſtam, quæ mariti potens nimis æqua erat Nar-
ſetis accuſatoribus, affirmātibus, ſi diutius in rerum Italicarum adminiſtratio-
ne teneretur, fore vt iniuria auaritiaq; Narſetis optimates Romani coacti na-
tionem aliquam externam euocarent, eámque in locum ac opes Gotthorum
ſufficerent. Nec ſatis habuit Auguſta reuocare Narſetē, ſed addidit contume-
liam, quòd eunuchus eſſet, ſemimarem eum dictitans, neſcire priuatū viuere.
Præfuturum igitur Gynæceo, & penſa nentibus diuiſurum. Non latuit Nar-
ſetem quàm probroſum dictum mulieri excidiſſet: nec iram cōtinere potuit,
quin pari amaritudine remorderet. Odiar, inquit, telam, quam ſemel textam

quicquid muliebrium Sophiarum eſt, non retexat. Nec factum quàm minæ ſegnius:nec magno ingenio opus fuit. Conſilio ab aduerſariis capto,externis armis Italiam expoſuit diripiendam,magno rerum humanarum exemplo ludibrióque, Eunuchum ſeruare, ac propè euertere Italiam potuiſſe: Gotthorum nomen ſuſtuliſſe:nouâmque gentem induxiſſe,fœmineam iniuriam permiſtione terrarum vltum. Fœdere iunctus erat Alboino Longobardorum Regi omnium mortalium ferociſſimo. Hunc ad maiora fata ex Pannonia ad occupandam Italiam accerſit. Ipſe Iuſtino reuocanti non paruit. Neapoli deſedit cum veniſſet iam ſucceſſor Longinus nouum Imperii nomen in Italiam gerens, Exarchus dictus. Is Rauennæ more Gotthorum ſedem ſibi legit, vnde ab ſe iura peterentur. Romam nunquam ipſe adiit viuo Narſete. Suum cuiq; vrbi Magiſtratum dedit, qui Duces vocitabantur. Quem Romæ præficiebat, Præſes appellabatur. Maiorum rerum moles imminebat. Alboinus nouas ſedes quæſiturus, nihil temere egit. Quos in Pannonia tunc incolebat fines, Vnnis finitimis fœderatísque conditione tradidit, vt eos velut fiduciarios interea illi haberent· Si redire cogeretur, repetenti ſibi redderent. Viginti præterea millia Saxonum cum liberis cõiugibusq; ad eandem ſecum ſubeundam fortunam permouit, veteres ſocios, amicósque. Ipſi Longobardi è Scandauia ſeptẽtrionalis oceani inſula oriundos ſe contendunt: inde maiores ſuos profectos: cumq; per multas deinceps ætates vagati fuiſſent, victoria de bellicoſiſſimis gentibus parta, tandẽ in Pannonia conſediſſe. inde cũ liberis vxoribusq; publice in Italiam emigraſſe, annò ſalutis quingenteſimo & duodeſeptuageſimo. Alboino Forum Iulii, & quæ circà ſunt, metu ſe dedidere: quorum exemplum nobiliſſimæ deinceps vrbes inſecutæ ſunt. Iam Ticinum vſq; omnia nouæ genti parebant, & longius progreſſa eorum arma, Hetruriam infeſtam faciebant. Curſum rerum ſecundarum eſt pauliſper remorata mors Alboini. Is Clotoſinda mortua Roſimundam Comundi Gepidarum Regis à ſe prælio cæſi filiam vxorem duxerat. Ex ſoceri calua, more gentis, poculum fecerat, quo in ſolennibus epulis vteretur. In cõuiuio vino grauior coëgerat Roſimundam calua patris bibere. Ea mox illam indignitatem vlta eſt, Amechilde formoſiſſimo ac audaciſſimo iuuene in necẽ viri dormientis impulſo, pactione nuptiarum. Mortem Alboini tali tempore proceres Longobardorum indigne tulerunt. Parricidæ ad Longinum Rauennam ſe proripuere. Clephes virtute ſanguinéque nobiliſſimus, Rex creatus, duodeuiginti menſes imperauit. Eo quoque, quòd in ſuos ſæuiret, ab intimo familiari interempto, Duces numero triginta, non Regem, creauere: qui maximam Italiæ partem ſuæ ditionis fecere. Græcus Auguſtus viribus ſuis diffiſus, Francis Regibus Prouinciam reddidit, vt partem belli aduerſus terrorem nouæ gentis capeſſerent. Et Amatus Prouinciæ à Narſete præfectus, Guntranno Regi Aurelianenſium parebat, quòd Aurelianenſe regnum Burgundiæ citerioris fines contineret, ac Rhodanum etiam tranſcendens Allobroges complecteretur, quibus Prouinciam contributam Guntrannus contendebat. Sigibertus Mediomatricum Rex ſuperiorem Burgundiam, Alpiũmque non contemnendam partem obtinebat: & recenti memoria Theodobertus ab Amalaſiunta Prouinciam ac-

ceperat Mediomatricũ Rex. In huius ergo partẽ vocari ſe Sigibertus æquum
cenſebat: & ciuitates illæ contrariis ſtudiis diſtrahebantur. In hac animorum
fluctuatione anteuertêre Longobardi, vltroq; tranſgreſſi Alpes, Prouinciam
populati ſunt: occurrentemq; cum exercitu Amatum, prælio conſerto, inter-
emere: cædemq; ingentem eius exercitus ediderunt. Guntrannus Mumolum
virum clariſſimum in locum Amati ſuffecit. Dulcedine Gallicæ prædæ Lon-
gobardi ſemel illecti, inuictosq; ſe rati, iterũ, ſed nõ eadem fortuna, tranſcenſu
Alpium tentato, cum in Ebrodunenſium agrum peruenissent, circunuenti à
Mumolo locis opportunis adorto, non minorem q̃ quam priore expeditio-
ne intulerant, cladem accepere. Ita iritatis vtrinq; animis Saxones etiam ſocii
cõmilitonesq; Longobardorum, belli prædæq; ſtudio Alpes ipſi quoq; per ſe
tranſmittunt. Procul à præda paranda abfuere. Turpiter à Mumolo reiecti, cũ
Sigiberto pacem iungunt: à Guntranno irato æquas cõditiones impetrare nõ
potuere: & in Sigiberti gratiam promerendam proniores animo erant, quòd
Longobardis, quicquid Italiæ ceperant, ſui iuris facientibus, non quas ſpe
præceperant opes, ſibi pariebant, participes periculorum, & domo exciti in
partem æquam conditionis, fortunæ'que. Iam veterem patriam ſpectabant,
in quam beneficio Sigiberti reſtitui poſſe videbantur, quòd is Tranſrhenanis
Francorum prouinciis imperitaret, & in agro vnde Saxones emigrarant, velut
vacante, à dominisq; derelicto, Sueuorũ aliquot millia, quòd aggrauãte domi
multitudine anguſtis finibus vterentur, collocarat. Tunc deſertis Longobar-
dis Saxones cum coniugibus ac liberis patrium ſolum repetituri, rurſus Alpes
tentant: cumq; à Mumolo via arcerẽtur, pecunia tranſitum redimunt. Per Si-
giberti deinde regiones itinere facto, Rhenoq; tranſito, antiquas ſedes petunt,
quartumdecimum iam annum à Sueuis poſſeſſas, caritate aſſuetudinéque ſoli
cæliq; deuinctis, nouáque ſobole aucto numero, ſed qui virtute, belliq; artibus
pares ſe tot tamq; longinquis bellis exercitatæ genti non exiſtimarẽt. Sigiber-
tus magis diſſimulare cogebatur, quòd refragari Saxonibus ſua repetentibus
vix pium arbitrabatur, & oppugnare Sueuorum cauſſam poſſeſſionémque,
cuius ipſe author extitiſſet, parum regium. Saxonibus propalam æquior erat
Chilpericus Rex, eósque vt à Longobardis ſeceſſionem facerent, ſolicitarat,
Tyberio Auguſto Iuſtini ſucceſſori gratificatus, ad quẽ nouas ſemper res mo
liens Legatos cum muneribus miſerat: qui reuerſi viciſſim munera ad eum à
Græco reportarant: in quibus, quandò id memorabile ſcriptoribus viſum eſt,
quinquaginta librales nummos aureos quadrigatos cum imagine Tyberii, ad-
ditis vtrinque circùm titulis in hæc totidémque verba, hinc, TYBERII
PERPETVI AVGVSTI. illinc, ROMANORVM GLORIA. Sed
Saxones vincerent an vincerẽtur à Sueuis, perparui Græcorum Francorumq;
intererat, quòd vtroq; caſu reſpecturi Longobardos vltrà nõ erant, victoresq;
domi permanſuri, victi nullo iam receptu in acie perituri: id quod vſu venit.
Nam legatos Sueuorum primùm dimidiam agri, deinde duas partes, ad po-
ſtremum & omnem reddentium, dum remigrandi cum his quæ agere, fer-
réque poſſent, poteſtas fieret, aſpernati tantum ex deſperatione rabiei furo-
risq; potius quàm virtutis genti iniecere, vt cum in aciem deſcenſum eſſet, ab

eis ad internecionem cæsi sint: impotentia & improuida rerum suarū fiducia talem exitum nacti, ac ne vltorem quidē mortis, hæredemve caussæ suæ adepti. Cum Saxonibus cæteris qui domi manserāt, pax Sueuis fuit. Saxonum secessione, itinereq; per mediam Franciam illis cōcesso, magis iritati Longobardi sunt. Tres eorum Duces tertiam expeditionem in Galliam fecere, relicta satis valida manu ad Eporediam aduersus Francillionem, ne aut in præsentia adoriri à tergo proficiscētes, aut prohibere reditu deinde posset. Cæteræ Alpes nullis insessæ validis præsidiis, peruiæ illis erant. Amo in Prouinciam flexit, & Massiliam vsque cætera populatus, ab Aquensibus viginti pondo argenti accepit, vt ipsorum agris parceretur. Zabanus Diniensium fines deussit. Valentiam obsedit. Rhodanus ad Gratianopolin sedens, prædam vndique agebat. Mumolus coacta Francorum manu Rhodanum primum adortus, cæteris cæsis, ipsum graui vulnere affectum cum quingētis semiermibus in proximos montes compulit: isq; per inuia peruiaque ad Zabanum se ex fuga recepit, nuncius cladis & iam acceptæ, & imminentis nisi continuò abiretur. Ita duo Duces Seccusionem peruenere, quod oppidum Sisinius Præfectus in fide Græci Augusti continebat, viribus suis impar Longobardis transitu arcendis: & antequam Mumoli copiæ Sisinio socio amicóque iungerentur, hostes præpropera fuga ad salutem contendêre. Amo tertius Dux tardius itinere facto, cum transcensu ea parte prohiberetur, alia iuga Alpium emensus, magnaque parte prædæ amissa, ægre ad suos euasit. Et in Tridentinorum finibus extremaq; Italia oppidum nomine Magnum se Chronico Franco dedidit. Is Rugillonem Longobardum maximi nominis virum cum non contemnendis copiis prælio occidit. Tridentum lætis rebus ferox dum adoriri parat, à Duce eius ciuitatis Ennio acie victus cecidit. Hæc à Ducibus Francorum in externum, ac non suum, sed Græcorum hostem gesta non magno conatu, quandò è re Francorum erat neutram earum gentium vniuerso bello ab altera vinci. Ipsi Reges domi maiore mole virium irarumq; inter se gerebant bellum, à morte Chereberti Regis Parisiorum initio exorto, cuius Regnum nulla virili sobole superstite, defuncti diuidundū erat. Primum omniū conuenit, vt Reges fratres iureiurando inter se obligarentur nō ingressuros se Lutetiam, quoad ea de hæreditate req; statueretur, quæ cuiq; pars adiudicanda videretur. Guntrannus author erat, vt cōcilio Episcoporum Lutetiæ habito, eorum arbitratu ea controuersia dirimeretur. Id inceptum vanum cecidit. Armis actum. Francis iam inde ab initio nota erat cupiditas Chilperici, æquioresq; Sigiberto Guntrannoq; erant. Sed Guntranno domestica pace læto, Sigiberto Transrhenanis bellis aduersus Vnnos infestam Turingiam populatione facientes occupato, Chilpericus Cisrhenanas eius vrbes occupat: Reiectis Vnnis frater regressus, caput belli, Regiamque illius Suessiones statim ad se deficere cogit, ibique deprehensum Theodobertum Chilperici filium dimittit, tantùm iureiurando adactum, se nunquam arma in patruum laturum. quæ fides leuis fuit. Iuuenis iussu patris bellum incaute redintegrans, à Bossone patrui Duce circumuentus cecidit. Chilpericus amisso filio perculsus, & viribus iam inferior, Tornacum concessit. Victor frater cum filio

Childeberto vxoréque Brunechilde Athanagildi Viſigotthorum Regis filia Lutetiam ingreſſus,cū feſtis fauſtisq; acclamationibus exceptus,paucis diebus ibi ſediſſet,præmiſit cum Ducibus copias ad fratrem,ſi ſui poteſtatem non faceret,obſidēdum:ipſe mediocribus itineribus cū paucis ſubſecutus,Victoriacum ſe confert: quo in loco longe maxima pars Francorum procerum, qui ſub imperio Chereberti fuerant,ei præſto affuere,Regē illum ſuū ſalutantes. Nullus in tanta cōſenſione metus propinquus videbatur.Cuncta mutua gratulatione plena erant : neminiq; adeundi Regis poteſtas non fiebat. Tunc in tam mira patrandi facinoris occaſione, fiduciaq; in tanta turba elabendi,duo iuuenes(vt poſtea cōpertum eſt)à Fredegunde Chilperici vxore expectatione ingentium præmiorum ſubmiſſi, Sigibertum,cum quartumdecimū regnaret annum,obtruncant,cōtinuò à circunfuſa multitudine diſcerpti, minutatimq; cæſi.Hæc ſalus obſeſſi Chilperici fuit. Brunechildis noctu filiū Childebertū è feneſtra in ſporta per funem demiſit, excipientibus fidis amicis. Hi in Auſtraſiam detulere:ita vocitabant Mediomatricum Regnum. Superueniens CHILPERICVS Lutetia potitur. Brunechildem Rotomagum in exiliū miſit:vtq; Pariſienſis Regni vrbes ſibi adiungeret, ad eas recipiēdas miſit Meroueum filium.Iuuenis in nouarum rerum ſtatu à patre deſciſcens,Rotomagum profectus,Brunechildem ſibi matrimonio iungit,id connubium iuſtum arbitratam,quod auſpice Prætextato eius prouinciæ Archiepiſcopo propalā ac publica gratulatione iniretur.Continuò iuuenis celeritate aduenientis patris oppreſſus,cum noua nupta in tutelam locorum ſacrorum confugit. nec inde auelli potuit,niſi patre fidem dante,matrimonii per dedecus inceſtumq; contracti rationem aliquā inuenturum ſe,vt iure pieq; cōtrahi poſſet:interea diuerſi inter ſe degerent.Ipſe Sueſſiones(quam vrbem hoſtes adhuc tenebāt) profectus,ſecum filium duxit. Vrbe ea recepta,oratoribus Auſtraſianis Brunechildem Regis ſui matrem repetentibus,reddi Rotomago accerſitā iuſſit: conatúsque hoſtium cōſiliis clandeſtinis filii regi ſuſpicatus,eum totondit, ac cœnobio Cœnomanorum clauſit : vnde iuuenis ad ædem diui Martini Turones tranſfugit,velut maiore ſanctitate templi ſe tecturus. Qua ex re Gregorio Turonum Epiſcopo poſt eam diem nunquā æquus pater fuit: ſimul cōacto Epiſcoporum concilio,Prætextatum Rotomagenſium Epiſcopum accuſauit,crimini dans,ab eo omnium gnaro iunctam Meroueo mulierem,quę patrui eius vxor extitiſſet: largitioneq; ſolicitatos quoſdam,vt à patre deficerent,filiúmque Regem ſalutarent. Ad hoc,furti arguebat,quòd cum Brunechildis multum apud eum precioſæ ſupellectilis depoſuiſſet, repetēti partem dederit, reliqua retenta. De inceſtis nuptiis quo pacto ſe purgarit,non liquet. Reliqua facilè diluebantur. Munera ſe aulicis gratioſis dediſſe,vt eorum cōmendatione acceptior Regi fieret : quædam Brunechildis retinuiſſe ſe fiducia munificentiæ Regiæ, & tenui re domeſtica. Ita dum hæc partim incerta, partim leuia cum frequenti aſſenſu à ſe remouet : illud graue certiúsque de inceſtis nuptiis filii à patre Rege deficientis,& ab ipſo propè per ſilentiū, & à concilio per diſſimulationē præteribatur:nec reo quicquam magis proderat, quàm accuſatoris vis opésque, qui dum reum nimis ferociter premere

videbatur,hoc ipſo ſubleuabat.Dolo victus eſt Prætextatus,ſubmiſſis qui velut vicem eius ſoliciti, per ſpeciem amicitiæ monerent, ê periculo per vera per falſa ſe eriperet. Regem animo pacatum, ac probê ſcire eum inſontem, ſed cauſſa inuictum videri velle: fatendo culpam,veniam,ac gratiam inſuper Regis promeriturum. Patribus iam compertam innocentiam, colluſionem futuram deinde,non iudicium. Igitur poſtridie in patrum conſeſſu præſente Rege,Meroueum,inquit,quòd è ſacro delubro eum excepera, impuli vt regnum appeteret:quem etiam Angelum cæleſtem facere optaſſem.Tunc Rex teſtatus patres quid ipſi coràm audiſſent, poſtulabat ne voce ſua damnatum abſoluerent: & reum,ne quid vltrà effari poſſet, regii irrumpentes obuoluto capite abſtraxerũt.In inſulam Oceani Conſtantienſis diœceſis relegatus.Meroueus verò regio more viuere aſſuetus,tædio tutelæ tẽpli,qui teter ei carcer videbatur,ſuaſu etiam eorũ quos Fredegundis Regina nouerca (nam ipſe ex Audouera ſuſceptus erat) ſubmiſerat, nimis etiam memor Brunechildis, relinquendi aras conſilium cepit.cum illo Boſſo eadem æde ſe continebat metu Chilperici, cuius filium Theodobertum bello regum fraterno ipſe Sigiberti Dux,vt oſtendimus,occiderat; eo nomine gratior acceptiórque Fredegundi,& huius adoleſcentis cæſi nouercæ. Boſſone igitur comite,adiutoreq; infido fugæ,trecentosq; armatos dante,paruam,ſi pugnandum foret,manum, nimis magnã ſi fallendum,iter ingreſſus,in finibus Altiſiodorenſium ab Herpone Duce Guntranni Regis intercipitur. Inde effugiens in Mediomatrices proficiſcitur. Boſſo egregius bello vir,ab Auſtraſianis, quorum Dux fuerat, ſecundiſſima voluntate in priſtinam familiaritatem recipitur.Meroueus illinc faceſſere iuſſus,cum in Remorum fines peruenisſet,hæſit.Certior enim factus Rex ab iis qui iuueni ſe per fraudem quaſi ad eum à patre defecturi aggregarant, cum copiis profectus,eum oppreſſit. A quodam Gaileno fugæ comite vulgo creditur interemptus,cum exoraſſet vt ſe à reliqua patris ſuperbia,nouercæ'que cruciatibus præſenti nece vendicaret.Grauiores authores ſunt,patrem,vt iuſſu ſuo interempti filii inuidiam à ſe auerteret,fabulam illam confinxiſſe. Herponem Ducem Guntrannus & pecunia, & abrogato Imperio multauit, quòd Meroueum hoſtem à patre iudicatũ recepiſſet verius quàm cepiſſet:addens,aut non comprehendendum vtique fuiſſe,aut ſemel captum ad ſe perducendum,non per diſſimulationem loco fugæ dato dimittendum. Succeſſor datur Herponi Duci. Duces enim initio,Comitêsque ab Regibus præficiebantur gentibus,ciuitatibusq;,ac cũ videretur,dimittebantur.Deinde inueterauit conſuetudo,vt niſi ſceleris conuicti abire imperio non cogerẽtur: idq; poſtremò,vt quiſq; eo munere donabatur, iureiurando regũ cauebatur. Quod exemplum etiam ad Magiſtrũ militiæ,ac eum peruenit,quem maiorẽ, magiſtrûmve domus Franci vocitabãt.eundem Comitẽ ſtabuli, voce etiam à Iuſtiniano Cæſare,ac neſcio an & antè vſurpata dicũt.Magiſtrũ equitũ appellamus.Equitatu nobilitas gloriaq; ac vires Francorũ cõſtant.Duces tũc Comitesq;,atq; adeo ipſi populi diuerſis ſtudiis iactabãtur,inter diſſenſionesq; regũ alii aliis aderant, quòd nõ liquebat quæ cuiq; ciuitas attribueretur:incertusq; erat rerũ ſtatus.In tumultu omnia verſabãtur.Dux in Ducem,vrbs in vrbem

armabatur. Populationes, cædes, incendia, & cætera belli exempla edebantur. Plures quàm nobiliores expeditiones factæ. Childebertus Sigiberti Regis filius Rex non pauca contemnendáve oppida repoſcebat, quæ hinc Chilpericum, illinc Guntrānum iniuria occupaſſe ipſos Ducésve eorum coarguebat. Spe patruorum regni Auſtraſianis opibus adiungendi, incepto deſtitit. Chilpericus enim Rex filiós partim bello, partim fato amiſerat. Vnicam filiā Rigundam Ricaredo Lemugildi Viſigotthorum Regis filio minori per legatos deſponderat. Guntrannus Rex animū adoleſcentis prior eblanditus eſt, mentione adoptionis illata. Mox maioris nobiliorisq; regni expectationē illi Chilpericus Sueſſionum idem & Pariſiorum iure an iniuria Rex obiecit. Ita dum diuerſus agitur, incruentæ res ea parte permanſere. Chilpericus deinde auctus filio Clotario, quatuorq; pòſt menſibus occiſus, res animosq; mortaliū multo maiori ſolicitudine affecit. Domeſticis inſidiis, probroq; vxoris cecidit. Eam ſcribunt, dum formæ curandæ intenta, capillū in Sole ſiccat, pectitq;, à marito per luſum furtim ſuperueniēte virga ab tergo leuiter percuſſam, riſu oborto, mi Landrice, dixiſſe, frōtem vir fortis pete. mox diſcriminatis capillis conuerſam, marito cōſpecto attonitam reticuiſſe: illum caput quaſſantem ad ſuos in equis præſtolantes regreſſum, venatum, vt conſtituerat, cōtendiſſe. Landricus erat procerum longe pulcherrimus, idem Magiſter equitum. Is cōtinuò edoctus à Fredegunde, ſua eam voce proditam, amorésque deprehenſos, imminens certúmque periculum à ſe auertens, duos ex fidis percuſſores extemplo Chilperico parauit: qui eum ſera iam nocte redeuntem, vt ex equo ab adoleſcentulo aliis digreſſis feſſus mœrensq; excipitur, ſingulis omnino vulneribus confoderūt, re tam prouide acta, vt quaſi externis inſidiis interempto diſcurſum ſit in ſyluam, quòd eò parricidas ſe proripuiſſe ex compoſito cōclamabatur. Cæterum illi per diſſimulationē ſe trepidantium curſitantiumq; turbæ immiſcuerant. Hæc ad Calam Pariſiorum vicum acta. Ementiebatur Fredegundis immiſſos à Brunechilde id ſcelus perpetraſſe, vt Childeberto filio id quoq; regnū morte Chilperici eueniret. CLOTARIVS Chilperici filius infans Rex ſalutatur. Landricus nullo cōſcientiæ ſigno edito, quibus aſſueuerat rebus adminiſtrandis ſe reddidit: nec muliebre ſcelus vlli prius ſuſpectum quàm mulieri fuit. Prima Brunechildis vociferari cœpit, vxoris conſilio, ſed alterius dextra Chilpericū cecidiſſe. Guntrannus Rex patruus tutelā infantis Regis ſuſcepit, ſummaq; fide geſſit. Simul fœdum de regno exortum bellum. Gundoaldus ſe Clotarii ſuperioris Regis filium ferebat. Paruum admodum eū mater regio cultu educarat, promiſſaq; coma: quod Regiæ nobilitatis inſigne habebatur. Clotarius Rex à matre, cui aſſueuerat, eū ad ſe Sueſſiones delatum non agnouit. Lutetiam adductū Childebertus Rex Pariſiorum, cū ſine liberis eſſet, velut patruus in aula educabat. Clotarius extemplo fratri in hæc
„ verba ſcripſit. Gundoaldum remitte ad me, ſiue meū, vt à patre alatur: ſiue
„ alienū, ne abs te vt Regius puer cultus, cæteros fallat. Receptum totondit. Defuncto Clotario Cherebertus Rex diligebat, colebatq;. Sigibertus ad ſe in Auſtraſiam euocatum, ſucciſo iterum, qui rurſus promittebat ſe capillo, Coloniam ablegauit. Inde tam variis caſibus in Gallia iactatus, ad Narſetem in

Italiam elabitur:exin Conſtantinopolin ad Cæſarem profectus,venerationem ſibi ac maieſtatē conciliarat.Comperta morte Sigiberti,ſpem nactus turbatis in Gallia rebus opum quærendarum, regreſſus, fama ingentium diuitiarum; auriq́; , quod ex Oriente attuliſſe credi volebat, omnium animos in expectationem magnarum rerum erexit. Theodorus Epiſcopus Maſſilienſium mari venientem,portu mœnibusq́; admiſit. Deſiderius Toloſatium Princeps,Mumolúsque ac Viſigotthi & Romani Hiſpani limitis cuſtodes conatui adſunt. Childebertus Rex infenſus Guntranno,qui Fredegundem expoſcētibus Auſtraſianis, vt ſcelerum pœnas exigerent, ſe dediturum Regis pupilli ſui matrem negarat, Gundoaldum Regem per legatos ſalutat: ac eundem, ne quid maieſtatis deforet,Clotarium regio paternoq́; nomine nuncupat.Atrocia do meſticorum ſimul externorumq́; bellorum exempla animis mortalium proponebantur:ſed inteſtina mala magis terrebant.Guntrannus eo metu animos liberauit, Childebertúmque adoptans, ſpe certiore nouæ hæreditatis in officio ſenex orbusq́; iuuenem florentem cupidumq́; continuit. Engoliſmenſes, Petrochorii,Burdegala,in fide Gundoaldi erant. Guntrannus Conuenas cōpulſum obſedit,oppugnauitq́;.Vinci niſi ſuis prodentibus non potuit.Eo interempto, quæ defecerant, nullo negocio recepta . Lemouicibus, Cadurcis, Aruernis,Comites dati.Prouinciæ,occiſo ad Conuenas Mumolo,Leudegillus præfectus à Guntranno creatur.Cauillonum Rex Guntrannus ſe recepit: quam Burgundionum Regiam vrbem ſibi iam inde ab initio delegerat:procerésque pupillo ſuo attribuit,qui eius regni pacem conſilio tutarentur. Sed vt ferè accidit Regibus pueris, miſera erat temporum conditio. Prætextatus Rhotomagenſium Epiſcopus,vt mutatione temporum, morteq́; Chilperici in patriam ſedemq́; reſtitutus fuerat, die reſurrectioni feſto in templo vulnus mortiferum accepit:in cubiculumq́; inter manus deportatur. Continuò Fredegundis,quæ forte Rhotomagum venerat,cum aliquot proceribus animam propè agentem inuiſit Epiſcopum, velut vicem eius miſerata : ſed diſſimulationem non tacitam tulit.Nam cum diceret ſe illius caſum moleſte ferre,mirúmque eſſe tam celebri die in æde ſacra non modò ei opem latam nullam, ſed ignorari etiam parricidam:tunc,vt in morte nihil timens Prætextatus,reſpondit eius ſcelere ſe percuſſum, quæ & reges ſuſtuliſſet . Ad iuſta defuncto ſoluenda Romacharius Conſtantienſium Epiſcopus affuit.Secundum ea conſultis finitimarum quoque ciuitatum Epiſcopis, hisq́; authoribus templa ciuitatis Rhotomagenſis omnia clauſa, quoad parricidæ inueſtigarentur,cædésque ea lueretur: & Guntrannus Rex nuncio rei accepto,tres ſuæ ditionis Epiſcopos ad rectores pupilli ſui miſit legatos de quæſtione habēda:Vile caput pœnas dedit: iuuenis nullius nominis qui vulnerauerat, filio fratris Prætextati deditus.expreſſa ei tormētis confeſſio eſt,ipſius manu parricidiū factū pecunia accepta à Fredegūde,& Melanthio,qui exuli Prætextato ſubrogatus fuerat,& ab eiuſdē factionis Archidiacono.Tunc filius fratris Prætextati cōtineri præ ira nō potuit,quo minus reum extēplo cōfoderet ſtricto ferro.Sed tam valida fuit cōiuratio,vt & cū in oculis cædes fieret,nemo prohibere auſus ſit: & facta,omnes percuſſorē ipſum,& à quonam immiſſus credi poſſet,

ignoraſſe videri præ metu vellent. Melanthius etiam, quò indignitas indignitate cumularetur, ſedi rurſus imponitur, & Archidiacono per diſſimulationē impunitas data. Recruduerat verò Fredegundis odium in Prætextatum, quòd cum reuocatum in ſedem exulem vocitaſſet, ille libera voce, ſed alieno tempore, reſpondit, ſe etiam in exilio Epiſcopum fuiſſe: illam non perpetuò omnium potentē futuram. Factionibus diſtrahebatur Francia. In Italia Auſtraſiana arma non cōquieſcebant. Childebertus Rex in ea & per Duces & ductu ſuo res geſſit. Longobardi feſſi interregno decem annorum, in quo eorū Duces bene fœliciterq; aduerſus Græcos Romanosq; bellarant, à Francorum vero Ducibus, Galliam tenentes, fœde fuſi, fugatiq; fuerant, cum maior tandē iuſtiorq; metus & à Francis eis impendēret, Regem creauere Antharin Regis Clephis filium, virum qui nō minus conſilio, ac vbi res poſceret, cunctatione, quàm virtute armisque regnum tutaretur. Mauricius Auguſtus Tyberii ſucceſſor omnia agebat moliebatúrque, vt Longobardos Italia pelleret: nec exiguam pecuniā ad Childebertum miſit, multo maiora præmia, & tāto conatu digna pollicitus, ſi id Italiæ ſaltem quod inter Alpes & Padum iacet, exactis Longobardis Imperio reſtitueret. Facile fuit iuuenem Regem ad id fœdus ferendum impellere. Is in Italiam deſcēdit, nullam moram pugnandi facturus. Arma circunferebat, ſi fulgentibus ſignis elicere ad prælium hoſtem volitans per campos poſſet. Antharis ſuos intra mœnia abditos continebat. Legatos etiam cum muneribus ad Auſtraſianum miſit, ne fidem amicitiámque Græcorum quàm Longobardorum ſanctiorem duceret: ſe paratum, fœdus quibuſcunque cōditionibus Childeberto placeret, ferire: nullas ſuas eſſe inimicitias Francis cum Longobardorum nomine: indignū eſſe, Childebertum pro aliena cauſſa nullo ſuo dolore pugnare in gentē quæ fidem Francorum imploraret. His adductus iuuenis Rex copias deduxit, ac propè ſine reſponſo Græcos oratores fidem datam conuentáque teſtantes dimiſit. Mox, vt res humanæ ſunt, caſus tulit, vt Græcos tunc aſpernatus, mox vltro ad redintegrandum bellum excitaret. Eius ſoror Iugundis Hermengildo Lemugildi Viſigotthorū Regis maiori filio nupſerat. Regia ea Arrianam (vt oſtendi) ſectam æmulabatur. Sanctitate vxoris Francæ, & Leandri Epiſcopi Hiſpalenſis voce Hermengildus adductus, religionem noſtram profeſſus, metu patris ob id ira ſuccēſi, cum Mirone Galleco Rege, & Ducibus quibus à Mauricio Hiſpani limitis cuſtodia credita erat, fœdere icto, vxorem è recēti partu languentem, filiúmque infantem apud eos depoſuit, ipſe Emeritam conceſſit cum quingentis delectiſſimis viris. Pater ea paucitate contempta, prius quàm ad fauorē maieſtatis filii plures confluerent, iuſtúsque exercitus fieret, adueniens, eum comprehenſum ſecuri percuſſit. Nurus ab Auguſti Ducibus in Africam cum filio tranſuecta eſt. Spes recuperādæ cum ſobole ſororis Childebertum amicitiæ Auguſti reſtituit. Ipſe in Viſigotthos mouit, iniuriā viri ſororis vlturus. Duces in Italiam pro cauſſa Græcorū pugnaturos miſit, maioris animi quàm conſilii: qui omnia in dextra poſita rati, cum hoſtis initio poteſtatem pugnæ non faciens, eorum fiduciam cōtemptionemq; auxiſſet, improuide congreſſi tantam cladem accepere, vt eo ſeculo nullam maiorem fuiſſe conſtet. Sed nu-

merus amiſſorum nec tunc initus eſt,nec ab authoribus traditur. Continuò Antharis victor cum ampliſſimis muneribus rurſus oratores in Frãciam miſit de pace affinitatéque iungenda. Cum demiſſe agerent,altera ſoror Childeberti Clotoſinda ei pacta eſt. Id quoque breui interiecta mittendæ puellæ mora in contrarium vertit. Mortuo ſub recentem maioris filii necem Lemugildo Viſigotthorum Rege,Ricaredus minor eius filius, cui filia Chilperici pacta fuerat, nullis inſecutis nuptiis & ipſe Leandri ſancti viri diſcipulus noſter effectus,edocens ſe conſiliorum patris in Hermengildũ cruente ſæuientis participem non fuiſſe,fratríſque vicem ſe fraterne ingemuiſſe:eandẽ puellam iam Anthari pactam,ſibi vxorem dari orabat.& cogitatio Francos ſubiit diuerſorum ſacrorum matrimonia infœliciter infauſtéque iungi,ac Longobardum adhuc Deorum veneratorẽ eſſe. Ricaredo igitur collocata eſt. Anthari deſtituto ſpe Auſtraſiani connubii nupſit Theodelinda Charibaldi Bauarorũ Regis filia pia,ac piam gentem in quã enubebat,factura. Viſigotthico bello in pacem repentinam rurſus verſo,vires in hoſtes Imperii Auſtraſianus miſit,vt ea certior iã merces redimẽdæ ſororis eſſet. Primũ omniũ vt Antharin ſpe fidiſſimi certiſſimiq; auxilii nudaret, in eius ſocerũ Charibaldũ Bauaroſq; mouit:victorq; aliquanto pòſt Taſilloné Regem Bauaris matre agente dedit,iuſſum Sclauos religione impios arcere ab ope Lõgobardis in Italiam ferenda. Exin viginti ſuorum Duces in Antharin miſit: qui vt diſtinerent vires hoſtis,íſque ignoraret quò primùm occurreret, tres in partes diuiſi ſunt. Vnam manum Holo Bilitionem Mediolanenſium oppidũ duxit. ibi in primordiis rerum iaculo transfoſſus,ſuorum animos turbauit. hi ſe ad alios Duces recepere. Cedinus cum maxima collegarũ Ducum parte Aemiliam Venetiámque emenſus,populationes effuſe fecit. In Tridentinorum finibus oppida decem cepit, oppidanos abduxit. Aldoaldus cum reliquis Ducibus in conſpectu vrbis Mediolani caſtra locauit,Mauricii Cæſaris auxilia opperiens, vt ex compoſito hoſtem aggrederentur, vrbémque præualidam oppugnarent. Nullus Auguſti Dux miléſve,vt conuenerat,comparuit,cum facilè fuiſſet Auguſti copias Auſtraſianis iungi,quòd Smaragdo Exarcho è Græcia in Italiam miſſo,Rauenna,Patauium,Mantua,Cremona,Bononia,Parma, Comum,& quædam aliæ,nec ipſæ contẽnendæ,vrbes parerent. Cum vltra conſtitutam diem expectatum eſſet, peſtilentiáque exorta ingraueſceret, neque hoſtis pugnæ poteſtatem faceret:re infecta in Auſtraſiam reditum. Rex Childebertus id ægre patiebatur, ſemélque ac iterum expertus complurium Imperium rei militari officere, ipſe rurſus eam prouinciam ſuſcepit,longe alia quàm prius ratione adminiſtrandam, veriúſque arte quàm copiis conficiendam. Ratus nullam præualidam armis gentem inter ſe conſentientem vinci ab externo hoſte quanuis feroci opibúſque præſtante poſſe, ſolicitauit proceres hoſtium,vt nomen Regium,cuius antè eos pœnituerat,tollerent, Ducéſque rurſus crearent,ad quos ſumma rerum deferretur. quoſdámque metu, ſi florentiſſimo Regi aduerſarentur,in ſuam ſententiam perduxerat, pollicitus ſe extemplo deducturum exercitum,& illorum arbitrio regendam Italiã relicturum: ſin Antharin ipſius hoſtem tutari perſeuerarent, eos cum illo

perituros. Tres Duces ex profeſſo ab Anthari defecerunt, ac reliquorum fides ſuſpecta erat. Ita inter ſe cõmiſſis hoſtibus ea prouincia deceſſit. Nec ludificatio Græcorum diutius tenuit. Certis authoribus palam factum eſt, Iugundem in Africa deceſſiſſe. filius infans Cõſtantinopolin deportatus, quem exitum habuerit, non liquet. Childebertus quoque Gripponem virum clariſſimum cum aliquot collegis in Africam miſerat, vt inde ad Mauriciũ re explorata nauigaret. Carthagine dum ſedet, quidam ex eius comitibus in frequenti emporio vni mercatorum odoramenta quædam propalam abſtulit, in diuerſoriumq; ſuum ſe proripuit. poſtridie eum in publicum prodeuntem mercator circũſtitit, manuq; iniecta ſuum repetebat. ex altercatione iurgium rixaq; orta. Auſtraſianus Afrum interimit. In manifeſta cæde, tota vrbs armis correptis ad ædes in quas deducti oratores erant, concurrit: qui ignari totius rei meridie conquieſcebant: ſed repentino tumultu exciti, egreſſi ſe ab armatis armis tuentur. Duobus collegis Gripponis ab efferata multitudine occiſis, ipſe ſe, quoad virtute potuit, tegebat. Vbi creſcenti turbæ nulla virtus obſiſtebat, Præfecti vrbis opportune ad hunc motum occurrentis fidem obteſtatur. ſe legatum cum collegis Francorum optimatibus de pace ad Auguſtum miſſum, armis oppugnari, ignarum quæ cauſſa huius tumultus, cuiuſve culpa eſſet. Inde miteſcente ira, per colloquium res cognita, ſedataq; eſt. Conſtantinopolin Grippo profectus, vim Carthaginienſium, violatumq; ius gentium conqueſtus, peractis mandatis dimittitur, mulcente iratum, affirmanteq; Mauricio ipſius arbitrio Regíſque Franci noxios pœnas daturos. Duodecim vincti ab oratore Græco in Franciam ducti ſunt ad Childebertum Regem, quos ſontes adſtãte Grippone eſſe diceret, ſeq; eorum deditionem facere, ſiue Rex capite, ſiue pecunia multare vellet. Tunc Grippo: Quinam iſti ſint, ignoro: illud ſatis ſcio, me legatione Regis Franci fungentem, non à duodecim tantum Afris, ſed à tota Carthagine oppugnatum, collegasq; meos nobiliſſimos viros cæſos. Paucorum & ignobilium capitum deditione vt vrbs tam pollens potenſq; pœna nefarii ſceleris defungatur, poſtulat Cæſar veſter, quod excidio omnium qui in noxa ſunt, luendum ſit. Læſa enim Francorum maieſtate, ſi his auſis id impune ſit, inuium orbem terrarum, clauſaq; omnia itinera Francis pacis internunciis erunt, qui armis cuncta ſibi patefaciunt.

Ita ea deditio non accepta. Vultu tamen in ſpeciem pacato Rex Græcos ita dimiſit, vt ei ſe crederent ſatiſfeciſſe, & grauiter verbis quidem increpitos Afros re veniam impetraſſe. Poſt eam diem nihil rei fuit Francis cum Mauricio. Antharis plus negocii habuit in cogendis in ordinẽ Ducibus ſuis, quàm aduerſus hoſtes. Vixdum circumacto à Theodolindæ nuptiis anno, qui ſextus ei ab inito Regno fuit mortuo, tantum Theodolindæ ſanctitas valuit apud Longobardos, vt Regem comitiis creare, cum caſus ferret, ſoliti, tũc iure ſuo vltro deceſſerint, conſenſerintq;, vt quencunque ipſa vidua maritum optione data legeret, is Rex ab vniuerſis ſalutaretur. Agilulphum Ducem Taurinorum delegit, eúmque Regem matrimonio fecit: gentémque omnem tandem perpulit, vt Chriſtiani efficerentur. Miſſi ſunt in Galliã oratores Hagnellus & Ennius, Tridentinorum alter Epiſcopus, alter Dux. hic de pace iungenda, ille

de redimendis captiuis, qui quamplurimi partim à Francis in finibus præcipue Tridentinorum capti fuerant, partim ciues Romani à Longobardis more canum, quandò id diuus Gregorius Pontifex maximus eisdem verbis deplorat, reste tracti in Franciam, venúmque dati. Vtrunque confectum, & accepta pecunia dimissi captiui, & pax nouo Regi Agilulpho data, cum ea de re Antharis quoque Rex supremo vitæ tempore per legatos agere cœpisset. Clotarius vero Chilperici filius inter tot motus tutus fuit, Guntranno Rege patruo tutelam gerente. Eo, cum Childebertum hæredem instituisset, defuncto, mater Fredegundis pueritiam filii regebat, mascula mulier, & periculis præliisq; se intermiscens. Ea primum omnium vrbes circuibat, quæ in Chilperici ditione partibúsve fuerant: eásque ac proceres in filii verba iureiurando adigebat. Nec deiecit animum Childeberto secundum Guntráni obitum bellum inferente, necémque patris scelere Fredegundis interempti persequente, seq; ab eius scelerum ministris & veneno & ferro tentatum, qui deprehensi in tormentis id confessi sint, dictitãte. His minis terroribúsque plenus, ferox etiam duorum patrum Regnis, ab altero procreatus, ab altero adoptatus, Burgundionum Austrasianorúmque coacto exercitu, in Suessionum qui in Clotarii fide erant, finibus castra posuit. Dux Clotariani exercitus erat Landricus Magister equitum. Sed viriles animos gerens Fredegundis, ordines ipsa circuibat, circunferénsque puerum filium Regem, illum eorum fidei virtutíque commendabat: pueritiam eius hosti contemptui esse, quasi exercitus sine suo Rege, & Rex sine fido milite foret: ostenderent Reges Francorum Burgundionibus Austrasianísque inuictos esse, non ætatis flore, roboréve vllo suo, sed nominis ipsius maiestate, suorúmque armis. Qui nunc annis puer sit, sed indole mira, sobolem esse magni Clodouei, à quibus minime deceret, bello indigno lacessitum, vt Francia ad eam diem inuicta, pareat, quibus imperare solita esset: laudem præmiáque quæ victoria parta dare soliti sint amplissimi munificentissimíque Reges fortissimis militibus, ea se illis in præsens daturam: in futurum eos vt tutores propugnatorésque Francici nominis, ac salutis Regis, & reliquam impuberem eius ætatem recturos, réque administraturos, & parem meritis mercedem ipsos sibi sumpturos. Tantum ardorem animis & ætas Regis, & vox fœminæ militaris visa subdidit, vt collatis signis ad viginti millia hostium Franci interemerint, paucis suorum desideratis. Vulgus scriptorum tradit ipsam Fredegundẽ copiarum Ducem iter sub noctem ingressam, equorum collo crepitaculis suspensis, tinnientis ac pascentis temere armenti speciem præbuisse: cúmque hosti appropinquaret, frondosis ramis ab antesignanis prælatis, quod syluæ instar vbi iumenta pasci viderentur, procul visentes falleret, mane hostem incautum oppressisse. Propius fidem est, Burgundiones Austrasianósque, quòd Frãcorum Dux fœmina esset, ac puer Rex, nimia virium suarum fiducia, & contemptione hostium, per negligentiam apparatum belli, ardorémque pugnandi remisisse, atque ideo facilè oppressos. Insequenti anno bellatum est aduersus Britannos nulla memorabili re gesta, nisi quòd hostis non incruento milite Franco cessit, qui vltro lacessierat. Tertio, Childebertus ipse, vxórque non

sine veneni suspicione obiuere. Quarto, parantes bellum eius filios Theodobertum Austrasianorum, & Theodoricum Burgundionum Reges, in ipso conatu vltro adorti Clotariani ad Lotosaum, id loco nomen est, fuderunt, fugarúntque, Burgundiámque cisararicam de hoste recepere. Hactenus Fredegundis domi militiæque res gessit. Is enim annus finis vitæ fuit magno iam natu mulieri: nec vlla bellica siue sua siue Landrici laude redimere potuit dedecus anteactæ vitæ, prius pellex iustis vxoribus, deinde vxor viro fatalis. Audoueram primam Chilperici vxorem fraude euertit. Absente Chilperico cum fratre Sigiberto Rege ad Saxonicum tumultum, Audoueræ puerperæ morum imperitæ, sub recentem fœtum persuasit, vt die lustrico ipsa mater filiam quæ nata erat, è sacro delubro exciperet: nullam maioris nobilitatis inueniri posse dictitans, quæ Regiam sobolem sacra imbueret aqua. Reuersus vir, Fredegundis forma, blanditiísque expugnatus, vxorem in cœnobium sanctarum mulierum ablegauit, velut incesto futuro deinde matrimonii vsu. Hoc astu: illud audacia, quòd Galsontam Athanagildi Visigotthorum Regis filiam, eandem Brunechildis sororem maiorem, Chilperico nuptam, ipsa pellex Regis potens iurgiis incessere ausa est. Quam indignitatem cum noua nupta ferre non posset, noctu in cubiculo mortua inuenta est. Inter multa scelera flagitiáque incolumis, ac omnium hostium aut victrix, aut superstes, florentem filium reliquit. Ea tanta hoste defuncta, inimici spiritus sustulere. Duo Reges Childeberti filii, ne arma quoque nisi Ducibus mulieribus tractarentur, sub tutela auiæ Brunechildis contractis copiis, in Senonum finibus cum Clotario signa contulere. Vtrinque magna cæde edita, Clotarius haud dubiam victoriam hostium cernens, Meledunum quos reliquos ex prælio potuit, reduxit. Super aciem vtráque, vt fertur, est visus iuuenis humana specie augustior constitisse minaci vultu, strictóque ac cruento gladio: id quod nisi in maximis cladibus neque credi neque fingi solet. Et victum magna strage Clotarium leges illi impositæ facilè ostendunt. Conuenit enim, vt imperium Theodorici ad oceanum vsque Ligeri flumine terminaretur, Theodoberto accederet quicquid Franciæ, Isaræ, Sequanæque, item oceanum vsque interiacet. Isara Belgicus fluuius in Sequanam influit eodem quo alter nomine procul in finibus Allobrogũ. Eam ignominiosam pacem necessitas imposuit, atque idcirco non perpetuã. Nouem omnino annis fessa domesticis malis Francia, conquieuit. Exin idem orbis repetitus. Landricum id finium quod Theodoberto attributum fuerat, tentantem, Bertoaldus Magister militum, Theodoberti Regis irrito conatu, abire procul coëgit, Aurelianúmque vsque persequutus, ad pugnam æquo loco elicere non potuit. Aduenienti auxilio suis Clotario Regi, non Bertoaldus modò cum Austrasianis, sed & Theodoricus Rex cum Burgundionibus ad Stampas occurrit: nec continuit se mœnibus Aureliani Landricus, Præsto affuit & Clotarius. Summo certamine pugnatum est. Bertoaldus fortissime dimicans occubuit. Eius virtute cæteri accensi potius quàm morte territi eripuere hosti iam propè victori victoriã. Rem hoc bello præclare gestam fraternæ cædes excepere. A Theodoberto iam pubere, iísque qui eius

animum aurēſque poſſidebant,Brunechildis auia ex aula pulſa,ad alterū nepotem Theodoricum ſe contulit:reuerentiſſimeq; ab eo excepta,cultaq; eſt. Pubertas,receptáque tutela, vtrique calamitatem importauit. Theodoricus & ipſe ætate florens, ociíque diuturni impatiens, audebat iactare Theodobertum adulterio conceptū,haud dubio conatu eius è Regno eiiciendi,Auſtraſianíque Regni Burgundionibus adiungendi. Caſtra non procul ab hoſte locata.paci ſtudentium conſilio Protadius Magiſter militum paci aduerſarius occiſus eſt.eam cædem indigne ferente Theodorico, ſed qui ſuorum conſpirationi vnus obſiſtere nequiret,pax iuncta eſt.Theodoricus à fratre in ſanctos viros vim vertiſſe fertur, Deſyderiūmque Viennenſium Epiſcopum obrui lapidibus iuſſiſſe,exilio reuocatum,quòd nō deſiſteret vitio dare probroſam eius vitam: cum lapidibus in necem vti ſoleat ſolùm turba repentino furore percita,& aliis telis deſtituta, miniſtri verò regum latus vel ceruicem telo petant.Idem creditur Columbanum(in quo multum numinis eluceret)è finibus Regni ſui multis indignitatibus abire coëgiſſe, quòd dixiſſet eius nothos in Regnum non ſucceſſuros,quanuis Regio cultu educatos.Iuſtam vtique vxorem Bertrici Regis Hiſpani filiam Hermembergam ad patrem remiſit integram à ſe,aduerſo rumore, quòd ferretur pellicibus ad inſaniam vſque deuinctus,ſancti nobiliſſimíque connubii vſu perfrui,& virginis florem delibare non poſſe, velut maleficis artibus carminibúſque prohibitus.Quod ſatis conſtat, Hiſpanis oratoribus Regias omnes circumeuntibus,quatuor Reges in Theodorici perniciem conſpirant, Clotarius vetus hoſtis, Theodobertus memor ignominiæ periculíque, Longobardus Agilulphus(cuius filio Adalualdo admodum adoleſcēti filiam & ipſam immaturam in ſpem nuptiarum Auſtraſianus deſponderat) & Hiſpanus filiæ vindex.Tunc fracta Theodorici ferocia.Fratri igitur,vt pacem redimeret,tradidit quatuor nobiliſſimos Comitatus,Turonenſem,Campanum,Alſatiēſem, Sugitenſem.A fratre pace impetrata, Hiſpanus Longobardúſque tanto terrarum tractu diſiuncti minus obeſſe poterant, & Clotarius conquieſcebat. Anno quintodecimo Regni ſui Theodoricus iam liber metu, fratri excidium iterum moliri cœpit:ac ne ope propinqua iuuaretur, Clotarium ſuū tempus opperiētem adduxit,vt aut ſe iuuaret,aut tacitum ſpectatorē ſe præberet,mercedem habiturum,quæ victor Childebertus de eius ditione oppida finéſque pace infami abſtuliſſet. Quieſcente Franco,inter Burgundiones Auſtraſianóſque duobus cruentiſſimis præliis debellatum eſt. Victor ſemel atque iterum Theodoricus fratrem tranſrhenanas gentes petētem,vt earum auxiliis bellum redintegraret, aſſecutus,retractum Cauillonum in cuſtodiā miſit,detractis Regiis inſignibus:duorúmque ampliſſimorum Regnorū potens,immemor recentis fœderis,vt vniuerſæ Galliæ ſolus iura daret, in Clotarium mouere cogitabat.Interea dum Theodoberti filiam ducere vxorem ſtatuit,dyſenteriæ morbo deceſſit.Alii meram tragœdiam cōcinunt,& non modò quicquid vſquam impie ſceleſtéve in numen,mortaléſve peccatū eſt, ſed quæcunque fingi dicíve de perditiſſimis quibuſque poſſunt,ea vni Brunechildi adſcribunt:eam fuiſſe facem accendēdi belli inter nepotes,quòd di-

ceret Theodobertum non ex Childeberto Rege,sed quodam holitore pro- 45
creatum:auertisse animum Theodorici à colenda vxore Hermemberga: vt
vna apud nepotem omnia posset,minus pellices formidans, oppressum De-
syderium, Columbanúmque exactum: eadem impellente, Theodobertum
Coloniæ occisum, quem vita donatum, Cauillonum in custodiam missum
ostendi. Addunt fabulæ reliquos Theodoberti filios eam necasse:cúmque il- 50
lius filiam sibi Theodoricus iungere vellet, Brunechildem in scelere piam
dixisse,incestum futurum coniugium: illum furore succensum, in eam stri-
cto ferro ruisse,ac subiecisse, Atqui fratrem eum negabas: quasi vel alio in-
cusante res per se ipsa non loqueretur,si non ex patre, saltem ex matre fra-
trem extitisse. eandem tunc intercursu optimatium seruatam,paulo post ve- 55
neno nepotem sustulisse, quem dysenteria decessisse authores habeo. Adeo
ad portenta prodenda plerique scriptores, & ad accipienda imperitum vul-
gus blandiente mendacio inclinant. Ea mulier præterquã quòd à diuo Gre-
gorio eius temporis æquali Pontifice maximo laudibus effertur ipsa, nepo-
tésque Reges, captiuos sua pecunia redemptos, cultósque domum remi- 60
sit, ædes sacras permultas partim nouas condidit, partim vetustate laben-
tes restituit:& tot pòst seculis non temere venit in mentem Boccatio poëti-
ci quidem ingenii authori,sed antiquitatis cognoscendæ studiosissimo, con-
tendere eam externam mulierem temporibus perditissimis alienorum sce-
lerum flagrasse inuidia. A Burgundionibus Austrasianísque ducibus adductam 65
ad se Clotarius(si vera tragœdia est)supplicio tradidit. Caudæ indomiti equi
capillo religata periit, concitato equo exacta ætate mulier distracta. quod
supplicium de Fredegunde matre Clotarii erant sumpturi Austrasiani Re-
ges,si vniuerso bello vicissent:ab illis sæpe ad pœnas exigendas petita: & ne
Clotarius defendere posset meritas pœnas exactas,Sigibertum, Corbúmque 70
Theodorici liberos paruos necauit:tertium Merouæum,vt finis tragici com-
menti sit,quòd se patrem vocitaret ab eo sacra aqua imbutus, vita donauit.
Clotarius vniuersi regni potens, nihil antiquius duxit, quàm vt affectis rebus
quies ab omni motu metúque daretur. Aut exsatiato,aut deposito in omnes
odio, parentis verius quàm Regis animum induit, obliuionémque iniuria- 75
rum & præstitit, & exegit. Austrasianis Magistrum equitum,rerúmque ad-
ministratorem dedit Rhadonem virum bello pacéque bonum: Burgundio-
nibus Varnarium,magni in eorum,cum florerent regnarentque, aula nomi-
nis: Transiuranis vero Herponem,sobolem eius Herponis, quem Guntran-
ni Regis Ducem ostendimus. Habitísque harum trium separatim gentium 80
conciliis,quod è re dignitatéque cuiusque esse videretur,constituit:nec quic-
quam quod dari honeste posset,petentibus denegauit: quoúsque Magistros
equitum illis præficiebat propalam, persanctéque iurauit eis se magisterium
illud non abrogaturum. Ea benignitas comitásque adeo Austrasianorũ Bur-
gundionúmque animos in illum confirmauit, vt nullus vnquam rex maiori 85
fide religionéque cultus obseruatúsque ne ab suis quidem fuerit, nec vltrà
desiderio regum suorum tenerentur sub regibus nati, Regiámque domi ha-
bere soliti, quæ illos honoribus commodísque cumularet. Transiurani se-

rox genus hominum Burgundionibus antè rerum potentibus attributi, & tunc ſui propè iuris effecti, Herponem interemere, vitia licentia temporum nata emendare conantem. & Aletheus Burgundionum nobiliſſimus populariū ſuorum ſenſus non ſecutus, magnis apud Tranſiuranos opibus, quòd author extitiſſet Herponis occidendi, pœnas metuens, audendúmque aliquid maioris rei ratus, per Leudemundum Sedunenſium Epiſcopum Bertrudem Reginam ſolicitat, vt relicto Clotario viro Rege, quem eo anno perituru mathematicis authoribus, ſortibuſq; fatorum ſcire ſe diceret, ad ſe cum regia gaza tranſiret: eam ſe in matrimonio habiturum: ſcelus ſcelere non redemit, expiauítve. Illa, vt par erat, ægre tulit ſe à Leudemundo his moribus exiſtimari, vt tentata expugnari poſſe videretur: & Rex Epiſcopum ſanctitate tem plorum ſe tegentem, deprecantibus ſanctis viris vita veniáque donauit, iuſſum diœceſi ſua pedem non efferre: in Tranſiuranóſque profectus, quæſtionem acriter habuit. Procerum iudicio Aletheus condemnatus cum cæteris qui in noxa erant, capite ſcelus luit. Tranſiuranas Alpináſque Subalpinæ Lõgobardorúmque res excepere. Eporedia Secuſióque tunc in fide Francorum erant. Agilulphus Longobardorum Rex oratores ad Clotarium miſit, Hagnulphum, Pompeium, & Catonem: qui æquum eſſe dicebant, hæc duo oppida de Auguſtorum ditione, pulſis eorum à Longobardo ducibus, recepta ſibi reddi. Ab rege ad proceres reiecti ſunt, oppida reddita Longobardo, cum eius oratores circiter triginta auri pondo pependiſſent Regi, & ſingula pondo tribus proceribus quos in magna authoritate apud Regem eſſe acceperant. Addit Annonius hiſtoricus remiſſum eis tributum, quòd duodecim millium ſolidorum ſingulis annis péndere Francis Regibus conſueuerant. Nos ſuprà cum fide oſtendimus quàm varii motus bellorum tumultuúmque inter Francos Longobardóſque exarſerint, vt que munera non modò à Longobardis, ſed & ab Auguſtis data ſint Francico nomini: ab his, vt Francorum arma Longobardos opprimerent: ab illis, ne pro alienis opibus veteres ſuos amicos premerent, nulla inter ſe ſuo nomine inimicitiarũ cauſſa. Fœdere cum Clotario à Longobardis icto, in multas ætates pax ea parte fuit. Paulus Diaconus tradit circa Aſtam vrbem Francorum exercitum tanto pòſt à Grimoaldo Longobardorum Rege fraude circunuentum ad internecionem cecidiſſe. cum hoſtis ſimulata fuga caſtra plena omni genere commeatuum reliquiſſet: ea Francum ingreſſum, ac epulis ſomnóque grauatum, ſuperueniente per ſilentium noctis hoſte, clade ſua inſignem locum feciſſe: riuum Francorum vocitari. Potiores apud me authores ſunt, qui fœdus cum Agilulpho à Francis ictum, ſanctum ad Pipinum vſque Francorum regem extitiſſe ferunt. Tunc Clotarius Rex domeſticas res curæ habebat, externarum immemor. Dagobertus eius filius admodum adoleſcens Sadregiſillum clariſſimum virum à patre deſignatum Aquitaniæ præfectum, detracta veſte loris cecîdit, & vt barbam more eius ætatis aluerat, totondit, abraſit'que, quòd non quàm reuerenter filium Regis oporteret, ſe ab eo obſeruari exiſtimaret, offenſus in primis, quòd ille conuiuio frequenti contra ſe

accumbendi locum legisset, poculóque ex eius manu, oblitus per vinum maiestatis, id quod tantum inter pares fieri assoleret, vltro sumpto bibisset. ille deformatum os, lacerúmque recentibus verberum vestigiis tergum Regi ostendit. Qua fœditate percitus, comprehendi filium iussit: apparebátque nõ leui defuncturum pœna. Filius solicitus per amicos sanctósque viros tentabat indulgentiam paterni animi, qui nullis obsecrationibus flecti, mitigari, expugnarive poterat. Perstabat in sententia Rex vindicandæ audaciæ insigni aliquo exemplo, efferabatúrque in dies magis. Adolescens mœrebat, iram patris deuitabat, aliis atque aliis deinceps latebris se tegebat. Perdiu pœnas metu, periculóque ac expectatione magni mali pependit, nec vlla ope humana placabatur atrox ira. Tandem vnico filio, qui formidine, fuga, pœnitentiáque satis pœnarum dederat, reconciliatus est Rex: id quod miraculo multis fuit: traditúmque frequenti fama, missos à Rege ad Catuliacum Parisiorum vicum, qui filium ex spelunca vbi latitaret, retraherent, suborto horrore, omnibúsque membris captos ingredi non potuisse: patrem ratum eos gratificantes filio regnaturo, volentes, non inuitos arceri ab ingressu, cum illuc se contulisset, eodem repente pauore correptum, nõ antè quàm venia filio data ingressum. eo loco corpora martyrum Dionysii, Rustici, & Eleuterii conditorio alta terra obruto ad eam diem ignorata iacuisse, à martyribus per quietem admonitum Dagobertum ædem illis vouisse, quam rerum potens excitatam magnificentissime excoluit. Nihilo secius Clotarius mortua Bertrude vxore Sichildem nouercam superinduxit Dagoberto, Austrasiámque, nec totam, regnum dedit. partem enim Arduénæ syluæ à Remorum finibus, & quod terrarum ad Vosegum montem pertinet, retinuit. Filius Austrasianos trans Rhenum duxit: vtque indolem suam patri gentíque probaret, cum Bertario Saxonum duce prouincias Francorum vrente pugnauit. Graue in capite vulnus accepit. Capillum cruore infectum Austrasiani ad patrem detulere. Qua velut regii insignis dehonestati fœditate conspecta pater ira percitus, suorum delectu habito in hostem ruit, dato (vt fertur) præcepto, vt procerioris staturæ hostes ensi quo quisque pugnaret, æquarentur: eo etiam in pugna exacerbatus, quòd nondum quinquaginta natus annos, sed iam velut extrema canitie vetulum iumentum vocitari se ab hoste audisset. Bertarius in acie cecidit magna suorum strage. Clotarius victor domum regressus, auctúsque ex Sichilde vxore filio Ariberto, vt quàm maximo posset pignore necessitudinéque totam domum inter se deuinciret, sororem Sichildis Cometrudem Dagoberto nuptum dat, & quicquid reliqui Austrasiani regni erat, illi reddit, eousque deinde filio deditus, vt omnia illi permitteret, indulgerétque. Arnulphus sanctus vir literis imbuerat Dagobertum, Rhodoaldúmque amicum illi tradiderat. Is tenui loco fortunáque ortus, vbi ad amplissimos honores beneficio Dagoberti peruenit, spiritus sustulit, intolerabilísque Austrasianis erat, iramq; ea ex re in se Dagoberto motam ad Clotarium fugiens in præsentia euitauit, eiúsque commendatione rediturum se in pristinum gratiæ authoritatisq;

locum apud Auſtraſianos ſperabat. Deprecanti pro eo patri Dagobertus reſpondit, illum vitæ ſpem habere poſſe, ſi malefacta benefactis reſarciret. Ita quaſi venia impetrata Rhodoaldus in Treuiros, qui ditionis Dagoberti erat, profectus, pro foribus regiæ illius iuſſu interimitur, fortaſſis ſupplicio dignus, ſed indicta cauſſa, nullóque iudicio facto: idque tam non indigne tulit pater Rex, quàm antè acer vindex Sadregiſilli viſus fuerat. Diſſimulate quoq; Clotario Godinus Varnarii anno tertiodecimo quàm creatus fuerat Magiſter equitum Burgundionum, mortui filius occiſus eſt, qui nouercam vxorem duxerat: ac ea iuſſu Clotarii dimiſſa, inceſti matrimonii deprecante Dagoberto veniam impetrauerat. mox ea deferente illum in animo habere, Clotariũ, ſi propius admitteretur, interimere, nihil vltrà in eum initio ſtatutũ eſt, quàm id quod & præſtitit, vt in Sueſſionibus & Lutetiæ tactis aris; illic Medardi, hic Vincentii, iureiurando adigeretur ſe nihil male de Rege cogitaturum. Deinde iuſſus idem iuſiurandum Aureliani ad Anniani, Turonibus ad Martini repetere, dum illuc pergit, Carnuti in conuiuio frequenti occiditur, non iubente, ſed conniuente Clotario. Quiſnam in locum Varnarii ſufficiendus eſſet, in communi Burgundionum concilio cum ageret Rex, vndiq; ſuccla-matum ei vni ſe dicto audientes fore: illum vnum ſibi omnia futurũ. Id gratum iucundúmque Regi accidit. Hanc lætitiam imminuit commune aularũ vitium, inuidia, factióque. Hermarius rector pueritiæ Ariberti minoris Regis filii, ab Anniano aduerſarum partium principe occiditur: totáque aula in armis erat, alteris factum probantibus, alteris vindicibus futuris. Exardeſcentibus contrariis ſtudiis, in pernicioſum tumultũ res ſpectabat: ægre edicto Regis reconditi enſes. Annianus præſidio ab Rege, ne violaretur, accepto, in tutũ ſe recepit: re impune lata. qui fuit annus ſupremus Clotario Regi, à patris obitu quadrageſimuſquartus, à totius Galliæ imperio parto ſextuſdecimus.

DAGOBERTVM difficilia tempora excepere, quòd Clotarius nouiſſimis vitæ ſuæ annis curam rerum, quod regnis calamitoſum eſt, remiſerat: licentiáque & audacia veluti libera legum regúmque frenis moderationéque omnia ſibi vendicabat: neque reuiuiſcere patrius mos pudórque poterat. Seueritas Regis iritatura gliſcens domi malũ, indulgentia vires contumaciæ petulantiæ'que additura erat. Aribertus Dagoberti frater puer admodum conſiliis regebatur auunculi Brunulphi. Is cum ſuæ factionis hominibus id agebat, ne Dagobertus à iudicio Clotarii Regis diſcederet: eum illi Auſtraſiam regnum dediſſe, quæ eſſet ferè & nobilitate vrbium, & gentis virtute; & vbertate agrorum, & locorum opportunitate potiſſima Galliæ pars: quæ etiam Tranſrhenanis imperitaret: vt reliqua Ariberto euenirent. Id ſi fieret, vera germanáque Francia, & Pariſiorum regnum, ſpéſque vniuerſarum opum nomine puero, re ipſa auunculo dabatur. Satius erat Dagoberto rem ferro decernere, quàm non meminiſſe ſe filium Clotarii maiorem eſſe: nec decedere iure ſuo, quo minus primas ſibi ſpeique ſuæ partes vendicaret: & numen fortem virum, vt ferè fit, iuuit. Ex Auſtraſia continuò Burgundiam petiit, ſummáque benignitate cum ea gente egit. ius ipſe dice-

XI. DAGOBERTVS:

bat,orbos liberos,viduas tenuiores,egentes à potentiorum vi iniuriaq; aſſere- 45
bat:optimates pro ſua quemq; maiorúmve nobilitate,dignitate,virtuteq; co-
luit. His artibus vtens,vrbes circumiuit,Lingones,Cauillonum, Eduam, Al-
tiſſiodorum,Senones:ita non minus Burgundionibus quàm Auſtraſianis ac-
ceptus,Lutetiam venit. ætas militaris,nobilitáſque propè omnis, & qui inte-
gri à factione Brunulphi erant, præſto ei fuere, fortunam Franciæ collau- 50
dantes, quòd Regem ſibi Deus optimus maximus daret ætate ac conſilio
præſtantem. ne materia tamen improbis, rerúmque nouarum cupidis tu-
multus,motúſque alicuius præberetur, Aquitania Ariberto regnum datum
eſt,his finibus,vt Ligeri flumine,& Pyrenæo ſaltu terminaretur. Nec bellum
vllum ſuſcepit Dagobertus quoad frater vixit, tranquilla pace, legúmque 55
moderatione,ac priſcis inſtitutis res fouens. Octauo regni anno Seruatius &
Paternus Conſtantinopolin oratores miſſi rediere,renunciantes fœdus cum
Heraclio ictum:eum Imperatorem amiciſſimum eſſe Francici nominis. Per-
ſarum bello eum præclara facinora edidiſſe. Sunt qui ferant eoſdem legatos
verbis Heraclii retuliſſe metum ingentem impendêre Chriſtianis Imperiis à 60
gente circunciſa:quicquid eorum hominum in Gallia eſſet, cogendos effici
Chriſtianos. In Gallia,& cæteris ab Aſia magno interuallo diſiunctis regio-
nibus,Iudæorum vetus mos cognoſcebatur. Mahumethis vero Saracenorúmque gliſcens circunciſio ignorabatur: cuius vim Chriſtianis formidandam ſortes,an magicæ vanitates, an Mathematici per ambages Heraclio ce- 65
ciniſſe feruntur: qui ſibi etiam à Saracenis, ſed alio, reor, conſilio cauerat.
Coſdroe enim Perſarum rege deuicto, in quem diuinos honores ſibi ven-
dicantem Mahumethes pugnans vulnus accepiſſe fertur, pacataq; Aſia qua-
tuor millia delectæ iuuentutis ex Saracenorum nobilitate excitos militi ſuo
coniunxerat per ſpeciem militarium munerum, re ipſa obſidum loco habi- 70
turus,ne quid impune moliri gens ea latrociniis aſſueta poſſet. Iudæos vero
peruicacius hominum genus, veræ religionis cauſſa, non Cæſaris, id quod
nonnulli ſcribunt, gratia coactos, in Gallia ſacro baptiſterio imbui facilè
crediderim, initio ab Hiſpania & Siſebuto Rege Viſigotthorum orto. Is
enim Hebræos regni ſui coëgit CHRISTVM agnoſcere. Eorum tamen 75
aliquot millia in Galliam effugerunt, iunctíque veteribus ſuæ ſectæ incolis
ingenti numero conſpiciebantur. Turpe videbatur Franco, à Viſigotthis
ejectos religionis noſtræ hoſtes indomitos, finibus ſuis receptos diutius re-
tinere, ac Viſigotthis religione cedere. Dagobertus igitur diem præſtituit,
intra quam quicquid mortalium religionem noſtram non profiterentur,ho- 80
ſtes iudicarentur, comprehenſíque capite luerent. Plures eorum exilium
pietati antetulere. Reliqui Chriſtiani effecti incolumes manſere. Hoc veræ
religioni datum certo documento eſt Siſebutus Rex, qui hanc palmam Iu-
dæorum vel animo ſanandorum, vel procul exigendorum prior ferens,
milites Imperii Romani, qui Hiſpano limiti tutando præſidebant, eiecit: 85
quáſque in extremis finibus vrbes, oppida, caſtella, arces, vicos, fines,
iuga montium tenebant, Regno ſuo adiunxit: & Aribertus Rex tutore

Brunulpho Vaſconia recuperata,quæ officio deceſſerat, Regnum ſuum ad vltimos fines Siſebuti regni propagauit. Octo annos regnauit Aribertus: moriens filium infantem reliquit paucis menſibus ſuperſtitem. Ducem Aquitaniæ Sadrageſillum nonnulli priuatis inimicitiis occiderant. Filii necem patris non perſequebantur. Bona paterna Dagobertus fiſco adiudicauit, ad leges Romanas liberorum querimonias legans, quæ impunita nece parentis, liberos hæreditate arcerent. In Aquitaniæ morte Regum, cædeq; Ducis vacuam omnino poſſeſſionem iuit Dagobertus, réſque Gallica in vnum coiit, armaq; trans Pyrenæum ſaltum promota, quòd mortuo Siſebuto Regi clariſſimo haudquaquam pari gloria ſucceſſerat Sentila, cuius cum Viſigotthos ferocem gentem puderet, pœniterétque, Siſenandus æmulus Regni in Franciam ad Dagobertum profectus auxilia impetrauit. Abundantius & Venerandus Duces nobilitatem Burgundionum Cæſarauguſtam duxere, continuóque Viſigotthi à Sentila ad eum quem Dagobertus dabat Regem defecere. Is decem pondo auri Francis appendit, quæ ædi diui Dionyſii abſoluendæ attributa ſunt: ad eámque excolendam, ex Pictonibus, qui Aquitanico motu contumacius egerant, ſacrorum locorum nobilia ornamenta ſunt aſportata. Pacatis Viſigotthis, non diu Vaſcones in fide officióve manſere. Cum defeciſſent, Burgundiones duodecim Ducibus profecti acie hoſtem ſtrauere. Ex rebus initio lætis negligentia orta. Nouus hoſtium exercitus Arembertum Ducem à cæteris procul vagantem, iniquo loco adortus, ipſum militémque occidit. Reliqui Duces iunctis copiis vlciſci ferro igneque parabant, cum optimates Vaſconum ad eos ſupplices venere, ſe extra huius belli cladiſque culpam dictitantes: leuium & egentium noxam eſſe: orare, innoxiis agris vrbibúſque parceretur, reiicerentúrque ad Regem: eum optime cauſſam cogniturum, ſtatuturúmque. Id impetratum: Ad Rgem cum Duce Amando venere, magna initio ſpe cauſſæ ſuæ probandæ: mox ex triſtitia vultus Regis nihil boni augurantes, capitiq; ſuo extrema metuentes, ad ædem aráſque Dionyſii confugere. honoris martyrum cauſſa venia ſupplicibus data. Fidem ſuã Dagoberto, futuriſq; Francorum Regibus iureiurando obſtrinxere. Incruentè Britannia prouincia confecta eſt. Iudicaildis Rex à ſuis ſalutatus, contumax Francis videbatur. Ad eum ab Rege miſſus orator Eligius vir ſanctus, qui grauiter ei, niſi continuò in fidem rediret, minaretur: tam dexter munus illud obiit, vt vltro Britannus ad Regem veniens, leges parendi ab eo peteret. pacem, fœdúſque, & ampliſſima munera domum retulit, deprecatore, annitentéque altero viro ſancto Audoẽno: cuius fidei cuſtodia vſúſque Regis annuli creditus fuerat. Rerum florentium gratulationem interpellauit Sclauorum falſos Deos adhuc venerantium vis. Fuiſſe feruntur hi, qui nunc Poloni Bohemíque ſunt, maioribus eorum ex Scythia profectis. Progenies eorum ſunt hi, qui oram Iſtriæ Dalmatiæ'que incolunt. Cõplures erant eorum ciuitates. Quæ earum finitimæ prouinciis Francorum Tranſrhenanis erant, paucæ amicitiam cum Dagoberto iunxerant. Reliquæ infeſtiſſimæ prædam ex ſociis Francorum agebant: itineráque Francis mercatoribus ea parte partim clauſa, partim infeſta erant. Miſſus Francorum Fœcialis ad Samo-

nem gentis Regem, cum à proceribus ad eum non admitteretur, ſemperq; differretur: depoſito cultu Francico, ſumptóque Sclauico, vt vnus ex illis prodeuntem in publicum Samonem adiit. Tunc aperiens ſe quiſnam eſſet, fretúſque iure legationis, ferociter res repetit. Cúmque Rex diceret à Francis iniuriam ortam, ſe in poſterum paratum eſſe cum Dagoberto fœdus ferire: ſeu elatus intemperantia linguæ, ſeu quia ita mandatum eſſet, reſpondit fœdus cum canibus ictum ſanctum eſſe non poſſe. Id contumelioſum dictum tota gens altiſſimè in pectus demiſit. Illæſo Fœciali dimiſſo, atrocius ortum bellum. Velut ex compoſito diuerſis regionibus Saraceni eadem verbi contumelia laceſſiti, implacatiores hoſtes religionis noſtræ effecti ſæuiere. Ea quatuor millia Saracenorum quæ obſidum nomine Heraclium abduxiſſe oſtẽdimus, militarem veſtem ex Iuſtiniani, quæ adhuc extat, ſanctione poſcebant. Eunuchus corruptiſſimo ſeculo fiſci Præfectus, Quid, inquit, reliqui eſt Romano militi, quod dari canibus his poſſit? Eam effœminati hominis petulantiam tam indigne tulere ipſi viri, armatíque, vt dòmum agmine ſe ſurripientes, coniunctis ſuis quiſque ſibi popularibus, Arabiáq; omni ac finitimis gentibus cõcitatis, iura diuina humanáque miſcuerint. Propinquas Romani Imperii vrbes, Aegyptúmque cepere. Perſas nuper à Romanis Heraclióque deuictos, & cladibus feſſos, ipſi integri ferocéſque prælio ſuperauere, coëgereq; & ipſos Saracenos vocitari, ac Mahumethis ſectam profiteri: Syriamq; totam ſuarum partium effecere. Ita ſimul audita eſt, & pietatẽ magna ex parte oppreſſit illa procella. Sclauorum cauſſa conatúſque par, ſed fata non eadem, fortunáque minor. Ad eorum furorem coercendum Auſtraſianus exercitus miſſus cum auxiliis ſociorum Tranſrhenanis. Cum ignominia diſceſſum. Coacti qui Sclauorum proceres cum Franco ad eam diem ſenſerant, tunc in eum pugnauere. Saxonibus maiores viribus ſpiritus erant. Petierunt à Dagoberto, leuarentur vectigali, quod péndere quotannis conſueuerant: ſe Sclauicam prouinciam confecturos ſuis copiis, ſumptúque. Fidem præſtare conati nequiuere. Neceſſe fuit Dagoberto ſuam Auſtraſianis Regiam reddere, vti cum Tranſrhenanæ prouinciæ Auſtraſianis attribuerentur, tanquam pro domeſticis opibus gloriáque maiore animo conſtantiuſq; in Sclauos bellarent. Dedit illis Regem Sigibertum maiorem filium: & eum in Auſtraſiam cum fidis amicis miſit. Ea res inuictos Auſtraſianos fecit. Sexdecim annis regnauit Dagobertus. Filios reliquit Sigibertum, CLODOVEVMQVE. Regnum duorum fratrum, quod non ſemper vſu euenit, inter ſe concors erat. Sigibertus maior, cum Dagobertus eadem in cauſſa cedere minori fratri in animum non induxiſſet, ipſe Auſtraſianis opibus fouendis, Tranſrhenaníſque prouinciis in fide officioq; continendis, ac ab hoſte tutandis, modũ cupiditati ſuæ ſtatuẽs, cæteram Galliam fratri minori reliquit, gazæ tantùm paternæ tertiam partem ſibi dari voluit, reliquam matri fratríque conceſſit. Tranſrhenani hoſtes nihil mouere: non auſi quietos laceſſere Auſtraſianos. Apud Clodoueum Regem proceres vacui à cogitatione externorum bellorum, fœlicitate temporum abutebantur: ac de principatu inter ſe contendebant. In Egæ magiſtri equitum Francorum demortui locum ſuffectus eſt

Ercembaldus,per Dagoberti Regis matrem Clodoueo cognatione iunctus, Burgundionibus Magiſtro equitum dato Flaucato, qui etiam Tranſiuranis imperitaret,gloria belli feroci genti:cuius Dux Vilebardus præfectus ad Imperium accipiendum euocatus,non temere iter ingreſſus cum ſuæ factionis non contemnenda manu,Flaucato in Eduorum finibus occurrit: pugnáque commiſſa cecidit.Et alii perparui motus exorti,ſedatíque, partim incruentis dextris,partim paucorum nece,quos referre nullum ſit operæprecium. Sigibertus Rex cum nullos procreaſſet liberos, à Magiſtro equitum Auſtraſianorum Grimoaldo adductus fuit,vt Ildebertum eius filium adoptaret. Cæterum legibus & adoptione patrem factum mox natura filio donauit. Dagobertus procreatur.Mortuo Sigiberto Rege Auſtraſiæ anno Regni ſui vndecimo,Grimoaldus Ildebertum Regem ſalutat, eiuſque cauſſam non adoptionis modò iure,ſed armis etiam tuetur,Dagobertumq; attonſum ad amicos in Scotiam ablegat.Ercembaldus prælio Ildebertum occidit, Grimoaldum captum Lutetiam ad ſupplicium miſit. Childericus trium Clodouei Francorum Regis filiorum ætate medius,Auſtraſianis Rex datur.Clodoueus pater ſextodecimo Regni ſui anno deceſſit. CLOTARIVS ſtirpis maximus quatuor deinceps regnat annos,nulla re,niſi,quod præcipuum eſt, feſta pace nobilis. Quo defuncto & Regum gloria intermortua eſt, ac Magiſtri equitum ſimulatione Regiæ maieſtatis tegẽdæ,de adminiſtratione rerum pro opibus quiſque ſuis maiore audacia decertarunt. Ebroinus mortuo Ercẽbaldo valida factione ſubnixus,quòd ſi Clotarii defuncti fratrem CHILDERICVM Auſtraſiæ iam Regẽ, Franciæ quoq; Regẽ appellaret,arbitriũ rerum ad Vlfoaldum Auſtraſianorum equitum Magiſtrum peruenturũ exiſtimaret:eo præterito Theodoricum fratrem eius natu minorem Regẽ Franciæ ſalutat,ab illo Magiſter equitum dictus:Cauſſa inferior, armis etiam victus ipſe in Burgundiam ad Luxouienſe cœnobium tondendus ablegatur. Theodoricus depoſitis Regiis inſignibus ad Dionyſii Pariſiorum ponere comam cogitur. Childericus ingenti mortalium aſſenſu Regnum iniuit, magnáque expectatione:ſpem de ſe conceptam fefellit,ſuperbe ſæuéque imperitans.Cum in ſe odium popularium accendiſſet,clariſſimis viris Vigoberto & Amalberto authoribus mota ſeditione, Bodillus,~~quem è Francica~~ nobilitate palo alligatum virgis ceciderat, eum inter venandum adortus occidit, duodecimum regnãtem annum. Ac ne vindex exoriri poſſet, vtq; ſpes animantis tolleretur,Reginam ~~Blitildem vterum~~ ferentem continuò interemit. Vlfoaldus Magiſter equitum fuga in Auſtraſiam ſe proripuit, ſubſecuta magna eius factionis manu. Leudeſium Ercembali filium Franci Magiſtrum equitum creauere, Theodoricúmque in ſolium repoſuere. Ebroinus dum recens Leudeſianorũ gratulatio deferueſceret,fruticante capillo ſe cœnobio cõtinuit.Conuenientibus deinde ad eum iis quorum ex ſententia res non erant,Magiſtrumq; equitum rurſus ſalutantibus,caſtra in aperto poſuit, ratus vndiq; ad ſe concurſum futurum hominum nouarum rerum cupidorum.Confluebatur quidem ad maximi nominis Ducem, ſed neque viribus, neq; dignitate æquare Leudeſium facile erat,qui regem in poteſtate,Gazamq;

haberet. Ita incertus pendénſque animi in dies tamen propius caſtra moue-
bat,ſi quid agendo moliendóque efficere poſſet: per literáſque clàm conſu-
luit veteres amicos, quos ei in aula reliquos fecerat longa dies, & interiecti
ſui cuique caſus, quidnam conſilii capiendum videretur.Illi perplexe, ac his
tantum duobus verbis reſpondere auſi ſunt: Memineris Fredegundis. Intel-
lexit vir militaris, veteranúſque Dux, & ingenio ſolers,ex breuitate dicti,ſe
hoſti contemptui eſſe:audendum, ac in celeritate poſitam victoriam. Cum
delectiſſimis igitur equitum,& velociſſimis peditum ſub noctem iter ingreſ-
ſus, Iſaram fluuium cæſis cuſtodibus vado tranſmiſit, hoſtéſque inopinantes
oppreſſit.Gaza capta,Rex ægre effugit initio,mox vltro citróque commean-
tibus Legatis ſe Ebroino commiſit, Magiſtro equitum ab ſe dicto, & peri-
culorum ſocio.Is receptum reuerentiſſime habuit. Qua ſimulata clementia
adductus Leudeſius,fide accepta ad eum in colloquium deſcendit,quaſi duo
Magiſtri equitum æmuli incruentius quàm duo de Regno cõtendentes ſan-
ctè colloqui paciſcíque poſſent.Medio in colloquio trucidatur. Ita ſublato
aduerſario Ebroinus vnus rebus Regíque,quandò ad id deuentum erat,præ-
erat: ſæuiebátque in eos quos ſibi in calamitate inſultaſſe ſentiebat, nec di-
gnitati nec ſanctitati cuiuſquã parcens.Primus omnium Leodegarius Eduo-
rum Epiſcopus in tetrum carcerem coniectus, quòd Ebroinum tyrannidis
auſus eſſet coarguere,lingua abſciſſa,oculis erutis,ad poſtremum ceruice cæ-
ſa luit.Leuiſſima exilii pœna erat, quo plerique metum cruciatus, necíſque
præuertebant.Plures in dies in Auſtraſiam vltro exulatum ibant.Simul mor-
tuo Vlfoaldo Martinus,& Pipinus cognomine Craſſus,fratres patrueles ab
Auſtraſianis Duces ſalutantur,eíſque & miles & nobilitas dicto audiens erat:
nec ex priſtina ſimultate ad Theodoricum Regem Ebroinúmque pro Im-
perio euocati,ſinguli,paruâve manu conueniebant. Cum vniuerſis copiis in
Laudunenſium finibus cum Ebroino conflixere. Egregie vtrinque pugna-
tum eſt. Ebroinus bellicis artibus cuilibet veterum Ducum æquaretur, niſi
laudem Imperatoriam,crudelitatis,impietatis,perfidiæ infamia fœdaſſet. Pi-
pinus cum nihil ſibi victo fidum tutúmve à victore ſceleſto, niſi procul,eſ-
ſe ſciret, longinqua fuga ſe texit. Martinus in propinquum oppidum ſe re-
cipit:nec Leudeſii caſu ſatis edoctus, euocatus in colloquium ab Ebroino,
nullum pignus poſtulauit, niſi ſanctiſſimi iuriſiurandi ſuper ſanctorum cor-
pora concepti.nec ille conditionem aſpernatus,ad conditoria ſanctorũ,prius
exemptis clàm corporibus,in quæ adegerunt Martini oratores verba adiurat
ſe illi minime offuturum: ſin fidem falleret, in caput ſuum deteſtatus terro-
res,perniciémque,ac exitium, inferorúmque pœnas. Sic diuos eludens, ho-
ſtem improuidum excepit,interemitq;, cæde hoſtium ſitim domeſtici cruo-
ris accendens,donec ab Ermenfredo è Francica nobilitate per inſidias inter-
imitur. Varrato vir clariſſimus Magiſter equitum dictus, pacem cum Au-
ſtraſianis iunxit non diuturnam, à filio Giſlemaro mox Principatu deie-
ctus, Imperandi libidine iura naturæ numiníſque permiſcente, quandò ex-
tincto ſcelerum authore Ebroino, exemplũ tamen manebat. Cum Giſle-
marus intra paucos dies leuibus prælíis expertus, ac vniuerſa iam mole belli

Auſtraſiam euertere cogitans deceſſiſſet, Varratone reſtituto fida pax renata eſt,ſed & hæc perbreuis. Mortuo Varratone Bertarius eius gener Magiſter equitum dicitur:& in Auſtraſia amiſſo Martino,rerum arbitrium ad Pipinū delatum eſt:meliúſque ab vno res adminiſtrabatur,quàm à duobus geſta fuerat.Ex ampliſſima familia,& tam vetere nobilitate natus erat,vt cum author gentis, origóque prima ignoraretur,quòd multi eius ſtirpis Anchiſii vocitati inuenirentur,ab Anchiſe Troiano eos oriundos plerique iactarent.Andreas monachus illud ſtemma his verbis digerit, Auſbertum ab orientali Francia Senatorem ex Blitilde Clotarii ſecundi Regis filia procreaſſe Arnoldum:ex hoc Arnulphum Ducem natum,qui cum Anſigiſum Ducē genuiſſet, Pontifex Mediomatricum ſit factus.Anſigiſum in matrimonio habuiſſe Beggam Pipini perbonæ partis Auſtraſiæ Principis vnicam filiam, vnde hic Pipinus, cuius mentionem facimus, ſuſceptus,ac ab auo materno in nomen opéſque adoptatus,mira audacia.pater eius Gunduinum ad ſummos militiæ honores promouerat,quem infantem expoſitum ſuſtulerat, educarátque, ab eodem poſtea adoleſcente interemptus.Parricidam ſe longinquo exilio tegentē Pipinus non magna manu,ne conatus palàm fieret, vlteriorémque ille ſemper conſciſceret fugam,ſed vno tantum comite multorum dierum iter emenſus, repentina nocturnáque vi adortus, in cubiculo ipſum familiamq; interemit: Nec audaciæ conſilium deerat:celeritatem præcipitibus rebus, cūctationem immaturis,dubiis fortem animum experientémque adhibebat. Cæſo Martino vniuerſam rem Auſtraſianam capeſſens, quòd ſpes erat Bertarium Magiſterium equitum inſtituto ſoceri adminiſtraturum,pacémque ſeruaturum:nē locus conquerendi,materiáve bellandi extaret, purgandæ exulibus Francis Auſtraſiæ conſilium cepit. quod vt mitiſſima via,& voluntate Regis Bertariíque fieret,extorribus author fuit, vt communem legationem in Franciam mitterent,quæ obliuionem iniuriarum,reditúmque ſuppliciter peteret:quòd id ſalutarius videretur,quàm minis,denunciationéque belli extemplo agere: Sin hoc parum læte caderet,aliam rationem ineundā.& tunc oratores Francia recepti,introductíque ad Regem ſunt, quorum Princeps ita exorſus eſt:

TVI ciues,Rex clementiſſime,nos ad te oratores mittunt, vt quod perpetuis precibus, continentibúſque lacrymis à Deo optimo maximo petiuerunt,id abs te impetrent.Non orant Magiſtratus,non diuitias, non magnum in aula tua vel gratiæ vel potentiæ locum, quanuis te liberaliſſimo Rege hæ preces non inuerecundæ videri poſſint: ſed liberos, coniuges, parentes, domum, patriam, cælum, ſolúmque:vt vbi nati ſunt, ibi quum quod vitæ reliquum eſt, egerint, te Rege moriantur: ne in exilio, ſed tuo in Regno ſepulti æternum conquieſcant. Si quid repentini periculi eis ab aliqua externa impenderet vi, æquum foret illos abs te Rege ſuo auxilium implorare: in vnóque te collocare ſpem vitæ ab omni calamitate tegendæ. Nunc domus deſiderio acti, tuam vnius fidem manſuetudinémque implorant. Eos procul abſentes contemplari oculis nequis: ſed finge animo te cernere illos flentes, genibus tuis aduolui, pedibúſque tuis circunfuſos, cauſſam ſuam tibi commendantes: tametſi malint in te lenitatéque tua

» quàm in cauſſa ipſorum ſuam verſari fiduciam. Vt homines nati, vel errore
» ſuo, vel communi temporum calamitate, vel inſuperabili vi fatorum, neceſ-
» ſitateq; patria exceſſerint potius quàm pulſi ſint. Quo grauiora eorum erra-
» ta videri poſſunt, eo maior tibi mitiſſime Rex gloria erit, miſeros populares
» tuos in fidem recepiſſe, acceptóſque ſeruare: ac, ſi dicendum ita eſt, peccato
» furoréve ſuo extinctos, ad vitam ex ſepulcro reuocare. Vera enim mors di-
» cenda ea eſt, vel, vt veriſſime dicam, morte durior vita. Eo potiſſimum tem-
» pore, quo tu regnas, domo, ſuis, ſeq; ipſis carent. Ad te inermes veniſſent, re-
» ſtíque collo circuniecta illaqueati, vt te vel ea ſpecie lacrymíſque mouerent,
» qui pro tua immenſa clementia leuioribus permoueris, vel tandem morte
» iuſſu tuo obita ſemel vitæ finem ac malis pariter facerent: ſed veriti ſunt, ſi
» ad extremam veniæ petendæ ſpem conditionémque deſcenderent, ne cui vi-
» deretur animus tuus immitior eis videri, quàm qui poſſet niſi extremis reme-
» diis mitigari. Per oratores agi, dignum manſuetudine tua & ſpe ſua duxerũt.
» Eorum preces ſupplicéſque fletus deferimus. Tu eorum Rex, tu patriæ ac ci-
» uium tuorum pater, & propè creator, certe, quod maius eſt, vitæ reſtitutor
» recreatórque ſis, per maieſtatem Regiam, per ſanctiſſimum huius regiæ no-
» men, ac ſi vere dici pateris, numen: per humanitatem, lenitatem, facilitatem,
» indulgentiam. Hæc vna mihi ac ciuibus tuis miſeris calamitoſisq; adſit apud
» te deprecatrix. Finem ego dicendi faciam. Illa tecum Rex clementiſſime lo-
» quatur. Illam tu audi, quam tu & audire, & in conſilium adhibere non rarius
» quàm cæteras præſtantiſſimas virtutes tuas ſoles. Moueri potuiſſet Rex:
ſed peruicit factio eorum qui exulum bona inuaſerant, & Bertarius Ebroino
quàm ſocero ſimilior, vt reſponderetur legatis exulum, ne deinceps agerentur deſiderio veteris patriæ, cuius charitate ſe exuiſſent, quamq; exilio & diminutione capitis amiſiſſent. Hæc illis in Auſtraſiam renunciata, tantum indignationis mouerunt, vt Duce Pipino cum Rege Bertarióque ad Textritium congreſſi, egregie vicerint. Sua Regi maieſtas liberiorem fugam dedit, & quòd hoſtes eum non petebant. Magiſter equitum victus, ſuis contemptui & odio eſſe cœpit in cauſſa quam & iudicia mortalium, & fortuna belli damnauerat: & exulibus fauebatur, quòd ſupplicibus eorũ precibus tam ſuperbe repudiatis, neceſſaria cepiſſent arma. Interimitur Bertarius tam frequenti ſuorum coniuratione, vt ſocrus quoque eius Auſeſſidis ſuſpicione aſpergeretur, nec vlla poſtea controuerſia fuerit, quo minus Pipini fidei ſe Rex crederet. Reducti exules, & Francia in vnum deinceps coit, quæ in tot veluti membra diſſecta fuerat, vt propè nomen ſublatum eſſet. Veteres enim Reges ſecundum Clodoueũ ita alii alia Regna ſortiti erant, Pariſienſe, Remenſe, Sueſſionenſe, Mediomatricum, Burgundionum, Aquitaniæ, illa ambiguis finibus, hæc duo poſtrema multo incertioribus, vt tamen Reges Franciæ vocitarentur omnes, primis tantum maieſtatis ſpeíque partibus Pariſienſi datis. Bellis Magiſtrorum equitum exortis, parem maieſtatem ſibi omnes arrogabant, & Pariſienſe regnum, Neuſtriæ (quæ poſtea Normania maxima ex parte fuit) Regnum reliqui vocitabant. Victor Pipinus vniuerſam Galliam moderabatur. Curam aulæ Gazæ'que, atq; adeo ipſius Regis Nordeberto ami-

corum principi commiſit, Drogonem filiorum maximum natu Campanis Ducem dedit. Ipſe Tranſrhenana bella ſuſcepit, quòd per bella Francorum ciuilia hæ gentes animos ſuſtulerant. Saxones Sueuoſq; perdiu diſſimulatione præteritos, cum in fidem reuocati redire nollẽt, variis præliis fatigauit: & cum inuicti viribus viderentur, perſeuerantia, longaq; tandem die coëgit dicto parere, quòd nullo moræ tædio abduci ab ea prouincia niſi confecta potuiſſet. Eius perpetuo labore domi pacis diuturnæ bonis perfruẽs Francia floruit, & foris priſtinam dignitatẽ recuperauit. Theodorico Regi defuncto ſucceſſit filius CLODOVEVS, breuis æui: qui moriens CHILDEBERTVM fratrem ſuum ſibi ſucceſſorem habuit, decẽ & ſeptem annorum Regem. Huic DAGOBERTVS filius ſucceſſit: vt Regum iam nomenclatura tantùm ſit, omni vi dominandi in Magiſtris equitum ſita. Ad id faſtigium conſcenderãt, Regibus ſecordiæ luxuriæq; ſe mancipantibus, ac illa magni Clodouei indole exoleſcẽte. Quantumq; maiores gloria, & finium propagatione ducebantur, tantum hi remiſſione curarum, & voluptatum illecebris fœlicitatem metiebantur. Calendis tantùm Maii in publicum prodibant, copiam ſui facientes: muneráque viciſſim & accipiebant, & dabant, nullo alio publico, virorúmve munere functi. Contrà magiſtri equitum, Imperatorum Regumq; legationes audire, reſponſa reddere, fœdera icere, pacis, belli, legum, inſtitutorum arbitri moderatoresq;. Quantoq; magis illi ſummam rerum ab ſe vt grauem moleſtamq; reiiciebãt, tanto maius hi ſuum ius, incrementaq; virium authoritatisq; ampliora faciebant. ac, vt animus mortalium inexplebilis eſt præſentis fortunæ muneribus, ſemperq; ad vlteriora cõtendit: ab exiguis initiis Magiſtri equitum profecti, vt qui Magiſtri aulæ vocitati fuiſſent, nouas ſemper ſibi vires parientes, ad ſumma paulatim enitebantur: & Regibus deſidibus, quò cupiditas feret, euadent. Quod etiam vt Reges exortam ſemel licentiam frenare in animum induxiſſent, iam ſui non potentes vix inhibere potuiſſent coalitas vetuſtate, atque ideo velut legitimas vires Ducum ſuorum. Adeo ſummis Imperiis nihil negligendum eſt, audaciáque antè quàm radices agat, in ipſo exortu vindicãda: quandò cum inueterarit, velut iure ſuo fæuit: nec euertitur, niſi magna ſua continentiumq; ruina, ſæpeq; oppreſſis ipſis vindicibus. Hæc magnis Regnis Imperiisq; ſint documenta: fruſtráque conſcriptio eſſet, & memoria rerum, niſi eam ſequerentur regnandi præcepta, ſuæq; cuique reipublicæ Regiæ've exempla frugifera. Pipinus quidem ita paci Franciæ conſulebat, vt ſibi poſterisq; proſpiceret. iisq; tantum opum circundedit, vt viam ſibi ad Regnũ facturi ſint. Religioni initio deditus, Rabodum Friſiorum Ducem prælio vicit, falſorum Deorum veneratorem: coëgitq; vt reciperet Clementem virum ſanctiſſimum, concionantémque de CHRISTO ipſe popularésque audirẽt ab Sergio Ponti. maxi. Epiſcopum illi genti datum. Parte multitudinis religionem noſtram profeſſa, Rex proceresq; in peruicacia manſere. Eius filiam Theodoſindam noſtram factam Grimoaldus legitimorum Pipini filiorum minor vxorem duxit. Lambertum virum ſanctum Traiectenſium Epiſcopũ ab Ebroino virtutum hoſte ſede pulſum, & in cœnobiũ velut portum tranquillitatémque profectum, in priſtinum locum reſtituit Pipinus, & domeſticis

16. CLODO. 3. 17. CHILDE. 2. 18. DAGOB. 2. d

curis repetitis, in Drogonis Campanorum Ducis defuncti locum Theobaldum eius filium suffecit. Mox Nordeberto mortuo Grimoaldum Regiæ aulæ præfecit. Omnibus rebus lætis diuturnitas fœlicitatis, vt assolet, libidinem negligentiámque numinis importauit. Et patri & filio pellices magis cordi quàm vxores erant. Pipinus spreta Plectrude coniuge Alpaidem colebat. id ausum culpare Lambertum Dodo pellicis frater interemit. Quod parricidiũ continuò manifesta numinis ira, pœnáque atrox insecuta est. Ille enim tineis toto corpore repente scaturientibus, fœdo odore cruciatuq; vexatus, in Mosam per furorem rabiémque se præcipitem dedit, Lamberto iam enitescente multis diuinitatis signis. Pro aris eius nomini iam dicatis Grimoaldus occiditur à Rangario immissu Rabodi pellicatui generi Alpaidis infesti. Obiit Pipinus septimo & vicesimo Magisterii sui anno, cum iam instituisset Austrasianorum Ducem Carolum à viribus Martiis cognomento Martellum, ex Alpaide procreatum. Plectrudis Theobaldi Magistri equitum adhuc adolescentis ex Drogone nepotis opibus subnixa, & memoria mariti freta, non minus in aula Regis quàm in Austrasia poterat: & Carolum, ne Austrasianam rem capessere posset, per factionis suæ viros in custodiam tradit. Et tota Gallia dicto audiens fœminæ erat: ac ne quid posteris exempli ad cauendum deforet, aulæ proceres (nam nutus Regis nullas vires habebat) factionibus nouis distringebantur: alii Theobaldo, alii Ramanfredo alterius factionis principi aderãt: rupto semel obsequio nemine à partibus integro, in communéve consulente: nec, quemadmodum antea, Francicum nomen cum Austrasiano, sed Franci in Francos ferrum stringebant. Ab aulæ altercatione rixáque in aciem iustam descensum. Ad syluam Cociam pugnatũ cruento Marte. Theobaldus multis suorum millibus desideratis effugit. Scriptores neque hoc neq; aliis præliis numerum, neque pugnantium, neque cadentium, neque artes bellicas tradunt. Sed etiam hostis adeo non incruentam victoriã tulit, vt vti continuò victoria, & victos conficere non posset. Sumpta necessaria quiete, per Carbonariam syluam, quæ ipsa Cociáque Arduennæ partes sunt, ducto exercitu, non prius quàm ad Mosam fluuium populandi finem fecere. Mortuo etiam Dagoberto Rege CHILPERICVS Rex à victoribus salutatur, quem Austrasiani dictitabãt Danielem vocitatum monachum in cœnobio adolescẽtiam egisse. ab hoc Ramanfredus Magister equitum dictus, cum Rabodo Frisiorum Rege fœdus icit, vt ille suis copiis ea parte Austrasianos premeret, ipse à Francia instaret. Aduersus hos hostes opus erat summo Duce, quem & casus præbuit. Martellus è custodia Plectrudis elapsus, aduenientibus vtrinque hostibus iuuentutem armat, priũsque Rabodum adortus, ab eo fusus fugatúsque, nihil territus, quòd in ipsis rerum velut auspicandarum primordiis offendisset, quod reliquarum copiarum erat, in tutum recepit: nec Chilperico Ramanfredóque Austrasiæ agros vrentibus potestatem pugnæ æquo loco fecit. Plectrudis à mœnibus Coloniæ vrbis, vt domum redirent, finémque populandi facerent, dato certo pondere auri peruicit. Dum incõpositi per negligentiam se recipiunt, ac velut in pacato iter faciunt, in finibus Samarobrinensium magna parte armorum auríque exuuntur, Carolo præ-

paratis insidiis irruente. Ita recepto animo Martelli miles aperto Marte, veraq; virtute in Tricassibus Chilpericum Ramanfredúmque magna clade castigat: Coloniámque regressus, cum à Plectrude mœnibus non reciperetur, euocatis ciuibus persuasit, vt portas victori sibi aperirēt. Receptus nihil aliud quàm cum Plectrude verbis disceptauit. Hostes, cum in Frisiis plus ferociæ quàm constantiæ cernerent, Eudonem Aquitaniæ Ducem in societatem consiliorum armorumq; & fortunæ adsciscunt: quandoquidem Aquitania in tot motibus Franciæ, tantáque de Magisterio equitum concertatione non indigniorem se Austrasia existimabat, quæ & ipsa suum belli Ducem haberet. Aquitanus ab Austrasiano signis in Campania collatis victus, ne domum nullo operæprecio rediret, deserto Ramanfredo Chilpericū Regem cum Gaza secum in superiorem Aquitaniam ducit. Chilpericum per fœciales res repetenti Martello reddidit cum parte Gazæ, reliquo auro & pace contentus. Chilpericus quinque annis Regium nomen obtinuit, siue vera Clodouei magni soboles, siue falsa. Tantum valet in bello certamen animorum, & omniū rerum, præterquam vincendi, discrimen sublatum. Quod satis constat, THEODORICVS Dagoberti filius Rex salutatur, & ipse in cœnobio tonsus an intonsus educatus, cognomento Cala. Ramanfredus vndique salutem quærens, Lutetiam, inde Aurelianum, ad postremum Andes, semper premente hoste cum petiuisset, cætera spe destituente, se fidei Martelli commisit: venia, Andibusq;, ne omnino priuatam dégeret vitam, donatus. Tantum coacto Franciæ vniuersæ concilio, ei Magisterium equitum, quod nec consensu gentis, ne à iusto Rege creatus diceretur, ei abrogatur. Martellus gloriæ suæ augendæ, opibúsque Francorum tutandis intentus, Saxones arma parantes, finitimósque solicitantes, antequam plus belli exoriretur, ad sanitatem officiúmque redire coëgit. Hæc ad octauum à Pipini obitu annum gesta. Interea Plectrudis cum Sonichilde nepte ad Danubii accolas se cōtulerat. Etenim cum initio spes ei fuisset, Martellum ancipiti fortunæ nouísque semper casibus caput vltro obiicientem breui periturum, vbi fœlicitatem cum virtute certantem vidit, tunc vt indomitarum gentium arma longinqua in eum concitaret, illas circumibat, deplorabatq; se iustam Pipini vxorem, Sonichildemq; iustam neptem notho Pipini prædæ esse. Terrebat etiam, cauerent sibi communíque libertati à iuuene sibi armis omnia vendicante. Eam cum exercitu expédito insecutus, pacémque perpetuam amicitiámque genti pollicitus, vt concitatrix faxq; belli sibi florentissimo Duci dederetur, effecit, cum caussam belli nullam suam haberent. Interea illud bellum funestum perpetuúmque futurum ratus Eudo, multa hostilia in Francos ausus est. Celerius omnium opinione reuersus Martellus, primum omnium conuentum vniuersæ Franciæ rursus habuit: ab eóque non magister equitum, sed altiore fastigio Princeps Francorum salutatus est. Ita ad vnum Martellum summa rerum delata est, perspicuo exemplo, quantum quisque opibus valet, tantum & iuris sibi arrogare.

XX. THEODORICVS CALA.

De Rebus Geſtis Francorum

LIBER SECVNDVS.



AROLVS MARTELLVS Francorum Princeps noua nominis nobilitate inclytus, Aquitanicum bellum ſuſcepit. Eudo Aquitaniæ Dux ſuis viribus diffiſus, ad extremam ſpem deſcendit, Saracenósque inexpertam adhuc armis Francorum gentem, cum qua nulla ſpes pacis ſocietatisq; eſſe Francis poſſet, ex Hiſpania excit. Saraceni enim Aegypto potiti, ac nobiliſſimis opulẽtiſſimísque orientis regionibus ad ſectam ſuam adductis, Africam ſæpe tentarunt variis conatibus, modo victores, modo victi. Abimelechi Regis ductu etiam Cyrenaica regione occupata, mediam in Africam progreſſi, Carthaginem Magnam cepere, euerterẽque. A Iohanne Præfecto Prætorii Africæ procul exacti, copias maiores validioresq; parabant. Aduerſus quem conatum Iohannes ſupplementum à Leontio Cæſare petiturus, Conſtantinopolin nauigat anno ſalutis circiter ſeptingenteſimo. Relictus in Africa exercitus tædio longioris moræ feſſus, tumultu exorto Apſimarum cognomento Tyberium ciuem Cõſtantinopolitanum primò Ducem creat, deinde Cæſarem ſalutatum Conſtantinopolin ad res capeſſendas contra Leontium tranſportare milites iubet. Inſecutis apud Græcos bellis ciuilibus, Saraceni vacuam Africæ poſſeſſionem nacti, Numidiam quoque, Tingitaniámque ac Mauritaniam occupauere, oceanum Atlanticum, & terrarum finem opum ſuarum terminum ſtatuentes. Vt vero aliquot pòſt annis in alium orbem Europámque traiicerent, ampliorem ſemper præſenti fortunam tentantes, author extitit Iulianus Comes Viſigotthus, qui ira ſtupratæ ab Rhodorico Rege ſuo vxoris, Saracenos euocatos nauibus per fretum Herculeum traduxit. Dura prælia & cruentiſſima facta. Omnis Viſigotthorum nobilitas, Rhodoricusq; Rex cecidit, Tota Hiſpania in ditionem Saracenorum venit, præter Aſtures & Cantabros, qui mortalium vltimi in Romanorum ditionem venerãt, & nouiſſimi ab eis defecerant: & cum Viſigotthi Hiſpanis iura darent, nunquam imperatum fecere, ſuis ſemper legibus vſi. Poſſeſſa Hiſpania, barbari orbis terrarum Imperiũ ſpe complectebantur, domitores orientis, Africæ domini, Hiſpaniarum victores. ecquem mortalium contraire auſurum? quæ Regna vim latura? Ipſo nominis fulgure reliquum mortalium genus perculſuros. Decimo à victis Hiſpaniis anno, qui fuit ſalutis ſeptingenteſimus triceſimus, vltro venturi, accitu Eudonis velut fœlici omine in Aquitaniam ad vberiores ſedes, magna pars cum coniugibus ac liberis deſcenderũt migrantium modo, ductu Regis Abdiramæ ad quadringenta mortalium millia velut explorata victoria. Saracenorum autem nomen iam nõ gentis erat, ſed ſectæ, quæ maximam orbis terrarum partem teneret, initiis nimis lætis, atque ideo impotenti ſui fiducia, ſuperbáque noſtri contemptione. Aduerſus tantum terrorem belli non demiſit animũ Francia. Martellus nihil trepide, temeréve egit: ſed forti animo,

ſummóque conſilio omnia adminiſtrans,circunſpiciensq́; primum omnium delectum tota Francia habuit. omnis præcipue nobilitas in armis erat. Miſit etiam ad Aquitanum Eudonem, qui admonerent quantum in ſe ſuósque ac numen ſceleris conſciſceret:ſatius eſſe reconciliationem gratiæ fieri, ſimultatumq́; memoriam patriæ Galliæ religioniq́; condonare, quàm ſecum cuncta in omne tempus euerſum ire. His motus Eudo, & quòd quos Barbaros Aquitaniæ vindices ſperarat,hoſtes experiebatur, Burdegalámque dirutis templis euaſtaſſent,clandeſtinum fœdus cum Franco icit, fidemq́; dat, communi ſaluti ſe non defuturū. Iam Barbari Vaſconiam emenſi,Engoliſmenſium,Santonum,Pictonúmque fines omni clade belli euaſtabant,regionem vberrimā, opulentámque, &, quæ erat incolentium ſanctitas, templis auro excultis ac refertis ditiſſimam:ſacrilega cupiditate ædes ſacras ſpoliauere,odio religionis euertêre. Turones ciuitatem finitimam, diuíque Martini opimo Fano nobilem petebant,& quòd trans Ligerim eſt,Aquitaniæ tunc contributam. Martelli conatus erat ipſam Franciam incolumem ab auaritia ferróque Barbarorum præſtare: & quia vtique bellandum erat,in Aquitania Eudonis Ducatu res gerere,vt à quo tempeſtas illa orta erat,in eum procella & belli mala verterent,cogeretúrque Eudo recens occultúmque fœdus ſancte colere, & popularium animos reſpicere,quibus illius cauſſa nefaria inuiſa erat. Tranſmiſſo igitur Ligeri,ante vrbem Turones caſtra poſuit: & ipſi ciues excellentem fidem,religionem,virtutémque præſtitere,læti quòd propugnatricem vrbis Fanorúmque Francicam pubem in armis cernerent.& Martello fluuius in duas maximas in bello res vſui futurus erat, & ad commeatus ſubuehendos,& ad prælii opportunitatē,vt velut pro munimento obiectus hoſti arceret eum ne multitudine ſuperante circumire ea parte poſſet:nec antè inde mouit,q̄ quæ ei cum Eudone fieri conuenerat,parata eſſe exploratum habuit. Tunc paulo propius hoſtem iam in propinquo omnia euaſtantem caſtra poſuit, copiam pugnandi facturus: & antequam in aciem educeret,talem orationem habuit:

LAETOR milites incidiſſe tempus,quo nullo noſtro periculo ingentem « gloriam parare, & patriam tutando, orbis terrarum defenſores, & numinis « vindices à genere humano vocitari poſſimus. Gens in quam pugnaturi ſu- « mus, ſola multitudine freta in campum deſcendit, quaſi ipſo conſpectu de- « bellatura. Cæterum ſi non numero, qui nimius rei militari obeſt, ſed pecto- « re, dextráque virtutem metiemur, non vanum pectoris mei augurium cer- « tam ſibi vobísque victoriam ſpondentis ſentietis. Ruunt vltro in ferrum ſpe « obruendi aciem hoſtium. quod ſi primorum ſe morti deuouentium perti- « naci ſtrage cæcum reliquorum impetum cohibueris, velut muta pecora tru- « cidantur,vt citius cæde quàm certamine laſſitudo ſatietásque ſubeat. Nullam « regionem niſi vel domeſticis malis ruentem,vel externis bellis exanguem oc- « cupauere. Et nunc ita proditos à ſuis Viſigotthos ſuperauere,vt ab Aſturibus « Cantabríſque pulſi in nos ferantur,tanquam Aſturibus Cantabríſque virtute « bellica religioneq́; cedamus, & certiores tutiorésque ſedes ſibi coniugibusq́; « ac liberis inter nos quàm apud illos habituri ſint: cæci cupiditate prædæ, la- « trociniis, non iuſto bello victitantes. nec quòd ingenti numero vagentur, «

» Ducesq; & caſtra & ſigna habeant,idcirco minus prædones. Quæ illis cauſſa
» belli, quæ ira,niſi,vt templa diripiant,humanum genus deleant? In eunuchos
» aut ſeruos Orientis Regum pugnare ſoliti, in Francia viros armatósque nos
» ſentient:non congreſſuri,niſi,quæ maxima omnium pœna exigitur, mentem
» illis Deus optimus maximus abſtuliſſet, vt tot nefaria ſcelera ſuo ſuorúmque
» ſanguine luerent,& numen à nobis ſtaret. Eſt quoque occultum in eos telum
» paratum,quod nunc ſileri ſatius ſit. In ipſa dimicatione cognoſcetis me nihil
» ad victoriam reliqui feciſſe. Tantum pleni humana diuináque ſpe in certa-
» men procedite,memores patriæ,quæ etiam antequam Chriſtiana efficeretur,
» nunquam Chriſtiani nominis hoſtis extitit: quod neſcio an vlli alii genti vſu
» venerit:& ſemel veram pietatẽ profeſſa,nullum hæreſis monſtrum genuit,&
» quæ prima omnium pro religione non votis tantum,ſanctitatéque,ſed armis,
» exercitu,periculóque capitis ſui cum CHRISTI hoſtibus ſigna contulit,
» Arrianorúmque potentiſſimum ac ferociſſimum Regem in acie occidit, ex-
» emplumq; pietatis virtute tuendæ mortalibus princeps præbuit: vt quicquid
» deinde ſanctæ æmulationis apud exteras gentes extitit, id omne illi vni acce-
» ptum ferri conueniat. Et cum aliæ nationes documenta à maioribus noſtris
» ac velut præcepta piorum bellorum petierint:ea vt domeſtica & ingenita,&
» quæ euelli inſita non queant, nunc nobis vendicanda & promenda ſunt ad-
» uerſus hos hoſtes, qui ab vltimis terrarum oris in Franciam acerrimam reli-
» gionis propugnatricem irrumpunt: nec conatibus ſuis quicquam proſpere
» ceſſurum incolumi Francico nomine arbitrantur: & in quam nondum pa-
» cata Hiſpania, cum coniugibus liberíſque,& imbelli alia multitudine gene-
» ratim commigrant. Nobis igitur,quanuis explorata virtuti de turba colluuio-
» néque latronum ſacrilegorúmque victoria,neceſſe eſt viris fortibus eſſe, me-
» miniſſeq; quibus parentibus, & in quam gentium de nobis ſpem orti ſimus:
» & quæ terra nos genuerit, exceperit, aluerit, armarit. Nullus eſt nobis rece-
» ptus. aut quam dedit nobis natale ſolum,vita,illi reddenda:aut qui maioribus
» de impietate triumphatoribus nati ſumus, id quod futurum eſt, vincendum:
» nec pacis ſpes cum his belluis concipienda:cruor hauriendus,& cæde campi
» ſternendi. Hæc inter ſuos Francus. Barbari vero ab Rege ſuo pugnã poſce-
bant, ſi differrentur, iniuſſu præliaturi. Nec Abderama Rex trahere vlterius
tempus poterat,commeatibus iam deficientibus tantæ multitudini,& omni-
bus circà euaſtatis. Lætus igitur apud ſuos cupiditate pugnæ ardentes ità ex-
» orſus eſt: Veſtra, milites, alacritas nullam poſtulat orationem, hoſtium vero
» mens male ſana facit,vt pauca dicẽda ſint. Dimidiam Galliæ partem,noſtram
» effecimus. Eadem Gallia quæ ſe vniuerſa tutari rebus ſuis integris illibatísque
» non potuit,nunc imminuta ſemianimísque videri vult id valere, quod florés
» vigénsque ſe poſſe diffidebat. & qui Galli Imperio populi Romani per tot
» ſecula inuiti paruere, nobis illius victoribus, ac propè euerſoribus obſiſtere
» conantur: flumine Ligeri freti aduerſus nos,qui maria domuimus,Rhodum
» cepimus, Siciliam ſpoliauimus, diuerſiſſima freta, Herculis, Helleſpontíque
» traiecimus. Sed breuitate fugæ, propinquitatéque vrbis Turonum aliquid
» audent. Cum vero ſingulos ſe cum denis pugnaturos videbunt, qui vix deni

singulis tot gentium victoribus pares essent: tunc quam spe præceperunt fu- «
gam capessent, nec latebris claustrisque vrbis tuti à nobis, qui Carthaginem «
magnam, qui tot vrbes, arcésque tam inuictas inexpugnabilésque ceperimus. «
Quam igitur nunc video in vobis alacritatem, & certam victoriæ spem, eam «
in aciem ferte, freti virtute, fœlicitatéque vestra, & fortuna, fatísque Saraceni «
nominis, ac gloria parentum, memorésque, non pro laude tantum, de Impe- «
rióque nos dimicaturos: sed cum tam procul à domo, tanto terrarum tractu «
disiuncti, marique diuisi cum cõiugibus ac liberis absimus, ad virtutem etiam «
necessitatem vincendi accessisse. Secundum concionem in aciem quicquid «
roboris in exercitu erat, educit: reliquos castra impedimentâque, ac turbam sexúmque & ætatem imbellem tutari iubet. Signa in campos patentes efferuntur. Sequuntur pedites equitésque, noua hominum facies, pars camelis insidentes prælongis ensibus rectísque vtentes, pars sagittis auerso in veram aut simulatam fugam cum opus esset equo, certissime hostem figentes, pars infrenatos equos virga regentes. Peditum alii cum iaculis, alii fundis, alii falcatis etiam ensibus in aciem processerant. Vestes permulti in morem patrium aduersus ictus hostium confectas induerant, faciles succinctu, faciles demissu. Maxima pars hastilia acutissimo ferro præfixa, vexillúmque ad terrorem ventilantia ferentes, certamen iritabant, aut ardore solis ora membráque torridi ac perusti, aut promissa barba, capitéque linteis turrito: monstra Francis ea cernere insolitis, ac in omnem feritatem ad terrorem hosti iniiciendum compositi, in pugnam prodiere, vlulatu tympanísque fragorem cæli imitantes, obstinati vel vincere, vel emori alieno cælo, vbi nulla fuga, nullum receptaculum, nulla nisi in dextera spes: vt feræ tetræ, diræque belluæ dimicaturi. Nec terrores minæque cælestes deerant. Beda illa ætate Sacerdos venerabilis, his propè, totidemq; verbis scribit: Sub quod tempus grauissima Sara- «
cenorum lues Gallias vastabat: Bis septenis diebus Cometæ duo fulsere: alter «
Solem matutinus antecedens: alter vespertinus subsequens, face ignea Aqui- «
lonem spectantes. Francus primum omniũ castra incendit, & ne sui ea re- «
spicere ad fugam possent, & vt eo, quod conuenerat, signo Eudo iam propinquus iter acceleraret. Instruit deinde aciem. Equitibus Martellus præfuit: Pedites Childebrandus Martini filius regebat. Præceptum datum, ne quis extra ordinem pugnaret, ab signis nemo dilaberetur: & à tergo positi erant, qui, siquis retrocederet, ferro in hostem redigerent. Martellus & ita præconiũ circummisit, & ipse à quibus exaudiri in extendente iam se acie poterat, pronunciauit iussu suo clausas esse Turonum portas, nec eas nisi victorem recepturas. hinc Ligerim, illinc hostes claudere: nullam spem nisi in victoria ponerent: nullam alteram Galliam, nullam aliam patriam respicerent, quam vel ipsi tutarentur, vel qua se tegerent: in hac, quæ vna foret, vel cadendum, vel illo die vincendum. Peditatus omnis in frontem instructus, sed frequentibus introrsus ordinibus. ab his pugna ingentibus animis cœpit. Pedites hostium & ipsi egregie initio pugnabant, media deinde eorum acies sensim pedem concilio referebat cornibus stantibus, si inferentibus se in vacuum desertúmque locum Francis, rumpere aciem, & distrahere iunctos, & intercludere

poſſent.Simul equitatus Saracenus à cornibus ſe effudit:nec defuit Martellus ſuos cohortatus,ne vanis rerum ſimulacris præſtigiiſq; mouerentur.Camelos vaſtis corporibus iumenta verius eſſe quàm bellicū animās,& hoſtium equos latrociniis quàm prælio aptiores. Dextrum cornu ipſe promouet, ſiniſtro egregiis Ducibus tradito,promoueriq; pariter iuſſo.Nec vim Francici equitatus Saracenus eques ferebat: ſed refugiebat,ſi inſequentem hoſtem ludificando, diſſipare ordines turmásque poſſet. Vbi vero temeritati nihil committi vidit,redeundo in pugnam,circumuolitandóque, tempus terebat:& mobilitate quidem equorum, artéque regendi eos Barbari præſtabant. Cum ſuperior virtute haud ambigue Francus eſſet,tūc à dextro cornu circumire, vt & à tergo adorirentur, cœpere. Nec æquare ſigna hoſtium extendendis turmis Martellus poterat:& Barbari quod viribus deerat,aſtu numeróque explebāt: & qui eorum in caſtris remanſerant,oculis animóque verſi in certaminis ſpectaculum, vt quaque in parte lætæ triſtísve rei aliquid ſuis accidebat, ita animo afficiebantur:ſuam ſalutem in pugnantium fortuna dextraq; poſitam rati. Nec vocis modò exhortatione acclamationéque ſuos iuuabant, ſed veluti pars dimicantium, ac quid è re foret admonentium,eſſent, corpore varie nitentes, mente etiam aberant. Ita in hanc aciem verſa animo caſtra repente Eudo cum expeditis aduolans, ab auerſa à prælio parte adortus, prius penè cepit,quàm aduentus eius ab hoſte cognoſceretur.Mox cædes promiſcue virorum fœminarúmque fieri cœpta,& ad captorum caſtrorum,cædísque clamorem ſublatum,fortuna iuſto Marte dimicantiū mutata eſt.Martellus inter ſuos exclamat, Hoc illud eſſe quod per ambages iecerat,perplexéque prædixerat, occultum in hoſtem telum. Eudonem reſpexiſſe nomen Francorum, opem ſalutémq; dubiis rebus attuliſſe,& quæ intuliſſet vulnera,ſanare. Tunc Franci veluti recentes, diuináque ope adiuti, clamorem renouant, impetum velut torrentis faciunt,gradu hoſtem mouent,& Eudo edita in caſtris ingenti cæde,à tergo pugnantes adoritur.Fuga haud dubia fieri.Equorum pernicitas paucis ſaluti fuit.Peditum ſtrages maior. Ad trecenta ſeptuagintaquinq; millia Barbarorum cecidere.Francorum mille quingenti deſiderati,pauci quidē, & minor quàm pro tanta victoria numerus : ſed hi factis ſanguinéque nobiliſſimi. & perpauci integri à vulneribus diſceſſere. Saracenorum quoque calamitas multitudine militum, & ſplendore Ducum occiſorum, neſcio an omnium ſeculorum memoriam ſuperarit. Rex Abdirama inter coaceruatos corporum tumulos repertus eſt, & omnes propè proceres ruina ſuorum ſuperfuſa occubuere. Ne ab impubere quidem ætate temperatum. Perpaucæ mulieres captis caſtris ſuperfuere. Earum animus tolerando in fuga trepida malo fuit:nec vlla ferè in poteſtatē viua venit,viris vel morte,vel perpeſſione aduerſarum rerum ſociatæ. Secundum pugnam,lectaq; ſpolia,facta inter milites Ducésque gratulatione,pleni cadaueribus campi conſpiciebantur. Strages omnia tenebat. Arma,tela,corpora quædā adhuc ſpirantia:vt quem cuiq; caſus,conſiliúmve,aut animus metúsve miſcuerat,diſſociarâtve,partim accumulata,partim diſpalata. Trunci artus,perfoſſa ferro pectora,terga,latera vulneribus lacera, viſcera diſiecta, quidam integri ictu clauarum vel in mortem

ſopiti,

ſopiti,vel animam agentes cernebantur.Tellus cruore atra,& nudatis corporibus ipſa longe latéque, & quoad metiri oculis poterant, contecta. Poſt veſani Martis furorem,cælum mutum, dirum ſpectaculum, inhumana vaſtitas; ac,ſi in alio contigiſſet hoſte,victori etiam miſeranda.Hic dies glorioſiſſimus Francis illuxit, celebratáque eſt in reliquis Chriſtianis Imperiis lætitia, quòd deuicta Hiſpania,Barbari reliquæ Europæ domandæ conatus à Francia tentanda auſpicati fuiſſent.Qua laudis dulcedine ſemel guſtata,Martellus alterũ bellum pro religione geſſit. Friſii nondum publice conſentientibusq; omnes animis Chriſtianam pietatem profitebantur . Eos terreſtri bello è continenti pulſos Francus,inſulis etiam Rheni, quibus ſe tegebant,claſſe expugnatis,deditionem facere coëgit, ac euerſis Deorum ædibus famulos CHRISTI de religione publice concionaturos deintegro recipere,audiréque. Tuta erat ea parte pietas, vel ſanatis vel domitis Rheni accolis:cum alia parte Viſigotthicum bellum , quod extinctum maiorum memoria credebatur, renatum eſt, altero bello Saraceno cumulatum.Eudonis fato functi Ducatum Franci Imperio ſuo adiecerant . Eius filii Hunnoldus & Vaifarus Narbonenſem Prouinciam ſolicitantes,in primis eos Viſigotthorum populos,qui antè Gotthicani,nunc Ocitani vocitantur,à Francis ſæpe victos,nõdum perdomitos perpulere, vt Francicum bellum capeſſerent : non defuturos ſocios,qui Francos armis opprimerent.Affuere Gallicis Viſigotthis Sueuorũm,Alanorum,Vandalorúmque reliquiæ, ſobolésque, quorum maiores Stilicone ſolicitante tot antè ætatibus Galliam euaſtarant,atque inde in Hiſpaniam irruperant,eásque ſibi ac liberis ſedes occuparant.Vandali etiam maiora auſi in Africam tranſmiſerant,regnarantq; ad Iuſtinianum vſque Auguſtum. A Belliſario deuicti, opes amiſere, à ſecta Arriana non defecere. Pars Hiſpaniæ nobiliſſima Vandaloſia nuncupatur . Portugalliam, quæ Luſitania fuerat, à recipienda claſſe Gallorũ dictam ferunt:ſed à Gallecis,non Gallis,nomẽ natum,vt voce paulo remotius,ita regione multo propius ſit.Cathaloniam certiore fide pro Gothalania dictam prædicant:quòd ibi poſt multos errores Gotthi Alaniq; connubio & nomine & domicilio miſti cõſederunt.Conſtat,qui Arrianorum in Hiſpania Galliáque erant,eos in Francos coniuraſſe : iunctisq; copiis conſultaſſe inter ſe, qua ratione bellum ineundum gerendúmque ſit. Non dubium erat quin Saraceni ad delendam ignominiam,penásque expetendas,in Galliã rurſus deſcenſuri eſſent. Antè igitur quàm gloria eorum fieret,debellandum eſſe:ſatis virtutis,ſatis copiarum apud ipſos eſſe.Tranſmiſſo Rhodano,terrorem belli circunferunt: quicquid in fide Francorum erat, diripiunt, diruunt, incendunt:non viris,non mulieribus,non pueris,non ſenibus parcere,cædem noſtrorum opimam,& acceptiſſimam numini victimam arbitrati: in templa auro ornamentisq; nudanda,& ſolo æquanda,vis auaritiáque ſæuiebat.Allobroges præcipue eam procellã ſenſere.Vienna ægre defenſa eſt.Cætera circà fœdata,nudumq;,vel ruinis cumulatum ſolum.Vbi materia ibi debacchandi deerat,nec feſſi nec ſatiati cis Rhodanum regreſſi interiorem Galliam petere audent: adeo in dies augeſcente rabie, vt metu Lugdunenſium animi labare Franco viderẽtur.Plus animi viriumq; Senonibus fuit,qui non contemnendã

CAROLVS MARTELLVS.

Viſigotthorum manum illuc vſque progreſſam, agrósque vrentem, ductu Epiſcopi ciuitatis repentina eruptione fuderunt fugaeruntq́, quoſdam etiam nobiliſſimos à ſuis intercluſos occiderunt. Sed ſic quoque omnem propè Burgundiam euaſtarunt hoſtes, antequam Martellus iuſto cum exercitu occurrere poſſet. Tunc quoque Viſigotthus ſolitudine vaſtitatéque Franco relicta, Allobroges repetit, ac ſi quid integri à priore populatione reliquũ erat, excidit, ſpatio dato dum Martellus auxilia ſociorũ opperitur. Princeps amicorum erat Luitprandus Longobardorũ Rex, non magis Regno quàm conſilio artéque bellica nobilis: & paulo antè Martellus filium Pipinum Regiæ indolis adoleſcentem in Italiam miſerat, adductus cupiditate ſummæ neceſſitudinis per filium cum Longobardo contrahendæ. Iuuenem Rex ille magnificentiſſime exceptum coluit, paternámque animi indulgentiam religionemq́; ſibi in eo conſtituit, capillo eius (quem morem fuiſſe Paulus Diaconus eſt author) ſucciſo: qua ex re Luitprandus Pipinum filium ſancte ſalutauit, ac ab eo pater viciſſim reſalutatus eſt. Et tunc Longobardus valida auxilia ipſe in Galliam duxit, & charitate Francici nominis, & odio impietatis. Lanfredus quoque Alemanorum nobiliſſimus, ſimul & Odillo Bauarorum Dux cum popularium vterque manu aduenere. Iam enim cum omni Barbaria bellandum Francis videbatur, quòd ad famam vſtæ à Viſigotthis Galliæ Saraceni denuo ex Hiſpania mouerant, nihil improuide temeréve acturi: nec, vt prius, ſexu ætatéve imbelli armatis intermiſta, ſed flos iuuentutis, militumq́; robur, vt virum à viro lectos diceres. Terreſtres, naualésque copiæ inſtructæ. Commeatui proſpectum. Obſidibus quoque vtrinque cautum, ne Gotthi Eudonis exemplo amicitia ſocietatéque decedere poſſent: néve Saraceni in Arriana Viſigotthorum templa ſacrilegio ruinísve, aut in liberos coniugesq́; libidine vel ferro aut alia indignitate odium diſſentientis religionis explerent. Bellum ſumma fide, concordiáque parabãt. Mauricius Prouinciæ Maſſilienſis Comes Athinum Saracenorum Regem noctu Auenionem ignaris oppidanis introduxit. Duæ velut arces belli delectæ ſunt à Barbaris, Auenio, & Narbo. Childebrandus à Martello præmiſſus cum validis copiis ad cognoſcendum quid animi Barbarus haberet, quídve conſilii cepiſſet, qua ratione bello inſiſteret, iuſſus, ſi videretur, fortunam tentare. Is primo ſtatim aduentu hoſtem intra mœnia compulit, mox iuxta vrbem caſtris poſitis eum obſidebat, inexpugnabilem illam ſe defendente ratum, nec ſegniter res adminiſtrantem. opportunas oppidi partes præſidiis inſederat, portas ſtationibus firmarat, muros, turrésque propugnatoribus complerat, ſuos cuique loco, rei, muneri Duces præfecerat: & ipſe cuſtodias vigiliásque circũibat: patientia peruigilantiáque cum humillimo quoq; certabat: exemplo potius & pudore quàm voce malóve militem ad virtutem decusq́; acuebat: conatúsque Childebrandi auſi muros tentare, irritos cruentosq́; effecit, eruptionibúsque ferro & igni armatus adeo infeſta hoſti fecit caſtra prope vrbem poſita, vt ea procul moueri neceſſe fuerit. Vbi vero Martellus recepta Burgundia Lugdunenſibus iureiurando adactis cum ſociis Ducibus aduenit, copiæque iunctæ, & quæ in rem erant, explorata ſunt, tunc non modò erumpentes intra mœnia fœde cõ-

 pelluntur,

pelluntur,ſed caſtra in priſtinum locum promota muniuntur:& dum recens terror erat,nulla militi quiete data,omnis ſimul procella hoſti effuſa: ſublato vndique clamore,concinentibúsque ſignis mœnia oppugnant, ſcalásque erigunt. Multis ſua ſibi audacia necem attulit, quòd ſaxa ingentia ad id præparata deuoluebant Barbari, quibus aut ſcalas perfringebant, aut certatim enitentes conficiebant.nec ſagittis arceri à muris poterant,quòd præ mortis cõtemptu ſauciis cadentibúsque recentes ſemper ſuccedebant, & vt quæq; pars maxime laborabat,eò Athinus omnia oculis luſtrans ſubſidia mittebat.Francorum tres ſummi Duces erant, Carolus Martellus, Childebrandus, & alter nomine Carolus: hi, Luitprandúsque, ac Bauarus,& Alemanus,diuiſis inter ſe partibus,timiditatem quiſque ſuorum increpantes,ignauiamq; exprobrantes, ſi magis inuictum Athinum Saracenum muri vnius oppidi Gallici facerent,quàm quadringenta millia bellatorum,omnésque orientis Barbariæque vires in Turonenſi prælio Abderamam effeciſſent, pudore parem hoſti contemptum vitæ iniecerunt: & dum pro ſe quiſque in oculis Ducum virtutem oſtentat, furentes velut iniecta rabie certatim pericula ſubeunt. multæ ſcalæ onere aliorum ſecundum alios ſcandentium fractæ, ruinam corporum ſtragemq; edidere. Paucos pertinacia in ſummũ tulit: quibus,vbi in muros euaſere,impar dimicatio aduerſus multos erat.vbi paulatim plures facti in æquo cum hoſte loco conſtitere, ac propè in complexu res gerebatur, tunc virtus vicit. Tunc cæſis aut deiectis propugnatoribus, præſidiisq; amiſſa ſpe dilabẽtibus,Athinus cum proceribus,nauibus quæ inſtructæ ornatæq; in Rhodano ſtabant,exceptus,ſecundo flumine deferebatur.Cæterorum clades ſpeciésque viſu fœda,apud animum alteris miſerabilis,alteris læta fuit.Dum primum ſibi quiſq; conſcendendi claſſem locum,inſtante hoſte,petit,multi aliorum ſuper alios ruentiũ turba obtriti ſunt:maior pars,dum nautæ,& qui primi conſcenderant,pontes nauium,ne ſimul Francus victor cõſcenderet,retrahunt,vel in altum nauim agunt,præceps rapiditate altitudineq; fluminis interiit: alii dum adnatant,vorticibus abſorpti.Athinus in mare delatus,curſum in Hiſpaniam, vnde profectus initium belli fecerat,dirigere cœperat.Mox ſatius duxit Narbonem petere,vrbem inuictam,opulentamq;,& mari auxiliisq; intromittẽdis propinquã,quamq; alia Saracenorũ manus inſederat:nec vna vrbe nequaquã pari nobilitate amiſſa vniuerſam deponere ſpem.Iam non minori vtrinq; certamine oppugnabatur,defendebaturq; Narbo,q̃ modò Auenio:& cũ adhuc exitus in dubio foret,neceſſe fuit Frãco omiſſa obſidione aduerſus nouas hoſtium copias mouere caſtra.Amoreus Saracenorum Rex opem obſeſſis ferebat.Ad Illiberim ſignis collatis pugna atrox cõmiſſa:quòd vna atq; altera de Barbaris ingenti victoria parta,hoſti nõ cedere in animum induxerat Frãcus, externis etiam auxiliis ſubnixus.Primum pari fortuna res gerebatur,Amoreo ſuos adhortante,vt vetus belli decus amiſſum virtute recuperarent:nunc primum æquo loco cum Francis pugnari. Rege Abderama Saracenos victos ſuamet ipſorum turba,miſtoq; muliebri ſexu & ætate imbelli militaribus viris.Auenionem ſe incluſiſſe Athinum,non auſum acie dimicare,obſidendum ſe præbuiſſe,qui vt alios oppugnaret aduenerat, nec nũc tergo hoſtis inſtare:

Nunc primum pugnæ vera virtute cõmittendæ fortunam oblatam:inuictum animum præſtarent,fortunam fortes adiuturam. Nec dictis quàm factis ferocior inter anteſignanos verſabatur, pudoreq; militẽ accendebat,pariq; Marte pugnabatur. Vbi vero is egregie pugnans cecidit,haud dubia Francorum victoria hoſtium acies inclinauit: & primò ſenſim cedebat hoſtis: deinde cum Francus motos ſemel gradu ſentiens,renouato clamore acriùs ſe vi intolerabili inferret,tunc funduntur fuganturq;.nec pugna,ſed cædes erat:nulli mortalium parci.ira,furor,rabies,ſitis cruoris paſſim graſſabatur. Hoſtes quacunq; re poterant ſalutem ſibi quærebant,cætera pericula præ hoſte cõtemnebant. Qui è media cæde euaſerant,eorum alii fluuium ingreſſi, dum in vlteriorem contendunt ripam, graues ornatu armisq; rapti gurgitibus periere: alii in paludes delati,voraginibus profundóve limo hauriebantur:alii cũ claſſem ſuorum in alto ſtantem viderent,ſalo ſe cõmittunt:nemo effugit,inſequente hoſte in nauiculis plano alueo ad vicinalem vſum , ſuperandáque æſtuariorum ſtagna ab incolis ſcite fabricatis, deprehẽſisq; à Franco nihil tuti Barbaris reliquum faciente. Omnes internecione deleti:nullus ex prælio nuncius rerum perditarum domum rediit. Athinus Rex, ac qui cũ eo Narbone obſeſſi fuerant,cõperta per exploratores ſuorum fortuna,repetita claſſe,Gallia deceſſere. Martellus Longobardum ampliſſimis verbis collaudatum,ſimul Alemanũ Bauarumq; cum muneribus domũ remiſit. Mauricium prouincia Maſſilienſi exuit,quæ ne prouincia Narbonenſi contineretur,Prouincia Phocenſis dicebatur. Narbonem,Agathen, Nemauſum combuſſit, & Biterras Septumanorum coloniam nobilem , & à qua tota ea regio nomen nacta videri poſſit, quæ tũc Septimania,nunc pro Gotthicana (vt edocuimus) Ocitana eſt. Altero Saraceno bello confecto, CHILDERICVS Theodorico fratri Regi defuncto ſucceſſit, & Francus à Barbaris defenſa religione initium tutandi Pontificis Maximi fecit, fœlici ad poſteros exemplo . Luitprandus vrbi Romæ infeſtus erat, quòd Romani proceres Thraſimundum Ducem Spoletinum cum à ſe defeciſſet, copiis iuuiſſent . Gregorius Pontifex Maximus imminẽte vrbi à Longobardis obſidione,fidem Martelli velut acerrimi religionis defenſoris implorauit. armis opus non fuit . Martelli authoritati Longobardus ſuum dolorem condonauit, pace Romæ data . His tanta cum gloria rebus geſtis Martellus obiit, anno ſalutis ſeptingenteſimo primo & quadrageſimo. Sex & viginti annis rebus Francicis præfuit. Quatuor reliquit filios, Carolomanum,Pipinum cognomine Breuem,Aegidium Rothomagenſium Archiepiſcopum,Griphonem. Carolomanus Pipinúsque continuò in Aquitaniam exercitum duxere, nequid noui Hunnoldus recenti ipſorum Principatu agere molirive poſſet . In Pictonibus paternas opes inter ſe diuiſere. Carolomano Auſtraſia Tranſrhenanæque gentes obuenere, Pipino reliqua. cum iam Gripho minimus ſtirpis, adoleſcentia ferox , ſuadente matre Suanachilde Bauarorum Ducum ſtirpe orta Laudunum occupaſſet , ex ea vrbe maiora auſurus, ſuperuenientibus fratribus oppreſſus, in munitum Arduennæ ſyluæ oppidum nomine Nouumcaſtrum mittitur cuſtodiendus . Mira fuit fratrum quatuor diuerſitas. Cæteri opes vel ſacras vel prophanas appete-

 bant,

bant, Carolomanus ſe Deo optimo maximo vouit. Paternis interfuerat bellis, multa ipſe præclare geſſerat: integra ætate, florentiſſimis rebus Regna patriamq; reliquit: illo, illo ſeculo quo cœnobiũ lacrymis pœnitentiæ rigabatur, laceratáque voluntariis verberibus terga mox cilicio tegebantur, longe alio quàm Martelli inſtituto. Gloriæ ſtuduerat Martellus, mortalibus ſe oſtentarat. Summi viri prædicabant eum omnium Ducum Imperatorũmque gloriam tranſcendiſſe. Contrà, ſancti ſplendorem eius vitæ oculis vulgi ampliſſimum, re inanem dictitabant: quæ in Saracenos impietatemq; geſſerat, nequaquã pro dignitate accepta numini eum tuliſſe. Decumarũ ſacrum ius militaribus viris attribuiſſe: adeo militibus ſuis omnia permiſiſſe, vt dum hi magis quàm hoſtes Viſigotthi ſacra prophanaq; diriperent, per aliquot annos Lugdunenſis Viennenſisq; ſedes viduæ ſuis Epiſcopis fuerint, militaribus iniuriis altero defuncto nemine ſuffecto, altero cœnobii portum ingreſſo. Cum ad belli Barbarici neceſſitates, templorum auro vteretur, ſpopondiſſe ſe, re in tranquillum reſtituta, multiplex redditurum: poſt ditiſſimas ac glorioſiſſimas victorias adeo fidẽ mutaſſe, vt ſanctos viros afflixerit, veterum offenſarum memorem, quas ſempiterna obliuione deleſſe videri volebat. Eucherium Aurelianenſium, Robertum Remorum Epiſcopos è ſedibus eieciſſe, quòd Ramãfredo ſtuduiſſe eos diceret. Huiuſmodi tempora erant, vt Pontificatus ſanctos vel acciperet, vel efficeret. Igitur Eucherio facilè tunc fides habita, id quod per quietem vidiſſe ſe diceret, enarranti. Is enim in ſedem à Pipino reſtitutus, Fulradum ædis Dionyſii Antiſtitem ad ſe vocatũ ire ad ſepulcrum Martelli iubet, ac corpus quærere, ſicubi compareret: animam enim ſempiternis ſuppliciis deſtinatam. In conditorio Martelli ſerpens inuentus eſt, ſiue quòd ex hominis ſpina id animãtis genus enaſcatur, ſiue id diuinæ iræ teſtimonium eo certius fuit, quòd ſecundum tam recens funus, ſepulcrum alioqui inane, & nullis humani corporis veſtigiis reliquiiſve apparuiſſe dicitur: intus vaſtitas, ſolitudo, horror, diraq; ſpecies: ac velut incendio atrum, clauſum deintegro cõditorium, ac ſuis redditum tenebris, Eucherioq; de Manibus creditum, qui de corpore Vates videretur. Carolomanus monachũ ſe profeſſus, procul à domeſtico vitæ ſplendore Soracte Italiæ montem petiit. Cúmque quicunq; Francorum Romam religionis cauſſa inuiſerent, eum diuertentes adirent: ex illa quoq; celebritate in vaſtiorem longinquioremq; ſolitudinem Caſſinum montem refugit. Pipino cum Griphone fratre bellãdum fuit: qui ex Arduenna elapſus trans Rhenum ſe contulit, Saxonumq; armis ſe à fratre tegebat. Victus, in maternam patriam Bauariam profectus, Taſſillonem Ducem domo pellit, Ducatum ipſe ſibi inuadens. Tunc quoque victus, reſtitutoq; Taſſillone in Franciam ductus Ducatu Dentelicenſi, cui inter Sequanam Iſaramq; duodecim Neuſtriæ Comitatus contribuebantur, à fratre donatus, non diu conquieuit. ad Vaifarum in Aquitaniam profectus, gentem inter arma ſemper verſantem in Pipinum concitat. Maiore labore quàm periculo fratris; ac propè incruento milite Franco, nec ingenti cæde ſuorum, qui ſe fuga texere, victus: cum ei neque in Gallia neq; in Germania quicquam proſpere cederet, Italiã petens, in Alpibus à Theodino Tranſiuranorum nobiliſſimo interimitur. Interea Pipinus opes,

gloriam,triumphos animo voluebat,eiq; decoris quærendi ſancta obtigit ma
teria.Saraceni clades acceptas vlturi,in Franciam tertiùm redibant.pium bel-
lum etiam pie ſuſcepit. Obſecrationibus habitis, copiisq; contractis,egregio
apparatu in hoſtem contendit,non temere cõmunem ſalutem fortunæ prælii
commiſſurus. Hoſtium audaciam excurſionesq; coërcens,eos ad inopiam re-
degit. Tandem ſummoti trans Pyrenæos ſaltus. Adeóque formidabile impiis
eſſe cœpit Pipini nomen, vt deinceps inter ſe Galliamq; Pyrenæum limitem
ſtatuerent ſanctum,quem tranſgredi nefas ducerent. Gratiæ igitur ſuperis de-
miſſiſſime conſtantiſſimeq; actæ. Templa quæ prioribus bellis Saraceni euer-
terant,nec reſtituenda Martellus curauerat,reſtituta. Sanctis viris honores ha-
biti. Iam Pipinus etiã ſanctis ſanctus videri. Ipſe primum pietate ſua gaudere,
hominumq; de ſe iudiciũ defenſa pietate non refugiendum fructum cum iu-
cunditate ferre. Deinde vt animi mortalium proni in ſpem maximarum rerũ
ſunt,Regiũ nomen nõ diſſimulanter affectare. Childericus enim Rex mente
ſtupens,vita ignauus eius cupiditati videbatur,ac Regio nomine indignus,ſo-
liiq; dehoneſtamentum. Vna ea res Pipinum deterrebat,quòd Regiũ nomen
in quocunq; ac qualicunq; foret,ſanctum,auguſtumq; ſemper fuerat. Quem-
nam tantæ ceruicis,tamq; ſublimi vertice inueniri poſſe,qui de Regno tranſ-
ferendo à magni Clodouei ſtirpe verba facere audeat? Nimirum hanc tantam
tamq; noui exempli rem alibi tentandam eſſe, q̃ in Francia, quæ ſacramento
Regi dicto deuincta religione teneretur. Vbi autem melius q̃ in vrbe Roma,
tunc virtutis ſanctitatisq; ſeminario rationem virtutis haberi poſſe? quam vnã
vmbræ Regis imaginarioq; ſceptro ac ſtupido Childerico ſtatuebat opponẽ-
dam: & beneficia patris erga Pontificem Romanum,ſedemq; Petri à Longo-
bardorum Rege ſocio amicoq; defenſam,non parum ponderis habitura cõ-
fidebat. Simul ſua quoq; recentia in Chriſtianum nomen merita,ac Magiſte-
rium equitum,quod Regium faſtigium exceſſiſſe videri poterat: hæc omnia
motura. Ergo Burchardum Viſiburgenſium Epiſcopum ad Zachariam Pon
tificem maximum oratorem miſit. Isq; poteſtate dicendi facta,ita locutus eſt.

» NVPER in rebus gerendis beatiſſime pater à Deo optimo maximo Fran-
» ciæ precabatur,vt quod bellum pie ſancteq; cum Saracenis ſuſcipiebat,id fœ-
» liciter ſibi religioniq; Chriſtianæ eueniret. Nunc vero poſt victoriam cæleſti
» beneficio partam, & templa reſtituta,optat,vt quantum fieri maxime poteſt,
» grata ſuperis ſempiternũ ſit,ac tam præterita iuuet meminiſſe, q̃ ventura for-
» midare non liceat. Hæc autem Franciæ & bello ſeruatæ,& pace in priſtinam
» amplitudinẽ reuocatæ lætitia nõ magis inter Francos diuinitus adiutos, q̃ te-
» cũ,qui ſummi Sacerdotii iure ac ſanctitate q̃ proxime ad ſuperos accedis,cõ-
» munis eſt. Nulla enĩ orbis terrarũ pia regio eſt,cuius pater ſanctiſſimus non ſis,
» cuiq; magnitudo ac fœlicitas tua charior ſua eſſe nõ debeat,& pericula huius
» ſacroſanctæ ſedis ſolicitudinem non iniiciant. Saraceni ſemel,iterum,tertium,
» Pyrenæos montes tranſgreſſi,in Galliã eo conſilio deſcenderũt,quo Conſtã-
» tinopolin incredibili multitudine diutiſſime obſederunt: vt diuerſis regioni-
» bus,illinc nouæ Romæ,hinc Franciæ excidiũ moliẽtes,huius veræ germanæq;
» ac veteris Romæ,ac quaſſatæ iam Italiæ fundamenta conuellerent. Quare cũ

nulli Regno Christiano non hostes sint, & immanitate, ac terrarum tractu, Imperiisq; ac opibus,& animorum consensu multo plus possint,cum omnibus,tum tibi quem in hac arce ac præsidio tanquam in terrarũ specula Deus collocauit, die noctúque prospiciendum, ne in tanta piorum imbecillitate, ac terrarum quas illi nobis reliquas fecere,angustiis, vllus locus neglectus incustoditúsve sit, quò aut vi irrumpere, aut dolo serpere, aut ignauia nostra aditum sibi munire queat illa insomnis,& in latus nostrum velut telum semper intenta pernicies ac pestis terrarum. Si paulum titubauerimus offenderimúsve,non nutatione periclitabimur:sed(quod omen absit)ruina obruemur. Et nisi Carolus Martellus Pipini pater rem Francicam gessisset, eo ipso tempore, quo illud à Saracenis diluuium terras obibat,nullum tam atrox exemplum vllo bello vlla vrbs perpessa fuit,quàm miseræ Christiani nominis reliquiæ ceruicibus suis pertulissent. De Pipino, quia præsentem eum nostra intuetur ætas,nihil dicam præter hostium de eo iudicium. Quamdiu Martellus Imperator vixit,nullus sanguis effusus, nulli cadauerum tumuli deterrere Saracenos potuere, quo minus nouam semper belli fortunam tentarent, cruoremq; suum cruore nostrorum vlciscerentur. Pipinus incruento milite Christiano bellum finiuit,quod summum Ducem Martellum omni vita in armis tenuerat.Sed & bella renasci possunt,& Pyrenæus saltus factus est nimis peruius, ac,velut iuga subsederint, nullum impiis iter æquius, nulla via magis trita,cuíque maior virtus & clarior Imperator obiici debeat. Regem Childericum, quandò præter preces nobis nihil reliquum est, vtinam aut Carolis Pipinisq; virtus adæquaret,aut absq; terrarum damno,silentio præterire possem. Sed abs te peto beatissime pater, vti me de Theodoricis Childericisq; necessariò dicẽtem sic audias,vt scias Francos extrema mala suo nomine pati semper maluisse,quàm ~~in spem Regni natis~~ sceptra nõ demandare:patientiamq;, ne quid grauius dicam, suam ab omnibus accusari, quàm à quoquam fidem requiri. Cæterùm iam non nostram, sed religionis vicem deflemus. Horret animus cum præterita mala discriminaque memoria repeto,quæ vel ingenio, vel quia ita superis visum est,fortuna parum fœlices Theodorici Childericiq; intulere,sine spe fortitudinis pietatísque maiorum saltem abumbrandæ.adeo proximos quosque parentes malunt imitari, quàm veterum illum summum ac remotum locum possint vel conatu assequi, vel animo cogitare,intueriq;. Magno cum dolore hæc,Pontifex,ac inuitus loquor,& iam futura magis vereor, quàm præterita tulisse Francos querar. Hostes religionis, omnes orientis regiones tenent. Africam totam occuparunt. Bosporum vtrunque propè ponte iunxerunt. Hispanias tenent.Pyrenæum saltum velut domus suæ fores vbi visum est perfringunt,perrumpuntq;:in Franciam iam expositam illis patentémque manus iniiciunt. Si in solio segnities & inertia sedeat : vt dici verissime solet,etiam ~~Leones Rege Ceruo~~ vincemur. Continebúnt ne deinceps Alpium niues Saracenos, quos nullum mare arcuit, nulla iuga submouere, nulli cadaueribus strati campi excluserẽ:Et sic de Saracenis loquor,tanquam non inuenti sint in hac ipsa Italia, qui Romam religionis arcem obsederint. Quæ omnia si te ad lacrymas (video enim oculos tuos, beatissime pater)

XXI. CHILDERICVS III.

» impellunt:ſuſcipe oro pietatis cauſſam,ſuſcipe iuriſiurãdi ac fidei quæ ad co-
» gnitionem ſacroſanctæ poteſtatis pertinent,diſceptationem. In verba Childe-
» rici iurarunt Franci.ſi forti,ſi experienti,quiq; impiis obſiſtere,pios tegere di-
» dicerit,iurarunt, pareant: eius ductu auſpicióque religionem ferro tueantur.
» Sin eo Duce neque conſeri pugna, neque omitti in impios dulcedine Fran-
» ciæ ſemel illectos poteſt,tuum eſt Francos illo iuriſiurãdi vinculo ſoluere,te-
» ſtariq;,nulla eos, quæ orbis terrarum ſaluti obſit, conceptione verborum te-
» neri.Et vt eò redeat oratio mea,vnde initium fecit,gratias ſuperis agimus,tibi
» magis gratulamur,quàm gratulari alios nobis poſtulemus,quòd res Francica
» & antè Martelli ductu ſeruata,& nũc Pipini pietate in priſtinam dignitatem
» ſit reſtituta: in futurum Deum optimum maximum oramus, vt hoc gaudiũ
» publice potius quàm priuatim perpetuum ſit,& ſempiternum : & quantum
» humano conſilio prouideri poteſt,tuarum eſt partium:cui non tanta diuini-
» tus data poteſtas eſſet, niſi incidere poſſent, qualia ſunt tempora, cum vti eã
» neceſſe foret:tuum eſt inquam,impiorũ furori obiicere quod maxime formi-
» dent,& res Chriſtiana firmiſſimum ſibi præſidium ſit experta.Nos ſi te nulla
» alia de cauſſa adiuiſſemus, niſi vt & nos collacrymaremus, & tu nos miſera-
» rere, ſatis tamen iuſta veniendi cauſſa foret : vt in fletu & orbitate ſolatium
» Pontificis,& humani generis parentis haberemus. Sin opem ferre, & in me-
» dium conſulere potes:nimirum ſi negligis communem gentium ſalutẽ,quo-
» niam cum ſeruare poſſis, non ſeruas,occidiſti. Quod verbum quanuis graue
» dictu ſit,tamen quia dolor ac neceſſitas ſemel expreſſit,iterum,quod venia di
» ctum ſit tua, occidiſti. Tu tamen etiam atque etiam beatiſſime pater, cum te
» non minus Franciæ ſubleuandæ, quàm toti terrarum orbi,cuius in tantis an-
» guſtiis quota ſit illa pars noſti,adiuuando,Pontificem omnipotens dederit:ſic
» apud animũ tuum cõſtitue, te vno ex edicto,ſoluendisq; iuriſiurandi religio-
» ne Francis,plus apud mortales immortalesq; gloriæ inuenturum, quàm inter
» mortales ex impietate victa Martellus reportauit. Illa enim Martelli victoria
» aliud bellum peperit:tua prouidentia etiam futura bella deleuerit.

Oratione Epiſcopi motus Zacharias,initio minime audebat tã magni momenti cogitationem ſuſcipere. Deinde cum Francos proceres mira conſenſione animorum Pipino adeſſe cupereque, compertum exploratúmque habuiſſet, vnúmque Childericum Regem reliquam eſſe Magni Clodouei ſobolem,ſine liberis, ſine ingenio, cuiq; ingenuo dolori amiſſum Regnum ipſi futurum non eſſet: nec vſquam eſſe qui eius vicem quererentur: Francos ſacramento Regi Childerico dicto ſoluit. Hiq; conuentu habito PIPINVM Regem ſalutauere.In decimum tamen ab inito Magiſterio Equitum annum tantæ molis res protracta eſt,nec vllus alius motus exortus eſt, quales cũ terrore ac formidine magnorum Imperiorum mutatio afferre ſolet.Tantæ opes Pipini, tanta Childerici contemptio. Et Pipino gratiæ Pontificatui maximo referendæ diuina occaſio oblata eſt.Aiſtulfus Longobardorum Rex vniuerſæ Italiæ iura dare conatus,Stephano Pontifici maximo,qui Zachariæ ſucceſſerat,pacem oranti,ſe antequam vrbe Roma Longobardis vectigali facta,arma depoſiturum negarat,Rauennamq; occuparat Exarchi Italiæ ſedem,nec

Conſtantinus Cæſar Pontifici vrbibúſque ſuarum partium auxiliũ per oratores petentibus opem vllam ferebat, Bulgarico bello occupatus, & peſtilentia, quæ omnem Græciam Aſiámque fœde populabatur, perculſus: & domeſticæ iniuriæ, ſuíquemet ipſius doloris memor, quòd ſecundo Gregorio Pontifice Rauennates Paulum Exarchum à Longobardis pulſum, à Venetis in eam vrbem reſtitutum, ſeditione orta interemiſſent, ac cæteri Italiæ populi ab eius patre Leone Cæſare diuorum imagines demi è templis iubente deceſſiſſent, imperiúmque illud nefarium deteſtantes, ſuos quiſque Duces Magiſtratúſque ipſi ſibi creaſſent, Pontificemq; rogaſſent, vt Italici generis Cæſarem deſignaret: id quod facturum ſe abnuerat, quòd compertum haberet Leonis tantum & aſſentatorum ſcelus illud eſſe: permultos Græcorum inuentos, qui cruciatus, necémque perpeti mallent, quàm ſimulacra diuorum non reuerenter in Fanis retinere. Tantum ſanctione vetuit vectigal illi pendi. In Gregorii ſecundi defuncti locum Tertius, in huius Zacharias ſuffectus fuerat pontifex. In Imperium impietatémque ſuperbo Leoni Cæſari & callido ſerpenti Conſtãtinus filius pardus moribus maculoſus & aſpis dira ſucceſſit: id quod ex Græcis authoribus ad verbum excerpſi, non cum ſignis modò, ſed cum reliquiis diuorum, quas peræque damnabat, atque adeo cum ipſis diuis bellum gerens, quorum gratiam precéſque nullius pro nobis ponderis eſſe apud Deum optimum maximum dictitabat. Quinque & triginta imperauit annis. Zachariæ interea Stephanus, vt edocuimus, ſucceſſit, vir ſanctus: qui tunc aduerſus vim Aiſtulfi coactus fuit Francorum fidem implorare, quandò ſemel patrocinium tegendi Pontificatus Martello Principe ſuſcepiſſent. Et Pipinus beneficio Pontificatus Rex ſalutatus, vt à Pontifice in Francia coronaretur conſecraretûrque, cum Aiſtulfo clariſſimis viris Rotigrando & Antario oratoribus miſſis egit, vt Stephano in Franciam ad ſe venienti iter daret. Neminem fallebat fore, vt à Pontifice iam indignitate affecto Francus ad Italicum bellum capeſſendum impelleretur. Stephanum permittente Aiſtulfo iter per Longobardorum fines ingreſſum Legati Conſtantini Cæſaris adiuere, orantes, vt Aiſtulfi nihil illi denegaturi fidei ſe credere quàm Francorum mallet. & Longobardus eum ab inſtituto itinere pollicitationibus reuocare contendebat. flecti non potuit Pontifex gnarus ea piæ mentis ſpecie iactari, & metu diſcuſſo fluxam fidem futuram, more cupidorum hominum præſentem ſemper procellam deuitantium, & ſua deinceps tempora præſtolantium. Nec vim ille ſancto viro inferre audebat, ne cauſſam ſuam ſceleſtiorem noua audacia faceret, infeſtúſque iritaret Francorum animos, quos auertere ab armis in ſe parandis mitiſſima ratione contendens precibus effecit, vt iuſſu Antiſtitis ſui Carolomanus monachus ad Pipinum fratrem iret belli deprecator. Pontifici in Galliam venienti, officii cauſſa ampliſſimus ac nobiliſſimus quiſque ad primos fines occurrere, Principe comitatus Carolo adoleſcentulo, cui ſua virtus fœlicitaſq; Magni poſtea cognomen indidit. Et Pipinus ad tertium à Cariſiaco oppido lapidem obuiam progreſſus, pedès exoſculatus coërceri non potuit, quin in equo ſedentem ipſe pedibus ad frenum proſecutus in Regiã deduceret. Per aliquot dies nullum

genus honoris, religionis, comitatis prætermiſſum fuit. Antea ad Cæſares ibant Pontifices maximi: hic primus ex Italia ad exteros Reges ſe contulit. Ad eum viſendum adorandúmque tota ex Gallia & finitimis gentibus concurſus omnium mortalium fuit. Hac celebritate Pipinum ad Dionyſii Pariſiorum coronauit, ſacráque vnctione imbuit, Childericumq; Regem detonſum cœnobio ſacrauit, nulla cuiuſquam querela, ſed non ſine admiratione. Sigibertus ſcribit Pipinum à Bonifacio Maguntinorū Epiſcopo viro ſancto ſacris Regiis initiatum anno ſalutis ſeptingenteſimo primo: eundē anno pòſt à Stephano ipſum filioſq; Carolum & Carolomanum inunctos, toti ſoboli eorum benedicente, omniáque fauſta fœliciáque in omne tempus ſacris ceremoniis apprecante, ſimul diris, deteſtationéque inſectante ſi quis quid contrà moliri auderet. Ita prius acceptum ius regnandi, tunc quaſi diuinitus confirmatum, & immortale factum in ea familia videbatur: vt in Pipino nō magis inuictas vires formidarent mortales, quàm religionem reuererentur. Progenies Merouei clara fuit ſedibus in Gallia partis, religionéque genti tradita, & bellis per trecentos amplius annos domi foríſque partim ſuo ductu auſpiciiſque, partim Magiſtrorum equitum conſilio virtuteq; geſtis. Sequitur multo maior & rerum gloria, & Regum nobilitas, & ſanctius culta propagataq; religio, & certior authorum fides, quæ ambigua initiis prodendis videri poterat. Stephanus Pontifex Maximus, & vita admirabili, & recenti erga Pipinum merito ſanctus, de rebus Italicis agere cœpit, cū ſuperuenit Carolomanus monachus Pipini frater, quem pro Aiſtulfo deprecantem & pie & fraterne cogebatur audire Rex Francus. Prior Pontifex iniurias Longobardorum Regum in Italiam vrbémque Romam conqueſtus eſt: quòd eorum cupiditati nullus vnquam modus extitiſſet: nullum fœdus illis ſanctum fuiſſe: ſæpe fidem fefelliſſe: cum Gregoriis, cum Zacharia pacem eos nuper compoſuiſſe, quam non diutius, quàm maioribus occupationibus diſtricti ſeruaſſent. Flaminiam propè omnem de partibus Romanorum, & aliquot nobilia oppida Ducatus Romani ſui iuris vi effeciſſe: auſos eſſe vectigal indicere vrbi Romæ, & tributum in ſingula ciuium incolarumq; capita præſcribere: Apoſtolorum Petri & Pauli famulos, mancipia futuros Longobardorum, niſi auxilium religio Francorum, & Pipini pietas numine ad Regnum vocati afferat, & quorum cæleſtium præſentem opem bello pacéque ſenſerint Franci, eorum aris templíſque gratiam referant: nec patiantur ex ſacra libertate in ſeruitutem recidere gentis quæ ducentos propè iam annos Italiam incolens nulla bella pro ſalute libertatéve Italiæ geſſerit, quæ feſſa Longobardorum malis, oneri eſſe Francis cogatur: eóſque demiſſiſſime orare, vt cōtra CHRISTI hoſtes pugnare ſoliti, pro CHRISTI Apoſtolis arma capiant, bello magis pio quàm aut dubia aut difficili victoria. Hæc Pontifex. Carolomanus vero venia dicendi à Stephano fratréque impetrata, nihil ſe ſui dicturum, ſed mandata tantum Aiſtulfi expoſiturum oſtendit: cum perorauerit, tunc depoſiturum omnem animi contentionem, munere legationis perfunctum, quam ſe, quàm quenquam turbidi ingenii, & à Pontificia maieſtate alienum, & cui nulla ratione ſatisfieri poſſet, ſuſcipere gereréque maluerit. Primum omnium

 fateri

fateri Aiſtulfum, Longobardos à religione alienos initio fuiſſe, nec verã pietatem, CHRISTVMq;, & Apoſtolos numinis agnouiſſe. Eos tamẽ tales etiã tunc fuiſſe, vt Reges Franci iam religione non minus quàm armis inclyti, ſibi iungi affinitate illos, non ſibi turpe gentíque Francorum exiſtimarint. Multas externas gentes Italiam ingreſſas, alias excidio vrbium, direptionéque, ac vaſtatione finium non prius finem belli quàm deficiẽte ſæuiendi materia feciſſe, deceſſiſſeq; cruore ſatiatas: alias ita in Italia remanſiſſe, vt earum nomen ob impotentiam aboleri neceſſe fuerit: Longobardos primum auxilio Italiæ aduerſus impietatem Oſtrogotthorum veniſſe, ſolóſque debellandi cauſſam extitiſſe. Internecione deleto Gotthorum nomine, cum Narſetis Eunuchi auaritiam, tyrannidem, indignitatem Romani proceréſque Italiæ ferre non poſſe ſe dicerent: tunc rurſus ipſius etiam Narſetis vocatu cum coniugibus ac liberis in Italiam velut vacantem, quæque nec Oſtrogotthos tuliſſet, nec Græcos ferret, commigraſſe, exemplo multarum nobiliſſimarumq; gentium, quæ relicta veteré patria, cum diu vagæ erraſſent, aliquo tandem certo loco conſediſſent. Neminem mortalium in cælo, è terráve natum, aut vt ſtirpes radicibus actis tellure teneri, vt ſolum vertere nequeat: ſuam cuique virtutem fortunámve patriam dediſſe: eos indigenas credi, quorum origines ob vetuſtatem ignorentur. Longobardos ipſo aduẽtus ſui initio veteribus Italis charitate cæli ſolíque non ceſſiſſe. Maluiſſe vano terrore miniſque, quàm atroci bello execrabilíque odio in partem agrorum vrbiúmque recipi, ſaluis dominis, quorum internecióne qui priores Italiam inuaſerant, eas vacuas occuparant: vt non mirum ſit, inquit Aiſtulfus, cum Italis quammaxime per bellũ licet maiores noſtri parcerent, nec agrorum cultum intermiſſum, & plenas nobilitate, militaríque ætate vrbes fuiſſe. Tandem ſedibus partis, patriaq; noua deuincti, religionem profeſſi, fœdera, pactáque & fidem ſancta duximus. Non excitabo alios teſtes, quàm Francorum veterem memoriam. Cum primo Clotario Frãcorum Rege fœdus icimus, quis criminari coargueréve poteſt, qua in re graui leuive illud vnquam per tot ætates violauerimus? At recenti memoria Gregoriis Zachariæque fidem fregiſti. Mirum eſt, nos, quos reliquis teſtes eſſe oporteret, cæterorum teſtimonia deſiderare, defunctos citare, noſmetipſos nõ audire. Petiit ſanctitas tua pacem ab Aiſtulfo, eam propalam indiſſimulantérque denegauit. Si vilia illi fœdera eſſent, pacem fœdúſque verbo dediſſet: ré, armíſque incautum inopinantémque oppreſſiſſet. Nõ vetus Rex eſt Aiſtulfus, & tu nouus es Pontifex. Regnum à violandis fœderibus non eſt auſpicatus. Negans nouo Pontifici pacem, documento eſt, ſe ea, quæ cæteri, ſancta habere. De fide an perfidia ſuperiorum Regum ipſum dicere cauſſam indignum eſt. Luitprandum dicet ſanctitas tua fœdifragum fuiſſe Gregoriis, Zachariæque. Adde, ſi libet, etiam Græcis fœdifragus viſus eſt. Rauennam enim de illis cepit. Res militaris caſúſque perſæpe fert, vt fides dum ſeruatur, contentione animorum, & minus æquis iudicibus violata videatur. Aiſtulfus tamen pro maioribus ſuis cauſſam dicere non grauatur, ipſorum memoriam fraude liberare, & luere, ſi quid ſecus actum eſt: pro illis ſe reum conſtituit, ſi quid Longobardus quod ſanctitatis tuæ aut populi Ro-

mani iure legibúsve sit, in potestate habet; à maioribus parentibûsque relictum, decedet, deducet præsidia. Rauennatem Exarchiam occupauit, cum tuarum partium, sanctissime pater, non tuæ ditionis esset. Græci suî iuris esse dicunt. Si in ditione Aistulfi Longobardi quidem nomine, sed animo natalique solo Itali erit, liberius magísque audacter tuarum partium erit, quàm si sub Imperio Constantini. Quantum attinet ad oppida, nescio an vicos, Ducatus Romani possessa, & vectigal Vrbi Romæ præscriptum: nolo vti, dum verbis disceptatur, eo iure quo summō possem. Gregorius Pontifex vetuit pendi vectigal Cæsari Græco, quòd impie de diuis sentiret. Pio ergo Cæsari penderetur. Rauenna potitur Aistulfus sede Exarchi: nec damnari potest quòd ius Exarchi, qui longe latéque Imperitabat, tributúmque imponebat, ab impio Principe ad piam Longobardorum Regiam reuocarit. Sed suo iure mauult Aistulfus decedere, ac illud Apostolis Petro & Paulo condonare, quàm inuita sanctitate tua retinere. Rauennam vero, & quæ circà sunt, cur non habeat, non video: nisi tota Italia exigere Longobardos consilium est, & malle solitudinem cerni, quàm celebritatem: & iura belli tolli placet, & præcipuam esse Longobardorum inuidiam, qua pari in caussa conflagrare quamplurimæ nobilissimæque gentes possint, & memoria summorū Regum damnari. De Ducatus Romani agris oppidísque formula disceptandi potest arbitrio sanctitatis tuæ & Regis abs te sacrati constitui. Decernite, si videtur, inter vos: A iudicio vestro non discedet Longobardus. At pacem denegauit. Luitprandus armatus petente Principe Francorum signa ab vrbe Roma propè capta retulit. Voluntati Regis Franci nihil non dabit Aistulfus. Reliqua oratio est nihil ad caussam, aut non magnopere pertinens: bellúm ne in excidium, an pro Italiæ libertate salutéve gesserit Longobardorum Regia. Nunquam magis libera incolumísve Italia fuit, quàm incolis Longobardis. Prius erat prædæ cuilibet genti. Nulli non erat expósita mortalium audaciæ terra marique. Ita patet prominétque, vt vndique ad eam facilis sit terrestribus maritimísque bellis aditus: nec iustis modò bellis, sed latrociniis. Vel metu vel virtute Longobardorum tuta permansit. Sclauos, Auarósque, & quicunque eam tentarunt, armis repulimus. Bellauimus quidem in Italia, quādò nulla magna regio est semper immunis bellorum: nullúsque mortalium vniuersam vitam peccati expertem degit. Sed affirmare ausim, nullius in Italia gentis prælia minus cruenta quàm nostra fuisse, aut tardius enses strictos, & citius reconditos, dextrásque interiunctas. Victi facilè arma abiecimus: victores clementer vsi victoria. Dubiis rebus, iudicio communium amicorum arbitrióque stetimus. Quod etiam nunc experiatur sanctitas tua. Senties Aistulfum filii maxime pii erga te animum gerere, & Regiæ Francorum obseruantissimum. Pro religione in Saracenos Visigotthósque pugnauit in Gallia iunctus Francis Luitprandus, Gregorio Pontifice. Et cum Cæsares damnent diuorum effigies, ipse diui Augustini corpus magno emptum, ne in potestatem Saracenorum deueniret, illísque ludibrio foret, è Sardinia Ticinum deportauit. Rachisius Rex oppida quæ de Ducatu Romano contra ius fœderis ceperat, Zachariæ tam pie cumulatéque reddidit,

vt etiam in cœnobium ſe contulerit,non armis modò,ſed & Regni inſignibus depoſitis : vt errata Longóbardorum Regum ſumma vitæ ſanctitate ac rebus cum fœnore reſtitutis expientur. Authoritas Carolomani valuit, vt ad explorandum Longobardi animum Legati mitterentur,ſi rebus reſtitutis pacem æquis legibus cum Pontifice iungere in animum induceret. Erat extremus autumnus, quod anni tempus tranſmittendo exercitui minime conueniret. Legatis comiter exceptis, Aiſtulfus cum mandata expoſuiſſent, ſe quoque Pontificiæ maieſtatis reuerentiſſimum eſſe reſpondit; & pro illa, ſi quis oppugnet,dimicaturum. Si quid de ditione Romanorum Pontificíſve ipſe parentéſve cepiſſent,reſtitututum.Sed quodnam eſſe Romanorum Pōtificúmve Imperium? Græco Cæſari eos recenti etiam memoria paruiſſe:tamen voluntate gratiáque Francorum deducturum è Ducatus Romani finibus præſidia. Rauennatem Exarchiam tam procul ab vrbe de impio Cæſare captam, iuréque belli ſuam factam:Rauennam vtique ipſam non reſtituturum:nec iccirco minus liberam florentémve rem Romanam futurā. His in Franciam renunciatis, apparuit omnibus,retenta Rauenna, vnde iura petere tota Italia iam ſolita erat, ſpem omnium rerum potiundarum non deſtituturam Longobardum.Igitur patrio more capeſſendorum bellorū Franciæ vniuerſæ Cariſiaci habito concilio exercitus decretus. Vere ineunte Pipinus copias in Italiam ducebat. Nemo hanc veluti ſacroſanctam militiam detrectabat,vltro arma capiebant,certatim Stephano aderant.Pipinum hortabantur ne dubitaret experiri ſuorum virtutem, pietatémque: & ipſe Stephano Alpibus ſuperatis ad ſe ſacrādum cum eccleſiæ proceribus profecto, nullúmque pii officii genus reliquum facienti, parem laboris amplitudiniſq; gratiam referre contendebat:fratrem Carolomanum,vxorémque Reginam Bertam Viennæ reliquit.Aiſtulfus non ignarus apparatus Francorum, in Pipinum Pontificémque omnem Longobardorum iuuentutem ad arma vocabat.Duces Spoletinus Beneuentanúſque Imperium aſpernati, Aiſtulfum terruere,ne ipſi cum ſuis plus negocii quàm cum hoſtibus immineret, cum etiam ad primum aduentū leuis armaturæ Francorum Longobardi qui præſidiis Alpes inſederant vt hoſtem tranſitu prohiberent, nullo facto virtutis periculo, deſertis ſuis quiſque ſtationibus, refugiſſent. Ita per ocium traducto etiam graui agmine Francus vrere cœpit agros, nihílque intacti relinquere. Tunc Conſtantini Cæſaris legatus Gregorius Princeps ab arcanis caſtra ingreſſus Pipinum orare, ita tegeret Romanum Pontificem, vt Auguſtorum maieſtatis meminiſſet.Cæſares,non Græcorum, ſed Romanorū Imperatores dici.Multo melius de re Chriſtiana meritos eſſe Auguſtos qui Byzantii ſederint, quàm qui Romæ:nec Conſtantinopolin Coloniam Romanam ductam,niſi vt tanquam ea ex arce aduerſus Scytharum Orientíſque arma rem gerentes Cæſares ſanguine ſuo Italiæ vrbíque quietem tutam parerent.Exarchiam Rauennatium tam eſſe iuris Auguſtorum, quàm Lutetiam Regum Francorum.Aiſtulfum eadem iniuria illam occupaſſe, qua maiores eius reliquam Italiam. optare ſe, confideréque huius belli victoriam Francorum fore: eos non dominandi cupiditate Italiam, quod bonum ipſis,Pi-

pinóque,ac fauſtum ſit, ſed iuris & pietatis cauſſa ingreſſos bellare: iurêque ſuo Auguſtis reſtituendo poſſe Imperii Romani nomen immortali beneficio in omne tempus Regiæ Francorum deuincire: memoria noſtra trecenta Saracenorum millia Conſtantinopolin oppugnarunt, ac per continens biennium obſederunt: quam tempeſtatem in Latina Regna Italiámque & Vrbem ingruentem,in nos auertimus. Turcæ, ſi famæ credimus,noua gens, qui inacceſſis clauſi montibus intra Caſpias portas domi ſe continuerãt, veluti effractis loci naturæ'que repagulis,in apertum erupere, fœdatâmque & Saracenorum armis & peſtilentia Aſiam inſuper euaſtarunt.Fama eſt eos Saracenorum nomen ê Perſide tollere conari, vt nobiliſſimo antiquiſſimóque Regno ſuum nomen decuſq; reſtituatur,Perſarúmque Regnum rurſus, tantóque ex interuallo dicatur, quod quondam Parthorum, nuper Saracenorum,tametſi diuerſiſſimæ ſint gentes,appellabatur: & ipſos Turcas in Perſarum nomen abire velle,nobiliſſima patria obſcuram mutaturos. Tantarum rerum moles, & incertus ſemper maximarum inclinationum euentus,nunc ſuſpenſo animo tenet Auguſtum Italiæ Regnorúmque Latinorum pro cõmuni ſalute anteſignanum, vt momento temporis auertere aliam in partem oculos, decederéve ſpecula ſemper formidandi periculi ſine terrarum damno nequeat:vt Martellus omnis memoriæ ſummus Dux, dũ bello Saraceno teneretur,optaſſet, ſiqua alia vis reliquos Francorum fines adorta fuiſſet, ſibi fato præberi qui eos vel integros tutarentur, vel amiſſos recuperarent: ſic occupato Barbarorum armis Cæſare,pietatis tuæ eſt, cum fructum belli huius tibi nullum præter decus petas, bello ex ſententia confecto ſuã etiam Auguſto ſeruare maieſtatem. Reſpondit Francus Legato, victoria parta ſe cogitaturum quidnam ſit officii ſui.Se enim non gloriæ mortalis cupiditate, ſed religionis cauſſa,promerendæ'que cæleſtis gratiæ, in Italiam deſcendiſſe. Ita ad conſilia belli cogitationes verſæ. Papiam Regiam Longobardorum vrbem(quæ eadem & Ticinum eſt)Pipinus infeſto agmine petit, quò ſe incluſerat Aiſtulfus viribus hoſti impar.omnia circâ vaſtabantur, nullum belli iræ've exemplum non edidit miles Francus,ruinis,incendiis, ſiqua indignitate elicere ad prælium ex vrbe,conferendáque ſigna poſſet hoſtem,aut ad deditionem compellere:ea omnia pie agi ratus,quòd in gratiam Pontificis viri ſancti fierent:qui longe aliter animo affectus,vbi omnia igne ferróque plena vidit,& cuncta reſonare ploratu puerorum mulierúmque,tunc vltro pacem Longobardis à Franco petit.Nec Aiſtulfus ſibi deerat,omnia Pipino Pontificíque per oratores pollicens.Pax igitur illi reddita, & conditiones impoſitæ,vt Stephano cederet Exarchia,& oppidis Ducatus Romani:idq; ſe facturum iureiurando ſanctiſſimo adactus eſt reclamante Græco oratore. Finis pio bello pius impoſitus videbatur:omnia plena erant gratulatione,& quòd Aiſtulfus ab inſano conatu premendæ ſacroſanctæ poteſtatis deſtitiſſe crederetur, & quòd Stephanus beneficio Francorum conditor Romanæ libertatis & Pontificii Imperii vocitari poſſet:ac quòd Pipinus ipſe cum liberis dextra Pontificis ſacratus,regnandi ius â diuini numinis cauſſa tegenda fuiſſet auſpicatus.Stephanus in vrbem reuerſus veluti triumphans de hoſtibus nullo cruore

lo cruore hauſto domitis à Romanis excipitur. Pipinus domum gloriam retulit, ſe omnium mortalium primum nullo ſuo dolore bellum externum aduerſus gentem rebus geſtis nobiliſſimam pro religione ſuſcepiſſe, nulloq; ſuo præmio confeciſſe. Aiſtulfus diſceſſu Francorum liber metu, vt obſidionem periculúmque ſuum excidio authoris vlciſceretur, immemor fidei iureiurando datæ, coacto exercitu vrbem Romam obſidet. fines perpopulatus ſuburbana omnia ædificia publica priuatáque ſolo adæquat, ſperans Francos ſemel officio functos arma iterum pro aliena cauſſa non ſumpturos, nullo ſuo fructu. Nulli Barbarorum ſaluis vrbis mœnibus plus cladis calamitatiſq; Vrbi Romæ intulere, quàm tunc præ impotenti atrociq; ira Aiſtulfus. Quod vbi in Franciam nunciatum eſt, tunc Pipinus non Stephano, ſed ſibi, qui pacem dediſſet, legéſque præſcripſiſſet, bellum inferri ratus, milites rurſus cogit, indigne & ipſos ferentes virtutem ſuam Aiſtulfo ludibrio haberi. Reditur in Italiam. Ita Romæ ſoluta eſt obſidio, verſa in hoſtem eadem fortuna. Qui modò vrbem obſederat, Papiæ mœnibus ſe rurſus clauſit, obſideríque cœpit. Supplici conditiones eædem impoſitæ: ſed nudæ verborum fidei ſtari non placuit: obſides quadraginta accepti. Ad radicéſque Alpium ſe contulit Francus. ibi ſedebat quoad res Longobardus reſtitueret. Exarchia Rauennatium reddi cœpta, ac Pontificis fidei tradita, finibus longe maximis, vt non Flaminia modò, ſed Aemilia quoque omnis illi contribueretur. Omnes illius fines vrbéſque, præter Fauentiam Ferrariámque, redditæ erant: cum Longobardus inter venandum ab apro ictus, cecidit. Ita idem finis hominis, & Græcæ in Italia Exarchiæ. Francorum arma trans Rhenum lata, quòd Saxones Bauaríque in Francos coniurarant. Numen Pipino maiorem gratiã retulit. Victi primùm acie, caſtríſque exuti Saxones, bellum nouo delectu redintegrabant: cum optimates in caſtra venere, veniámque vniuerſæ genti ab Rege impetrarunt, & ſuos ſemel victos à fortuna belli rurſus tentanda deterruere. Lex parendi data, vt quotannis trecentos bellatores equos ad Francum adducerent: quóſque Franci, ſocios hoſtéſque haberent. Taſſillo quoque Bauarorum Dux, Saxonum auxiliis deſtitutus, quorum fiducia rebellarat, in fidem reuerſus, non comiter modò, ſed indulgenter exceptus habitúſque, quòd filius ſororis Regis eſſet, ſe Francorum beneficiarium profitetur. Obiit interea Viennæ Carolomanus monachus frater Pipini. Rhachiſius vero, qui diademate depoſito in cœnobiũ ſe contulerat, mortuo fratre Aiſtulfo Rege, cum Deſiderius Hetruriæ Dux, idem Magiſter militũ, auxilio Stephani Pontificis Regnaret, depoſito cilicio ſe Regem dicebat, procerũmque concurſus ad eum fiebat memoria maieſtatis ipſius fraternæque. Itum ad arma foret, niſi authoritas Stephani valuiſſet, vt Deſiderius rerum potiretur, reddita Pontificatui Fauentia Ferrariâque. In Stephani defuncti locum ſuffectus Paulus decem ſedit annos quiete à bello Italiæ data, cum Francus vt intermiſſione externorum bellorum exercerentur arma Francica, diſciplináque militaris continenter vigeret, in Gallia pias cauſſas bello tegeret, earum ſemel patrocinio peregre ſuſcepto. Vaifarus Aquitaniæ Dux infeſtus Sacerdotum opibus iam inuidioſis & renaſcentibus erat, & multa iure ambiguo iactaban-

tur, quòd non pauca paruâve & Viſigotthi quondam, cum Aquitania vniuerſa potirentur, impiéque de numine ſentirent, occuparant, & nuper Saraceni euaſtarant, inter tot caſus dubiis limitibus, & incerta mortalium memoria, famáque vetuſtatis varia. Cum Pipino Rege Sacerdotes in poſſeſſionem maximarum rerũ redirent, Vaifarus dominatui ſuo decedere arbitratus quicquid in Aquitania ad templorum opes reuerteretur, eas Franco tutante oppugnabat. Primum leuibus præliis paruíſque expeditionibus bellabatur. Exardeſcentibus paulatim contentionum ſtudiis, indigne ferens Francus peruicacem Vaifari contumaciam, pro maieſtate ſua bellum gerebat. Pictones, Bituriges, Gergoniam, oppidáque in earum vrbium finibus ſita recipit, cæſis in pugna Chilpingo, & Amingo Comitibus, altero Aruernorum, altero Pictonum. Carolus Pipini filius eo bello res geſſit excellenti virtutis pietatiſq; indole. Ex Aquitania etiam in Hiſpaniàm aduerſus impios Cãtabris opem tulit, eorúmque animos auxit, vt in dies minus ſuæ fortunæ pœniteret. Ad bellum Hiſpanienſe intererat pacari Aquitaniam. Pax Vaifaro data acceptis obſidibus eius gentis nobiliſſimis Adalgario & Ictherio. Mox, dum Cãtabricum bellum animos armâque Francorũ in ſe vertit, Vaifarus nulla obſidum cura tactus, excurſiones vltro in Franciam Burgundiamq; facit: nec redit niſi præda ingenti parta nobilis prædo, minime generoſus hoſtis. Cum Franci ſubitario exercitu occurrerent, muros oppidorum, quæ vicina Frãcis reliqua in ditione habebat, diruit: ne ſedem belli ea capiens Francus ex tuto rem gereret. Sed dum his prius ſe quâm hoſtem nudat, interius Francos recipit. Pipinus Niuerni conuentu habito Aquitaniam penetrat, & quibus integris maxime Vaifarus fidebat, vrbium muros viciſſim ſolo adæquat, Ageni Petrochoriorum, Engoliſmæ, miſero vtrinque belli exemplo: Ramiſtanúmque Vaifari patruum comprehenſum reſti ſuſpendit, quòd à Vaifaro ad ſe, ab ſe ad Vaifarum tranſiſſet, infirma ſemper fide. Ad ſupplicium de fonte ſumendum acceſſit etiam alia exempli prodendi cauſſa, quòd Taſſillo dum apud auunculum militaret, ſimulato morbo cõmeatum impetrauit, domumq; reuerſus ex profeſſo defecerat. Aduerſus hunc iterum hoſtem cum nouo exercitu opus eſſet, in Vangionibus habitus conuentus. bellum illud differri placuit, quòd nullus inde propinquus metus oſtenderetur: & Græcus Auguſtus nulla re deterreri poterat, quo minus diuorum ſtatuas tollendas ê templis contenderet. Gentiliaci Pariſiorum conuentus patrum habitus. Græci oratores Cæſarẽ ſuum admonere iuſſi, vt cũ cæteris piis ſentiret. Ab hoc concilio in hoſtem reditum. Cadurci, Toloſa, Albii, hæc & quãplurima ignobilia oppida recepta. Rurſus in Biturigibus conuentu habito, ad reliquias belli perſequendas Rex contendebat, atrociaq; ad finiendum bellum exempla metui hominum proponebantur: cũ Vaifarus nulla reliqua finiendi belli ſpe, occiditur à ſuis: gratiám ne victoris validi potentioriſq; quærentibus, an iuſtioris cauſſæ gratia ſcelus auſis. Continuo & Pipinus obiit anno eius ſeculi duodeſeptuageſimo, cum non multo ante Paulus Põtifex deceſſiſſet. CAROLVS Carolomanuſq; de regni diuiſione verbis diſceptabant: & antê quã certi vtriuſq; fines Imperii eſſent, Hunnoldus Aquitaniæ nobiliſſimus, fauore etiã nomi-

nis, quòd Eudonis filius maior Hunnoldus vocitatus fuiſſet, Dux ſalutatus omnem Aquitaniã ſubnixus reliquiis exercitus Vaifari facilè occupat: quòd munitiſſima quondã oppida partim Vaifarus, partim Pipinus muris nudaſſet. Sperabãt qui Francorum Imperium aſpernabãtur, ſub ſuis Ducibus militare: prædariq; ſoliti, fore, vt inter feroces fratres Reges infida ſemper regni ſocietate continuò bellum exoriretur, in hoc velut interregno locũ audaciæ datum iri. In vlteriore Aquitania Lupus pari nobilitate Vaſconiæ Dux ſalutatur. ea res effecit, vt maturius opes diuiderentur. Carolo maiori Nouiodunum, Carolomano Sueſſiones, Regiæ euenere: Trãſrhenanæ nationes Carolomano parebãt, Carolo Aquitania contribuebatur: ad quã ab iniuria vindicandã celeritate opus erat, quòd in regnãdi primordiis poſitũ ſit rerũ diſcrimen: ac vt initio animi populariũ afficiuntur, ita ferè deinceps Reges vel cõtemnantur, vel metuãtur. Carolus â fratre auxilia ad illud bellũ precibus impetrare nõ potuit: delectu habito in ſui iuris Gallia, in hoſtem duxit egregias copias, ſuiq; amantiſſimas, quòd adoleſcẽtiæ maiorem partẽ militiæ q̃ domi egiſſet, omnibuſq; paternis, vbi primũ per ætatẽ licuit, interfuiſſet bellis: quædã etiã ductu ſuo vnius geſſiſſet: ſimul vigor animi, roburq; corporis; indoleſq; maxima quæq; de ſe ſpondens, milites nobilitatemq; ſibi mire cõciliarat. quo fauore motus Carolomanus, vel metu vel inuidia offendebatur. Sed fortuna virtuti fauit. Hunnoldus cum Santones, Pictones, Engoliſmẽſes capere arma iubet, aſpernãtibus illis Imperiũ, negantibuſq; ſe aduerſus Francos Regemq; pugnaturos, ad Lupũ ſe recepit, vt in cauſſa cõmuni cõmuniter bellarẽt. Plus metus pœnæ, & ſpes veniæ à nouo Rege, q̃ ſocietas conſiliorum valuit. Rex Aquitaniã ingreſſus, vrbes tradẽtes ſe benigne recepit, prohibuitq; iniuriis militũ. Ad Dordonã fluuiũ caſtris poſitis, ad Lupũ miſit legatos qui Hunnoldũ repeterẽt, grauiterq; minitarẽtur niſi eueſtigio redderetur. Dũ expectatur reditus legatorũ, Rex edito loco opportunoq; ad frenandã ea parte audaciam, Fronciacum oppidũ condidit, præſidiũq; impoſuit. Mox adductus Hunnoldus in cuſtodiam traditur. Lupus in verba Regis iurauit. Reliqua parte anni quies à bellis tenuit, conuentuſq; Francorum in Vangionibus habitus. Berta mater Regum Romã religionis cauſſa profecta, in itinere cũ Deſiderio Rege egit de Theodora eius ſorore Carolo collocanda. Hanc vxorem magnificentiſſime ductã repudiauit anno circũacto incerta cauſſa, ſumma nõ Deſiderii modò, ſed & matris Bertæ indignatione, magnoq; rerũ motu inſecuto. Carolus, mortuo, cũ iam tertium Regnaret annum, fratre, proceres Regni eius ad ſe vltro veniẽtes, Regemq; ſe vnum omnis Galliæ ſalutãtes benigniſſime excepit, ampliſſimiſque verbis collaudatos, muneribus etiam proſecutus, in Vangionibus rurſus conuentum habuit. Exin Saxoniam ingreſſus, Ereſburgum nobile oppidum expugnauit, duodecimq; obſidibus acceptis in Franciam reuerſus, Hildegrandem Principem Sueuæ nobilitatis virginem vxorem accepit: pacatiſque omnibus cogitationem rerum Italicarum ſuſcepit. Berta Carolomani cum duobus paruis ex eo liberis comite Audomaro ſummæ tota Gallia dignationis gratiæque viro ad Taſſillonem Bauarum, & cum in eo plus animorum quàm virium cerneret; ad Deſiderium Re-

gem ſe contulit Carolo iratum ſorore repudiata,& Francorũ opes metuentem,cum antea etiam morte Pipini, diuiſaq; inter duos fratres male concordes re Francica,liber metu rem Romanam perturbaſſe feratur : eiuſq; opera conflatum eſſe in Pontificatu maximo ſchiſma,quòd mortuo Paulo Pontifice ſedem inuaſiſſet Conſtantinus Totonis Nepeſini Ducis frater profanus adhuc,aliis largitione corruptis,aliis vi aperta coactis.Annum munia Pontificia obiit,quoad Stephanus tertius incorruptioribus ac liberioribus comitiis Pontifex deſignatus,ad pios Principes, & in primis ad fratres Reges in Galliam miſit,qui patres in Concilium Lateranenſe euocarent . Duodecim delecti Epiſcopi è Francia iuere.Authoribus patribus ius ſedis Stephano adiudicatur,deiecto Conſtantino.Abrogata etiam Cõſtantini Cæſaris Græci Synodus,vbi corrogatis impietatis ſociis,illíſque ex compoſito certatim acclamãtibus,Ab Idolorum ſeruitute aſſere nos Cæſar:decretum fuerat, qui imagines in templis retinerent,eos Idolorum cultores videri . Conſtantinus Patriarcha Byzantiorum ſeruili cruciatu interemptus eſt,quòd cum noſtris ſentiret,Nicetéſque Eunuchus ſuffectus.Romæ vero verbum facere,aut aliquid pro poteſtate agere Cæſaris cubicularius Paulus Ephialta non audebat , nec ſe Ducem præſidémve Romanorum dicere:vt cæteri à Cæſare in vrbẽ miſſi ante arma à Pipino pro Romana libertate ſuſcepta.Deſiderii intererat authoritatem Francorum in Italia imminui,ſedem Romanam ſeditionibus laborare,Græcorum nomen Francis opponi:vt his rerum alienarum fluctibus, ipſe Regni ſui fines longius propagaret:eam ob rem quicquid ſecus fiebat,id vni Deſiderio exprobrabatur,coniectura mortaliũ,& ſuſpicione magis quàm re comperta inuiſo . In vrbem accitu Stephani præclare de illo ſentire viſi profectus,pacem cum eo ſanxit iureiurãdo verbis concepto pro Apoſtolorum ara:ſimul Ephialtam clara voce coràm ſecordiæ increpitauit,quòd conniueret in ſedis Romanæ procellis, deſiderétque . Ille lætus occaſione vltro oblata aliquid pro Imperio agendi,Chriſtophorũ Primicerium, & Sergium Secundicerium cõprehenſos luminibus priuauit, & aliquot alios in exilium egit partium Francicarum viros.Et ex vrbe perturbatio Rauennã nullius rei faciliore quàm mali exempli contagione trãſiit.In defuncti Sergii Rauennatium Archiepiſcopi locum largitione ſuffectus eſt Michael Scriniarius , nullisdum initiatus ſacris , Mauricio Ariminenſium Duce & Deſiderio Rege eius cauſſam tutantibus.Ad eam rem opprimendam Carolus mortuo fratre oratores ſuos miſit. His legatíſque Pontificis agentibus deiecto Michaele , iuſtis ſacerdotii comitiis Leo Archiepiſcopus lectus confirmatur à Stephano : quo circiter quartum ſedis ſuæ annum defuncto,Hadrianus Pontifex creatus ſtatim præ ſe tulit nihil ſe fidei fœdus petenti Deſiderio habere, opéque Francorum rem Romanam defenſurum.omnia in Deſiderii exitium ſpectabant . Ad eum Hunnoldus tranſiit dimiſſus à Carolo , cum redituru ſe fidem iureiurando dediſſet,per ſimulationem religionis , adorandíque Pontificis venia impetrata . Is accenſum per ſe Deſiderium multo magis inflammauit : & ſummus bello Dux videbatur, nec victus , niſi ſuis prodentibus . Longobardus contendebat , vt cum manu ſummi Pontificis

nō modò Pipinus,ſed & Carolus & Carolomanus inuncti fuiſſent,eorumq; ſoboli ius Regnandi datum à Francis, Hadrianus Pontifex Carolomani liberos eoſdem Pipini nepotes Reges appellaret,inungerétque, quòd eius iudicium ſanctum apud Francos fore non dubitaret, Regnúmque paternum ad adoleſcentulos rediturum, ac nouis bellorum incendiis Franciam arſuram:Carolum viuo fratre neminem quieſcentem laceſſiſſe, reducibus fratris filiis, qui opibus exuti à quo minime deceret, iniuriarum patrui,& beneficiorum externæ Regiæ memores futuri eſſent,bella domi habiturum, foris non quæſiturum. ſimul Hunnoldus iactabat, Aquitaniam, & in prims Vaſconiam iugum recens excutere conari:ad primum rumorem belli paratam eſſe libertatem priſtinam repetere: Ruinas vrbium, patriæque excidium quotidie oculis miſerorum obuerſari: Proceres Ducéſque alios alibi exulare: vbi primum ſit qui bellicum canat, publicas priuatáſque iniurias ſuas quemque vltum ituros: tantùm deeſſe ~~authorem armorum~~: animis omnes paratos. Authoritate,precibúſve,aut cauſſa permouere non poterat Hadrianum,vt Bertæ puerorúmque patrocinium ſuſciperet: quòd eum non fallebat,non miſericordia profugorum Deſiderium adduci, ſed vt res Francica vnicum eccleſiæ Romanæ certiſſimúmque præſidium diſtraheretur, ac vel reddito vel pernegato Carolomani liberis Regno perturbaretur: & animus Caroli Pontificū amantiſſimi alienior fieret.Et Longobardorum opes Regē acerrimo ſolertiſſimoq; Deſiderio erigebantur in ſpem Francorū,metu ſublato non Exarchiæ modò recuperandæ, ſed & Ducatus Romani, qui ſola religione tutus erat, & totius Italiæ potiundæ. Ab eo ingraueſcente in dies metu ſe ſuóſque vindicare cupiens Hadrianus, à Franco opem implorabat per oratores:quoniam terreſtria itinera, vel ſuſpecta, vel infeſta, vel vtique clauſa Romanis à Longobardo erant, mari in Galliam miſſos. Vixdum hi profecti erant,cum Deſiderius comperto Pontificis conſilio, antequā quicquam è Gallia,vnde ſemper procellam illa Regia metuebat,moueretur,miſcere agerēque rem Romanam ſtatuit:vt præſenti pauore attonitus Hadrianus auerteretur à Carolo reſpiciendo.Satis cauſſæ Franco poterat videri belli extemplo Italici capeſſendi,& quòd ſui iudicii faceret Deſiderius rem Gallicam,arbitrúmque ſe præſtaret diſceptationis de Regno Frācorum,eámque aleret: & quòd Hunnoldum haud dubie Francorum hoſtem, conſiliáque agitantem de Francico bello,parti copiarum præfeciſſet,faucéſque Alpium obtinendas illius fidei demandaſſet. Nihil tamen temere,per cupiditatēmve motum.In Italiā ad res inſpiciendas oratores miſſi,quos Lōgobardus honorificentiſſime excepit:vetera neceſſitudinis pignora inter Frācos Longobardóſque ac ſocietatem cōmemorauit:ſibi nullas cū Hadriano inimicitias ſuo nomine eſſe:nullam eſſe cauſſam belli, niſi quòd Pontifex pacem ſæpe ſuppliciterq; petitā ſemper denegarit: ſibi neceſſitatem bellādi eum impoſuiſſe. Quicquid à quoquam vſquā ſecus factū ſit,ſe vno authore factū dicere Romanum.Si Rex Carolus non criminibus maledictiſq; iratorū hominū,quiq; quoniā ſemel negauerint pacem, iure optimo ſancteq; negaſſe videri velint, ſed rebus ipſis fidē habeat:inuenturum nihil ab ſe niſi Regio animo actum;

se rursus missurum Romam legatos de pace. Interea, si videretur, vel domum renunciarent legationem, vel expectarent quidnam consilii Pontifici de pace foret. Expectari placuit. Longobardus quidem pacem in Vrbe petebat, sed addebat leges, vt suarum partium Pontifex fieret: & quia ille id se facturum negabat, Desiderius ex professo Hadriano hostis Rauennatium Exarchiã armis ingressus, Fauentiam Comaclúmque ceperat. Rauenna ægre vim sustinuit, defendẽte Leone Archiepiscopo, & tribus tribunis comitiis publicis creatis, quòd ea vrbs in fide magis quàm ditione Pontificis degeret: ad quem etiam missi sunt qui auxilium peterent. Sed veræ vires in Francis erant. Hæ dum expectantur, Desiderius propius Vrbem mouens, Vrbinum, Senogalliam, Eugubium occupat. Iam Spoleto cum Carolomani liberis appropinquabat, voti gratia exsoluendi Romam iter facere se dictitans: sed ingens agmen sequebatur: cum tres Episcopi à Pontifice ad eum legati interdicũt illi vlteriore progressu, diris caput eius detestantes, nisi dicto audiens esset. Valuerunt ~~atroces minæ,~~ sacráque denunciatio. Carolo vbi renunciatum est à suis, omnia in Italia hostilia: tunc digna piáque belli causa visa. Proinde in Allobrogibus conuentu habito, coactóque de sententia concilii exercitu, Carolus ipse cum parte copiarum iugum Cinisium (Dionysium alii vocant) petit. Bernardum auunculum saltum Iouis occupare cum reliquo milite iubet. vtrinque deiectis Desiderianis, coniuncto in Subalpinis exercitu, cum hoste atroci pugna certatum est. Exin ad Mortariam signa rursus collata, cæsis aliquot Francorum nobilissimis: victoria tamen Carolo parta, Papiam obsidendis à Franco Regibus Longo~~bardorum vrbem~~ fatalem, séque in ea obsidendum hostis præbuit, præparatis omnibus ad tolerandam obsidionem. Vxores liberíque prælio interemptorum Hunnoldum authorem aspernandæ pacis lapidibus obruerunt. Ad primum nuncium victi Desiderii, nobiles Longobardorum Spoletini ducatus incolæ, qui auxilio aduersus Frãcos Desiderio ire recusarant, Romam profecti, in fidem Pontificis venientes, capillum barbámque ponebant: quod apud eos sanctioris deditionis argumentum erat: eorum exemplum sequentibus Anconitanis, Auximatibus, Firmanis. Multi eorum charitate Vrbis, vt tutis tandem auspicatioribúsque sedibus vterentur, domum non redierunt. His Vaticanum incolendum Pontifex dedit: quò in dies maior eius gentis multitudo commigrauit. Interea Carolus Bernardo auunculo Papiæ obsidionem mandat. Ipse cum delecto equitatu Veronam proficiscitur, quò refugerat Adelgisius Desiderii filius cum Carolomani liberis, & eorum matre Berta. Mulier se adolescentulósque aduenienti Carolo dedidit. Leui castigatione verborum recepti, ac in Franciam missi, in honoréque habiti. Omnes Galliæ Italicæ vrbes præter Papiam in fidem recepit. Venetos viginti triremes aduerso Pado atque inde Ticino ad terrendum nouo genere belli Desiderium, vt studium suum ipsi quoque Francis probarent, misisse, sunt qui scribant. Omne genus mortalium fide officióque erga Carolum inter se certabat. Adelgisius fuga prærepta procul ad Græcos se contulit. Francus Rex remissis quas secum in expeditionem duxerat copiis, ad auunculum, iussóque eo con-

eo continuare obsidionem, cum cohorte amicorum Romam petens apparatissime excipitur. Virtutem in bello, clementiam in victoria perspexerant. Religio ea peregrinatione enituit,& veræ libertatis ciuilitatísque argumentum erat,quòd inermis inermi comitatu Apenninum trangressus,tantúmque Italiæ Rex externus nondum confecto bello emensus adueniret:id quod nemo vnquam qui armatus Italiam petiuisset,fecerat. Eóque tutius, & maiore omnium charitate veneratione q; iter faciebat. Appropinquanti,officii caussa,præter ignobile mortalium vulgus, ad tria millia non contemnendorum hominum,qui indolem maiestatis Romanæ præ se ferrent, occurrerunt,aduentum eius gratulantes,numénque precantes,vt faustus, fœlixque ei,ac nomini Francico,Italicóque,& populo Romano,Pontificique foret: illiúsque pietati, & ingentibus ipsius paternísque atque auitis erga Vrbem beneficiis gratiam referret, quam longe maximam summis optimísque Regibus soleret. Præstolabatur Regem Hadrianus cum sacro cœtu pro gradibus ædis Petri. Ille vbi in congressum venit, prius Pontificis pedes oscúlo contigit, quàm se illi complectendum daret. Erat Hadrianus summa nobilitate, nec patria modò, sed & ingenio pectoréque Romanus, & vetere Vrbe dignus, ac vt vita Pontificatuq; sanctus,ita animo moribúsque Regius. Vterque igitur & in congressu,& longiore consuetudine alteri admirationi fuit. Proceres quoque Romani Francíque comitate officiísque inter se certarunt. Simul societatem amicitiâmque iunxerunt: eosdem vtrisque socios hostésque fore:fidémque tacta Apostolorum ara dedere,acceperéque. Rex per quatriduum continens templa circumiuit,donauítque munificentissime. Diem resurgenti domino festum apud Pontificem egit. Octo dies in Vrbe mansit, nullis religionis liberalitatísve Regiæ partibus omissis. Munera quoque Pipini patris non confirmauit modò,sed auxit. Exarchia Rauennatium sub ditione Pontificis esse iussa. Ferunt Corsicam insulam,& quicquid Lyguriæ ab vrbis Lunæ multis antè ætatibus euersæ vestigiis ad Alpes pertinet, Pontificatui attributum. Et ne odio gentis bellum geri videretur, Vinigisio Spoletinus Ducatus, Rhogando Foroiulienſis, Aragisio Beneuentanus redditi: fide tantùm iureiurando oppignerata. Aragisius Desiderii gener erat,sed nihil mouerat. Et vt beneficentiæ Francorum aliqua referretur gratia, Carolus à Pontifice Patricius creatur,quòd vt Magisterium equitum,Principatúsque viam Ducibus Austrasianis ad Regnum munierat, ita is tituli honor gradum Carolo ad Imperium daturus erat. Regressus in castra Francus, omnia prius expertus, si cogere pelliceréve ad deditionem hostes posset: vbi nihil procedit, nec vi expugnandæ vrbis Regiæ, Rege solertissimo defendente, nisi magno militum periculo,rationem vllam inueniebat: ipse assidere vrbi statuit, vxorémque ac liberos domo in castra accersit: vt sciret hostis,nisi deditione facta, obsidionem solutum non iri: cum speraſſet Desiderius, etiam vt cætera amitterentur, nomine Regio ac vrbe Regia incolumi, fore vt omnia recuperarentur. Ea res per sex menses obsidionem traxit. Tandem velut mortalibus immortalibúsque infestis, cum pestilentia, faméque clausi laborarent, deditio est facta: Longobardus cum vxore

paruíſque liberis Leodium Eburonum exilii cauſſa miſſus, ac diſſimulanter cuſtodiri iuſſus. Mediolano Papiæ'que clariſſimi Francorum viri Præfecti dati, qui gentis pacem legéſque ita tutarentur, vt deinceps ſuorum Regum deſiderio non tenerentur. Interea Saxones Ereſburgum, vbi Francorum præſidium erat, oppugnant. Primò egregie defenſum eſt: deinde cum facta eruptione Franci pugnarent, hoſtis ſimulata fuga in præparatas interea inſidias eos pertraxit: tantâmque cædem edidit, vt perpauci ſupereſſent. Hiq; quoad vires humanæ ſufficere poterant, mœnia tutati ſunt: deinde cum ex hac quoque paucitate quotidie aliqui caderent, quòd hoſtes perpetua oppugnatione alii aliis in orbem ſuccedebant: Francos paucitas eoſdem ſemper in muris telis hoſtium obiiciebat: tandem in conditiones deſcenſum, vt relicto oppido milites Sigiburgum nobiliſſimum vetuſtiſſimúmque oppidum incolumes abirent: vbi alterum Francorum præſidium erat. Hoc quoque mox Saxones tentantes Francus non eruptione, ſed conſtantia, tutandíſque, cum ſatis multi eſſent, viciſſim mœnibus, re infecta, tædio diſcedere coëgit. Exin finitimas ſibi Francorum prouincias populati, templa noſtra, ipſi deorum cultores, incenderunt. Equitatus Francorum recenti gloria Italicarum rerum ingens, quatuor in partes diuiſus in hoſtes mittitur, vt effuſiore bello vrerentur fines, Saxonéſque ignari cui potiſſimum parti obuiam procederent, ancipiti terrore circunfunderentur. Tres partes obuium hoſtem habuere, fugauereq; quarta nemine occurréte late vagata eſt. Ereſburgum bellicis malis affectum reſtituitur, firmatúrque. Sigiburgenſe præſidium collaudatur. Alio terrarum orbe Adelgiſius Græcos Auguſtúmque concitabat: Italiam vrbémque Romam Imperii arcem ſpecie libertatis religioniſq; Auguſtis ademptam Francorum nutu, quò eis commodum ſit, circumagi. Qui Italicas res Gallicis adiunxerit, ac Germanicas iungat: quò ſpe enitatur, cogitandum magis Auguſtis, quàm ſibi ominandum. Simul ad proceres Longobardorum amicoſq; paternos literas miſit, vt priſtinæ maieſtatis memores, erigendam rem Longobardicam Italicámque ſecum capeſſerent. Nec verbis tantum erat magnificus adhortator, ſed claſſe à Græcis accepta, Patriciûſque (qui apud Auguſtos erat ſummorum Ducum titulus) ſalutatus, vt Francis par nominis maieſtas obiiceretur, Byzantio ſoluit: ad quem rumorem omnium animi in magnarum rerum expectationem erigebantur. Rhogandus Foroiulienſium Dux ex profeſſo defecit, exercitúque coacto ſe Ducem præbebat, ſi quis rem Longobardicam ſaluam vellet: & Regii decoris amiſſi recens apud omnes dolor quamplurimos armabat. Nihil æque atque celeritas rem Francicam iuuit. Equites cum leui armatura à Carolo præmiſſi Rhogandum acie occidere, fuga cæterorum maiore quàm cæde. Subſequens Carolus allata ſuorum victoria ex itinere in Saxoniam rediit, quòd more ſuo Saxones bellum renouabant, Ereſburgúmque maiore quàm antè vi oppugnabant, cuniculis agendis, ſubruendíſque muris, & ſcalis erigendis, contemptúque mortis: vt Præfectus præſidii aduerſus tantum terrorem amiſſa ſpe defendendæ ex muris vrbis, eruptionem coactus ſit facere. Quo intentiores in mœnia erant, eo facilius Francus miles repentina

eruptione facta adortus nihil tale ab incluſis expectantes, tantam cædem fecit,vt ſoluta ſit obſidio. Rex Foroiulienſem Præfecturam primùm Comitibus Francis procurandam dedit. Henricum deinde Francum Foroiuliēſium Ducem creauit,additis finitimis regionibus, ſimul Stiria Charintiáque. Vbi accepit Adelgiſium depoſita ſpe rerum Italicarum ad Auguſtum reuertiſſe; in Vangionibus conuentu habito,in Saxoniam cum omnibus copiis peruenit:caſtríſque idoneo loco munitis,cum delectis in expeditionem proficiſcitur. Quocunque ibat,cura,victoriáque ſequebatur. Qui in caſtris permanere iuſſi erant, immemores imperii vagabantur: pleníque præda redeuntes,quo magis caſtris appropinquabant,eo magis incompoſiti. Germanico & ſermone & ornatu magna ex parte miles Caroli,atque adeo ipſe Carolus vtebatur: vt nullum diſcrimē eſſet inter hunc hoſtiúmque exercitum,niſi ſacrorū animorúmque. Diuina occaſio viſa Saxonibus qui in inſidiis latebant,remq; explorarant: & iam nox appetens conſilium mire iuuabat. Inſignia iam nota induunt,procedunt placide,hoſti incauto vt commilitones ſe aggregant: caſtra cæca nocte ſimul ingrediuntur abſente Rege incuſtodita. Franci arma ponunt: Saxones vbi tempus viſum eſt,ſublato clamore, cædunt, ſternunt: cruore omnia madent. In media vſque caſtra terror mórſque cruenta peruenit. Qui in extremis tetenderant caſtris,fugam circunſpiciebant. Sed tam propinquo hoſte arma capere coacti, cum præter ſpem reſiſterent, animos recipiunt,colligúntque:& hoſtis cæde ſatiatus ſenſim ſe recepit, Franco inſidias adhuc verito,nec inſequi auſo. Regreſſus Rex ignominia paucos notat, quorum curam intentiſſimam eſſe oportuerat:reliquos pro concione increpitat,quòd ſe ludificandos,capiendos, cædendóſque ignauiſſimo tradiderint hoſti:virtutéque ſuperiores,furto circunuenti fuerint:non vigilias actas, non cuſtodias ſeruatas, non ſtationes habitas, proditam militarem diſciplinam: Francico nomini in eam diem inuicto,notam turpitudinis inuſtam: deſertores fuſtuario mortéque iure plecti: Quam tandem pœnam meritos eſſe, qui per negligentiam ſecordiámque hoſtem armatum in media caſtra intromiſerint,quæ abſente Rege communis ſalutis procurandæ principe,vel diligentius cuſtodiri tegíque debuerint? ſe nullam tanti flagitii purgationem excuſationémque cernere. Nec ſibi milites prius quàm edomita ſuperbia victoris hoſtis ſatisfacturos: conniterentur oſtendere hoſti, virtutem Francorum ſemel fraude eludi poſſe: iterum neque falli, neque vinci poſſe. Nec eſſe difficile contundere ferociam hoſtis,qui abiecta iuſti prælii ſpe, latebras captet, & furtis inſidiarum nitatur. Ita cum varie caſtigaſſet milites, conſolatúſque eſſet,ac ad eluendam virtute ignominiam excitaſſet: omnes ardebant cupiditate rei primo quoque tempore gerendæ. Rex quoque, quæ priore expeditione non adiuerat,ne diuturnior hoſti lætitia foret, peruaſtabat: & miles non hominibus,non iumentis,non pecoribus,nō arboribus infœlicibus frugiferíſve,non ſatis ipſis,non tectis parcere. Quodcunque trucis iræ poteſt exemplum edebatur. Clamor ploratúſque vndique omnis generis mortalium, ſexúſque ac ætatis exaudiebatur. Crudelitas,indignitas,furor paſſim graſſabatur, ſæuiebat, quoad coacti hoſtes in caſtra ſupplices venere. Auerſis auribus

militum auditi, Regem demiſiſſimis precibus lacrymíſque placauere: vt naturæ potius ſuæ clementiæq; , quàm vel erroris vel culpæ ipſorum rationem haberet: ſe omnia paſſos belli mala: ſatis pœnarum fontes inſontéſque dediſſe: reciperet in fidem peccato ſuo miſeros calamitoſóſque, ſeruarétque corporibus affectos, mente tandem reſipiſcentes, noxámque confeſſos: eo obſequentius in fide permanſuros, quòd experti ceruicibus ſuis ſint omnia triſtia accidere fœderis humani diuinique violatoribus. Eorum quamplurimi oratione Francorum procerum adducti ſunt, vt noſtri religione fierent. Ab aliis obſides accepti. Qui vero grauiſſimæ in Francos noxæ ſibi cõſcii erant, vlterioribus munitioribuſq; arcibus ſe tegebãt, mittebant tamen legatos ſe quoque in fidem Francorum venturos, CHRISTVMq; profeſſuros, ſi aliquo pignore capiti ſuo caueretur. Quia de religione agebatur, nõ turpe ſibi Francicóque nomini duxit Rex, nobiliſſimos amicorum obſides dare. ita dediti, ac ſacra aqua loti. Veſtfali quoque pugna victi in ditionem venerunt. Francia florebat domeſticæ pacis externæque victoriæ bonis perfruens, ingenſq;. Nullum Regnum Chriſtianum erat non multo Francis inferius virtute, gloria, nobilitate, opibus. Gallia, Italia, Germaniáque Carolo militabat. Ipſe Rex ſummus Dux, & veterum Imperatorum memoriæ par. Arma Gallica quietis ignara impatientiáque aliò verti neceſſe erat. Proxima Hiſpania procellam hanc ſolicita expectabat. Saraceni eam magna ex parte obtinebant, experti armis nequaquam Gallis ſe conferendos: nec dubitabant, vt ipſi vltro tranſmiſſo Pyrenæo ſaltu Galliam ſæpe vexarant, ita Carolum Regem victorem matura ætate in Hiſpaniam tranſgreſſurum, qui adoleſcens opem Chriſtianis Hiſpanorum reliquiis aduerſus ſe tuliſſet: ſimul Aſtures, Galeciq; per legatos Franco congratulabantur victorias partas, Saxonibuſq; religionẽ datam, & Pontificiam dignitatem ab iniuria cupiditateq; vindicatam: orabãt, vt natus ad nomen CHRISTI propagandum, Hiſpanorum, qui ſummis cruciatibus alii ſuper alios quotidie à Saracenis capti necari malint, quàm impiorum iugum nedum religionem ſubire, miſereretur. Saxonũ ſalutem, qui à vero numine alieni eſſent, curæ Carolo extitiſſe, vt pii fierent: maiorẽ apud ſuperos laudem promeriturum, ſi tela barbaræ ſuperſtitionis à iugulo piorũ auertat, bellúmque Saracenorum ab auo ſuſceptum, à patre geſtum, ipſe tanto ex interuallo conficiat, quod adoleſcentulus attigerit. Saraceni multum in futurum proſpicientes, imminentis ſibi ex Gallia belli impetum quia fracturos ſe viribus non ſperabant, arte vel leuare, vel declinare cogitabant. Complures Reguli erant, qui ita ſummæ rei vniuerſi conſulebant, vt ſibi proprie ſinguli proſpicerent. Ibnabala erat Cæſarauguſtanorum Regulus conſilio quàm armis nobilior, id quod tempora & hoſtis Francus fieri cogebat. Is vltro in Galliam ad Carolum venit, ſe ab ſuis domo pulſum dictitans, quòd dicerent eum inſidias tetendiſſe cæteris ſuæ ſectæ Regibus, literáſque interceptas quas de ſocietate amicitiáque iungenda cum ad Francos dediſſe coarguerent. Rex ignarus verẽ ne hæc an falſò & barbara fide dicerentur, quia tamen ipſum in poteſtate haberet, eam cogitationem ſuſcepit, vt ſtatueret cũ debellatum vbique eſſet, dimittendús ne exercitus, an in Hiſpaniam traducendus.

cendus. Aſtures legati non Ibnabalam, ſed rem ipſam ſpectari oportere dicitabant. Saracenos victores, dum prædam de nobis petunt, communi in nos odio affici: à Francis nuper victos, ab ipſis Hiſpanis animos ope Francorum tollentibus ita coërcitos, vt pari iam Marte res agatur: & ipſos, quibus cæteros mortales, animi morbis laborare, factionibus, ſeditionibúsque, quòd prædæ aſſueti, cum ab iuſto hoſte non poſſint, à ſociis eam petant. Itum igitur in Hiſpaniam, non tanquã accitu Ibnabalę, ſed æque ac ſi cum omni Barbaria bellandum eſſet. Nullum genus auxiliorum repudiatum eſt. Non modò qui in ditione fidéve Caroli erant, ſed & quidam Danicæ iuuentutis proceres inter Duces recepti: quos ſtudium armorum, virtutisq; oſtentandæ cupido perduxerat. Nec traiiciẽdis Alpibus aſſuetum militem terrebat Pyrenæi ſaltus aſperitas, rupesq; nubibus inſeſſæ, cælo immiſtorum montium iuga niuibus cana, cõfragoſæq; ac arctæ & pleræque præcipites viæ, depreſſiſſimæq; conuallium altitudines, ſtrepitúsque amnium cum ſonitu decidentium, viduaq; gignentibus, & cultu hominum vacua deſertáque. Natura vt Italiam Alpibus à Gallia, ita Hiſpaniam Pyrenæo ſaltu muniuerat: ſed exercitibus iam inde à prima mortalium memoria magis peruiæ tritæq;, quàm hic illæ patuere. Tunc quo maior ſolitudo in Pyrenæo conſpiciebatur, eo ſuſpicio maior, ne occultus hoſtis, prædóve repentinus terga lateráve, vt quæque pars opportuna inſidiantibus eſſet, adoriretur. Omnia tuta fuere, vel cautione Francorũ, vel nullo hoſte, inſidiatoréve. Ad Pompellonem caſtra poſita. Miſſi qui percontarentur, deditionẽm ne facere Saraceni, qui eam valido præſidio inſederãt, an fortunam belli experiri vellent. Tempus primùm ad deliberandum petebant: datum eſt diei ſpatium: deinde id agebant, vt ad Reges ſocios amicósque ſibi mittere liceret: vt niſi intra quindecim dies auxilio illi præſto eſſent, dederent ſeſe, vrbémque: è re Francorum eſſe, vrbe integra à clade belli potiri potius, quàm & à victore per iram, & à victo per deſperationem euerſa. nec hac mora Francũ vllius rei iacturam facere. Vrbem enim, vt omnes terrores ingruãt, vim eo dierum numero laturam, & Francos ſi occurrentibus ſuis pugna ſuperiores ſint, portarum clauſtra ſolo verborum imperio refracturos: idq; ex eorum dignitate, ac vtrorumque commodo eſſe, ne inſontes vrbes, ad quas liberandas Franci veniſſe ſe dicerent, omiſſis hoſtibus armatis exempla belli vtrinq; paterentur, quæ oppugnationis neceſſitas inſolentiaq; afferat. Francus ea à Barbaro dici ratus, vt bellum magno impetu cœptum, mora langueſceret, conſeneſceretq;, quòd in re militari initia perſæpe rem totam trahant: dari nolebat tempus hoſtibus ad belli apparatum. Et Saraceni initio ſoliti fortunæ vnius prælii ſummam rerum committere, quãdò id tandem parum proſpere ceſſerat, morẽ veteris Hiſpaniæ ſecuti, perpetuis bellis leuia prælia quæ vniuerſam rem iuuarent potius quàm decernerent, faciebant: ſecundis haud ſegniter vtebantur, dubiis experiendo, aduerſis cunctando tempus extrahebant. Bellum igitur denunciatum, & iuſſus miles parare quæ oppugnandis circunſedendíſque vrbibus vſui ſunt, nec tam lentam oppugnationem hanc facere quàm Papiæ Deſideriíque fuerat. Tunc enim piam vrbem, piúmque Regem, cuius vitæ nobilitatiq; parcendum eſſet, obſeſſum: nunc aduerſus Barbaram

religionem nobiſcum ad internecionem bellantem,rem eſſe.Materia cæſa,& ſuburbanis ædificiis dirutis tigna comportabantur : omnia ſuppeditabant ad opera facienda. Hoſtis aſſiduus aderat,crebra eruptione ferro ignéque armatus,velox ſubitúsque,omne tempus, omnem locum conatúmque varia ludificatione intutum,infidum,infeſtumq; faciens:prius circunfuſus,quàm venturum quis ſuſpicari poſſet:prius cæde incēdióve facto ex oculis ſe proripiens, quàm contrà eundi ſpatium daretur . ad portas caſtrorum primo tumultum trepidationémque perſæpe iniecit.deinde oppoſitis aduerſus vrbis portas ſtationibus,ne tunc quidem arceri poterat, quin pari audacia impetum faceret: nec prius quàm perfectis operibus, circumuallatúsque claudi mœnibus potuit. Tunc quoque præſtanter non virtutem muris, ſed muros virtute defendebat . Turres Francus ex materia mobiles excitarat , duas ſublimiores vrbis propugnaculis,nō modò vt telis nūdarent defenſoribus muros,ſed vt in mœnia tranſcenderetur . quæ vbi primum diuerſis partibus propius agebantur, tunc miſſilem ignem ad primum earum conſpectum præparatum tormentis iniiciebant,qui motu ipſo maiore flamma concepta,& oculos perſtringebat, & quocunque incidiſſet,alibi incendium, alibi inſanam trepidationem faciebat.Vna turrium propius admota,terrore micantis flammæ eueſtigio deſerta: altera non ſatis munito itinere,ſimul ſuo ac ſuperſtantiū pondere,pontiumq; mole,tumultúque,prioribus rotis depreſſiore in altum orbita ſedentibus hæſit, magno hoſtium, velut numini ſalus eorum cordi foret, miraculo, & noſtrorum conſternatione. Ita ludibrio id inceptum fuit, augebantúrque animi barbarorum.Perſtandum tamen Francus,ac omnes difficultates vincēdas exiſtimabat. Dum obſidio diutius ſpe trahitur, Reges barbari non ipſi cum exercitu ad pugnandum iuſto prælio aderant , ſed per occaſiones notis ſemitis leuis armaturæ milites ſubmittebant, qui ſæpius noctu quàm interdiu repentino tumultu caſtra perturbarēt:quædam etiam manus cæſis cuſtodibus,peruptísque munitionibus in vrbem penetrans,ſpei bonæ obſeſſos impleuit.Carolus vinci inſolens,flagitium ferre non poterat.Cōſilium Præfectorum ſuorum habet:iubet omnes intentos eſſe ad ſua quemque munera obeunda:falli eos,ſi credant virtutem in acie tantum inclareſcere:tolerātiam,vigilantiamq;, & inſomnes maxima ex parte noctes, diesq; laboribus plenos, & perpetuum cum mora temporis tædióque certamen, præcipuam eſſe partem diſciplinæ militaris.Ingens flagitium fore,ſi barbaro plus animi induſtriæq; inſit ad clauſos liberandos,quàm Francis ſociisq; ad clauſtra vel vi refringenda, vel pertinacia edomanda . ſuum quiſque munus impigre obiret, nec locum ludificationi hoſtium relinqueret:in armis ipſi eſſent,ſuósque continerent:ſe vigilias, cuſtodias, præſidia, ſtationes, vt quiſque locus, réſque, ac tempus poſtularet, diſpoſiturum:ipſi qui præeſſent, ſemetipſos primū, deinde & eos quibus imperarent,aſſuefacerent,cogerēntque vt prius collatis æquo campo ſignis vincere, ita nunc & exteriorem hoſtem eludentémque munitionibus arcere, & interiorem reſpirare non ſinere.Exin ancipitia munimenta facta: nec minore cura,quæ foras,quàm quæ intrò ſpectabant,cuſtodiebantur,firmabantúrque. Barbari eadem, qua prius, ſpe, incertis temporibus, ac locis occurſabant.

Coërciti, aut fœde pulſi, ſegnius inſtabant: multísque conatibus irritis, cum etiam ad ſignum ab ſe datum eruptionem clauſi tentaſſent, vbi & ipſi reiecti turpiter ſunt, & alii in portis retenti, alii ſuper alios cadebant, recipere ſe coacti, incepto deſtiterunt. Obſidio iam iuſta erat: & oppugnatio atrocior clauſos adorta eſt. Tanta multitudo militum vndiq; contractorum in caſtris erat, támque clari Duces, ac tam impiger Rex, vt cum continuaretur die noctuq; oppugnatio, aliiq; aliis in orbem ſuccederent, nec vllum genus operum, machinarum, tormentorum, ſcalarum, pontium, doli, artis, virtutis, omitteretur: hoſtis amens tandē conſternatusq;, veſana propè audacia per æqua, per iniqua ſcandentium Francorum oppreſſus ſit. Qui in muris ſtabant, omnes aut ferro cæſi, aut deiecti: in vrbe quoque ingens cædes ſtragesq; tenuit. Præconium ab Rege circummiſſum, vt inermi parceretur, finem cruoris fecit. Abiectis telis dextras inermes ſupplicesq; tendebāt, ad eam diem aſſueti potius mori, quàm dum arma ſuppeterent, ſe dedere. Tunc præda hominum facta, ad diripiendam vrbem diſcurſum, quæ ingens magniq; precii rerum fuit, vt de Barbaris, qui orbem terrarum ſpoliaſſent. Muri diruti, ad cæterorum terrorem: isq; metus effecit, vt aduenienti Franco Cæſarauguſta Ibnabalæ Regnum minus moræ difficultatísque præbuerit. Pauliſper obſeſſa in conditiones deſcendit, vt CHRISTI famulos concionantes audirent, Ibnabalā reciperent, Regemq; agnoſcerent. Duosq; finitimos Reges, Abutaurum & Deuiffezum, qui Ibnabalam domo exegiſſe inſimulabantur, in caſtra venire cū donis Francus coëgit, & vectigal paciſci: omnémque Hiſpaniam terrore nominis ſui impleuit. Adelphonſo Aſturiæ Galeciæq; Regi auxilia miſit: nec poſt eam diē piis Hiſpanis ſuperiores bello Barbari extitere, quos initio illi velut fulmina belli exhorruerant. Circūacta æſtate Francus deduxit exercitū, ſatis Francici nominis gloriā, & religionis pietatē auxiſſe ſe ratus. Ibnabalæ fides in petēda Hiſpania ſancta viſa, & Rex cauit ne falli capíve à quoquā mortalium poſſet. in reditu offenſum. Impedimenta Francorum grauia omnis fortunæ Regiæ priuatæq; ſunt direpta. Tota inuidia in Vaſcones vertit, quorum in finibus id acciderat. Rex militésque, vt in pacato anteceſſerant, reuerſi, nihil niſi fœdam inuenere ſarcinarum iumentorúmque diſſipatam ſtragem, aſportatâque ac abacta quæ concupiſci à prædonibus poſſent. Latronum tantùm veſtigia extabant, ipſi iuxtà inuiis deuiisq; aſſueti, notitia latebrarum, compendiísque viarum ſe tegebant. Militum vulgus ingenia Vaſconum latrociniis læta incuſabat, proceribus mota ſuſpicio. Ibnabala authore id factū: & ita quos euoluimus Vaſconum veteres annales tradunt: quos multis in rebus ſequi non alienum duximus in ſumma Francicorum, Latinorum, Hiſpanorúmque ſcriptorum varietate. Nec perſequi prædones, purgaréque latrociniis infeſta loca, & latebras excutere cupiens Rex potuit, quòd Saxonicus tumultus renatus fuerat, ac iam Galliam vrebat. Nullum enim Francus peregre bellum gerebat, quin rapto tempore Saxones rebellarent, immemores ſanguinis ſui, ſi quos forte dediſſent obſides. Abſente in Hiſpania Carolo, Vindocindus Dux Saxo profugus, & ſuos per internuncios, & alienos coràm ipſe ſolicitabat. Danorum arma in primis tentabat. Coacto datóque gentis cōcilio dicebat Francorum

conatus exteris nationibus Regnísque timendos : ſe, quia liber inter liberos degeret, domo pulſum, reliquis, antequam pereant, exemplo eſſe poſſe, vti rebus ſuis proſpiciant, ne in ſeruitutem ex imperio libertatéque decidant. Dum ad bellum Hiſpanienſe omnis pubes Gallica abeſſet, in vacuam Franciam arma ferantur : non tantum præſentem gloriam prædámque parari poſſe, ſed ita affligi euaſtarique ferro ignique Franciam, vt in futurum de ſalute ſua potius quàm de exterorum Imperiorum excidio cogitationes ſuſcipiat. Multitudinem moueri dictis apparebat. Tunc cõtrà vnus ê proceribus gentis egit,

» Vindocindum velle cauſſam ſuam communis gentium ſalutis videri: vt perditas res ſuas cum florentibus Danis miſceat, & alienis tegatur armis, qui ſuis tectus non fuerit : nec eum aliter loqui debuiſſe, qui calamitatis ſocium ſolatiúmque petat, cum remedium non inueniat. Danorum aliam cauſſam eſſe: nec oportere eos alia re quàm miſeratione exilium Vindocindi proſequi. Scio præſentem obiici prædam, ſed illa hamata eſt : qua qui paſti fuerint, mox ipſi prædæ ſint. Nunquam Francia tam milite vacua eſt, vt non viris, equis, armis, telis ſit ab externa vi munita. Citius ex terra edentur armati, ac lapides animabuntur, quàm iuuentus deſit Franciæ, quæ pro patria dimicet ferro. Eam quieſcentem laceſſere, minime ê re noſtra eſt: & quanto maiores copias eduxit Carolus, tanto magis reditus eius, ſi vltro laceſſimus, eſt extimeſcendus. Maneat volo in Hiſpania, non reuocabo. Dum ſanus eſt, nulla vnquam cupiditate Daniæ bellum inferet. Hæc nobis chara eſt, quia patria. Nullum maius beneficium à ſuperis habemus Dani, quàm arma, & inopiam. Adde quòd aliquot iuuentutis noſtræ proceres ſub Franco militant, quibus cum cupiam omnia ſecunda, cogor & illi cupere ſtuderêque. Eſt vir fortis Frãcus, eſt bonus, eſt nobilis: eius virtuti faueo: vt illũ noſtræ fatiere volumus.

Ita nullum publice auxilium Vindocindo decretum, cum voluntariis & manu popularium Rhenum tranſgreſſus Galliam vrebat, vaſtabátque. Præmiſſis ab Rege copiis ipſe, quíque cum eo erant, præda repleti, in tutum ſe recepere. Cæteri, quæ maior pars erat, nec Duci ſatis prædæ factum dicenti paruerant, ab Regiis palantes cæſi ad vnum omnes. In Saxoniam cum duxiſſet exercitum Rex, cõperiſſetq; Vindocindum ac reliquos proceres gentis ſe ad Taſſillonem Bauarorum Ducem, cui Luitperta Deſiderii filia nupſiſſet, contuliſſe : atrox eſſe ratus de inſontibus obſidibúsque ſupplicium ſumi, ab illis abſtinuit. Cæterum vt paulatim extingueretur Saxonum nomen, ipſiq; ſponte ſua aliis æquiorum legum gentibus ſe adſcribendos curarent: graues genti illi leges impoſuit, ac teſtamenti factionẽ, iusq; inteſtatis præterquam inter agnatos ſuccedendi ademit. Honores Magiſtratũsque gentis alienigenis, & in primis Scotis, mandabat, quorum egregia fide, virtutéque vtebatur. Sed nec veniæ facilitate reconciliari, nec armis victi frangi, nec conſortione religionis placari, nec æquis legibus flecti, nec iniquis domari, nec obſidibus oppignerari peruicacia illa Saxonum pectora poterant: & in tot Francorum occupationibus fortuna nouas ſemper rebellandi occaſiones cupientibus præbebat. Rex, dimiſſo reliquo milite, cum exiguis copiis tanquam in media pace in Vbiis ad Coloniam ſedebat. Sorabi, Sclauorum inclyta bello natio,

Saxonum fines populari cœpere: aduerſus quorũ vim Geillo Magiſter equitum miſſus,ab Rege iubetur habere delectum Saxonum:quos & in fide permanere,& magno animo ſua tutaturos ſperabat. Reuocantur etiam ad ſigna Francones,certiſſima Regis auxilia,quos Franciam Orientalem ſeculum illud vocitabat,& vnde oriundi Franci feruntur.Hiq; extemplo in armis Magiſtrũ equitum ſequebantur.Non multum itineris emenſi erant,cum Saxones,quorum præſidium petebatur,rebellaſſe nuncius affertur.Continuò & Theodoricus Comes Carolo cognatione iunctus affuit,vixdum digreſſo Geillone ad famam Saxonici tumultus ab Rege ad eum coërcendum miſſus.Habito cõſilio,de omnium ſententia conſtitutum eſt,vt prius quàm in aciem deſcenderent,exploretur vbi, ac quantus eſſet hoſtium exercitus,quidq; conſilii conatúsve capturus videretur. Compertũ eſt eos maiore in Francos aduentãtes q̃ in Sorabos ſua agentes ferentesq; ira,à tergo propinqui montis habere caſtra, citra quẽ amnis præterflueret.Placuit in citeriore ripa Teodoricũ conſidere, Geillonẽ vero tranſmiſſo fluuio propius montẽ.Ita bina caſtra facta modico inter ſe interuallo : vt ipſi nihil prius mouerent,ſed vtra parte hoſtis numero præſtans,ingenioq; ferox vim faceret,alteri auxilio accurrentes,terga alia pugna occupatorum adorirentur. Honore imperioq; militari Geillo,maieſtate Regiæ cognationis Theodoricus anteibat:in huncq;,cui etiam Saxonia prouincia data ab Rege erat,omnis gloria rei bello bene fœliciterq; geſtæ verſura erat. Cæterũ Geillo vt ſuum vnius illud decus faceret,tertia vigilia mouet, montemq; circũit.Prima luce hoſtem ſub ſignis ſtantem,paratumq; ad pugnã cõſpicatus,cohortatus milites vt de Saxone millies victo cruentas pœnas exigant,ſeq; intuentes pugnam capeſſant,viribus impar, maioréque Theodorici quàm hoſtis odio,in Saxonẽ ruens,breuem dimicationem fecit.Ipſe,omnesq; propè eius copiæ cæſæ à Saxonibus numero conſilioq; ſuperioribus,& nulla niſi in hoſtes iuſtos ira furẽtibus. Perpauci ad Theodoricum ex fuga ſe recepere:quò extemplo Rex,allata ſuorũ clade,cum nouis copiis venit. Saxones breui victoriæ fructu coacti deditionẽ facere,graui pœna luerunt.Mille quingenti ſecuri percuſſi, quorum præcipua noxa erat, maiore iam ſcelere quàm cuius exemplo ignoſci poſſet.In gente tam indomita erant tamen aliqui religione recente ſancti,qui tædio domeſticorum malorum Romam migrarunt: & his Vaticani partem habitandam Pontifex attribuit. Tunc nullis domi ſanis conſiliis,maxima pars iuuentutis,cum in ipſorum finibus nihil ex ſentẽtia cederet,in Veſtfaliam contendit:eosq; partim volentes,partim inuitos,vt qui obſidibus datis oppignerati Francis animo eſſent,ad arma cõpellunt.Eadem fortuna vtrique victi: Veſtfali amiſſis in acie Ducibus,reliqui veniam ſibi obſidibusq; impetrarunt. Saxones occidi poterant: non tentare fortunam, non cruentam victoriam hoſti relinquere non poterant.Proinde quos eorum reliquos tot clades fecerant,domum reuerſi,cæteram iuuentutem ſibi iungunt. Tunc quoque victi ſe Regi dedidere,ſæpius eius lenitatem quàm ſeueritatem experti. Deleri gens poterat,ne ſemper pacem ſolicitarent: Cruori nominiq; pepercit:vtq; ſub oculis eſſent,obſeruarique facilè poſſent, nobilitatem,& in quibus aliquid dignitatis eluceret,cum liberis vxoribusq; traduxit in Galliam

Belgicam, oceani ora ad incolendum eis data, iuſſóque eam tutari Lyderico Maris præfecto. Maritimum Imperatorem Halmyralum vocãt: haud ſcio an detorta in latinam græca voce. In locum Geillonis ſuffecit Burchardum Magiſtrum equitum, quod Imperium Regibus ignauis formidoloſum, Rege acerrimo Carolo, vſui, non timori erat. Simul filios, Carolum Germanis præfecit: Pipinum aduerſus Græcos Italicarum rerum ſtatum ſolicitantes, & Aragiſii Ducis Beneuentani fidem ſuſpectam, Italiæ Regem creat: Ludouicum Aquitania donat, eiq; Hiſpanienſe bellum aduerſus Saracenos mandat. Zatis Barchinonenſium Rex ad primam famam Hiſpaniæ Prouinciæ Ludouico datæ, legatos miſit, ſe iam animo in fide Francorum eſſe: vbi primum ſe fortuna daret, ex profeſſo deditionem facturum. ſimul & Aza Oſcenſium Satrapes claues vrbis per oratores miſit: ex Mauritania præterea Abdella Ibiminangæ Regis filius Aquaſgrani cum muneribus venit. Magnitudini Caroli fœlicitatiq;, ac Francorum gloriæ, opibúsque virtute partis gratulatus, ſocietatem amicitiamq; petiuit. Iuuenis benigne acceptus, comitérque per aliquot dies habitus, & magnifice donatus redire cum Ludouico in Hiſpaniam, atq; inde ad patrem trãſmittere iuſſus. Barbara religio cuncta hæc longe alio animo quàm ore faciebat. Ibiminangæ claſſis Baleares inſulas religione noſtras, infeſtas latrociniis facere mox cœpit. Zatis & Aza Ludouico aduenièti ſe dediderũt: tota Hiſpania citerior armis Francorum in præſentia ceſſit. reuocato eo à patre, defecere omnes. Redintegrato eo poſtea bello Barchino obſeſſa, receptaq; & ipſa, & Oſca. Zatis in Auſtraſiam exulatum ductus, vita à Carolo donatur. adeò in fœdifrago Rege Regium nomen apud Francum valuit, ma ieſtatémque ſuam retinuit. Et alia parte Pompelonem nihilo ſanctiore Ibnabalæ fide à Barbaris occupatam Francus recepit. Pipinus Alpes tranſgreſſus, Mediolani Regiam delegit, quòd ea florentiſſimæ regionis vrbs, ſecundum Romam longe princeps totius Italiæ eſſet: & vt Rauenna ad res orientis Latinis, Græcis, Oſtrogotthis opportuna fuerat, ita hæc Francis idonea viſa eſt velut arx & ſpecula Italiæ, Galliæ, Germaniæque. Et proceres gentis Regum Imperio aſſueti, minifice lætabantur ſe domi habere vnde iura peterent, quiq; domeſticã pacem coleret, & externos metus viribus, ac nominis paterni ſuiq; maieſtate coërceret, id quod per tot ſecula Italiæ nõ contigiſſet. Ildebrandus Dux Spoletinus cum omni ſuorum nobilitate officii gratia ad eum ſe Mediolanum contulit: Romámque profectum comitatus, nullum amplitudinis genus in eum omiſit. Quacunque iter faciebat, non oppidani modò apparatiſſime excipiebant, ſed & agreſtium turba, vt quo dignitate minor, eo numero maior conſpiciebatur. Romani parum ſibi reliqui fecere, quo magnificentius patri Carolo præſtare poſſent. Sacerdotum Pontificíſque maieſtas omnia ſuperauit. Coronatus maxima mortalium frequentia celebritatéque, cõtendit, ne liberalitate in ſacroſanctam poteſtatem maximo interuallo patri cederet. Dux Beneuentanus ſoceri tandem exemplo Hadriano infeſtus erat, aliquótque Campaniæ oppida ditionis Pontificiæ inuaſerat, ambiguis adhuc finibus, & recenti eccleſiæ Romanæ imperio. Congreſſus Pontificis & Pipini metum iniecit Beneuentano, Runoldumq; filium cum ampliſſimis viris miſit deprecatorem

deprecatorem belli:ne Beneuentum copias admoueret,ſe Pontifici arbitratu Francorum ſatiſfacturum. Iuuenem Pipinus ab ſe diſcedere vetuit,in agrumq; Campanum exercitum duxit. Dux territus Beneuentum ſe includere noluit, caſu Deſiderii admonitus. Salernū petiit:quæ vrbs in partibus Græci Auguſti ſuis legibus vtebatur. Altera legatio miſſa ad vltimam ſpem pacis tentandam: quæ impetrabilior ipſius expectatione fuit. Quo enim longius à Pontifice læſo ibatur,eo minus claudebantur aures Regis demiſſiſſimis nobiliſſimi Ducis precibus. Imperatum vt res redderet Hadriano:daret Francis obſidem etiam alterum filium Grimoaldum: Beneuentani quoque in verba Franci Regis iurarēt,duodecimq; obſides darent,quos Pipino placeret. Omnia hæc & cōuenere,& facta ſunt ex ingenti metu belli pace parta. Dux domum rediit. Hæc ad ipſum patrem Carolum Francorum annales referunt:eum volunt in Hetruria Florentiæ natalem domini ac dei noſtri egiſſe. Bibliothecarius Romanus nimius propè in recenſendis illius ætatis & Caroli Magni rebus, bis omnino eum petiſſe Italiam, ſemel cum Patricius,iterum cum Auguſtus ſalutatus eſt, oſtendit: res tantas ab illo geſtas non diſſimulaturus. Beneuentanus præter bellum Pontifici illatum Franco ſuſpectus fuerat, & quòd Deſiderii filiam Adelbergam in matrimonio, atq; inde liberos haberet, quos diximus: & quòd Paulum Aquileienſis eccleſiæ Diaconum genere nobilem,ſed literis clariorem,perduellionis à Carolo conuictum recepiſſet. Hunc Paulū & Deſiderius cum regnaret,ſumme dilexerat,ingenio eius eruditioneq; delectatus: & Carolus ob eaſdem animi dotes in intimam familiaritatem admiſerat. Cæterum cum deprehendiſſet eum agitare conſilia Deſiderii educendi è finibus exilii, cuius florentis fortunæ particeps extitiſſet, procul ab illo in Diomedis inſulas eū ablegauit:vnde ad Aragiſium refugit. Nec tunc docto viro in tali cauſſa apud mitiſſimū Regem Carolū fraudi fuit exilii terminis deceſſiſſe,cū proceres ſuaderent ne impunita audacia contumaciaq; abiret: & Pipinus iudicium patris ſecutus,eius rei veniā Duci dedit. Paulus Aragiſii Adelbergæq; Ducum rogatu ad conſcribendas hiſtorias rediit, à fine Eutropii exorſus res Romanas,ſeparatim Longobardicas cōplexus,ſimul alia edidit. Hymnum in diuum Iohannem cōpoſuit, quem inter ſacra orbis terrarum canit. Vetuſtiſſimis exemplaribus,ſanctisq; authoribus imperio opeq; Caroli vndique conquiſitis, martyrum vitas mortemq; ac cæterorum diuorum ſumma breuitate perſtrinxit in tēplis legendas:quas facilè crediderim longa die ita immutatas, vt à conditore ſuo (ſi exiſtat) non agnoſcantur. Mortuo Aragiſio,in Caſſinatium cœnobium ſeſe vltro relegauit: reliquamq; vitam ſanctiſſime tranſegit. In defuncti Aragiſii Ducis locum Francus ſuffecit Grimoaldum eius filium: iuſſitq; eum Græcorum conatus coërcere, in quorū fide erat Sicilia, & quicquid Italiæ quondam magna Græcia fuerat. Adelgiſius Deſiderii filius Conſtantinopoli reuectus,receptusq; ab iis qui partium Græcarum erāt,Beneuentanum Ducatum euaſtabat. Franci Ildebrando Spoletino & Grimoaldo Beneuentano Ducibus iuncti,eū in prælio interemere,tanta edita cæde,vt Græci abiectis belli cōſiliis,de amicitia iungenda cœperint cogitare. Sed nec idcirco Longobardi cauſſa vindices habere deſinebat. Luitperta Deſiderii filia patre

Rege relegato,fratre Patricio interempto, virum ſuum Bauarum Taſſilloné conquieſcere non ſinebat. Is Vindocindum Francorum ex profeſſo hoſtem receperat: alia etiam hoſtilia in Carolum auſus,deprecatore Pōtifice veniam impetrauit,filiumq; obſidem dedit. Poſt id creditus eſt conſanguineos Bauarorum Vnnos occultis nunciis ſolicitaſſe. id palàm fieri non potuit. Conuictus eſt dixiſſe ſe vnicum filium Theonem obſidem dediſſe:ſed centum datis nullo pignore deſtiturum à perſequēdis bello (cum poſſet) Francis. Hæc animi nota,fidem dubiis criminibus fecit. Taſſilloni igni & aqua Pontifex interdixit:& eundem Rex ad iudiciū procerum (nōdum Compares Franciæ Dūces Comitesq; eo quo nunc ordine maieſtatéque erant)reuocauit. Cum condēnatio dubia non eſſet,opportune mortua vxore Taſſillo à Pontifice ignominia leuatus, cœnobio ſe dicauit: cum patre filius ſe pro aris totondit. Ita quæſtio iudiciumq; omiſſa. Bauaricum motum res Vnnicæ finitimæ conſanguineæq; excepere. Auares enim,qui iidem Bauari ſunt, Vnnorum populi,omiſſo vetere gentis vniuerſæ nomine,ab Auare Rege ipſi nūçupari maluere. Tunc Vnni parauerunt auxilia,quæ Bauaris mitterent. Sed dum cunctantur, Bauaria in Caroli poteſtatem venit:quo regreſſo domū,indigne ferentes non expectatis auxiliis ſuis Bauaros fidem quàm vim Frācorum experiri maluiſſe, illata de finibus controuerſia,dirimere eam legibus,communiūmve amicorū iudicio nolunt,ſed in Bauariam excurſiones facere conantur: Bauarisq; ductu Francorum occurrentibus,magno ſuo malo reiiciuntur. Ipſe Rex cum trans Albin flumen Vltzios Sclauorū gentem ſubmouiſſet,Dragauintumq; vrbem cepiſſet,ex amicorum cohorte Theodoricum Alafredūmque cum parte copiarum in Vnnos præmiſit. Hi aliquot ſecunda prælia fecere, munitionésque opportunis locis & præcipue ad coitiones fluuiorum obiectas expugnarunt: terrorémque circunferentes,hoſtem longis latisq; finibus vtentem ſubmouere ex ea quæ nunc Auſtria eſt,nomine indito ab Auſtraſia Gallica: vnde Carolus maiorésque orti. Subſecutus cum reliquo exercitu Rex Theodoricum vlteriorem Danubii ripam tenere,ac vaſtitatem longe lateq; edere iubet: ipſe citeriore copias ducit. Sequebatur cum cōmeatū in nauibus Bauarus immemor germanitatis, ac iam bello vltro laceſſitus. Rex vbi hoſti ſe appropinquare exploratū habuit,gnarus aduerſus quàm efferam, & religionis hoſtem gentem duceret,in planicie ſpatioſa ſacra facienda,excitatis altaribus;curauit. Milites Ducésque confeſſione communionéque ſacroſancta operati,tantam numinis fiduciam concepere, vt hoſtes comperta Francorum alacritate, pars in Vnnos Scythas, vnde oriundi erant, ſe receperint: pars ſecundo Danubio vecti,Francum magna molè exercitus ſegne iter facientem antecedebāt:quos vlteriora ſemper petentes cum ſequi longum eſſet, nec ſui copiam facerent, Rex conſtitit, omniq; regione vtroque exercitu vagante peruſta, Henricum Foroiulienſium Ducem, ac Geroldum Bauariæ Præfectum in Pannonia ſtatiua habere iuſſit,atque eas frenare gentes cum parte maxima peditatus. Nam morbi quoddam genus in equos ingruerat,qua lue ad octo millia periere. Et ne vnquam abſque periculis ageretur, ab hoſte armato inuictus Rex, ſemel atq; iterum propè fuit vt domi parricidio extingueretur. Auſtraſianæ iuuen-

tutis aliquot proceres, quòd inde orto Rege ſummum gratiæ dignitatísque locum apud eum ſe obtinere æquum cenſebant, poſtquam virtutem aliorum ſibi præferri viderunt, authore Ducéq; Arderico in illius vitam coniuratione faciunt: dumq; plures in dies in ſocietatẽ ſceleris incautius adſciſcũt, delati cõprehenſiq; qui ſceleris manifeſti fuere, capite luerũt: quos leuis ſuſpicio arguebat, exilio ſolum verterunt. Indignum viſum, quibus præcipue ſalutem Regis cordi eſſe oporteret, eos Principes nefarii conatus inuentos. Sed illud eo indignius, quo propius. Pipinus Regis nothus à nouis cõiuratoribus in ſpem Regni adductus, tempus locúmque circunſpiciebat patris necandi. Rhaudulphi Longobardi prudentia deprehenſis ac fidè detectis inſidiis, iuuenis attonſus ſacrum cilicium induit: cæterorum pauci ſecuri percuſſi: maxima pars tantùm in exilium miſſi. Odio Soſtradæ Reginæ conſpiraſſe ſe dicebant. Mulier enim atrox ferebatur, & quæ viri animum ſuopte ingenio lenem, immitem in multos efficeret, efferarétque. Eo mitior puniendis ſontibus fuit Rex, vt à quibus coarguebatur, illos teſtes lenitatis ad refellendam inuidiam haberet, ad cauſſamq; religionis reditum. Concilium patrum præſidibus Theophilo & Stephano Pontificis Legatis habitum aduerſus Græcos Auguſtos imagines diuorum peruicaciter damnantes. Imaginibus ſuus ſeruatus honor. Sed & ſimultas inter Francum Græcúmque interceſſit, quòd Rotrudem filiam Carolus, cum oratores ad id in Franciam Byzantio miſſi veniſſent, Conſtantino Leonis Cæſaris filio deſponderat. Res vana euaſit. Adoleſcens è domeſtica nobilitate Mariam duxit: eáque mox repudiata, atque adeo attonſa, ſacróque cœnobio clauſa, alteram Theodoram ſibi iunxit. Rotrudis innupta permanſit, neque impari nubere in animum inducens, neque parem nacta. Carolus verò ne vllum popularitatis genus omitteretur, barbara & antiquiſſima carmina emendauit, quibus priſcorum Regum Ducúmque clariſſimorum res geſtæ celebrabantur, ac ediſcenda edidit. Patrii ſermonis grammaticam inchoauit, Latine Petrum Piſanum præceptorem habuerat, virum vndecunque doctiſſimum. Symphoniam templorum, accerſitis ex Vrbe Roma ſummis muſicis, ſanctam iucundámque effecit. In Aegyptum, Syriam, Africam cum ingenti vi auri miſit, qui pios ſub Imperio impiorum Regum vitam inopem agentes, ope ſubleuarent, ſolarentúrque. Galliæ & Germaniæ ſacras ædes vaſis veſtéque ac ſupellectili precioſa locupletauit: ac ne ianitores quidem templorum profano cultu ornari ſiuit. Aquiſgrani, vbi Regiam ſtatuerat ſuam, ædem Romana æmulatione extruxit, ex Vrbe Rauennáque columnis & priſcæ artis operibus deportatis. Domeſticam diſciplinam ſingulari cura rexit, ſe (cum vacabat) literis, filios & literis, & armorum ludicris certaminibus, filias lanificio exercebat. Hieroſolyma miſſus orator Zacharias Sacerdos, ad Perſas Lanfredus & Sigiſmundus nobiles Franci cum Iſaaco gente religionéque Hebræo Perſicæ linguæ perito. Híque adire prius Africam iuſſi. Totius orbis terrarum pacem animo complectebatur Francus. Et quia Vnni domum regreſſi, æqua iam fortuna cum Francis bellabant, aduerſus eos Pipinum filium Italiæ Regem in Pannoniam miſit. Henricum Foroiulienſium Ducem decedere, ac in Italiam redire iuſſit, ne quid rei nouæ

abſente Pipino exoriri ea parte poſſet. Nec armis tantum terrendos Vnnos ratus Rex, pontem ſublicium in Rheno ad Maguntiam faciundum curauit: ſimul miſit qui opus metirentur, ſi forte à flumine Rheno, fluminibúsve in Rhenum decurrentibus duci foſſa nauigabilis poſſet. Renunciatum eſt inter duo flumina Radantiam & Alomoram breuiſſimum omnium interuallum eſſe: alterum in Rhenum, alterum in Danubium ſe exonerare. magno quidē molimine, ſed regio tamen animo opereq; fieri poſſe, vt omni parte Europa terra aquaq; peruia foret, latrociniáque tollerentur, ac bella incruentius finirentur: vt cum ex mari mediterraneo in Rhodanum, ex hoc in Ararim nauigaretur, ex Araríque, vt priſci Duces, ſi Tacito creditur, excogitauere, aperiri in Moſellam alueus poſſit, qui flumini Rheno committatur: ſi item ex Rheno in Danubium, quò Pontus petatur, nauigaretur: cōmercia rerum in promiſcuo forent, ac orbis terrarū arcana paterent, armisq; Francorū nihil eſſet inacceſſum. Iam opus proceſſerat ad trium millium paſſuum longitudinem, trecentorū latitudinem (altitudo non traditur) pro natura loci depreſſam, vt patiens magnarum militariumq; nauium eſſet, neceſſe fuit, cum, quo longius tendebatur, eo magis velut paluſtri limo in ſe reſidente, quicquid interdiu exhauriebatur, noctu explebatur: quo quaſi miraculo pauefactæ operæ ac curatores id religioſum rati: vt conatu deſiſteret Rex, peruicere: atque ita facies rerum naturæ, quam mutare Francus ſtatuerat, vt ab æuo fuerat, permanſit: irritis ferè huiuſcemodi mortalium conatibus. Audacia tamen Francorum, & virtute Pipini, qui ſe Vnnico bello Carolo patre non indignum præbuit, territis Vnnis, Tudinus dignitatis ab Rege apud eos ſecundæ princeps, ſuis iam non inuitis non ſocietatem modò iniuit, ſed & noſtræ religionis effectus eſt: nec ita multo pòſt in demortui Hacani Regis locū ſuffectus Rex Theodorus nomine animoq; Chriſtiano, & ipſe Hacanus deinceps vocitatus: quod no men illius Regiæ gentile per multa ſecula auditum eſt. Nec ea pax diuturna. Ad ſupplementū exercitus qui in Vnnia ſecunda fama ſtipendia faciebat, delectum haberi in Saxonia Rex iuſſit. non detrectauerunt modò citati ad nomina danda Imperiū: ſed quoniam vtiq; pugnandum eſſet, armis correptis nō Duces modò ad cōquiſitionem militum ire iuſſos, ſed Magiſtratus ad ius dicendum ſibi ab Rege antè datos: atq; adeo Godeſcalcum in Daniam legatum iter facientē occiderunt: Abroditosq; ferocem armis gentem Francis tunc fœderatam auxilio Carolo ad hunc tumultū occurrentes, inſidiis exceptos, magnam partem ipſos Vizinumq; Regem interemerunt. triſtis & alter nuncius allatus, milites Francos Hiſpani limitis cuſtodes, dum occupatam à Barbaris Barchinonem recuperare cōtendunt, magna ſuorū iactura repulſos: ſimul ab Vnnis rebellantibus Geroldum Bauariæ Præfectum ipſum & quingentorum equitum delectorū alam ad internecionē deletos. ita fortuna vtraſq; vires ſuas in longioris vitæ Regibus oſtendere mortalibus præclarum ducit, & qui Duces nullam niſi ſecundā in ſummis conatibus ſemper experti dicūtur, iuuenes ferè fato functi ſunt. Ita numini credo viſum, ne res humanæ verā ſolidamq; fœlicitatē dare poſſe videantur. Caroli res lætæ aduerſis, aduerſæ lætis exceptæ ſunt. Maior dolor propiórque in Saxones ſtimulabat. Saxonia armis repetita.

Castra in aperto ponere ausi toties victi, ac omni dignitate gentis cis Rhenũ in colonias ducta spoliati, pro libertate breui vita bellare, quàm segnes diuturna seruitute transigere malunt æuum. Sed Duces gens ferox indomitâque sibi creare poterat, fortunam fabricare nõ poterat. Hæc libidine omnia regit. Ab Abroditis ignominiæ vindicibus quatuor circiter millia Saxonum cæsa paruo dictu numero, sed secundum tot clades anniuersarias, cum iam tricesimum annum bellaretur, maiore quàm eorum res acciſæ pati possent, ac ipsi hosti Carolo miserandæ. Igitur castigati verbis, vt religionem numénque, cui fides fœderum cordi foret, esse crederent, obsides dedere: quamplurimi trans Albin Salámque refugerant. A Sala flumine Salios Francos initio dictos sunt qui tradant: atq; inde Salicam legem nuncupatam. Ea flumina pontibus iuncta, bellúmque circũlatum. Omnia vel vi vel metu edomita, Velatabi, & aliæ iuxtà ignobiles gentes. Multa prælia prospera facta, quædam non incruentó milite Franco. Nobilissimi quique factis generéque occubuere. Normani nó uissimi omnium arma abiecere, muneribusq; pacem impetrauere. Vnni perdomandi Carolo Caroli Regis filio obuenere. Pipinus in suum Regnum in Italiam rediit, quòd fama acciderat Græcos in Italia nouos motus concire, & Beneuentanos Græcorum Imperio finitimos cum eis societatem armorum iniuisse. Ex Hispania lætior nuncius subsecutus est. Adelphonsus Asturiæ Galeciæque Rex ope nouorum ex Francia auxiliorum Barbaros fuderat, fugarátque. Vlyssipponem vrbem Lusitaniæ principem receperat: nec terra modò pollens potensque, mari etiam vires nactus, Baleares insulas latrociniis Barbarorum piraticam facientium infestas pacauerat: prædonum nauibus partim captis, partim suppressis: & piorum Imperio Barduli restituti. Carolus conuentum Aquisgrani sociarũ ciuitatum gentiúmque habuit. Quò Adelphonsi Asturum Regis oratores cum peruenissent, opulentamq; de Saracenis prædam in conspectum Regis protulissent: Legationis princeps,

TVI, inquit, milites, Rex inuicte, tui Duces hæc ceperunt spolia. Hæ sunt « hostium tuorum, quia CHRISTI hostes sunt, exuuiæ. Vrbes procul ex- « pugnatæ, Insulæ receptæ. Hispania propè omnis religioni reddita: fœlicitate « auspiciisque tuis vincimus. Vnum tibi corpus, vnus est animus, quanuis orbis « immortalitatisque capax: sed vbi signa fulgebunt tua, ibi præsens nobis telisq; « nostris esse videberis. Tua absentis lilia eadem sequitur fortuna, quæ præsen- « tem. Sed victoria, ferox virago est. Illius modò dextram, modò aliam corpo- « ris partem prehensamus, nondum totum potuimus corpus. Saracenos enim « hostes habemus, vno cæso capite maiore numero suboleſcentes. Sed tua for- « tuna, & tuorum virtus, ostendet eos esse mortales. Corpora tantùm militum « in supplementum trade, cætera bellum præstabit. Supplementum Hispa- « nis decretum. Vido deinceps Britãnici liminis custos cum successisset in eam Præfecturam Rolando fortissimo ac prudentissimo Duci, æmulationeq; virtutis præclara facinora edidisset, de Britannis spolia in ora hominum protulit. Isq; laudatus à Rege. Hoc suo suorúmque gradu Carolus ad Imperii nomen capessendum ferebatur.

XXIII. CAROLVS;



EO PONTIFEX Maximus,quòd Adriani, in cuius defuncti locũ ſuffectus fuerat,acta permulta reſcinderet,ab illius propinquis amicisq;, qui eius liberalitate creuerant, coniuratione facta comprehenſus,cum è cuſtodia elapſus, ope Vinigiſii Spoletini Ducis in Franciam cõfugiſſet,in Vrbem remittitur comitibus Epiſcopis,& aliquot proceribus, graui edicto, ne quis eum violaret. Interea Rex velut in ſpeculis ſedebat, ſi quid moueretur. Barbaris in Hiſpania tantum belli conflatum,vt ægre illud arcerẽt. Vnni à Carolo filio coërcebantur. Qui Albin Salámque circumcolunt, aut fracti,aut domiti quieſcebant. Normani Danici oceani accolæ piraticam faciebant,Belgicámque oram euaſtabant,recẽtis fœderis immemores. Eam omnem oram maris luſtrauit Rex,præſidiaq; & claſſem,vt quiſque deſiderabat locus,diſpoſuit:turrim magnifici operis ad Bononiam maritimam vrbem reſtituit, vnde nocturnus ignis emicaret ad nauium curſus regendos. Ad Gandauum ad coitionem fluminum aliquandiu ſedit,ne quid eum falleret quod terra mariq; vſquam gereretur. Exin ex Italia euocato Pipino Rege,rerum domeſticarum finitimarúmque curam filio Ludouico tradit:ipſe Maguntiæ conuentu habito,cum Pipino in Italiam tandẽ proficiſcitur. Dum Venetiam obit,vindicauit necem Henrici Foroiuliẽſium Ducis, quẽ magnis rebus geſtis ex Vnnia octauo ab inito bello anno regreſſum Tauriſani occiderant. Authores ſceleris ſecuri percuſſi. Rauennam deinde inuiſit. Inde in Samnium Pipinum ire iuſſit,quòd Grimoaldus Dux Beneuentanus haud diſſimulanter officio deceſſerat: filium Anconam vſq; proſecutus inde flexit,inermísque,vt prius,inermi comitatu Vrbem petit. Per annum aduentus Caroli in expectatione fuerat. Monachi viri ſancti cum Zacharia Sacerdote reduce oratores ex ſancta vrbe Hieroſolymis aduenerant afferentes pia magis quàm magnifica munera religionis gratia, claues ſacroſancti ſepulcri, ac Caluarii montis vexillum. Hiq; nunciabant mox affore legatos Aaronis Regis Perſarũ,& munera etiam ex Africa. Nunquam in vrbe Roma ne iura quidem terris dante,tantum exterorum mortalium fuit. Confluxerant ex reliqua Italia,ex continentibus regionibus, ex propinquis,ex vlterioribus, ex longinquis, ex vltimis propè oris ad famam venturi Romam Caroli cauſſam Pontificis maximi cognituri. Statura erat eminenti, corpore amplo,membris congruentibus,facie pulchra,canicie reuerenda,vultu maieſtatis pleno,vniuerſa ſpecie Auguſta. Viſuri erant eum cum Pontifice Maximo in templo terrarum ſanctiſſimo,in vrbe terrarum parente,velut nihil maius in terris conſpecturi. Continens agmen per aliquot millia paſſuum,variæ gentes,diſſonæ linguæ, multiplex vt oris, ita & veſtis habitus. Edixit Leo, vt cum ſuæ quiſque gentis hominibus conglobatim turmatímque Regi occurrerent. Quicquid decorum magnificúmque vſquam eſt,proferebatur. Laudes

Regis omnibus reſonabant linguis. Duces ſua quiſque decora dum Romæ totius orbis conuentu concinerentur, terrarum omnium ſermone celebrata cognoſcebant: ac viuentes gloria & poſteritate perfruebantur. Cogniturus de Leone venerat Rex. Cum igitur ad cognoſcendam cauſſam conſediſſet: qui in Pontificem maximum manus iniecerant, alienis criminibus audaciam ſeq; tegentes, vltro eum accuſabant. Carolus quæſitor. Leo idem & accuſator, & reus. Coniuratores vtrunque, & accuſatores & rei. Francus dici, reticeri, perorari iubebat: hactenus ſilentium actum. Cum vero ad rogandas ſententias deſcendit Rex, tunc demum patientia ſilentiũmque ruptum, ac omnis ſimulatio depoſita. Epiſcopi magis ſacroſanctæ poteſtatis quàm Regiæ maieſtatis memores, conſentienti ore reclamauere ſummum optimũmque Regem eſſe Carolum: Sed cuinam tandem de Pontifice maximo iudicium facere, fas eſſe? ſuſciperet Leo in gremium cauſſam ſuam: quique in cæteros clauium ius haberet, de ſe quoque ipſe incorrupte iudicaret, ſolo numine vel teſte conſcientiæ, vel vindice. Ita Leo, haud ægre ferente Franco demptum ſibi graue onus de Pontifice maximo iudicandi, ſuggeſtum conſcendit, crimenq; iureiurando diluit: moxq; ſententia ſua abſolutus, cum fraudis capitalis coniuratores rei agerentur, interceſſit, ſatisq; habuit exilium intẽdi. Nullo vnquam tempore ab Vrbe condita neq; res Romana liberior viſa, neq; Pontificia dignitas Auguſtior. Cæſarum maieſtas iam & antè propè vilis ob res aduerſas, impiamq; de imaginibus diuorum ſentẽtiam, & tunc nulla, quòd nullo exẽplo per aliquot iam annos mulier Irena ſola mortuo marito Cæſare imperaret, haudquaquã Cæſareo ſanguine orta. Hæc vera erant: ſed ſcribebant dictitabantq; iniqui, eã ipſam filium Cæſarem non modò rerum arbitrio, ſed & luminibus priuaſſe. quam falſam inuidiam vt ab ſe amoliretur, iam inde ab initio oratores & in Vrbem, & in Franciam miſerat: ſed inuiſo ſemel nomine Græco, fidem mater non faciebat, Conſtantinum filium ſe abſente inſciaq; à Principibus Græcorũ odio libidinis atrocitatisq; comprehenſum pœnas dediſſe. Romani proceres animis aliter afficiebantur. Solium Imperii velut à nemine inſeſſum, quaſi numine offerente Regi Franco dandũ, ſummis in religionem meritis id debitũ, eum victoriarum gradibus ad id culmen cõſcendiſſe, vt ſummus Regũ, ſummum rerum humanarum titulum obtineat, diem quoq;, locum, annum, celebritatem mortalium id poſtulare. Octingenteſimus ſalutis annus agebatur, & rem diuinã natali domini ac Dei noſtri Leo in æde Petri faciẽs, ingenti aſſenſu procerum, qui vndiq; in Vrbem admiratione Caroli Francorumq; conuenerãt, Carolum Auguſtum appellatũ, infulis, ac cæteris Imperii inſignibus exornat. Acclamauit populus Carolo Auguſto diuinitus coronato, magno, & pacifico Imperatori, Vita & victoria. Cũ deinde tẽpla circumiret, effuſæ in publicũ virgines matronæq; ac pueri cõtineri non poterant, quo minus propius adire, ſalutare, contingere conarentur. Certatim ruebatur, creſcebatq; ſemper turba. Nummus procul ſparſus in vulgus, & tandẽ multitudo diuiſa in areas, ædesq; ſacras, vbi in conſpectum ſe oculis omnium daturus erat, ac ſui appellandi, dextræq; contingendæ copiam facturus. Roma & cæteræ Italiæ vrbes incredibili lætitia afficiebantur, quadringẽteſimo duodeſeptuageſimo circiter

anno quàm inſignia Imperii Romani in Thraciam delata fuerant,velut poſt-
liminio reuertiſſe,ſummiq; nominis dandi ius in Italiam reuocatum.Naſcen-
tis eccleſiæ Pontifices martyrio religionem orbi dediſſe,mox impias hæreſes
inualuiſſe,quibus cum ſanctitate vitæ doctrináque ac paupertate dimicãdum
fuerit.Gotthos Vandalósque ac alias gentes Italiam euertiſſe.Pontificiam po
teſtatem adeò vexatam , vt non ante Carolum Martellum Caroli auum tol-
lere oculos auſa fuerit.Illum Pontificis precibus motum,eccleſiæ patrociniũ
ſuſcepiſſe,geſſiſſeq;.Pipinum eiuſdem Auguſti patrem vrbis Romæ in ſe be-
neficiis egregiam gratiam retuliſſe,eum Exarchiam Rauennatiũ vrbi Romæ
redonaſſe , liberalitate pietateq; Carolum Auguſtum neque auo neque patri
ceſſiſſe.Et Carolus Italorum erga ſe pietati,charitate reſpondebat: nec quic-
quam reliquum fecit,quo magis Italiam vniuerſam,ſingulasq; eius partes au-
gere ornaréque poſſet.Florentiam reſtituit: Pipino filio imperauit,vt Italiam
operibus excoleret,omniq; eius amplitudini inſeruiret.Quædam monumẽta
extant Deſiderium Fluentinos diſpalatos in vna mœnia contraxiſſe: Petram
Sanctam,Sergianam,Orbitum condidiſſe, ac pleraque alia oppida partim in-
ſtituiſſe,partim reſtituiſſe: nec euerſorem,vt ab Hadriano inſimulabatur, ſed
parentem reſtitutorémque Italiæ extitiſſe . Plus ducentis triginta annis Lon-
gobardi maxima Italiæ parte potiti, iam nihil externi moris religionísve, aut
animorum retinebant. Depoſita exoleſcentéve illa, cum qua Alboino Rege
venerant,feritate,in Italici cæli ſoliq; ingenium morésque tranſierant, veteri-
bus Italis affinitate atque inde cognatione adeo iuncti,vt in Hetruria,in Spo-
letino,Beneuentano,Eporedienſi,Foroiulienſi Ducatibus non eſſet facile di-
gnoſcere . Reges Longobardorum in ea Ciſalpina ſibi Gallia floréque Italiæ
nobiliſſimas vrbes,ac nitidiſſimos agros ſibi proceribúsque incolendos dele-
gerant.Mediolanum Papiáque,ſedes Regum erant. Quicquid ergo inter A-
penninum & Alpes à cætera Italia lacu Bænaco,Mincio:vt vero Longobar-
dorum ſcriptores tradũt,Atheſi,Pado,Rheno Bononienſi,diſiungitur:id no-
mine Longobardiæ cenſeri,Auguſto Pontificiq; placuit.Longobardis iucun-
dum erat, florentiſſimæ regioni ab ſe nomen dari amiſſo Regno , cum Re-
gnantibus nulla fuiſſet eis ſua peculiarisq; Longobardia:& qui eã habitabant,
ſanctiorem eam ſibi arbitrabantur: & qui alibi incolebant, quamplurimi eò
immigrarunt,alii ſponte,alii authoritate Auguſti,& benedicẽte Pontifice ad-
ducti. Quæ Flaminia prius fuerat, in qua Rauenna eſt,tunc Exarchiæ caput,
vt oblita Græci nominis reuerentior vrbis Romæ foret , Romandiola dici
iuſſa,velut illuſtriore nomine . Ita dum res ſumma omnium lætitia approba-
tioneq; componuntur hac parte:Rex Pipinus Auguſti filius bellũ gerebat in
Samnio aduerſus Grimoaldum,qui Beneuentum egregie tutabatur,crebrisq;
eruptionibus omnia circà infeſta hoſti Franco faciebat, vt interdũ intercluſis
cõmeatibus obſeſſo propior quàm obſidenti videretur.Beneuentanis omnia
ad diuturnam obſidionem tolerandam ſuppeditabant: nec animis deficiebãt
ſpondentes ſibi aliam eſſe cõditionem Beneuenti obſeſſi,quàm Papiæ fuerit.
Hanc enim propè in primo Alpium deſcenſu irruentibus more ſuo in eam
partẽ Italiæ,quæ Gallica ſit,expoſitam eſſe:vt Carolus iure vxorẽ ea in caſtra

tanquam in domeſticam Regiam ex propinquo accerſierit. Beneuentanum vero Ducatum numinis beneficio remotum à Tranſalpinis gentibus,ac Græcis Græcorumq; imperio finitimum,inter indomita Samnitium pectora inuictum futurum.nec tunc Dux Regi ceſſit.Teate vrbs nequaquam pari dignitate conſtantiaq; à Roſſellino Longobardo clariſſimo viro Grimoaldi conſiliorum ſocio tenebatur,qui Samnitium virtute accenſus,oppidanos ad æmulandum decus Beneuentanorum inflammare conatus, vel virtute vel fœlicitate inferior extitit.In aduenientes Francos erupit magno animo,dubiámque victoriam fecit.Sed cum Vinigiſius Spoletinus Dux cum nouis copiis in caſtra Francorum veniſſet,tunc intra mœnia ſe ſuósque continuit.Franci Spoletiníque inter ſe certabant,vtris eorum captæ vrbis gloria cederet. Vndique copiæ admotæ.Pertinacia æmulationis contentionísque vicit.Dum vndique circunſtrepit terror,nec remittitur ardor,obliuioq; vulnerum,& mortis contemptus furentes ſubit animos oppugnantium,enitentiúmque:expugnata,direpta,incenſa eſt vrbs.Cum ibi omnis exſæuiſſet ira,Ortona in fidem recepta, nihil hoſtile paſſa eſt. Profecto Romam ad patrem Pipino, Vinigiſius illius exercitus Imperator, prius quàm redeat Rex, conficere eam prouinciam feſtinat,vt ſua ea gloria foret.Sed apud milites non erat idem certamen animorum.Et Grimoaldus non,vt Spoletinus,pro alieno dolore,ſed pro ſalute ſua, de imperióque ſuo certabat:& nepos Deſiderii Regis iuſtiore odio arma gerebat.Vinigiſius cum nihil ei proſpere eueniret, ſeu morbo ſponte orto, ſeu ex mœrore animi affecto corpore, Luceriam ſe incluſit,obſeſſusq;,antequam ab Rege Auguſtóve auxilia noua Ducésve occurrerent, expugnatus ac captus eſt.Comiter benignéque victor Dux Longobardum Ducem victum ſui generis habuit. Auſus eſt etiam, tanquam tunc initium belli eſſet, eius fidem tentare, vt Longobardorum nomen à ſeruitute vindicaret potius, quàm aduerſus illud duceret, militarétve: Eam demum gratiam refers natali ſolo, vt quod te clariſſimis parentibus genuit, vt ſibi decori præſidióque fores, in illius excidium externis ſub ſignis dimices?Ego quam à patria mutuatus ſum vitam, eam illi iure optimo repoſcenti reddam. Cæteri,vt Reges, vt Patricii, vt Cæſares dicantur,in vulnera ruunt: nos in repetenda libertate noſtra, nec viri nec armati erimus,qui tam fortes inuictíque pro alieno dominatu ſumus? Profiteamur tantum nos Duces liberorum, non deerunt fortes ſtrenuíque viri,ac generoſi comites,germanáque maiorum noſtrorum ſoboles atque indoles. Vultu magis quàm oratione aſpernatus eſt præceps Samnitis conſilium. Fœlicitas Caroli, nouáque ſemper Francorum incrementa,non modò Spoletinum deterrebant à noua fortuna experienda: ſed & Grimoaldū,cum Vinigiſio ipſo victo eius animum expugnare non poſſet, vt tempora fortunámque ſuam, publicámque gentis ſuæ toties victæ in conſilium admitteret, perpulere:nec difficilem victoriā ſpes ſalutis à Francis illi oſtētatæ fecit.In poteſtatem non magna deinde vi redactū Grimoaldum,remunerans eius in Vinigiſium meritum,Rex vita donauit,ab Auguſto Papiæ iuſſum exulare,nullo cuſtode impoſito.Roſſellinus in Auſtraſiam relegatus. Tanta rerū inclinatio nouos legatos ex toto terrarum orbe exciuit: nec vllius magis q̄ Græcorum

animos mouebat,ſemper ſpeculantes quem exitum res Italicæ nanciſcerẽtur. Samnitium bellum in maius incendiũ exarſurum ſpes fuerat,ac ex Sicilia vetereq; illa Italiæ magna Græcia,ſi Grimoaldo proſpere res cederet,in Francos moliri aliquid ſe poſſe. Vbi duas vrbes,alteram euerſam,alteram captam,Beneuentum receptum,Grimoaldum exulem allatum eſt, tunc & ſpiritus eorũ imminuti, & nomen Francicum auguſtius etiam magnæ Græciæ cœpit eſſe, & ex ipſa Sicilia Leo Auguſtorũ Spatarius,quod eſt Imperium militare,nihil conſulta Irena ſua Auguſta Romam ad Carolum venit: & vt in tantarum rerum celebri celeríque fama, mox noui ab ipſa Auguſta oratores affuere. Fœdus petebãt Auguſtæ legati,ægritudine animi diſſimulata,ignari communicatum an diuiſum imperium crederent,illud pro certo rati,duos Auguſtos generi humano ſine bello diutius eſſe non poſſe. Quod ſi Francus fœmina Auguſta vti curſu rerum ſecundarum in animum induxiſſet, vniuerſa ſtatim Italia, circumiectæq; inſulæ in Francorum vel ditionem vel partes tranſiſſent. Iam Pipinus Rex ætate ſpeq; ferocior Luceria mouebat Græcos Italia pulſurus:ſed vel ingenio Græco,vel iuſſu Auguſtæ oratores agere cum Auguſto Franco cœperũt,vt ea vidua integra adhuc iuuenta,Carolo cælibi,matrimonio iungeretur:quo conſilio in vnius arbitrium coire imperium, rerumq; ius videbatur poſſe. Fœdus interea datum,& reuocatus Pipinus Rex, & Auguſtus tota hyeme maioreq; veris parte in Vrbe manens res Italiæ compoſuit,vt tuta omnia fidaq; Pontifici maximo ac Pipino Italiæ Regi relinqueret. Proceres Italiæ,nobilitatemq; ac virtutes coluit,communíque libertati ac multitudini conſuluit: vt leges dominarentur,probi mores inſtitutaq; ſeruarentur. Octauo Calendas Maias ex Vrbe profectus,cum officii cauſſa omnes in quibus aliquid authoritatis gratiæ've eſſet, proſequerentur,appellarentq;,ac ægre diuellerẽtur,ſegne iter faciebat. Pridie Calendas Spoletum peruenit: ibi dum à Vinigiſio officioſiſſime colitur,hora ſecunda noctis terra mouit, horrendo Italiæ,Galliæ,Germaniæ fragore,ſtrageq;. Montes quoſdam vaſto ſinu ſubſediſſe: nouos tumulos aſſurrexiſſe: oppida quædam corruiſſe, quædam vaſto hiatu hauſta:fluminum nobilium rapiditatem retroactam ferunt: mare alibi refugiſſe,alibi inſolito æſtu redundaſſe. Vrbs ruinis deformata:ædes Petri labefactata:faſtigium à culmine quaſſationis vi refixum:tigna laquearia q; fœde diſſipata. In contrarium anni tempora verſa:hyems egelida,ac tanquam verna temperie: dies Iohanni Baptiſtæ feſtus velut Brumali pruina cõcreta inſignis fuit:tremorem terrarum,minásque quaſi ſublatæ æſtatis autumnus peſtilens hominibus excepit, minũsque lætam terrarum pacem effecit. Vercellis erat Auguſtus,cum ab Aarone Rege Perſarum duo legati,alter Perſarum nobiliſſimus,alter Saracenus, limiti Aegypti Præfectus munera attulerunt,in his elephantum,rem oculis Francorum nouam, & ſpectaculo dignam. Ad portum Piſanum eum expoſuerant: cum his reuerterat Iſaacus Hebræus,defunctis Sigiſmundo Lanfredóque, ſiue longinqui torridíque cæli inſolentia, ſiue nunquam fido inter Hebræos noſtrósque collegio. Simul velut propoſito æmulationis certamine, Abrahamus Barbariæ Aphricanæ Rex munera miſit, oratoresq; : qui cum ſpeculandi potius quàm gratulationis amicitiæ've gratia

 veniſſe

veniſſe videretur,eueſtigio ſunt dimiſſi,ſed cum muneribus, benignóque reſponſo(Africa enim ſemper aliquid noui pariebat) in reliquos Hiſpanorum religione noſtros,qui maxime cordi Auguſto erant. Aaronis Regum Regis vires Græcis quàm Francorum ſociis propiores formidoloſioréſque, aduerſus quem vt & virum, & ſui generis Ducem haberent proceres Græcorum, Nicephoro affuere,nomen Auguſtum Imperiúmque inuadenti,comprehenſa Irena,& Leſbum deportata, ne nuptiis ſuis reliquam Græcorum ſpem in Franciam deferret. Nihilo ſecius Nicephorus nouus Auguſtus in Franciam miſit de renouando fœdere:ídque in has conditiones ictum, vt alter orientis, alter occidentis Auguſti fratréſque eſſent, dicerentúrque. Simul hinc à Neapoli, illinc à Siponto quicquid vlterioris Italiæ in mare procurrit, cum ſuis è regione inſulis à Græco,reliquum à Franco iura peteret.Inter duo Imperia medius cardo Venetiæ,vtriúſque Imperii maieſtatem pie conſeruarent. Redeunti Carolo in Franciam,ſummo nominis apud genus humanum titulo parto,vrbes Francicæ occurrebant gratulantes,gratiámque agentes, quòd Franciam columen rerum effeciſſet. Exteræ gentes armis victæ, minus indigne ferebant ſe Carolo Auguſto Romanorum parere,quàm eidem Francorum Regi paruiſſent, ac ſeruitute leuatæ liberæ'que ſibi videbantur:finíſque bellorum ac inuidiæ fuiſſet, niſi Saxones immortali in Francos odio omnia Carolo læta,ſibi triſtia rati, ad ſocietatem armorum perduxiſſent Veſtfalos, ac vtraq; hæc gens à Francis aperte defeciſſet.Francos Imperio auctos, æternam ſeruitutem cæteris importaturos,niſi iugum recens ceruicibus excutiãt prius quàm res ſuam vetuſtatem accipiat.Eo anno duci in eos exercitus non potuit,graſſante peſtilentia:inſequenti totus Francicus equitatus ductus. Peditatus longe maxima ex parte conſtabat ex ſociis Francorum Abroditis, Franconibus,Bauaris.Hoſtes in prælio peditatu ſuperiores erant, ac duabus gentibus tres cedebant, non numero impares (quippe qui ea quoque parte præſtabant) ſed vel virtute animíque robore minore, vel quòd ſegnius pro Imperio Francorum,quàm illi pro vindicta ſua dimicarent:procellã quoque Francici equitatus ſuſtinebant.vbi vero nihil de ardore remittentibus his qui à fronte vrgebant,reliqui ſe à tergo circunfuderunt:tunc Saxones conuerſis ſignis conferti viam ſibi per medios hoſtes multis illatis acceptíſque vulneribus fecerunt:ac in caſtra ſua,quæ loco idoneo muniuerant,ſe recepere,pari ſua hoſtiúmque ſtrage. Dum in hos perſequendos intentior eſt Francus, Veſtfalis tutior fuga fuit. Ex Saxonia in Veſtfaliam itum. Victi eo facilius, quòd ſoli,deſtitutiq; pugnabant cum inuicti Auguſti exercitu inuicto.Nulla re magis quàm Chriſtiana religione profitenda expiare iram Frãcorum poterant.Sacra aqua loti pacem impetrarunt.Inde Saxones repetiti, milite, nobilitate,Ducibus,ſpe vidui,neceſſitati paruere:confeſſi ſe furore lapſos,vitam impetrarunt.Qui eorum trans Albin amnem incolebant,ad ſuos in Galliam Ciſrhenanam migrare coacti, & hæ nouæ ipſorũ ſedes frequentiores quàm Germana illa Saxonia,celebrioréſq; erant.Decem millia ex illis delecta ſunt, quæ per totam Franciam alii aliò diuiderentur. & ne diuturnam vaſtitatem ſolitudo faceret, Abroditis cis Albin ſedes deſcriptæ. Is fuit finis Saxonici

belli quarto & trigeſimo quàm inchoatum fuerat anno. Ingentium Saxonicũ Veſtfali induerant, & ſunt qui Veſtfaliam Saxonibus contribuant. Rebellarunt ſuis adhuc viribus freti. Non magna clade victi, leges accepere: quibus mox repudiatis, ad furorem reuoluti, magnã iuuentutis ſuæ partem acie congreſſi amiſere: ac, quòd fracti animo viderentur, ſupplicibus fides habita, pax reddita. Sic quoque indomiti paulo pòſt ſpe Danicorum auxiliorũ bellum redintegrant. Antequam Dani occurrerent, oppreſſi, armis abiectis, veniam amentiæ orabant. Vltima mala meriti erant toties victi, toties fidem ludificati: Traduci, decumari, internecione deleri iure poterãt. Pacem Auguſtus rurſus dedit. Dati Magiſtratus ad ius propalam dicendum, vnde prouocaretur ad Auguſtum. Sed & ſanctius arcanúmque delectiſſimorũ integerrimorúmque virorum cõcilium ſine prouocatione inſtitutum, delectíque pari ſanctitate velut ſpeculatores, qui cæteris omnibus ignaris Veſtfaliæ oppida vicoſq; ac conciliabula circumirent, moréſque & dicta cuiuſque, factáque notarent: ac quemcunque periurii, perditæ've religionis reuerſi in concilio coarguiſſent, ſine interceſſione primo quoque tempore vbicunq; comprehendi poſſet necaretur. Nemini ſua dignitas ſuffragabatur: ſummi infimíque prius laqueo ſuſpenſi conſpiciebantur, quàm rei fuiſſe audiebantur. quem quiſque tam ignominioſo genere ſupplicii affectum videbat, hic fidei violatæ pœnas dat, dictitabat. Hic noui exempli metus eam gentem & numinis & Auguſti reuerentiorem effecit. Iudices ſpeculatoréſque rem totam, notáſque quibus reus coargueretur, tam ſancte occuluere, vt cum Carolo Auguſto defuncto idem inſtitutum viueret, nullis vnquam minis, nullo malo adduci potuerint, vt enunciarent. Saxones ipſi exui armis, patria, facultate rebellandi poterant, cælum ipſum minime. Abroditi veteres Francorum ſocii, amicíque, ac recẽs agris donati, Saxonico in ſolo Saxonum animos ſuſcepere: & grauiores propè hoſtes erant, quòd Francorum militarem diſciplinam diuturna ſocietate armorum perceperant: iidem mores, eadem inſtitutá, idem armorum genus, idem ornatus, eadem propè virtus, non eadem fortuna: eam ſolum numen præbet, in rebus potiſſimum bellicis. & Francus Regum Rex, tantæ'que opes vinci bello ab vna ea gente non poterant, ſed fortiſſimorum virorum morte Auguſto ea victoria ſtetit. Necdum Vnni pacati erant. Domum regreſſi cum Carolo filio congreſſi leuibus præliis, modo victi, modo victores diſcedebant. Vno ingenti prælio victi, florem iuuentutis ſuæ deſiderarunt. Cætera præda militi conceſſa. Regis Gaza (nam & ipſa in poteſtatem venit) Auguſto miſſa, pars in ſacra Xenodochia, valetudinariáque diuiſa, pars in Vrbem ad ædes ſacras, quæ tremore terræ corruerant, reſtituendas miſſa. Gens quæ tot regiones diripuiſſet, tunc prædæ non modò Francis iuſtis hoſtibus, ſed prædonibus Sclauis erat. Vtrinque premebantur, hinc iuſto bello, illinc aſſiduis latrociniis. Sanctius & certius fœdus Francorum futurum erat: ſimul & illud & auxilia aduerſus Bohemos Sclauorum principem nationem ab Auguſto impetrarunt. Carolus filius tunc non minore conatu pro Vnnis, quàm antea in Vnnos bellum gerere cœpit. Contrà quàm ſperarant Franci, in Bohemia viros fortiſſimos, & iuſtos tunc hoſtes, ac minime latronum animos inuene-

re. & magis fuit anceps dimicatio inter duas gentes victrices feritatis Vnnorũ Francum Bohemúmque, quàm aduerſus Vnnos fuerat: diutiúſque tenuiſſet, nec vno prælio debellatum fuiſſet, niſi Dux hoſtium Leccho non imperatoris modò, ſed militis officium in acie præſtans, magna hoſtiũ edita cæde, dum ſtudio certaminis finem virtutis nullum facit, ac vbi Francorum aciem denſiſſimam, robúrque virorum videt, eà cum delectiſſimis ſuorum cuneo facto perrumpere diſſiparéque ordines conatus occubuiſſet. Tunc Bohemica vis ceſſit. Alioqui propè par clades. Ex Caroli copiis plus auxiliorũ quàm Francorum cecidit. Bohemi domeſticis tantũ viribus vſi, proceres iuuentutis ſuæ amiſere. Auguſtus nondum confecto eo bello filium Carolum reuocauit, de ſummis rebus conſilium habiturus. Conuenit etiam ex Italia Pipinus: ex Hiſpano limite Ludouicus. Venit etiam Petrus Dalmata Iadertinorum Comes, cum Donato eiuſdem ciuitatis Epiſcopo, alienior à Græco, Francos Latinóſque reſpiciens. Venetiarum quoque Duces affuerunt Obellerius Beatúſque fratres. Dalmata, ingẽs noſtrum flagitium fore contendebat, ſi Dalmatiæ ora eam Italiæ partem breui ſpectans interuallo, quæ occidentis imperio euenifſet, Græcorum prouinciis contribuatur, ac Hadriatici maris poſſeſſio amittatur. Eam regionem primo quoque tempore à Francis occupãdam, velut gliſcente iam inter duo Imperia bello. Solitum enim Nicephorum crebris ſermonibus verſiculum græcum, ſed in hanc Latine ſententiam vſurpare:

„ Francum amicum habeas: finitimum non habeas.

Hactenus Carolũ auguſtũ magno patiẽtiſſimóq; animo Nicephori ſimultatẽ inuidiãq; tuliſſe. Sin ille Dalmatiã obtineat, deteriore cõditione terra maríq; haud dubie imminẽs bellũ geſturos Frãcos. Interea Ademarus Genuæ, Hermẽgarius Emporiis, Franci Comites dati aduerſus Saracenos Hiſpaniæ incoqui oram Italiæ inſuláſque euaſtabant. Victoria potiuntur noſtri, ingenti naualis certaminis gloria Genuenſibus parta: ſed amiſſo ea in pugna Comite Ademaro, dum victor nimis inſtat victis, naui eius Prætoria intercepta, ſuppreſsáque, eáque vna deſiderata. Auguſtus aduerſus Barbaros maioris nominis Ducem Burchardum Magiſtrum equitum miſit. Saraceni non tam ſuperiore clade accepta triſtes, quàm morte Ademari feroces, ſuppleta claſſe in Sardiniam delati, deſcenſione facta, cum occurrentibus ad arcendos à populationibus agros ſigna contulere. Sardi egregie pugnauere. tribus circiter millibus Barbarorum cæſis, reliquos trepida fuga ad mare compulere, vbi non minor trepidatio fuit, dum in conſcendendis nauibus turba ſe mutuo certamine impediente, maiorem tumultũ Sardus à tergo premens iniicit. nec minor ibi cædes, quàm in prælio tenuit. Iam Magiſter equitum in Corſica erat. Cum hoc iuſta nauali pugna Barbari dimicaturi ſperabãt eandem fortunam Magiſtri equitum futuram, quæ Comitis fuiſſet. Francos ſui ſpecimen terreſtribus dimicationibus dediſſe, rei maritimæ nullũ vſum habere, gloria equeſtri nobilem Burchardum, longe aliam eſſe rationem regẽdorum equorum, ac moderandæ claſſis, nec modò cum hoſtibus, ſed cum fluctibus procelliſq; bellandi virtutem Saracenorum non minus mari quàm terra enituiſſe. Francos mediterraneum hominum genus tam procul à maritimis artibus abeſſe,

quàm longe ab illo mari incolerent. Magno animo eos Alpes tranſire, atque alia parte in Pannonias ac extremam propè Europam continentẽ arma ferre: inſulas vero, quæ in oceano in oculis ipſorum ſint, nũquam auſos eſſe adoriri. Hac ſpe adducti, Corſicam petunt, vt vltro laceſſerent Frãcum: nec defuit Burchardus ſuos exhortatus, vt eoſdem eſſe Saracenos meminiſſent, quos ipſi in Hiſpania, quos patres auíque in Gallia deuiciſſent: Neptunum virtutem eorum non auxiſſe, qui terra ſuccubuiſſent: tãtum non paterẽtur ſe diſtrahi: propinquam pugnam conſererent, iniectis manibus ferreis comminus dimicarent, maritimam aciem ſimilem terreſtri facerent, vſũmque remorum hoſti collata manu eriperent. & fortuna iuuit. Summa tranquillitas maris, & immotum cælum erat: & hoſtes initio non mobilitate nauium, ſcientiáve gubernandi, ſed virtute freti dimicabant: nec viribus multo inferiores, numero nauium propugnatorũmque antecedebant: æquáque pugna, & ambigua victoria diu tenuit, nec diuelli à ſe hoſtes Franci ſinebant: eáque res atrociorem in mari pugnam, quàm terra eſſe ſolet, edidit, quòd aut vincendum, aut moriendum. Audebant etiam Franci, cum res cogeret, quòd Barbari multitudine nauium ſuperiores erant, ſingulas binis obiicere, ac diuerſi ancipiti Marte pugnare. ita virtus multitudini non ceſſit. cũ cædes paſſim fieret, Barbari tredecim nauibus amiſſis, quantum quiſque remis valebat, ad ſalutem contenderunt. Barbarorũ enim naues celeritate, remiges vſu, gubernatores arte anteibant. numerus pugnantium nauium non traditur, amiſſarũ initus eſt. Francorum nulla deſiderata fertur. Ita retenta eius maris poſſeſſio. De ſuperiori mari Dalmatiáque Auguſtus cum filiis & principibus amicorum conſultabat. Magis conſtabat eſſe bellandum cum Græco Auguſto, quàm, vnde initium belli fieret, conueniebat. Exoriens bellum, ac motum terrarum velut ex ſpecula proſpiciens Leo Pontifex maximus, occurrẽte in Mauritianis Alpina gente Carolo filio, Franciã repetit ſpecie Aquiſgrani dedicandi Virginis templi, ac cõmunicandi cũ Auguſto de ſacroſancto ſanguine Mantuæ adinuento. Has enim cauſſas & ipſe in vulgus iactauit, & cõditores rerum geſtarum tradunt. Sed illa ad gentium Imperiũ pertinens, propius fidẽ eſt: nec tunc habita cum Leone colloquia cõſiliaq; euulgata ſunt. Conatus bellumq; eueſtigio inſecutũ oſtendit. Aedes Virgini magnificẽtiſſima eſt ad aquas extructa, dicataq; iuxta ruinas ædiũ Grani, qui antiquorum procerũ vnus nomine ſuo aquas eo loco calidas emicantes nobilitarat. Sed vires cõſiliaq; in ſe belli moles verterat. Carolus filius iuſſus Sclauos rurſus coẽrcere, ac deinde Pãnoniis præſidere. Sclaui paſſim incolebant: Sorabi Sclauica natio Albis fluminis accolæ Imperium Francorum detrectabant, aſſueti ſuis Ducibus dicto audientes eſſe. Acie cõgreſſi, Miledoctio Duce amiſſo, leges accepere. In Liuoniam deinde, ac extremas orbis terrarum oras arma lata, nomenq; Francicum inuictum, ſanctumq; apud eos mortales haberi cœpit: eoq; velut orbe nouo pacato, rurſus in Bohemiam itum. Bohemi falſorum Deorum veneratores, vbi omnia cedere Francis viderunt, eóſque cũ exercitu ſimul domeſticæ ſociæq; iampridem iuuentutis ac deuictarum modò gentium ſubnixos redire, filium fortunæ Carolum iuuenem prædicãtes, legatos mittunt, quorũ princeps mi-

nime demiſſam,vt in deditione,orationem,ſed Scythicæ,vnde oriundi erant, libertatis memorem,ac in hanc ſentẽtiam habuit· Victores hactenus multarum magnarumq; gentium,nunquã victi ad hanc diem floruimus.Et nunc « ſi æqua fata ſint,tot gentes nobis militarẽt,quot ſub ſignis tuis ducis.Dii no- « biſcum fuerunt,iam ad te euocati tranſierunt.Non virtus noſtra,ſed fortuna « tuæ cedit.Vtere,dum licet,cæli,quo nihil mobilius rapidiuſq; eſt, beneficio. « Dux fœlix fortiſſimos viros, quo quid fortunatius? in deditionem accipe. «

Ita deditio facta,acceptaq;. Mortuo ſub idem tempus Hacano , Vnnia in formam prouinciæ Francorum redacta , leges Magiſtratusq; à Carolo accepit,ac in aliquot ætates Reges ſuos habere deſiit:& ferebatur Auguſtus Francus opes ſuas tres in partes diuidere ſtatuiſſe:Pipino Imperii nomen, Italiãq; ac circuniectas Interni maris inſulas:Carolo Pannonias,& quicquid mediterranearum regionum de Græco deinceps reciperetur: Ludouico Galliã Germaniamq; deſtinaſſe.ac tunc non tanquam finito,ſed initium capiente bello Carolus filius ſecundum Danubium in Græci Imperii partiúmve prouincias ducebat,cum Nicephori oratores cum muneribus occurrerunt,orabántque Frãcos,vt qui Aaroni Perſarũ Imperatori pacem dediſſent, ne bellum Chriſtiano Cæſari,quem amicum fratremq; vocaſſent,inferre in animum inducerent:par eſſe,qui iura occidenti darent,parricidíſque qui in Pontificem coniurarant,ignouiſſent, Eccleſiaſticamq; pacẽ conſtituiſſent,eoſdẽ oriẽtis Imperio parcere,orbiq; terrarũ cõſulere,ac ſiqua de re ambigatur,ex bono æquoq;, communíve cõmodo,nouóque ac diligẽtius cauto fœdere tranſigere: Græcũ nullas pacis leges aſpernari.Generi humano proſpicerẽt, cuius ſalus duorum Imperiorum pace contineretur. Munera accepta. Deductus exercitus, tam longinquam expeditionem grauatis ducibus militibúſque,&,quod maxime omnium mouit,quòd Carolus tanti exercitus Ducúmque Dux tentari morbo cœpit.Terreſtribus viribus inuicti habebantur Franci, Græci maritimis rebus præſtare ſe arbitrabãtur.Hiſtria,Liburnia,& mediterranea Dalmatiæ iam in ditione Francorum erant antequam maritima amitterentur.Nicephorus vt diſtineret naualem Francorum apparatũ , cum parte claſſis mittit Nicetem Patricium ad retinendam Dalmatiæ oram.Paulus Cephaleniæ præfectus cum reliquis nauibus ad Inferum mare circunuectus in Hetruriã,Populoniam vrbem nihil tale expectantem repente adortus,captam diripuit,ac circuniectam oram deuſſit,prius quàm Genuenſis,Emporitanaq; claſſis obuiã iret.Pipinus Rex pedeſtri itinere Rauennã petiit.Mox Superi maris claſſe cõtracta,Comacli in ſtatione erat. Nicetes vt antè inferret bellũ, quàm arceret, id oppidum egregie defendente Franco tentans, tanta ignominia cladeq; repulſus eſt,vt ſatis præclarũ deinceps duceret Dalmatiæ oram tutari. Venetus vtrunque Imperium obſeruare iuſſus,vltro citróque cõmeans,pacem redintegrare conabatur:nulla re inſecuta , niſi quòd infeſtior hoſtis Veneto Pipinus quàm Græco eſt effectus:crimini dans,eum inter ſpeciem reconciliandæ gratiæ pecunia ſupplementóque claſſem hoſtium iuuiſſe: ac paulo antè Nicephorus Auguſtus duces fratres Obellerium Spatarium,Beatum conſulem crearat.Igitur Francus Brundulum,Palæſtinam,Albiolam,quæ Venetæ ciui-

tatis perbonæ partes erant, capit, Methamaucumq; desertum fuga optimatiũ nobilem locum, quòd ibi tunc Ducum sedes, ac regimen rerum esset, occupat. & velut confecto bello, cum vna parte Nicetes, altera Paulus cum classe aduentarent, ne circunueniretur, classem reduxit. Est apud Venetos fama, Pipinum, cum Riuumaltum insularum Venetarum celeberrimam classe tentaret, breuibus stagnísque impeditum æstu recedente hæsisse, cladéque Francorum nobilem locum factum. Certiores authores nihil tale tradunt. Cõstat Gallico bello faciem Venetæ vrbis immutatam: Pipinum, dimissa classe, Mediolanum se recepisse. Augustus Frãcus eo exorabilior paci Venetis reddendæ fuit, quòd omnem culpam à republica in Duces suos auerterent, quos in patriam nefaria consilia iniuisse vel ea fides erat, quòd voluntarium sibi conscíuissent exilium. & Veneti summi viri videbantur, Francorúmque bellum cæteris horrendum ipsi etiam in bonum verterat, ac relictis pars maxima reliquis sedibus, quas Venetiis contributas diuersissimis æstuariis littoribúsque passim incoluissent, sexaginta circiter insulas pontibus iunxerant, quæ singulæ admodum paruæ Riuoalto adiacebant, vniuersæ speciem magnificentissimæ vrbis præberent, vbi Ducum sedes, publicúmque concilium deinceps haberetur. Sunt qui non ductu, sed iussu Pipini Venetum bellum gestum tradant: ídque facilè crediderim, quòd neque Carolum Augustum, neque filios ipsos aliis certaminibus naualibus interfuisse constat, sed præfeciſſe Comites suos, cum in terrestribus neque suo neque filiorum periculo parceret Francus. Duces Obellerius Beatusq; à suis hostes iudicati, Græco etiam inuisi fuere. Et vt mortalibus, si longior vita suppeditet; multa quæ nolunt accidunt: Carolo Augusto duorum filiorum mors alia super aliam nunciatur. Pipinus Mediolani, Carolus in Bauaria obiit. Hi conatibus Græcorum oppositi fuerant. Illud igitur bellum omissum. Græcis petentibus data pax: ab eísque stare Venetos concessum, quòd Venetorum res maritimis mercaturis Propontidis in primis Pontíque constarent. Obellerius etiam Dux patria extorris, cũ in Galliam veniſſet, incusaretúrque & à Franco & à suis perfidiæ, quòd Spatarius Augusti foret, Constantinopolin cum Nicephori Augusti oratoribus mittitur. Beati exitus obscurior fama est. Simul alter Spatarius Leo Siculus, qui ad Francum Romam transierat, decimo quàm profectus fuerat anno, reditum in patriam à Græco impetrauit. Fortunatus etiam Gradensium Patriarcha Venetos apud Francum criminari solitus, quòd ipsi Latini Græcorum toti essent, aliquanto pòst Byzantium se ex Gallia contulit. In nullius caput, fortunásve, aut existimationem sæuitum fertur. Ita cum duorum præpotentium Imperiorum bellum generi humano funestum futurum visum fuisset, facilem mitémque exitum habuit. Frãcus deinceps Augustus vel pacem domi colebat, vel finitima tantum necessariáque bella, vel pro religione gerebat. Nicephorus aduersus Barbaram religionem, Persásque, vt Latini omnes credimus, turpi nefarióque fœdere sibi prospexit, pro incolumitate Imperii triginta millia nummûm aureorum, pro salute capitis sui tria millia in singulos annos pacíscens: vt vero quidam Græcorum (quod propius fidem sit) tradunt, missis cum ampliſſimis muneribus legatis qui hostem ita alloquerẽtur

Nullús ne vnquam apud te modus cruoris ac vaſtitatis erit? ex ſacra locupletiſſimáque regione venis: auro, argento, reliquiſque generi humano expetendis fœlix, Græciæ immerenti bellum intẽdis. Cur dæmonum læuorum ac infernorum more, immortali mortalium odio dimicandum cẽſes, quaſi nullum numen eſſe arbitratus, ac nunquam ipſe moriturus, & reddendæ apud incorruptiſſimum iudicem rationis legibus ſolutus? Sin quid mei tibi cordi eſt, ingenue depoſcas: nullam feres repulſam. Ego enim beneuolẽtiſſimæ neceſſitudinis iure præbebo. Quibus Rex Regũ Orientis permotus, delectatúſque, qui omnia euerſurus venerat, pacatus diſceſſit. Nicephorus aduerſus alios Barbaros Bulgaros bellum ſuſcepit. Chrunus eorum Rex pacem orabat, munera non magna mittens, addénſque per legatos homini conuenientem orationem. Nicephorus es: Vtere omine nũcupationis tuæ, victoriam ferens, eáque certa & vtrinque incruenta contentus. Da ſupplici æquas leges, fœdúſque. Dederat Græcus Perſis ingentia munera. Aequa vel maiora à Chruno inopis gentis Rege poſtulabat. Indignitate rei furens Barbarus Rex congredi maiore exercitu minore ira auſum Græcum ipſum, maximámque nobilitatis partem interemit: capitẽque cæſi purgato, caluam argẽto induxit: eáque cum ipſe libaſſet, proceres ſuos ebibere iuſſit, ſic fore, vt auri cupidiſſimus Cæſar mero poſt fata expletus, alienam ſitim elueret, ſedaretq; . Res aduerſæ Græcorũ Imperii, auguſtius Franci Cæſaris nomen efficiebant. Et Carolus Auguſtus Imperium virtute bellica longe latéque propagatum, legibus ab ſe conditis firmare ſtatuebat, & quamproxime poterat, ad antiquam vrbis Romæ gloriam magnitudinémque peruenire: pulchrum eſſe, in terris extare vnum ſummum regimen rerum, quod mortalibus iura reddat: cui Reges omnes gentéſque peræque pareant: quod ſupra cætera emineat: quod vnũ ſecundum Deum optimum maximum rerum arbitrium moderetur: ad quod vnum mortales omnia referant: quod ſanctum ſit, vnde cuncta petantur. Et vt cæteras gentes imperio venerando aſſuefaceret, primos Francos Auguſtorum legibus teneri volebat, eáſque ipſe nouas condere. Quod vbi Frãci proceres accepere, tanquam ſempiternum iugum veriti, coitiones facere incipiebant. Auſus eſt etiam Vaſconum procerum vnus, nomine etiam Vaſco, cum in Hiſpaniam ſupplementum ducere iuberetur, apud Auguſtum exercitum recenſentẽ ita verba facere. Vt inſtructos nos Auguſte vides, ita quocunq; nos ſigna vocabunt tua, ſequemur: nulla monſtra, nulla rerum facies milites abſterrebit tuos. Aliis in vrbe Roma eſſe Imperator cœpiſti: Francis Auguſtus genitus editúſque es. Fato quodam virtus tuæ gentis inuiſa alienæ ignauiæ eſt, & libertas noſtra reliquorum ſeruitus videtur, cum tamen non antẽ vlla pars orbis terrarũ vere libera fuerit, q̃ tu cœperis imperare. Vnnis Regẽ, Græcis fœdus, Europæ iura reddis. Africæ formidinem, Aſiæ ſocietatem, teris pacem, animis ſecuritatem, templis ſanctitatẽ reddis. Nihil tibi præter curarum (quibus alii obruerentur) molẽ, reliquum feciſti. Franci in tanta nominis tui amplitudine maieſtatéque nihil optamus aliud, quàm vt Franci ſimus, qui fuimus. Armorum vacationem ſi vltro offerres, notari ignominia nos putaremus. Cur milites tuos, Regnum tuum, Franciam tuam Imperii prouin-

„ ciam facere ſtudes, Imperióque ſubiicere, rei vagæ (vt expertus ipſe es) & pro-
„ fugæ: vt cum more ſuo, quæ fortunæ ludibria ſunt, circumagi, temeréve ex-
„ currere cœperit, nobis aut iure ſeruiendum ſit, aut iniuria dimicandum? Im-
„ perium enim in Francia ſempiternum fore quis ſpondere auſit, quod ex Ita-
„ lia in orientem, ex oriente ad te, non nominis Francici charitate, ſed victoria-
„ rum fœlicitate reuocatum ſit? Stipendiarii Imperii eſſe quî poſſumus, qui ne
„ Regibus quidem noſtris pependerimus vnquam ſtipẽdium? Nec hæc ora-
tio habita tantum, ſed & crebræ frequentéſque coitiones ac propè conſpira-
tiones factæ. Ita tota res omiſſa. Volumen legum adhuc extat: ſed antiquatũ:
De inſtitutis Francicis nihil mutatum. Sacerdotum ſolutiores mores ad fru-
gem antiquitatíſque æmulationem redacti quinque patrum cõuentibus, Re-
menſi, Cauillonenſi, Turonenſi, Aurelianenſi, Maguntino. Magiſtratuum, Iu-
dicúmque ſordes coërcitæ multa, ignominia, abrogatione dignitatis. Cũ Da-
no Rege res geſtæ. Danorum Rex Gotthofredus finibus ſuis non cõtentus,
dum Imperium Germaniæ bellis Francorum feſſæ ſpe ſibi deſtinat, congredi
cum Carolo auſus, terra victus, quòd Peninſulam incolens, mari plus valere
ſe putaret, Daniam, quà Francorum bello patebat, foſſa, aggeréque ac vallo
præmuniit, vna omnino porta relicta: intráque munitiones ad oceanum vſq;
vtrinq; promotas, rétraxit emporium multarum gentium conuentu freques.
ſed & mari mox victus, poſitis cum vana ſpe ferocibus animis, ſupplex pacẽ
petens impetrauit conditionibus, quas ira poſita mitiores ſpe ſua inuenit. Sed
ne in furorem recideret, aduerſus eum, conſiliorũmque ſocios, ac in primis
Normanos Eſesfellũ colonia ducta frenum earũ aliquandiu gentiũ, degene-
raturum tandem, vt omnia, in accolarum mores. duæ præterea, ſed obſcurio-
ris apud poſteros nominis, coloniæ aduerſus Albianos deductæ. Ita Albis flu
minis accolas vocitabant. Pipini filium Bernardum Italiæ Regem dedit pa-
terna maieſtate: Valliũmque virum prudentiſſimum alterius Bernardi (hic
auunculus Auguſti fuerat) filium immaturam eius ætatem conſilio moderari
iuſſit, Barbaróſque claſſe Italiam aſſidue vrentes coërcere: id quod Hermen-
garius Comes Emporitanus præſtitit. Ex Sardinia plenis præda nauibus re-
deuntes in Hiſpaniam Barbaros poſitis ad Baleares inſulas nauiũ inſidiis ex-
cepit, octo naues expugnauit, plus quingentos captiuos Sardos recuperauit.
Dum reſarcire incommodum hoſtis cupit, malum malo cumulat, noua claſ
ſe Centumcellas Italiæ, ac Niceam Prouinciæ captas diripiunt, incendúntq;:
nec ſatiati duarum vrbium excidio, in Sardiniam curſum rurſus dirigunt, nõ
mortalibus non immortalibus temperaturi. Sed ibi qui ſua pari audacia de-
fenderent, atque ipſi oppugnarent, inuenere. Ingenti cæde caſtigati: reliqui ab
hoſte vix ſe nauibus tutati, perdiu deinceps quieuere: ac ne quid Italiæ ſuble-
uandæ deforet, Grimoaldus ab exilio reuocatus, éique Ducatus Beneuenta-
nus reſtitutus, impoſito in ſingulos annos vectigali quinque & viginti mil-
lium nummũm aureorum. Simul Ludouicum Auguſtus vnicum iam filium
ſibi Auguſtum cooptauit in communi conuentu, Cæſarémque ſalutari vo-
luit, adactis in eius verba iureiurando proceribus: & Regni Hiſpaniæ reci-
piendi ſpes concepta. Adelphonſus Bardulorum Rex cognomento vitá-

que Caſtus aduerſus Saracenos continenti bello res gerebat, magno quidem conatu, ſed ad exitum ſpes nõ veniebat. Si Carolus in Hiſpaniam ſe pio Rege accerſente Auguſtus veniret, vt Ibnabala Saraceno ducente Rex veniſſet, breuis æui impiorum in Hiſpaniã opes fore ſperabat: ſe filiis carere, & quòd orbus ſit, ſenectutem ſuam minori venerationi ſuis, maiori contemptui hoſtibus eſſe. Præmiũ laborũ, mercedemq; religionis defenſæ, ſpem propinquã ſucceſſionis hæreditatisq; Francis proponi poſſe. Nec tanto præmio abnuit Auguſtus, Bernardúmque Italiæ Regem ex Pipino nepotem Bardulo adoptandum offerebat. Propè res confecta videbatur, Auguſtúſque iam ſaltum Pyrenæum ſuperarat, cum Bernardus Comes ſecũdæ ab Rege inter Bardulos authoritatis ſceptrum gentis in Franciam ferri adeo moleſte indigneq; tulit, vti procerum gentis coniuratione facta, metúque Adelphonſum perterritum coëgerit appropinquanti iam Franco Legatos mittere, qui nunciarent mutata conſilia, nec opus eſſe in præſentia externis auxiliis. Et accidit ad populariũ etiam animos concitandos, vti non contemnendus Bardulorum numerus ſeruitute Saracenorum elapſi, in Francicum exercitum inciderent. Hi ſiue ab iratis Francis, ac quòd à Bardulis vocati iuberẽtur re infecta domũ redire, indigne ferentibus grauia paſſi, ſiue conueniens tempori dolus à Bernardo Comite excogitatus eſt, in ſuas quiſque ciuitates reuerſi, atrociora exẽpla à Francis quàm à Saracenis in ſe edita cũ dicerent, non prius deſtiterunt, quàm peruicere, vt Maſſillus Rex, quæque eo Duce impiorum ingẽs manus ex Africa recèns tranſmiſerat, percuſſo in Francos fœdere accerſeretur. Nec antè decedere ex hoſtico Auguſtus cœpit, quàm prælio victor, vſtíſque agris: quanuis ceſſere verius quàm profligati ſunt hoſtes: nec poteſtatem deinceps pugnandi æquo loco Francis fecere. pabulatoribus frumentatoribúſque infeſti aderant, & grauem Francorum armaturam pernices ipſi equíque ac expediti varia ludificatione fruſtrabantur. Hyeme appetente redeuntes domum, copias Auguſti in deſcenſu Pyrenæi ſaltus adepti, cum procul iam primũ & ſecundum agmen cum Auguſto viam præmenſum abeſſet, extremo agmini tantam cladem prius quàm recurrens Auguſtus ferre opem laborantibus poſſet, intulerunt, vt nullus locus clade Francorum nobilior, ac fama celebratior ſit. Roncauallis vocitatur. Interempti, ad Chriſtinæ ſepulti ſunt. Nec hoſtibus læta diu hæc victoria fuit. Maiori mox inter ſe odio pugnauerunt Bardulus Maſſillúſque, quàm aduerſus Francos dimicarant. Turpinus Remorum Epiſcopus proficiſcenti ad Saracenorum bellum Franco benedixit, milites concione adhortatus: ſub quam expeditionem obiit ſucceſſore Vlfacio: nec quicquam nobilius de eo apud graues authores comperimus. Duos annos rebus Hiſpanienſibus ſuperſtes fuit Auguſtus. Iam ſe deficere ſentiebat. Religioni ſacríſque literis in dies ſe magis dedebat, diui Auguſtini lectione in primis delectatus. Iam ſacra ſchola Pariſiorum in precio erat, cum ex diſciplina Bedæ quatuor doctiſſimi viri aduenirent, Rabanus, Alcuinus, Ioannes, Claudius, literis non vſque adeo à veterum maieſtate fœlicitatéque degenerantibus. Pipinus pater Compendium omnibus ſeceſſibus antetulerat. Ipſe Aquiſgrani,

cum per bella licebat,& viuens ſedebat,& ſupremum diem obiit, ſepultúſq; eſt Anno ſalutis octingẽteſimo quintodecimo. Vixit annos ſeptuagintaduos. Regnauit quadragintaſeptem. Imperauit quatuordecim. Rem Chriſtianã auxit armis,pietate,templis. Magni cognomen promeruit, dignus habitus, ad quem iura, inſigniáque Imperii poſt multas ætates reuocarentur. Carolo Magno ſucceſſit LVDOVICVS cognomento Pius. Is Aquiſgrani ſacratur, coronatúrque à Stephano Pontifice maximo,profecto in Galliã ad impetrandum exulibus Romanis in patriam reditum. Nec Romanis modò,ſed & Saxonibus,quos traduxerat in Galliam pater,redeundi domum ius dedit. Quóque veterem patriam magis appeterent,nec charitate nouarum ſedium tenerentur,ſimul vt prouinciæ Francorũ per belli mala ſolitudine vaſtæ frequentarentur:illis in patriam redeuntibus,teſtamenti factionem reſtituit,quã, vt oſtendimus,Magnus ademerat:& in Francia remanentibus nullum ſupremæ voluntatis teſtandæ ius reliquit. Saxones hanc noui Auguſti in ſe liberalitatem tam grato animo accepere,vt magis pro Francorum gloria ex eo tẽpore pugnauerint, quàm antè pro libertate ſua aduerſus eoſdẽ decertaſſent. Authore Ludouico bellum Danicum confecere, Herioldo Daniæ Rege à popularibus pulſo, in patriam opéſque reſtituto. Quo exemplo incitati Abroditi Sclauos morte Magni in rerum nouarum ſpem erectos ad obſequẽtiam virtute reuocauere. Contrà Azo Vaſconiæ Prætor ſordium manifeſtus, cum ad repetundarum iudicium decedere prouincia cogeretur, mallétque fortuna tentanda quàm iudicio perire,manu perditorum coacta,ac à Sigino quódam è Vaſconiæ proceribus adiutus, ſigna cum Auguſti Ducibus contulit: victúſque,cum ſordibus furore cumulatis nulla ſpes veniæ oſtenderetur,ne quid non experiretur, in Hiſpaniam ad Saracenos ſe recepit, eorum armis ſe tecturus. Interea in Stephani Pontificis maximi demortui locum ſuffectus Paſchalis eueſtigio Pontificatum iniit, gererẽque cœpit Auguſto non conſulto,contra ſuperiorum annorum exempla. Qua de re conquerentibus Francis oratoribus,nouus Pontifex,quæ antè neceſſitati temporibúſque permiſſa fuerant, ea à piis Regibus Auguſtíſque loco immortalis legis haberi oſtendit non oportere. Eam ſatisfactionem excuſationémque accepit Auguſtus: edictóque in poſterum etiam vim fieri vetuit quo minus per interregnum Pontificem maximum ~~crearent ii quorum~~ id ius foret: qui continuò Põtificatu inito certiorem Auguſtum faceret:ac ne incertis finibus noui motus exoriri vnquam poſſent,Hetruriæ vrbes Auguſto dicto audientes has fore edixit,Aretium,Volaterras,Cluſium,Florentiam,Piſtorium,Lucam,Piſas, Peruſiam, Vrbemueterem:cæteras Pontificiæ poteſtati. Armis etiam maieſtatem ſuam defendit. Vinomarchum iniuſſu ſuo Britanniæ Regem ſe dicere auſum,pugna oppreſſit: extincto ſucceſſorem Ducem, ac Britannis leges parendi ſibi dedit. Quadraginta omnino diebus ea confecta eſt prouincia. Pannonicũ bellum quo longinquius,eo diutius tenuit,ciuili bello par,quòd duas Pannonias, alteram Cadalus, alteram Lindeutus regebant, diſcordes æmulationis propinquitate. Ferro etiam dum certatur,victus Lindeutus Auguſti quoque hoſtis efficitur,quem Cadalo æquiorem ſuſpicabatur: & Bul-

 garorum

garorum auxiliis fretus, in Bornam Dalmatiæ Ducem Auguſti reuerentiſſimum impetum facit, eúmque ex maxima Dalmatiæ parte deturbat: mox ipſe eiſdem rebus pulſus, Francorum ope, ſua recuperante Duce: cui paulò pòſt mortuo ſucceſſit nepos Landaſcus. Et Bulgari cõtrouerſiam de finibus mouebant. Initio per oratores egerant placide, deinde minis. Verbis validus exercitus oppoſitus. Ita & Lindeutus furere deſtitit, & Bulgarus æquum fœdus exorauit: & plus quàm ciuilia exorta ſunt bella, quæ rem Francicam afflixere, & exteri minus ſanctè Francorum nomen ſuſpicere cœpere. Vallius Princeps amicorum Magni fuerat. Pueritiam Bernardi Italiæ Regis regebat. Defuncto Magno, ſorores Bernardi reæ probri agebantur. Crimen maieſtatis intendebatur in eos qui eas vitiaſſe arguebantur, quòd Regiarum puellarum pudicitiam attrectari niſi læſa maieſtate negarent. Quæſtio ipſi Vallio mandatur. Is proceres reos condemnare non poterat, quin pupilli ſui ſorores manifeſtæ infamiæ obiiceret: diſſimulationéque rem ſepelire optabat. Delatores vero Auguſti aures poſſidebant, & vrgebant Vallium, vt iudicium faceret. Sed & ipſe tergiuerſabatur, & Bernardus authoribus proceribus, quos Vallius vetuerat ab eius latere diſcedere, ſeſe Regem Franciæ nuncupat. Et ſunt qui tradant Pipinum eius patrem maiorem fratre Ludouico tunc Auguſto fuiſſe: ita non deterioris iuris eſſe ad aui Regis regnum obtinẽdum ex maiore filio nepotem, quàm filium minorem ſuperſtitem. Permulti proceres Franci cauſſæ aduleſcentuli aderant. Germanorum ſtudia in Ludouicum flagrantiſſima conſpiciebantur, iudicium Magni ſecuta, à quo meminerant Ludouicum ſucceſſorem dictum. Bernardus vixdum Alpibus ſuperatis capitur, luminibúſque orbatus, dolore contabuit. Proceres illorum ſignorum, vt qui duxiſſent, non ſecuti fuiſſent, alii alia pœna affecti: nonnulli Epiſcopi ſedibus exacti. Lotarius Ludouici Auguſti filius Italiæ Rex datus à Pontifice coronatur. Sed nec ſic res compoſitæ. Amici Bernardi, qui ſuperſtites integris opibus exiſtimationeq; erant, Principe Vallio coniurationẽ faciunt. Ex quatuor Auguſti filiis duo Lotarius ac Pipinus à patre abalienati ſunt. Pipinus, quòd non pauci eius proceres notati ignominia fuiſſent, & ipſe grauiſſima contumelia verborum increpitus, quòd cum Aquitania Regno donatus eſſet, per cunctationẽ deſcendentes in Galliã Duce Azone Saracenos non prius quàm vſta propè ea regione omni repuliſſet. Lotarius etiã indigne tulerat Regnum Italiæ opesq; ſuas imminutas abrogato in Stiriã Charintiamq; iure Ducatui Foroiulienſi per irã Auguſti, quòd Baldricus Foroiulienſiũ Dux Pannonici limitis cuſtos Bulgaros recentis fœderis immemores vim faciẽtes non arcuiſſet finiũ ingreſſu. Foroiuliẽſis enim Ducatus viribus firmari res Italicas Lotarius arbitrabatur. Ea vero res mirum in modum Germanorũ in Auguſtum ſtudia accendit, quòd quicquid Lotario Italiæq; Regno ademptum fuerat, id Germanis reddebatur. Et tertius Auguſti filius Ludouicus Noricis Rex datus, fratrum in patrem conſpirationẽ auerſatus eſt, quarto filio Carolo adhuc infante. Coniuratio autẽ priuatæ nobilitatis in dies plus virium nanciſcebatur: quarum cum non pœniteret, ſpecie recti in Aquitaniam profecti, Auguſtum detrudere è ſolio cõtendebãt: nec auſi patrem Auguſtũ apud filium Regem

ex profeſſo accuſare, Bernardum Gotthicanorum Comitem, eundémque Principem cohortis amicorũ Auguſti ac Auguſtæ, cuius pudicitia male audiebat, accuſabant, confícto crimine ab his qui ſorores Regis Bernardi probri accerſitas moleſte ferebant, parémque dolorem Auguſto ex vxore inurere conabantur. Ea trium Auguſti filiorum nouerca erat, Caroli mater. Conſ iuratorum oratio apud Pipinum huiuſmodi fuit. Nos, Francica nobilitas, non alieni, ſed tui, ad te venimus opem fidemq; ac dextram tuam implorantes. Mori Francis præſtat, quàm externos adire Reges. Cum alienigenis auxilio ſemper fuerimus, exterorum auxilio ſalutem noſtrã tegi flagitioſum eſt. Nullis Regibus debere poſſumus Franci, niſi Francis. Sed Franci Reges inter vos regionibus diſcreti, conſulere in cõmune non poteſtis. Ludouicus frater tuus in Germania quàm procul à nobis abeſt? Lotarius alter frater Italicis rebus non Auguſtior ſed fœlicior quàm noſtris eſt. Ludouicus pater tuus, Auguſtus noſter, ſuopte ingenio maxime pius, alieno ſcelere ingentium virtutum ſuarum gloriam amittit. Ipſe clemẽtiſſimo in nos eſt imperio. Nos tamẽ ſub tyrannide degimus. Ipſe Auguſtus olim liberorũ Rex, nunc ne liber quidẽ eſt. Tribus clariſſimis totius orbis terrarũ, ac omnium ætatũ Regibus filiis nouercam ſuperinducere ſenex pater coactus eſt. Et nos vere miſeri dum opem petimus, vulnera noſtra nudare non poſſumus. De Auguſta Bernardíque licentia ſecus loqui non poſſumus, quin ſcelerata, flagitioſa, impiáque nobis vox noſtra videatur. Sed quæ Franci ſilemus, diſſimulamus, tegimus, orbis terrarum nouit. Fabula gentibus Franci ſumus. Mala noſtra poſtremi omnium diſcimus. Fredegundis ac Landrici memoria renouata eſt. Sed omitto pudicitiam, quoniam ſola cogitatione impii nobis videmur, quandoquidem Bernardus vnus fœlix regnator eſt. Quid de Auguſto loquar? quid ſilebo? Amoue à nobis, oramus, hanc acerbam neceſſitatem. Quæ te audire non decet, nefas eſt nos referre. Te hoc vnum per tuam maiorúmque tuorũ gloriam oramus, effice ne exteris ſecus ſentire de Regia Frãcorum liceat. Auguſtus manſuetudine ipſe mira eſt: ſed crudelitas nimis diu in Francia graſſata eſt. Mors ſine cruciatu, ſupplicii genus hactenus mitiſſimum fuit. Numera inſontium pœnas, ignominias, oculos erutos, & alia dictu fœda, indigna, atrocia. Sed homo natus eſt Auguſtus. Aegreſcere, labefactari, minui mens eius vel fato vel veneficiis potuit. Dum ſuæ mentis fuit, ſe patre, teq; filio dignus extitit. Nunc quod te facere pietas cogit, patri, Regno, rebus conſule. Non dico impudicitiam, ſed impudicitiæ famam ab Auguſta aulaque repelle: ac vultus, oráque famæ compone. Patrem Auguſtum, quoniam humanis conſiliis mens hominí reddi non poteſt, ita rege, vt natura leniſſimus facere nihil niſi clementiſſime queat. Hæ ſunt preces noſtræ, nobis neceſſariæ, in te honorificæ, in Auguſtum piæ. Non petimus bella, non atrocium ſuppliciorum, ac iuſti doloris noſtri piacula. Quæ præterierunt, more fluminis fulminíſque irreuocabilis præterierint: vnde alii obruti, alii vſti periere. Quicquid miſerarum reliquiarum eſt, tu ſerua. Te filium patris vulnera ſanare decet. Non enim minus ipſe fæuiendo vulneratur animo, quàm nos patiendo corpore. Francia te non tibi vni, ſed & ſibi & patri genuit. Ea tibi Auguſtiſſimos natales

tales Regióſque,egregium animum,excellentem virtutem,opes,nomen,Regnum dedit: vt ſiquando virtutis tuæ egeret,paratum ſibi in te præſidium haberet. Franci proceres,Francia ſumus. Non enim patriæ nomen in ſurdo mutóque ac inanimi ſolo eſt. Nos viuens ſpiranſq; Francia te oramus,rem Francicam capeſſe. A corporibus noſtris quotidiana ſupplicia,&,quod nō minus vrit,cōtinentem ſuppliciorum ignominiarūmque metum prohibe. Reſtitue in ſolium manſuetudinem,clementiam, quas in te ſentimus virtutes. Hæc oratio Pipini animum nutantem tam facilè impulit,vt nefas non exiſtimaret à patre deficere. Bernardo inferre bellum ſe dictitabat. Eius filium Aureliani captum,luminibus priuauit, ſcelera imitatus quorū inuidia pater laborabat. Bernardus in Gotthicanam Præfecturam, atque inde in Hiſpaniam ſe recepit. Auguſta in ſacrarū mulierum cœtum migrauit ex aula. Auguſtus in concilio Epiſcoporum veniam ſuppliciorum quæ ſumpſiſſet,petiit. Quæ voluntaria confeſſio conſilia coniuratorum confirmauit, & eorum cauſſæ authoritatem viréſque adiecit. Iam etiam Lotarius in Francia caſtra aduerſus patrē poſuerat,ſperans totam Italiam pro eo in patrem ſigna laturam. Sed procul abfuit vt Italici generis proceres filium in patrē armatū armis iuuarent. Gregorius Pontifex Rauennatium vltro citroq; commeans peruicit ne collatis ſignis pugnaretur. Pacis conditiones conuenere,quæ in præſentia ſanctæ fuere. Gregorio in Italiam regreſſo,Lugduni concilium Epiſcoporū,quos filii Reges contraxerant,habitum, Imperiumq; patri abrogatum. Quod decretum mox à Gregorio Pontifice maximo reſciſſum eſt, & audacia Archiepiſcopi Lugdunenſis multata. Ex ſede enim deiectus eſt. Hæ res in viceſimum à Magni obitu annum tractæ. Interea prætextu Lugdunenſis concilii rerum adminiſtratione motus Ludouicus,in diui Medardi cœnobio tondetur,Monachi habitu ſuſcepto,ac addita cuſtodia. Qua indignitate permoti qui Francorum optimatium à coniuratione integri erant,Ludouicum ſibi reddi poſtulantes, cogunt copias aduerſus Lotarii Pipiníque exercitum: Drogo Mediomatricum Epiſcopus Magni ex pellice filius legatur ad Lotarium. Eius maieſtas parum apud inſanos virium habuit. Subſecutus Anſelmus Cauillonenſium Comes apud Lotarium in hunc modum locutus fertur: Qui modò in illis caſtris eramus,quæ non ſuo Duce,non ſuo regebātur Imperio,iam abs te Duce Regéque ac Imperatore noſtro audimur. Non eſt cur exteri animos tollant. Enſes nobis in hoſtes dati ſunt,dextræque,non modò vt pugnemus, ſed vt fidem à ciuibus ciues accipiamus,inuicemq; demus. Nulla eſſe breuior controuerſia poteſt,quàm inter indulgentiſſimum Regem,& obſequentiſſimos milites. Hoc enim vnum te milites tui oramus, vt regum Imperatorūq; noſtrorum vita ſit nobis noſtra ſalute prior,potiórque. Cum in acie vos pugnæ ardor ante ſigna rapit,nos noſtri immemores, corpora veſtra noſtri lateris oppoſitu tutamur. Nefas eſſet nobis viuis ſpirantibúſque reges noſtros in cuiuſquam poteſtatem venire: & nunc patientiam noſtram experiri fama voluit. Qua enim alia cauſſa dici Ludouicum Auguſtum noſtrum in cuſtodia haberi? Scire vult orbis terrarum quàm magna ſit ſanctaq; noſtra in Auguſtum noſtrum pietas fidéſque. Sed ingens, ſed immortalis eſt. Adſumus

» inermes,adſumus armati.Iube nos ferro dimicare pro illius ſalute: ſi fugien-
» tes perſpexeris,tergo poplitibúſque ne peperceris.Aut Regem noſtrum iura
» reddere,regnantemq; videre volumus,aut ipſi emori.Hanc ſcilicet in poſte-
» ros famam mitti,ab rege regem,à filio patrem?Horret animus cætera effari.
» Exhibe vltro in conſpectum patrem.Noli hoc te rogari. Nimis audacem in
» fingendo fuiſſe famam oſtende.Nos nihil niſi pie factum credemus . Relin-
» quere vltro voluerit ille Regnum,rerúmque arbitrium. Tutelam noſtri fu-
» giétem,quod per leges licet,recipere gerereq; coegerimus, compulerimusq;.
» Fruſtra viri,armatíque,ac,id quod maius eſt,Franci ſimus,ſi pro ſalute maie-
» ſtatéque noſtri Cæſaris mori,aut(quod pace dicam tua) vincere recuſemus.

Hæc Comes.Reſpondit Lotarius,patrem concilii decreto tonſum fuiſſe. Se,quia reddi optimates velint,vt antè concilio, ita nunc illis morem geſturum. Ita redditus Auguſtus coacto liberiore Patrum concilio:prioreq; decreto inducto,inſignia Imperii recepit . Auguſta ê cœnobio in aulam remigrauit.Bernardus reuerſus ſe iureiurando purgauit, profeſſus etiam ſe innocentiam ſuam,pudicitiámque aulæ Marte iudice,ſi quis oppugnet, defenſurum. nemine audente tantæ rei inuidiam periculo ſingularis certaminis ſubire,futura etiã aliunde pernicie,ſi iudicio Martis in præſentia victor,odia hominum in futurum non viciſſet.Lotarius Italiam coactus repetere, Cauillonum prius euertit, memor orationis ab Anſelmo in ſe potius quàm apud ſe habitæ.Simul in Italiã tranſgreſſus, ob irã credo quòd Italicis armis paterno bello adiutus non fuiſſet,eam Saracenorum claſſe vri diripiq; tacitus ac nihil mouens ſiuit,quoad minis patris coactus eſt impigre eam tutari.Anno XXV à Magni obitu Ludouicus CAROLVM filiorum minimum cognomento CALVVM Neuſtriæ Regem dixit, ſimul reliquum Celticum ac Belgicum in eius verba iureiurando adigebat.Pipinus trans Garumnã in veterem Aquitaniam compulſus à patre,morbo obiit, relicto eiuſdem nominis filio. Is paternam contumaciam imitatus,iniuſſu aui Regium nomen capeſſit,vindicibúſque licentiæ Auguſti copiis appropinquantibus armatus occurrit. Nec armorum modus.Ludouicus filius Noricorum Rex,indigne paſſus ſpei vniuerſi Francici Regni Carolum fratrum minimum à patre admoueri , in Galliam duxit Noricorum copias . Viuo patre incruenti enſes fuere : viceſimoſeptimo quàm imperare cœperat anno deceſſit : Sexagintaquatuor vixit. In Mediomatricibus ſepultus , iuſta Drogone faciente . Tunc qui patre viuo ſe ferro accinxerant filii , mortuo capulis admouere manus . Lotarius Rex Italiæ , & quòd maximus ſtirpis eſſet , Auguſtúſque deſtinatus , ad ſe omnia reuocabat , & qui ne patri quidem Auguſto peperciſſet , multo ferocior in fratres erat . Ludouicus Carolúſque aduerſus fratris cupiditatem communi animo conſilióque bellum geſſere . In finibus Altiſſiodorenſium ad Fontoniacum vicum caſtra caſtris collata ſunt . Die reſurrectioni feſto , cum vtrique alteros ob ſanctitatem diei prælium non expectaturos repentino impetu opprimi poſſe ſperarent , prima luce ad caſtra fratrum Lotarius , fratres ad caſtra Lotarii tendunt . Vtraque pars alteri in medio ſpatio obuia fuit . Antequam ſtrueretur acies , locúſque Ducibus militibusq;

litibúſque ab Imperatoribus attribueretur, infeſtis animis armíſque concurrêre. Cædes miſerabilis facta, cumuli corporum cernebantur, necdum furori rabieíque finis. Omnis propè nobilitas Francica cæſa pertinaci inter ſe certamine. Cõtrariis enim ſtudiis diſtracta in duas ſe partes diuiſerat. Nomen victoriæ apud Carolum Ludouicúmque manſit, quòd duo cõcordes Reges, & ante pugnam militum animos acuiſſent, & in acie ardorem excitaſſent, omniáque diuerſi obirent facilius, quàm vnus apud ſuos Lotarius, ſperans hoſtium exercitum ſub duobus Regibus contentionum ſtudiis diſtractum iri, ac vt in præſentia vincerẽt, de opibus inter ſe mox dimicaturos. Quæ res longe aliter ceſſit. Nec modò ex Altiſſiodorenſium finibus hoſtem exegere, ſed cum Aquaſgrani plenam maieſtatis vrbem petiuiſſet, inſecuti ex Belgis Celtíſque ſubmouere. Trans Rhodanum ſe Viennam recepit. Exin in annum induciæ factæ, delectíque vtrinq; quadrageni proceres, quorum fide prudentiáque, fida æquáque pax componi poſſet. Cõuenit vt Franciæ Rex Carolus diceretur: eáque Arari, Rhodano, Scalde, Moſa, Oceano, Pyrenæo ſaltu contineretur: Ludouico Germania, Vnniaq; cederet: reliquæ opes ac Imperium penes Lotarium forent. Pipini adoleſcentis reſpectus nullus extitit. Quo dolore adductus, cum omnia agit, molitúrque, comprehenſus, in cœnobiũ tondendus traditur. Lotarius compoſitis Imperii rebus, Ludouicum trium filiorum maximum natu Regem Italiæ deſignat, nec prius in poſſeſſionem mittit, quàm mortuo Gregorio, ſub recentẽmque creationem Sergii Pontificis maximi, apud nouum religionis Antiſtitem nouum Regem Auguſtum futurum, plus maieſtatis habiturum ratus. Ducem comitatus Drogonem Epiſcopum Magni filium ire iuſſit. adoleſcens Rex, non qua religione proauus iuerat, iter faciebat. Armatus armatorum agmine longe latéque fuſo contendebat. in vrbibus agríſque fiebant, quæ ab exercitu Rege feroci aſſolent. Sergius pro gradibus ædis Petri occurrit, excepítque, ſed non qua Leo Hadriánúſque Magnum comitate. Obſeratæ fores templi erant. vbi ad eas peruentũ eſt: Si pacatus ades (inquit Sergius) patebunt: Sin quid ſecus, pendet è cælo in hoſtem ~~enſis: valuas~~ caue tetigeris. Ad quam vocem iuuenis poſita ferocia templum iniit. Nihil quod dari à bono viro poſſet, negauit Pontifex: ac eueſtigio Italiæ Regni nomine inſignem coronauit, ne cauſſa in Vrbe morandi vlla eſſet. Octauo die diſceſſit. Caluus domi nec pacem habebat, nec iuſtum bellum. Res ei erat cum piratis Normanis, infeſtiore continentioréque latrocinio Galliam vrentibus, quàm vllus vnquam iuſtus hoſtis fecerat. Danis finitimi erant, Oceaníque accolæ. Carolus Magnus reliquarum nationũ ſeptentrionalium domitor eos prælio deuicit, leui clade affectos: nec religionẽ nec iura nec Magiſtratus à Francis accipere coëgit. Mortuo Magno, ad piraticã faciendam redierunt, tantùm oræ maritimæ infeſti, ac ad primum Fracorum occurſum refugiebant. Caluo Rege feſſa malis ciuilibus Francia, interiora petere auſi, ægre ſuſtineri poterant. Lutetiam vſque à mari progreſſi, ingentem prædam auertêre. Regreſſi domum, prædâque expoſita, multo plures ſpe Francicarum diuitiarum adducti anno eius ſeculi quinquageſimotertio, maiore claſſe longius quàm priores euecti, Ligeris oſtia cum ſubiuiſſent;

XXV. CAROLVS CALVVS.

noſtris religioni deditis Sabbato ſancto Nanetes inuadũt,Epiſcopúmque ciuitatis rem diuinam facientem occidunt,frequentem ad ſacra populum trucidant.Ea vrbe direpta euaſtatâque,Andegauum,atque inde Turones,vtranque vrbem fuga ciuium deſertã ſine certamine ingreſſi, direptis quæ agi ferríque celerrime poterant,domum rediere, morari diutius non auſi, aduentante cum exercitu Caluo. A cæteris motibus ſecundum Ludouici Pii Auguſti obitum quies Galliam fouit ad quartumdecimum annum. Sub quod tempus Lotarius Auguſtus religione motus,ſéque monachum profeſſus,tribus filiis,Ludouico quam antea dederat Italiam,Auguſtíque nomen:Carolo Prouinciam cum altera Burgundiarum:Lotario alterã attribuit:cum ea quæ Auſtraſia fuerat antea, tunc Lotaringia pro Lotariana dici ab Rege ſuo cœpit.Carolus prouinciæ Rex,non diu ſuperſtes patri,munerique paterno fuit: eo mortuo Ludouicus Lotariúſque fratres ſine certamine illius opes diuiſere. Ludouico Prouincia,quòd ea continens Italiæ ſit,ac Tranſiurenſis Burgundia,euenit,reliqua Lotario,cui paulo longior vita dedecus attulit. Duobus Epiſcopis Regni ſui authoribus,Guntario Agrippinenſium, & Tetgaudo Treuirorum,cum vxore ſua Tetberga diuortium fecit, quòd eam diceret ætate prouectam,ac ſeram ad prolem ſuſcipiendam:adulterii etiam arceſſebat,ídque corruptis iudicibus ac teſtibus coemptis facilè probauit:Valdradâmque florentiſſima ætate ſpeciéque egregia duxit.Admonitus à Pontifice maximo perſtabat in amentia:Epiſcopi,quòd connubium diremiſſent,è gradu dignitatis deiecti ſunt. Lotario communione piorum interdictum.ad irã Pontificis deprecandam Romam profectus, in reditu deceſſit. Regna eius Caluus coniungere ſibi, ac Francorum Regnum ad priſtinos terminos propagare conatus,ne duos ſimul Ludouicos,fratrem Regem,alteriúſque fratris Auguſti filium Auguſtum hoſtes haberet, propiorem Ludouicum in partẽ fœdere icto recipit.Diuiſa Lotaringia, alteráque Burgundia, vt quis cuique locus opportunior erat.Continuò Auguſti oratores affuere,decedere iubentes Regnis quorum ius morte Lotarii ad fratrem Auguſtum veniſſet. Subſecutis ſummi Pontificis legatis,qui Burgundionibus Lotaringíſque iuberent Auguſto ſe dedere, ſimul vtrique Regi reddere Auguſto fraternam hæreditatem imperarent,cum graui ſacroſanctæ poteſtatis denunciatione niſi pareretur:Ludouicus Rex frater Calui exorabilior fuit: Auguſtæ in Galliã à marito Auguſto qui in Italia Saracenorũ bello vexata retinebatur, miſſæ, quicquid ſibi è Lotarii Regnis ceſſerat,reddit. Caluus in ſententia perſtabat, venientíſque ad ſe Auguſtæ congreſſum vitauit, maiores occupationes cauſſatus, expectationémque Normanici belli. Legatis Romanis negauit æquum eſſe,in ſe nondum auditum necdum cauſſa cognita Pontificis fulmen intentari.Res magni momẽti ſummos inter viros cum trahitur, Caluus cum Britannis bellum geſſit.vno atque altero prælio victus,nõ demiſit animum,turpe Francos exiſtimãs bello à Britãnis ſuperari. Ferox duplici victoria hoſtis, perſeuerantia Calui in ordinem redactus,leges accepit. Noemeticius ſe Regem Britanniæ dicere auſus, Ducis appellatione pacéque contentus,morbo deceſſit.Caluus eius filio Heriſpeo paternum dominatum reddidit, ac eum

 in verba

in verba ſua iureiurando adegit. Superuenit Normanorum tumultus. Fines Nanetum, Turonum, Pictonum populabantur. Ei Dux Aquitaniæ Ranulfus & Robertus fortiſſimus procerum Comes Andium à proceribus Saxonum oriundus, Saxonum etiam à Caluo mercede conductorum auxiliis ſubnixus occurrerũt: ſua eis virtus, nobilitásque, & præclara facinora parum profuere. Collatis ſignis in prima acie pugnantes occubuere, cæteri amiſſis Ducibus ad internecionem deleti. Andegauum victores hoſtes occupant. Britannorum Rex Solomon, qui patri Heriſpeo ſucceſſerat, auxilium Francis hoſtes Andegauumq; obſidentibus tulit. Clauſi dederunt Caluo ex præda ingentem vim auri, atq; ita fide accepta deceſſere. Abeuntibus etiam ~~forum rerum~~ venalium datum, maiora Franco Rege ~~animo~~ concipiente. Ludouico enim Auguſto defuncto, vt in Franciam Cæſarum nomẽ reportaret, deiectis è iugis Alpium Ludouici Germanorum Regis filiis ad intercludendum iter à patre miſſis, in Italia à Iohanne Pontifice maximo Auguſtus dictus coronatur anno ſalutis octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto: vtq; Italiam in fide officioq; contineret, Boſſonem Iudithæ vxoris ſuæ Auguſtæ fratrem Papienſibus Ducem dat, Berengariumq; ac Vidonem proceres Romanæ iuuentutis per matres Francis, per auias Longobardis cognatione iunctos, factionúmque quæ iam Italiam diſtrahebant, principes, & fœdere ipſos inter ſe, & honoribus muneribúsque Francis cõciliat: alterúmque Foroiulienſium Ducem, alterum Spoletinorum dicit: vt aduerſus Germanorum Imperii ſtudioſos Francicas partes tutarẽtur, Ducatúsque nomine datos, armis, virtutéque in ditionem ſuam, fidemq; Francorum redigerent. De Beneuentanis minus ſolicitus erat Caluus Auguſtus, quòd hinc à Græcis ſolicitabantur, illinc à Saracenis vrebantur, magísque auxilio indigebant, quàm iuuare partes poterant. Berengarius vt initio fidelitatem ſuam Francis probaret, Hermengardam Ludouici Auguſti filiam apud ſuæ factionis homines educatam, quã pater Baſilio Græco Auguſto deſponderat, Boſſoni, quem vnum apud Caluum omnia poſſe ſciebat, collocat. Ea quòd Cæſaris ſponſa fuiſſet, ac patre, auo, proauo, abauo Auguſtis, tumens, virum Ducem maiori cupiditate impleuit, negans iucũdam ſibi vitam fore, niſi virum Regem amplecteretur. Caluus quoq; Auguſtus, vt non Duces modò, ſed & Reges crearet, eisq; iura diceret, vxoris fratrem Prouinciæ Regem appellat, quæ Hermengardæ illius vxoris patri auóque Auguſtis paruiſſet: ita facilius & ſanctiore iure, minoréque mortalium inuidia Prouinciam ad Francorum Imperium redituram. Mortalium iudicia de Imperio varia erant: alii Pontificis maximi factum, magnitudinémque animi probabant, quòd Francis de Italia réque Romana bene meritis priſtinum decus reſtituiſſet: alii ad Germanos Germanorumq; Regem Ludouicum Calui fratrem maiorẽ, & ipſum Magni nepotem, res reuocabãt, vel quoniam is & ætate iam ſera, infirmáque valetudine, ac corpore debilitato ruina domus, in quam Auſtraſiam petens diuerterat, propè oppreſſus eſſet, ad eius filium Carolum Craſſum Auguſtæ indolis iuuenem trahebant. In Galliam reuerſo Caluo Auguſto, Ludouicus Germanorum Rex ſuum diem obiit. Tunc velut fatis vocãtibus, Regna quæ Lotarii iunioris iuris fuiſſent, omni ex parte in ditionem Francici imperii re-

dacturus Caluus,ingentem coëgit exercitum. Trés Ludouici filii,Ludouicus, Carolomanus,Carolus Craſſus,ſub recentẽ patris obitum dum diuiſione paterni Regni finitimarumq; gentium bellis diſtinentur,Caluus Coloniam vſq; omnia peruaſit:mox Germani oratores affuerũt,vt quæ Ludouicus Auguſtus in Galliis Regna habuiſſet,legibus iuréque,non Martis iudicio diuiderentur. Nuper mortuo Lotario iuniore Auſtraſiæ Rege, fœdus ictum inter Francos Germanosq;, vt Burgundia Lotaringiáque peræque diuiderentur:nec fas eſſe Ludouici Regis qui Caluum ætate anteceſſiſſet,filios patrueli hæreditate partéve excludi. Caluus violatum eſſe fœdus defendebat, Ludouicum fratrem Regem, quòd Auguſtæ reddidiſſet Regnorum partem quam retineri cautũ fœdere inter Francos Germanósque fuiſſet, iure quóque repetendi deceſſiſſe videri.Cum Germani nihil æqui ſe verbis impetrare poſſe crederent,Francos ad iudicium candentis laminæ vocitarunt: & ſunt qui eos illæſos diſceſſiſſe ſcribant.Conſtat Germanos tandem compoſitis domeſticis rebus exercitum Rhenum traduxiſſe:Caluum,vt eum repente opprimeret,ſera nocte mouiſſe: ſed Germanum per exploratores re comperta, ſuos ad pugnam præparaſſe, eosq; recentes,Francum feſſum vigiliis,nocturnoq; itinere,ac imbre,qui multus totam tenuerat noctem,ſine certamine prima luce oppreſſiſſe.Fugam fœdam fuiſſe,cædem minorem q̃ pro tanta victoria.Capti nobiliſſimus quiſque, quos benigne comitérque Germanus habuit, ſe genere animóque Francum eſſe prædicans,ac Caroli Magni ſobolem.non cum Francico nomine bellum gerere,ſed ſi quis oppugnet,pro eo dimicaturũ.ſe à cupiditate Calui ſua vindicare.Ita eos affatus dimiſit.quæ humanitas poſtea Carolo Craſſo apud Frãcos vſui fuit.Caluus Auguſtus cogitationes in Normanos rurſus arcẽdos vertit,qui finem nullum tumultus faciebãt.Fluminum pontes veteres reſciſſi:vbi res poſtulabat,noui fabricati,ac aduerſus omnem vim muniti firmatiq;:& ad vtraque capita propugnacula erecta: ſimul ad amnium oſtia turres excitatæ, caſtelláque munita,& quà opportunum erat,præſidia diſpoſita.A Normanis Piratis publice tuta erat Francia. Caluus domus ſuæ prædonem inuenit, coactus iniuriam beneficio gratiaq; remunerari. Iuditham filiam Edelulfo Anglo Regi nuptum dederat. Eam mortuo marito ad patrem tranſmittentem Balduinus Arduennæ ſaltuarius intercepit,excellentísque ac nobiliſſimæ formæ amore captus, & ipſe pulcherrimus,nec ignobilis,volentem an inuitam, certe non conſulto Caluo,thoro ſibi iunxit.Armis Francorum obrui amentia poterat.Excidio eius exercitus coactus imminebat.Precibus mulieris,cum infecta res reddi non poſſet,animus paternus motus,ex hoſte prædoneq; ſanguinis ſui generum ſalutauit: Flandriaq; eum donauit:eandẽ Comitatum inſtituit.Compẽdium à nomine ſuo Caropolin nuncupari iuſſit.Imperiũ vero non minore mole retinendũ erat,quàm partum fuerat.Germani enim in Italiam,vnde petebatur Auguſtum nomen,irruptionẽ facturi erant.Rapto trans Alpes exercitu arcere hoſtes tranſcenſu Rheticorum montium poſitis præſidiis parabat,cum Mantuæ correptus morbo moritur,accepto veneno à Sedechia Iudæo medico. Nec tradunt authores quo ſolicitatore corruptoreq; id ſcelus perpetrauit Hebræus,neq; ſæuitũ ne in eũ ſit: vt domeſticis magis

insidiis quàm externis petitus oppressusq; Caluus videatur. Impotẽtiæ superbiæq; à suis insimulabatur, & quòd contemptis patriis moribus, cultu in externos ritus degenerasset. Dalmaticam indutus prodibat, persæpe cum corona diadematéque serico, cum veteres Reges nihil à cæterorum ornatu differrent. Ita dum oculis hominum Augustiorem se facit, pectoribus inuisus extitit. Annonius his fere totidémque verbis scribit: In Italia expectabat Caluus « Augustus primores Regni sui Vgonem, Bossonem, duos Bernardos, alterum « Aruernorum Comitem, alterum Gotthiæ Marchionem, quos venire iusserat. « Sed hi cum cæteris Regni proceribus, exceptis paucis, aduersus eum conspi- « rarant, coniurarántque. febre tentatus hausit in potione puluerem missum à « Sedechia Iudæo medico suo, quem mire diligebat, cuíque nimium fidei ha- « bebat. Hæc Annonius. Necesse est fuisse parricidii authores summos viros, quorum magnitudo nefarium scelus memoriámque obscurarit, & impunitatem tulerit, dederitq;. Caluus ex Hermentrude priore vxore præter Iuditham quatuor sustulit filios, Ludouicum, Lotarium, Carolum, Carolomanum. Lotarium immatura mors præripuit, neq; virtutibus neq; vitiis nobilẽ. Carolum iam Aquitaniæ Regem destinatum, adolescentia ferocem, virium periculum facientem Albinus militũ fortissimus lucta congressum, sed ignarus quisnam esset, tam graui ruina strauit, vt inter manus sublatus expirarit. Carolomanum sacris initiatum, sacerdotiisq; locupletatũ, coniurationem in se facere conantẽ, sacrorum gradu deiectum, reliqua venia impertiuit, iactantemq; mox se propterea sacris amotũ, vt Regni potens esset, luminibus priuauit. Ex altera vxore Iuditha duos sustulit: sed ii non perennauerũt. Vercellis funeratus, ad Dionysii aliquanto pòst transfertur. Regnauit annos triginta sex. Imperauit biennium. Successit filius eius LVDOVICVS BALBVS, qui nouercam Augustam, maiestate nominis, ac fratre Bossone, nouercalibusq; spiritibus inflatam, pietate mitigauit, ab eaq; eblanditus est Regni insignia, à Patre Italiam petente apud illam deposita. Permultis proceribus memoria Calui erat inuisa, quòd immodico superboq; Imperio vsum in suos eum arguerent. Ea res minus obsequentes illos filio nouo Regi efficiebat, metu, ne in patrios mores abiret. Conuentu igitur procerum indicto, (quæ res per multos annos intermissa fuerat) spem certam futuræ moderationis omnibus præbuit. Dissensiones Principum authoritate potius quàm imperio composuit. Paruam expeditionem in Cœnomanos fecit, ac Gotthofredi eius ciuitatis Comitis filios minus sui patrisq; reuerentes, minis, nisi quamprimum ad officiũ sanitatemq; redirent, vltima passuros, ad obsequentiam cõpulit. Fœdus cum Germanis Regibus fecit, his legibus, vt Lotaringia inter Francos Germanosq; æquis partibus diuideretur: de Imperio neutris ius esset alio loco quàm in Italia dimicare. Id triste mi serumq; Italiæ Pontificiq; maximo fuit, pati Italiam belli alieni mala, immunibus malorũ his inter quos bellum foret. Idcirco anteuertit Iohannes Pontifex maximus, in Franciamq; venit, turbatis etiam in Italia rebus, cum exagitaretur contrariarum factionum de Imperio certaminibus. Ipse Francicarum partium erat, constantiæq; ac præiudicii sui esse ducebat, vt cum Caluum Augustum creasset, Balbum filium in eius defuncti locũ sufficeret. Aduersa factio

Carolum Craſſum Cæſarẽ appellabat. Iohannes à proceribus Galliæ pie offi- 45
cioſiſſimeq; exceptus, Balbũ Auguſtum creat, coronatq;. Simul in Tricaſſibus
coacto concilio, Lambertum, Himbertumq; ac Formoſum principes aduerſæ
factionis deuouit, qui per æqua iniquaq; Francorum cauſſam oppugnabant.
Annum in Francia manſit. Coactus eſt in vrbẽ redire, quòd à Saracenis Italia
vexabatur. Carolus Craſſus in Barbaros ſummã virtutem religionemq; præ- 50
ſtitit. Italia defenſa, eum Auguſtum ſalutatum Iohannes Pontifex non inuitus
tandẽ coronauit, (quod neſcio an vlli alii Pontifici contigerit) intra quatuor
annos trium Imperatorũ coronatione nobilis. Balbus enim cũ vixdum bien-
nium regnaſſet, imperaſſetq;, deceſſit. Grauida vxore, ventris ſpei tutorem reli-
quit Odonem Roberti Andegauenſium Ducis filium. Ita Rege nondũ nato, 55
velut ventre Rege, omnia turbari cœpta. Erãt nobiles inimicitiæ inter Boſſo-
nem & Theodoricũ, quòd vterq; Eduenſium Comitatum ſuum eſſe diceret,
eoq; vſq; contentiones exarſere, vt Boſſo à Pontifice Lugdunenſium Regiis
inſignibus ornaretur, ſacrareturq;, ac Rex nõ Prouinciæ modò, ſed & Burgũ-
diæ declararetur, ipſe primũ, deinde Ludouicus eius filius. Et Ricardus Theo 60
dorici filius item ſe Regẽ Burgundiæ dictitabat, quòd Edua quã ſibi vendica-
bat, Burgũdiæ caput eſſet. Et iam nomine Regio euulgato, LVDOVICVS
CAROLOMANV'SQVE Balbi ex pellice filii Regium nomen inuadunt,
præclaraq; initio facinora aduerſus Normanos piratas edidere, & Boſſonem
eiusq; filiũ Ludouicum Prouinciæ finibus cõtinere ſe cogũt. Deinde redeun- 65
tes maioribus viribus Normanos qũum armis arcere nõ poſſent, ingentẽ vim
auri illis dederunt, duodecim annorũ inducias ſpondentibus. Nec res diu læ-
tæ fuere. Carolomanus in equo ludibundus, dum refugientẽ domum puellã
inſequitur, impetu equi intra humile oſtium illatus, corporis compagem ſol-
uit: Ludouicus aprum venabulo premens, intorto aliunde telo tranſſigitur. 70
CRASSVS Auguſtus pacata Italia in Galliã profectus, aduerſus alteros re-
ligionis noſtræ hoſtes, ſed non eadem fœlicitate res geſſit. Normani adiunctis
Danis, Ambianorum, Attrebatium, Cameracẽſium, Morinorum, Menapiorũ,
Brabantinorumq; fines populati Gotthofredo & Sigifredo Regibus, Leodiũ,
Traiectum, Tungros, Coloniam, Treuiros, Aquiſgrani hæc capta diripuerant, 75
cædeq; facta incenderant: cum latius vagarentur in Mediomatricibus, Craſſus
eis occurrit. Inferior diſceſſit. Ex hoſtibus non modò ſocios, amicosq;, ſed af-
fines fecit, data Gotthofredo Regi in matrimonium Aegidia Lotarii patruе-
lis ſui Regis filia, Normanisq; Friſia attributa. Vgo Lotarii Regis ex Valdrada
pellice filius, Lotaringia repente occupata, ne à Germanis Francísve illo Re- 80
gno pelleretur, omnia miſcere conatus, perſuaſit Gotthofredo Regi ſororis
ſuæ viro, vt æs militare ex Auguſti Craſſi fiſco petat: ſperãs ſiue eo negato ho
ſtes ex amicis ea repulſa futuros Germanis Normanos: ſiue conceſſo, Auguſti
milites factos in medias Imperii prouincias vbi videretur penetraturos. & vt
ſanctum fidei neceſſitudinisq; pignus intercederet, ſimul Normani ſua tutarẽ- 85
tur, partem Lotaringiæ dotis ergô ſorori Gotthofredoq; attribuit. Senſit artẽ
Craſſus. Normanum Regem æs militare ſibi ſuisq; petentem ad colloquium
cõpoſito loco temporeq; euocauit. Henricus Dux poſitis inſidiis aduenientẽ

87. LVDO. & CAROLOM. 28. CAROL. CRAS. IMP. inter-

intercepit,occiditq́:ac paulo pòſt Vgonem auxiliis deſtitutum,captum,luminibus priuauit,cum iam prior manus Normanorū Neuſtriam vſſiſſet,fidemq́; inducíarum in duodecim annos factarū teſtantibus Francis,reſpondiſſet morte omnia extingui:defunctis Regibus inducíarū authoribus,ſolutas inducias. Nec Hērico Duci diuturnum Gotthofredi indigna fraude intercepti occiſiq́; gaudium Normani amiſſo Rege reliquere.Eum cum Auguſtus cū copiis ad tutandam Franciam Pariſios miſiſſet,ipſi Louanio,quod oppidum captū obtinebant,profecti,Lutetiam oppugnant,erumpentemq́; Henricū de induſtria cedentes longius elicuere.Imprudens in cæcaś foſſas,quas leui materia terraq́; ſuperſtrata contexerant,corruens, ſuperuentu hoſtium oppreſſus eſt. Craſſus à ſuarum partium hominibus non Auguſtus modò, ſed Rex Franciæ appellabatur.Neuſtri publicè detrectabant Imperium.Vt eos vel tolleret,vel edomaret,nouam pacē cum Normanis cōpoſuit,idq́; Neuſtriæ,quod nunc Normania eſt,nomine à nouis incolis indito,incolendum eis dedit.Exin qui iuuenis mira indole fuerat, adeo degenerauit ab illa Caroli Magni ſtirpe,vt quòd rebus ſuis publicisq́; ſupereſſe nō poſſet,curator ei daretur Carolomani filius nomine Arnulfus,nobili exemplo,fratris filius patruo.Ludouicus Germanorum Rex fratrum maximus obiuerat . Vxor quoq; Craſſi,quam probri cum Luitualdo Epiſcopo Vercellenſi inſimulatam Craſſus dimiſerat iuratus ab ſe integram eſſe:Bene habet,inquit,mariti iureiurando virgo ſum. Ita ſacrarum virginum cœtui ſe dicauit.Arnulfus Auguſtus ſalutatus,Franciæ quoq; Regē ſe dictitabat,reſq́; pace belloq́; gerebat,cum maxima procerū pars,Balduino Flandriæ Comite,ac Fulcone Remēſi Archiepiſcopo reclamāte ODONEM tutorem Caroli Simplicis regnare iubent . Eum Valterus Senonum Archiepiſcopus inunxit. Is Rex aduerſus Normanos præclare bellauit: Lutetiā rurſus tentabant . Comes Pariſiorum Robertus frater Odonis,idem Magiſter equitum,à mœnibus repulit.in Senones eos velut tēpeſtas detulit.Agri vaſtati, oppida defenſa.Ad Axonam aſſecutus Odo,funeſtam eis prædā fecit.Miſera erat Francia,prædæq́;,ac omnium iniuriæ audaciæq́; opportuna. Berengarius Vidoq́;,quos apud Caluum Auguſtum in gratia authoritateq́; fuiſſe oſtendimus,magnis opibus ac nobilitate inter ſe conſpirant,rerūmque potiundarum conſiliū ineunt.Placuit vt Berengarius in Italia,Vido in Francia nomen Imperii inuaderent.Et Fulco Archiepiſcopus Remenſis eum odio Regis Odonis euocabat.In Mediomatrices venit,quòd eò conſiliorum ſocios cum Fulcone conuenturos ex cōpoſito ſperarat. Sed Odonis opes plus q̄ modicæ vt rediret domum coëgere: ac quoniam peregre conatus nō proſpere ceſſerat, cum Berengario de Italiæ Regno bellum gerere cœpit. Franci Odonē biennio poſtquam eum Regem ſalutarant,in Aquitania omnino regnare iubent, cætera Francia abſtinere.Fulconem cogunt CAROLVM SIMPLICEM inungere, duodecimū ætatis annum agentem. id æmulatione rerum adminiſtrandarū factum crediderim. Multi enim pro vno tutores exorti ſunt,ac armis in Odonem actum, in eúmque Arnulfus Auguſtus vocatus. vīrtute,opibus, fortunáque ſuperior Odo euaſit. Cum Simplex vndeuiceſimum annum ageret,Odo æger deceſſurus,conuocatis proceribus,talem habuit orationem

» SVPREMVS mihi dies adeſt,qui ſuo cuiq; tempore alii ſerius, alii ocyus
» aderit,ſi quid ſerum in hac vitæ breuitate eſt.Pater meus Robertus cū in acie
» aduerſus Normanos pugnabat,quot hoſtes conſpiciebat,abs tot gladiis necé
» eum metuere par erat. Sed à nulla re,à nullius vi vitalia noſtra peti non poſ-
» ſunt.Mare,cælum,terra,caſus,natura,ius,iniuria,interitū afferunt,& vita non-
» nunquam morte ingratior,ac multos nō natos præſtaret.Viuens vobis magis
» quàm mihi cōſului,& moriens cōſulere debeo. Fratres fratribus in vita ſunt:
» morientibus, ac ex hac exiguitate in illam perpetuitatem æternitatemq; vitæ
» migrantibus,quicquid in terris relinquitur, vnū atq; idem eſt.Et quo propior
» illi immortalitati fio,eō perſpicacius prouideo quàm vos in hac adhuc mor-
» talitate.Diuinior eſt hominis animus,q̄ vt illi ſordere non debeant quæ atto-
» niti admirātur mortales.Mens noſtra cæli æternitatisq; capax eſt:Regna vero
» ſuſpecta,infida,cruenta,incerta,ſerua,anguſta,inſatiabilia.Veros reges,non ſo-
» lium,non ſatellites,nō exercitus faciunt,perdunt interdum,euertuntq;.In pri-
» mis optandam vobis fœlicitatē publicam duco,quæ neq; inuitis ipſa ſe offert,
» neque quærentibus ſe abdit. Præſto adeſt: Tenetur, ſi publice petatur.Vt fa-
» mem, vt peſtilentiam effugiamus, in manu noſtra non poſuit rerum creator.
» Talem vero vt habeamus rempublicam, talesq; leges,quales ipſi conſtitueri-
» mus,in poteſtate noſtra eſt. Fortunam nullus ſibi creat.Suæ quiſq; mentis in-
» ſtitutorúmque faber architectusq; eſt.Regnum ſi affectes,non tam facilè adi-
» piſcare,quàm ſi habeas amittas.Si membra Regni partesq; inter ſe cōſentient
» conſtabuntq;,corpus vniuerſum ſalubre erit. Publica ſalus,priuatorum res æ-
» gras ſuſtentat. Moribunda & affecta respublica , priuatas res vel validiſſimas
» ſecum trahit in excidium.Si cōmunis omnium res ſuum vnum ſenſum con-
» ſiliúmque,ac vnum animum haberet, non indicerentur gentium conuentus.
» Nunc quoniam Deus optimus maximus quid in ſingulo quoq; virtutis fideiq;
» foret, cognoſci voluit, par eſt vnumquenq; adniti vt quamproxime conſilio
» integritateq; poteſt,accedat ad illū animum,quem ſi cōmunem cunctorumq;
» vnum eundemq; Deus voluiſſet,ſingulorum ſapiētia nequaquam opus foret.
» Sed quod natura nobis inuidit,ipſi præſtate. Vbi enim virtus magis elucebit,
» vos malo vnanimitatis q̄ de Regno certamen inire.Concordia aureum eſt ac
» adamantinum vitæ vinculum : regina heraq;,omnia in pace,vita,feſtiuitate te-
» net.Diſcordia vaſtitatem,ſolitudinem,orbitatem,agris,oppidis,Regnis affert.
» Patriæ, à qua omnia accepimus, omnia redonemus . Carolus Balbi filius, id
» quod ius æquumq; poſtulat,Rex vocitetur,à quo amouere ius Regni vniuer-
» ſus terrarum orbis ſi conſpiret,non valeat,etiam ſi ſceptra manu extorqueat.
» Vitam hominis, quendā in theatro actum arbitremini. Quicquid homo co-
» gitat moliturq;,id non modò poſteritatis quæ incorrupte iudicabit,oculis pa-
» teſcet,ſed iam perſpicitur ab ipſo cælo ad ſpectaculum circūfuſo:cuius ocu-
» lis vos ita componite, vt vitæ breuitatem tanquam vnius diei ludos ſi ſpecta-
» toribus probaueritis,maiora quàm cōcipi animo in præſentia poſſint prēmia
» perceptum iri ſciatis. Hæc Odo moribundo corpore , ſed vegeto pectore
dixit . Sed nullius minus quàm fratris ſui paterno nomine Roberti animum
permouit.Is enim inter factionis ſuæ homines eam actionē mouit,quæ ne cū

ipſo quidem extincta fuit,ſed immortalis,tantos ſpiritus proli eius ſubdidit,vt tandem ad Regnum peruenerit. Dictitabat conſenſione concilioq; vniuerſæ Franciæ ius Regni vltrò Odoni delatū,eodem exẽplo quo ad Pipinū delatū fuerat.Si iure Pipinus regnaſſet,iure Odonẽ regnaſſe,nec potuiſſe vlla in morte voce, ſupremáve obteſtatione tranſlatum,in domū ſuam regnãdi ius ſtirpi Balbi reſtituere.Ius enim regni Franciæ non ſingulorū hominum,capitúmve, ſed ſanguinis eſſe . Mortuo ſine liberis Odone, teſtificatione ſemel vniuerſæ Franciæ iuſto ac legitimo Rege, fratrem ſe iuſtum ac legitimum regem eſſe. Multi ſe illi comites addebãt.& conatus eueſtigio nõ irritus cecidiſſet,niſi dũ res nimis immoderatis,vt de Regno aſſolet,ſtudiis agitur,trahiturq;, Normanorum arma nouum tumultũ exciuiſſent. Eorum lingua Northus ſeptẽtrio, Manus vir eſt. Tacitus tradit Germanorũ voce Nerthum terrã matrem eſſe, Manum Tuiſtonis terra editi Dei filium conditorẽ gentis creditũ.Normania ſuum vni nationi nomen eſt,quæ oceanum accolit,Danis Cimbricæq; Cherſoneſo finitima.Septẽtrionalem tamẽ cardinẽ ſpectantes gentes,in vniuerſum Normani ea tẽpeſtate vocitati videntur, à quampluriñis Scythæ nuncupati. Et Luitprandus Ticinenſis Græcarum rerum nõ ignarus,illorumq; ferè temporum æqualis,tradit Normanos Conſtantinopolin vſq; excurriſſe: ac vt alii ſint q̃ qui Galliã vexarunt,Ruſſos eoſdẽ nomine extitiſſe.Nec vero ſimile ſit vnam tantum nationẽ anguſtis finibus vtentem, totam propè Europam terra mariq; vno eodemq; tẽpore armis peruagatã. Quicunq; ex illius vaſti oceani ora,inſulisq; ſeptentrionis ac peninſulis incompertæ magnitudinis arma ferebant,Normani à Gallis vulgo nuncupabãtur.Cæterũ ſatis conſtat,qui poſtremi Neuſtriã tenuerunt, ex multis vnam nationem fuiſſe,Danis ſociam,finitimamq;.Falſorum Deorũ cultores erant,vetuſtiſſimorũ temporum opinione. piraticam in laude ponebãt.Nec modò arma horrenda,ſed vt hominũ nondum pietate religioneq; noſtrorum,etiam libido atrox.Sacratas Deo virgines interemere,quæ ad pudorẽ à probro vendicãdum,facie voluntariis notis cõpuncta,ſpeciem oris ſibi deformauerant.Nulla nõ ratione ad victoriam nitebantur:nihil penſi habebant quibuſnam artibus conata perficerent:Nonnulli eorum Duces ſimulato cõſilio religionis Chriſtianæ profitendæ,quidam etiã morte ſimulata noſtros adducebãt,vt in oppida ſe reciperent:atq; ita nihil timentibus à pompa funebri noſtris,qui tanquam funere efferebãtur, exiluiſſe, omniaq; crudelitatis auaritiæq; ac libidinis exempla edita ferũtur. Haſtingus, archipiratæ animo depoſito; fidei Calui ſe tradidit:ob virtutẽq; Comes Carnutum eſt creatus.Carolo Simplice Rege Rhollo maiore fatorũ mole venit. Nauiganti ſomniũ fuiſſe fertur,ſe elephantia correptum,nitidiſſimo fonte ad radices editiſſimi montis oriente lotũ conualuiſſe,moxq; verticẽ conſcẽdiſſe. Enarranti quæ in quiete vidiſſet,quendã religionis noſtræ captiuũ coniectorẽ ita ſomniũ ei interpretatũ:Elephantia,cultus Deorũ eſt,quo laboras:aqua luſtrici fontis ſacra purificatus,ab imo ad ſummas opes peruenies.Conſtat eum non animo in CHRISTI nomẽ hoſtili veniſſe. Siue religione perfuſus,ſiue vt noſtrorũ animos primo ſtatim aduentu ſibi cõciliaret,diuæ virginis Ameltrudis reliquias argẽteis forulis inductas à ſui nominis piratis aliunde ſublatas

in Neuſtriam deſcenſione facta,ad quod primum occurrit tẽplum expoſuit, vimq; ſacris locis,agricolisq;,& ſe dedẽtibus vicis,caſtellis,oppidis fieri vetuit: nihil minus q̃ prædo videbatur.Opem quoq; Berẽgarii Bellouacorũ Comitis filiam ſibi thoro iunxit:vt animos Neuſtrorum ſibi conciliaret,amareturq; magis q̃ timeretur.Nec acerrimum nec continens id bellum fuit,apparebatq; Rhollonẽ ſedestantũ ſibi in vaſtis propẽ bello piratarumq; iniuria locis quærere:neq; Simplex ipſe magna virtute,neq; vnum conſilium Francorum erat. Populares factionibus de regno agitabantur.Id bellũ in viceſimum annũ extractum eſt,cũ & Frãci inter ſe diſcordes,alii Roberto ſtuderẽt,alii Simplicis maieſtate tenerentur.Tandẽ Rotomagenſes cum fruſtra auxilia diu expectaſſent,coacti deditionẽ fecere.Cætera deinceps facilia extitere,iunctiq; Normani noui cum priſtinis,eam regionem cultiſſimã frequentiſſimamq; reddidere: nec dubitatũ quin vulgo Normania ea appellaretur.Rhollo religionẽ noſtrã profeſſus initiante Francione Epiſcopo Rotomagenſium, Robertusq; nomẽ ei inditũ,patre ſacræ ablutionis Roberto Regis Odonis fratre. Normani hiſtorici ſcribunt Carolũ Simplicẽ Regem ei Aegidiam filiã collocaſſe. Aegidiam Lotarii Regis filiã Gotthofredo regi Normanorum in matrimonium dediſſe Carolum Craſſum oſtẽdimus,eundẽ Normanis Neuſtriæ partem incolendã tribuiſſe.Non abhorret à fide,eius gentis ſcriptores nõ ſatis diligentes,cũ & Craſſus & Simplex Caroli vocati ſint,Aegidiam à Craſſo datam tradidiſſe à Simplice datam:& cum vtiq; filia Regis fuerit,Franci Regis filiã credidiſſe,ac eã Rholloni ſuo collocatã.Normaniæ Dux Beneficiarius Rhollo à Simplice dictus,data vtrinq; fide iureiurãdo.Quòd ſi Regia puella deſpondenda erat,nõ vtiq; ſeniori iam Rholloni,qui fœdere cũ Francis icto paucos annos ſuperfuit:ſed Gulielmo filio eius iam pubeſcẽti collocata fuiſſet,quiq; patri Duci in Ducatum ſucceſſit,ex Ope ſuſceptus.Sunt qui Rhollonẽ Gotthofredum vocitatũ dicant.Sed neceſſe eſt alium fuiſſe Rhollonem Ducem, quem generum Simplicis fuiſſe prædicant,alium Gotthofredum Regem,cui Craſſus Lotarii filiam (vt oſtendimus) collocauit,quòd Gotthofredus multis antè annis in Friſia circumuentus ferro cecidit : Rhollo ſumma ſenectute in Neuſtria domi tranquilla pace fato functus fuit. Gerlo quidẽ propinqua cognatione Rhollonẽ attingens,nobiliſſima vxore ac arce Bleſenſi donatur.Ex eo natus Theobaldus cognomine Vetulus, pater Odonis primi , vnde Odo Campanus Comes.Moriens Rhollo filiũ Gulielmum fidei Roberti cõmendauit:iſq; & adoleſcentẽ rexit,& gentis clientelã ſuſcepit,opes vndiq; ſibi cõcilians,quòd Regnũ in dies magis appetebat,quod Simplice Rege facilè cõſequetur.Mirum eſt robuſtiſſimorũ hominum robuſtiſſimã ferè prolem eſſe: Summorum virorũ nobiliſſimorumq; ingeniorum ſobolẽ tandem hebeſcere:vtq; ſinguli morituri naſcimur,ita indolẽ ſtirpium,ſanguinisq; ac familiarũ ſuos velut natales incrementaq; habere,conſeneſcereq;.Pectoris vigor fuit in Pipino Craſſo,ignea mens in Carolo Martello,numẽ propè ipſum in Pipino Rege,animus orbis terrarũ ac cæli capax in Carolo Magno.eo Rege Auguſtoq; Franci in ſummo cõſtitere.Ludouicus Pius paterna magnitudine multo fuit inferior. Caluus propior adhuc laudi q̃ vituperationi . Balbus breuitate

Regni ac Imperii eſt obſcuræ memoriæ. In Simplice cõſenuit maiorum gloria, & noua nobilitas induſtria ſibi viam in ſolium patefecit apud Francos: id quod etiam apud Germanos accidit in alia eiuſdem Caroli Magni progenie. Carolus Craſſus Auguſtus (vt oſtendimus) nullo exemplo curatorem habuit fratris filium Arnulfum Auguſtum. Quo Imperatore Vnnorum noua & ingens manus ad cognatos ſuos ex Scythia profecti, in Pannonia ſedes cepere, vbi Vnniæ nomen Francorum armis propè deletum nobilius effecere, hínque Vngari dicti. Arnulfus XI. annos imperauit, fœdo genere mortis nobilis. Normanorum Piratarum ingentẽ cædem fecit. Italiam factionibus, & domeſtico, vt aſſolet, bello feſſam, atq; ideo externorum armis iniuriæq; opportunam ingreſſus, Ambroſio Bergomatiũ Comiti gulam fregit. Formoſo Pontifici à Romanis vexato opem tulit, remq; Romanã pacauit, Vidonem Regem fugauit. Firmum vrbem, vbi Vidonis vxor degebat, obſedit. Arte muliebri victus eſt, corrupto pecunia intimo Auguſtalis aulæ miniſtro. Huic mulier clàm ad ſe deducto, Cæſaris, inquit, animũ in me immeritã ira ſuccenſum placare cupio. « Hæc potio (poculum manu geſtabat) triſtitiam diſcutit, lætitiã, amores, feſti- « uitatem, ludos, iocosq; & omnia gaudia menti affert. eo viri mei animũ furen « tem ad ſanitatẽ reuocaui: & vt ſine noxa ſũmi ſcias, experire. Simul ſeruo vel « ægro, vel ægrum agenti introducto poculum porrigit: qui cum ebibiſſet, intra horæ ſpatium validus vigensq; extitit. illa Germano alteram, & aliter medicatam potionem, vimq; auri tradidit. Arnulfus epoto veneno correptus lethargo graui, per triduum excitari inclamantibus ſuis, vellentibúsque non potuit. Euigilans tandem ſoluta obſidione domum reuertit, ac aliquãto pòſt phthiriaſi deceſſit. Duos reliquit filios ex concubina procreatos, Vendaldũ ac Ludouicum, paternis tantùm natalibus, nulla præclara geſta re nobiles. ille paucorum annorũ Lotaringiæ Rex, hic ſolo nomine Auguſtus, obiit anno ſalutis noningenteſimo duodecimo. Ita Imperii nomen à ſtirpe Magni ad nouã virtutem nobilitatemq; delatum. Cum procerum Germanorum cõcurſus fieret ad Othonem Saxoniæ Ducẽ, eumq; rebus geſtis ſanguineq; nobiliſſimum, ac ſumma prudentia virũ, ſed ſenecta inualidum, Auguſtum ſalutarent, ætatis excuſatione vſus, Si Germanicis rebus, inquit, vſui eſſe dextra mea, ars'vè rerũ « gerendarũ poſſet, nullũ corporis laborem, animíve ſolicitudinẽ pro cõmuni « ſalute recuſarem. Nunc cum Imperium rerumq; arbitriũ à ſobole Caroli Ma « gni tranſferatur, magnarumq; rerum inclinationes magnos motus afferre ſo- « leant, nõ patriæ tantùm amantiſſimo Duce opus eſt, ſed & qui ſciat, poſſitq;, « ac audeat inter tela volitare, exercitumq; nõ cõſilio magis regere, q̃ exemplo « mouere. quærendus vobis vir, non qui ex Imperio decus ſibi expetat, ſed Im- « perio afferat. id quod vnum poſſum, cõſilio vos remq; Germanicam iuuabo. « Conradus Franconiæ Dux & opibus, & robore animi, ac corporis; fideq;, ac « exiſtimatione, & maieſtate eſt ſuſtinendæ moli ponderiq; huius tantæ rei, quã « mihi iudicio veſtro vltro detuliſtis. Authore Othone Conradus deſignatus « Auguſtus, cũ Francis ſocietatem ac amicitiã iunxit: ſeptem Regnauit annos, cum interea Ludouicus filius Boſſonis ſpe Italici Regni, Auguſtiq; nominis quod Ludouicus maternus eius auus obtinuiſſet, adductus, in Italiã tranſcẽdit:

XXX. CAROLVS SIMPLEX.

Eum Berengarius prælio victum cepit, dimiſitq; iureiurando adactum ſe de- 45
inceps Italicis rebus temperaturū. Domum reuerſus, vix annum conquieuit:
exin Italia contra iuriſiurandi religionē repetita, rurſus captus, luminibus pri-
uatur, anno eius ſeculi ſextodecimo, quo Simplex Rex virtute ſuorum Lota-
ringiam recepit. Edidit & illud memorabile ac religione plenū. Summi pro-
ceres profani locupletiſſimorū cœnobiorum opes beneficio Regum acceperant, 50
ac monachis tantū in ſumptum ſuppeditabant, quantum neceſſarius vſus
poſtulabat: ex eisq; ipſi deligebant, qui non Abba (nam id ſibi nomen velut
ampliſſimū arrogabant) ſed decurio vocitaretur. Permultas ætates is mos te-
nuerat. Iam Epiſcoporum iura inuadebant. Simplex, coacto concilio, diuitias
Pontificū ſanctas eſſe cōſtituit. Cœnobiorum libertas ſanciri nondū poterat, 55
quòd eorum facultatibus Robertus Magiſter equitū ac Vgo fratres militem
alebant, ac iam cū factionis ſuæ hominibus ad occupandum Regni ius enite-
bantur. Alterius factionis Princeps erat Balduinus Comes Flandriæ, infeſtus
hoſtis conatibus Roberti, quòd indignè ferret illum, cū ipſe nepos Calui Au-
guſti eſſet, Regni Frāciæ inſignia tranſferre ad ſe conari ſuperſtite Caroli Ma 60
gni progenie, cognationeq;: cauſſæq; Simplicis acerrimus propugnator erat,
quā ipſe Simplex per ignauiam ſecordiamq; proderet. Et, quod illi exitio fuit,
animi conſiliorumq; eius potentes erant hi qui Roberto diſſimulanter cupie-
bant, ſublato inter fidem perfidiamq; diſcrimine: nec à bello ceſſabatur. Nor-
mani Fanum Quintini de Heberto Viromanduorū Comite ceperāt. Mox id 65
Rhodulphus Balduini Flandriæ Comitis frater idem Cameracēſium Comes
receperat, repetentiq;, Heberto, ſe virtute partum retenturum reſpondit. Ac-
cenſis animis Hebertus qui à Normanis victus fuerat, Rhodulphū qui Nor-
manos vicerat, in pugna occidit. Hoc iuſto bello actum. illud indignè, quòd
in concilio procerum inermi variantibus ſtudiis Fulco Archiepiſcopus Re- 70
morum à quodam Vinemaro interimitur. nec parricida in tanta celebritate
cōprehenſus eſt. tam validæ opes factionis erant. Patrum rurſus cōcilium ha-
bitum. Erant qui Fulconis memoriam ream maieſtatis agerent, quòd conuin-
ceretur euocaſſe Vidonem in Franciam, ſpopondiſſeq; ſe manibus ſuis eum
inuncturum, Francorumq; Regem ſalutaturū. Manu Vinemari occiſum Ful- 75
conem fama ferebat: ſed maiore viro authore. Ita Robertū ſignificabāt, quòd
is Fulcone viuo deſperaſſet ſe nomen Regiū ſacramq; inunctionem obtinere
poſſe. Erant qui Vinemarum Flandri familiariſſimum eſſe dicerent, eumq; Co
mitem earūdem quidem publicè cum Fulcone partium, ſed ſuo nomine ini-
micum extitiſſe, quòd Fulco diui Vedaſti cœnobiū ſibi vendicaſſet, quod Co 80
mes per multos annos more tēporum obtinuiſſet. Ita dū duo ſummi authores
inſimulātur, ipſis impunè fuit. Vinemaro aqua tantū & igni interdictū. Quie-
ta interim à piratis Normanis Frācia, Vngari perpopulati Germaniā, Galliam
etiam vſſerunt. Franciæ quoque domeſtica bella, quorum conſilia diu coacta
fuerāt, erupere. In Fulconis locum ſuffectus fuerat Herueus Pontifex Remo- 85
rum, non alienus à Roberti cauſſa. Simplex ferox erat, quòd Lotaringiā amiſ-
ſam tanto ex interuallo Francis recuperaſſet. Id ſibi ſummæ gloriæ ducebat,
militēque Lotaringo ſuccinctus erat. Conradus Auguſtus, vbi morbo graui

 correptus

correptus bella obire ipſe non poterat,ſimul ſupremũ diem ſibi adeſſe ſenſit, cõuocatis Germanis proceribus,eis author fuit,vt Henricum Othonis Saxonum Ducis,cuius beneficio ipſe ad Imperiũ peruenerat,filium patre ſummo Duce dignum,Auguſtum crearent. & is cum Franco Rege fœdus icit,eíque poſcenti Germanorum copias auxilio miſit cõtra aduerſariorum factionem. Germanisq; magis q̃ ſuis ſeſe credebat,committebatq; Simplex.Ea res nouam flammam inuidiæ apud Francos illi conflauit, auxitq; eam mox quòd credebatur in animũ induxiſſe ſe Franciamq; Henrico Germanorum Regi ſubiicere,ne bello à Germanis vexaretur,ſed eorũ auxiliis, ſi opus eſſet,iuuaretur. Id verò vniuerſa propè Francorum nobilitas non ferens, ad æmulum Regni Robertum ſtudia viresq; inclinauit.Conſenſu hominum permotus Herueus eũ inunxit. Miraculo mortalibus fuit,quòd die tertio ab ea inunctione obiit Archiepiſcopus.omen in Robertum vertit.Seulfus ſuffectus. In Sueſſionum finibus in aciem deſcenſum. Pugnatum,vt de Regno par erat,cum pro Simplice Flandri,Lotaringi,Germani præliarentur,pro Roberto nuper Magiſtro equitum, nunc nouo Rege, qui Francorum ægerrime ferebant Franciam à Germania,cui leges dediſſet,iura petere.Cum altera pars ſub Simplicis Regis ſignis velut Duce careret,ſibi quiſque Dux adhortatorq; erat,nec alterius imperium expectabat.Altera nimis ardentem Ducem habebat,& magis recentis Regii nominis quàm vitæ memorem . Maieſtas in vtroque ſancta: in altero, quòd antè Rex fuiſſet quàm natus,quòd patre ac tot maioribus Auguſtis ortus,quòd vna eſſet reliqua Caroli Magni agnata ſoboles.alterum commẽdabat recens ſacrum,ſua virtus,Odonis fratris memoria,aui mors pro Francorũ rebus obita, ac cauſſa belli ſuſcepti in vulgus iactata, libertas nomenq; Francorum hactenus gentibus nobiliſſimum, ne Germanis Regibus, ne Auguſtis exteris ſeruiret.Nec tunc fortuna Franciæ rem ambiguam decreuit.Altera acies perpaucis militum deſideratis, nouum Regem ſuum dum acerrime ante ſigna pugnat,circumuentum,amiſit:alterius cædes ingens militum facta,Simplice Rege incolumi,qui vnus petebatur.Id exitio Simplici fuit, quòd ſublato æmulo,cum non haberent hoſtes pro quo Rege pugnarent,in morem victi animum demiſit,quem potius bello viciſſe videri velle oportuiſſet:oratoresq; aliquanto pòſt ad hoſtes,Hebertúmque hoſtium principem miſit propè ſupplices,ac alteros ad Henricum Germanorum Regem,qui Lotaringiam ei redderent,nouaq; auxilia peterent.Nulla inde controuerſia fuit,quin Simplicem velut à Francico nomine deficientem Hebertus ad ſe accerſeret in ſpeciem ſpemq; rei Francicæ cõponendæ,comprehenſumq; in cuſtodia haberet. Ita dum anceps fertur in poteſtatẽ Viromandui,Peronam profectus,preſidio cuſtodibusq; circunfuſis, adductus eſt,anno ſalutis noningenteſimo viceſimo quarto,vt Regni iure cedere ſe in procerum concilio profiteretur , illúdque dono dare RODVLPHO Burgundiæ Regi Ricardi filio poſt Ludouicum Boſſonis filium in Italia captum, luminibusq; orbatum, magnis opibus viro, ſuoq; per baptiſma filio. Ferocem Burgundionẽ faciebat Germanorũ affinitas, quòd in matrimonio habebat Bertam Burchardi Sueuorum Ducis filiã Francorum amantiſſimi,cum cæteri Germani alieniores à Francis haberẽtur.

XXXI. RODVLPHVS.

Imperii etiam velut vagi, ac in medio poſiti ſpem affectans, in Italiam cum tranſcendiſſet, Berengario victo, rerum illarū magna ex parte triennium potitur. Mortuo in cuſtodia Simplice, anno eius ſeculi ſexto & viceſimo, cum Italos iam eius pœniteret, in Galliā rediit. Continuo Vgo Arelatenſium Rex in Italiam velut vacuam poſſeſſionem ſpe Imperii ſe contulit, quòd Prouinciæ Regibus Italiam Auguſtumq; nomen, vt edocuimus, deberi diceret, Gallis Germanisq;, ac Italis, de arbitrio rerum decertantibus. Ac vt Rhodulphum, quem mox mutatis animis reuocari ab aduerſa factione cōpertum habebat, ab illis conſiliis penitus auerteret, cui bello imparem ſe opibusq; ſciebat: icto fœdere, quicquid ipſe in Gallia vrbium, finiumq; obtinebat, ei tradidit iureiurando adacto in Italiam deinceps non ducturum ſe. Henricus quoque Cæſar pacem cum Francis ſeruauit, tantum à Rhodulpho Rege lanceam mirifici operis, ac, vt Sigibertus, Luitprandúsque, & Otho authores ſunt, clauis crucifixi domini affabre in ea locatis ſanctam, precibus promiſcue minisq; ac muneribus extorſit, illā pro ſacroſancto Imperii inſigni poſteris relicturus, quæ apud Conſtantinum Magnum in ſumma veneratione fuiſſe ferebatur. Inter tot rerum fluctus, qui poſt mortem Balbi vſque ad Simplicis obitum rerum apud Francos potiti ſunt, nulli eorum iuſti Reges apud Francos numerantur, quòd is vnus ad Regnū iure inſtitutisq; Frācorum vocaretur. Mortuo Rhodulpho Rege LVDOVICVS Simplicis filius ex Anglia, quò ſe ad auunculum Angliæ Regem cum Oginia matre, cōprehenſo patre cōtulerat, reuocatur, anno eius ſeculi ſeptimo & triceſimo, quo & Henricus Cæſar deceſſit, ſucceſſore Othone filio in nomen Imperii, ac Giſleberto genero in Lotaringiæ Ducatū. Hic Ludouicus Tranſmarinus cognomēto eſt, quòd mare trāſmiſerit, & ſub recētē caſum patris in cuſtodiā traditi, patria profugus, & æmulo Regni ſublato domū repetens. Quinq; annis à domeſticis externisq; armis Francia conquieuit. Exin Lotaringiæ recuperandæ ſpes oſtentata, quòd Giſlebertus Dux res Germanicas perturbarat ab Othone Cæſare deficiens: Henricumq; Othonis fratrē Cæſarem ſalutabat, quòd eum diceret Henrico Cæſare procreatū: Othonem in nullā Imperii ſpem ex eodem patre nondum Cæſare deſignato genitum. Quàm plurimi nobiliſſimiq; proceres huic cauſſæ aderant, in quibus Euerardus Comes Palatinus. Ingentis belli moles terrorq; animis mortalium proponebatur. Francus Rex in Lotaringiam aduerſus Othonis opes duxit, omniaq; ea parte metu cōpleuit, percurritq; ad Breſacum vſq; Alſatiæ oppidū. Henricus in leui pugna vulnere graui accepto, cū in poteſtatē Othonianorū veniſſet, neceſſe habuit cum fratre miti indulgētiſſimoq; gratiā reconciliare. Giſlebertus dum Rheni trāſitu Othonē arcere conatur, ipſe rapiditate altitudineq; amnis ſubmergitur. Euerardus ferro occubuit. Cæteri dilapſi alii aliò. Frācus Rex affinitate cum Othone iuncta, Lotaringiæ ſpem omiſit. Gerberga ſoror Othonis, quā Giſlebertus in matrimonio habuerat, Frāco Regi nupſit: Lotaringiæ Ducatus Othoni Comiti datur. Eo inſequēti anno mortuo, Conrado Othonis Cæſaris genero tribuitur. Aliquanto pòſt in Conradi defuncti locū ſuffectus Bruno Othonis Cæſaris frater, inſolēter Archidux Lotaringiæ appellatur: idem Agrippinenſium Archiepiſcopus nō multo antè creatus, vt

ſanctitati vires adderētur. Altera Othonis Cæſaris ſoror Auida nupſit Vgoni cognomine Magno, Roberti in Sueſſionū finibus occiſi filio, Magiſtro equitum, eidem Pariſiorum Comiti, quem nonnulli rerum ſcriptores Francorum Ducem vocitarunt. Hic Vgo ex Auguſto cōnubio nobilior effectus, patrios ſpiritus induens, in ſpem Regni erigebatur, nec ſinebat cauſſam familiæ ſuæ morte patris extinctam. Arnulfus Flandriæ Comes Balduini filius cōſtantiſſimus propugnator Regiæ cauſſæ, Gulielmū Normanorū Ducem Rhollonis filium ad Pinciniacum in Somonæ fluuii inſula interceptum interemit, vltus Rhodulphū patruum Samarobrinenſium Comitem, armis aduerſæ factionis, cuius ſigniferi Normanorū Duces erant, occiſum. Normania magis q̄ vnquā aliâs florebat viris, armis, telis, equis, claſſe, auro, nouis coloniis: Aigroldus Danorum Rex patria Regnoq; à filio pulſus, ſexaginta nauium claſſe cum bona parte nobilitatis, quæ vitā extorrē agere, q̄ filio patre profugo parêre mallet, paulo antê in Normaniā ad Ducem peruenerat. In Conſtantienſium finibus ſedes his datæ. Normani metuebant ne Ducū maieſtate à Francis ſpoliarētur. Ludouicus Rex Rotomagum profectus, repentino aduentu ſuo ſuſpicionem gētis auxit. Arma corripuere, ſe ſuaq; tutaturi, ſi quis iura libertatis imminuere conaretur. In periculo erat Rex, ne popularibus furētibus aliquid ſecus accideret, caſusq; paternus memoriæ ac propè oculis eius obuerſabatur. Ricardū Gulielmi filiū Ducem Normanorum pronunciauit, eumq; ſuis ita ſalutandū colēdumq; dedit: & in poſſeſſione paternarū opum collocauit. Ita in præſens depoſita arma, ſed animi tamē adhuc lababāt. Acceſſit quòd Vgo Regi cœpit eſſe ex profeſſo infeſtus. Otho Auguſtus ad amicitiā inter duarū ſororum ſuarū viros iungendā, in Galliam magno cū exercitu profectus: vt maieſtas no minis viribus cumularetur, ad officiū Vgonē reuocauit: & Normani cōquieuere. Aigroldus Rex peropportune à ſuis ab exilio in Regnum reſtitutus, lætiorem pacē Frācis reliquit: ſub quod tēpus, vt apud eius ſeculi æquales inuenio, Hebertus fato diē ſuum obiit. ad Fanum Quintini funeratus eſt, cū ſit recentior fama, eū iudicio ſuo damnatū, cōprehenſi Simplicis Regis pœnas filio Regi Ludouico dediſſe. Hunc in cōuiuio procerū ſimulaſſe ſe ab auunculo Angliæ Rege per literas cōſuli, quid meritus ſupplicii videretur quidā ignobilis cliens, qui patronū nobiliſſimū prodidiſſet: Hebertum accubantem, cum in caput ſuū conſuli ſe ignoraret, ſententiā rogatū, reſtim deberi cenſuiſſe, atq; ita voce ſua damnatū, è conuiuio abſtractū, ſuſpenſumq;. Sed haud ſcio an nō paſſuri fuerint Principes factionis cū Rege certātis, ex hilaritate menſæ auelli ab ſe nobiliſſimū virum, in quo ingens virium robur partibus ſuis foret. Cōſtat Albertum filiū Heberti opibus in aula floruiſſe, ac patri in Comitatū ſuc ceſſiſſe. Rex deceſſit anno eius ſeculi quinquageſimoquinto. Reliquit liberos, Lotariū, Carolumq;. Vgo quoq; procreauit liberos, Vgonē cognomento Capetum, & Othonem generū, ſucceſſoremq; Gilberti Burgundionum Ducis, & Henricū Othone fratre mortuo futurū & ipſum Burgūdionum Ducem.

LOTARIO Tranſmarini Regis filio Rege, apparuit quātū fœlicitatis rebus afferāt finitimorū Regum Imperatorumq; opes inter ſe (id quod perraro accidit) cōſentientes. Primus Otho Auguſtus pacē Francorum perſeueranter ac

æque colens læta omnia effecit, factionumq; contentiones ſedauit, quòd idem Lotarii Regis & Capeti Magiſtri equitũ ex familia Regum æmula, & in poſſeſſione Regni ſemel atq; iterum collocata erat auunculus. Is ſuorum amantiſſimus, Aquaſgrani ſorores cum liberis accerſiuit. Secundum imperium, rerumq; arbitrium à iuſta ſobole agnationeq; Caroli Magni ablatũ, primus hic Otho iuſtus legitimúsque Cæſar numeratur, quòd Conradus Henricusq;, & cæteri, qui interea ingens nomẽ ſibi vendicarãt, Põtificis Maximi authoritate benedictioneq; caruerint. Othonẽ Iohannes duodecimus Pontifex Maximus coronauit: ad eumq; in Germaniam reuerſum concurſus totius orbis terrarũ fiebat, è Francia Francus Rex cum fratre Carolo, matreq; Gerberga, Magiſter equitum cũ matre Auida, vtraq; Cæſaris ſorore, affuere. Duces nobiliſſimi genere factisq; comitabantur. Totius Latini nominis proceres aderãt, & ſummi Græcorũ viri, quòd Nicephorus Auguſtus Theophaniam filiam Othoni filio per oratores deſpondebat. Feſti, celebresq; dies ludis, conuiuiis, omni magnificentia, hilaritate, comitateq; acti. Nunquam Francicum nomen iunctius Germanico fuit. Germani quoq; gloriã antiquorum Francorũ Regum Ducumq; ac Auguſtorum ſuam ducunt, quòd oriundos ab ſe eos prædicent, apud ſeq; Francos adhuc orientales eſſe: hos in Gallia occidẽtales dictos, ſobolem illorum eſſe. Sed animorum germanitas inter vtranque gentem nunquam maior propiórque, q̃ Othone Cæſare fuit. & Bruno Dux Lotaringiæ rebus domi cõpoſitis, Ragineriog; Montenſium Comite comprehenſo, ac in perpetuam cuſtodiam tradito, quòd cõperiſſet eum Giſleberti Ducis conſanguineum fauore cognationis Lotaringiæ Ducatui imminere, in Franciam venit. Quo par fuit cultu exceptus, authoritate effecit, vt ad domeſticæ pacis certiorẽ ſanctioremq; fidem Comiti Pariſiorum Capeto iam Duci Francorũ ſalutato Frãcus Rex Pictones etiam Comitatum tribueret. Dum cõtrouerſias cæterorũ Ducum componere contendit, morbo correptus Compendii deceſſit. Normanus Dux ſimultatem cum Theobaldo Carnutum Comite gerebat. Ad bellũ vtrinq; deſcenſum. Comes Eburouices prodente Gilberto Præfecto de Normanis cepit. Ad Hermeuicum pugna victus Theobaldus ex hoſtico reliquas copias deduxit. Verebatur Ricardus ne Comes ſuo nomine id bellũ gereret, ſed ope Regis ſubnixus: neq; enim vnam omnino ciuitatẽ Carnutes eſſe bello vniuerſæ Normaniæ tolerando: profecto Lotarii Regis Franci conatus conſiliaq; eo ſpectare, vt Normani Duce ſpolientur, nullúmque ſit in Gallia Normanorum nomen, Franciæq; res eo ſtatu ſint quo ante Rhollonis aduentum armaq; fuerint. externis ſibi auxiliis opus eſſe ad Regium bellum propulſandum. Dani conſanguinei vim ingentem bellatorum claſſe aduexere. Hi pro Normanis omnia pericula erant adituri, falſorum Deorum venératores. Eburouicibus iuſſu Regis Normano redditis, pacéque communi facta, Danorum aliquot Chriſtiani effecti, partim voluntate apud Francum manſere, partim domum reuertere: omnes finem vexandæ Franciæ fecere. Sexto & triceſimo Regni ſui anno mortuo Othone primo Auguſto, ſucceſſoréque filio Othone ſecundo, Ragnerius ac Lambertus Raginerii Montenſium Comitis filii, quorum alteri Carolus Lotarii Regis frater Gerbergam, alteri Vgo

Auidam filias collocarant,ad Peronam Varnerium & Ranoldum hoſtes paternos atroci pugna commiſſa occidunt,recuperatisq; opibus paternis ad fluuium Axonam Buxide Caſtello communito Lotaringiam infeſtam Othonianis faciebant. Germanus id indignum ratus, exercitu ingenti coacto Buxidem expugnat,ſolóque adæquat: ex Franciáque Carolo Lotarii fratri euocato Lotaringiam Ducatum tradit: vt is beneficiarius Cæſarum iureiurandó effectus,fratrem Regem,Francôsque minus reſpiceret. quæ res vt Germanos illi conciliauit,ita ſuos ab eo abalienauit.isq; alteram filiam Hermengandem Alberto Comiti Namurcenſi Germanicarum partium acerrimo propugnatori collocauit. quo ex matrimonio ſeptima pòſt ætate ſoboles orietur Balduinus Comes Annoniæ, ex cuius filia Eliſabeta Philippus Auguſtus Francus Rex procreabit Ludouicum patrem diui Regis,& ipſum virum ſanctum, vtroque ſtemmate nobilem, materno vero Auguſtiorem, ac à Carolo Magno deducto.Tunc cauſſæ animiq; diſcreti,ac in bellum erecti. Lotarius certatim Francis nomina dantibus coacto exercitu tanta celeritate Lotaringiam percurrit, vt Aquiſgrani iuuenem Cæſarem nihil minus expectantem propè oppreſſerit. Aegre Otho euaſit. quam ignominiam vt elueret, delectu habito Lutetiam infeſtis ſignis peruenit. Eruptione ciuium præſidiíque nobiliſſimos fortiſſimosq; ſuorum deſiderauit. In reditu quoq; ad Axonam fluuium forte imbribus inflatum tumultu iniecto magnam impedimentorum partem amiſit,carpente nouiſſimum agmen hoſte.Mox vltro citroq; commeantibus ſanctis viris,ad colloquium congreſſi ſunt Rex Cæſarq;,armaq; poſita.In Lotaringiæ poſſeſſione Carolus permanſit, ſed anguſtioribus finibus deſcripta, quàm antè fuiſſet.Non contemnenda enim pars,hinc Agrippinenſium,illinc ſacræ Leodienſium eccleſiæ attributa eſt. Noui etiam poſtea magni nominis Ducatus Comitatusq; inſtituti ſunt,ex illius cuiuis Regno æquandæ regionis corpore velut membra dirempti. Niuellæ, Louanium, Bruxellæ, Antuerpia nominatim Gerbergæ Reginæ doti dicta erant. Isq; Marchionatus ſacri Imperii à Germanis appellari cœptus,qui aliquanto pòſt Gotthofredo Barbaro Gerbergæ conſanguineo obuenit.Mortuo decimo Imperii ſui anno Othoni ſecundo filius ſucceſſit Otho tertius.Tunc Francus repetito Lotaringico bello Viridunum,eiúsque oppidi Comitem Gotthofredum capit. Sed ſupremis ſuis diebus Cæſari Comitẽ,Comiti opes reſtituit.Lotario defuncto anno eius ſeculi ſexto & octogeſimo,LVDOVICVS filius ſucceſſit.Is annum omnino Regnauit, vltimus qui ex agnatione Caroli Magni regium nomen geſſerit.Carolus eius patruus Lotaringiæ Dux nõ ſatis Francis probatus,quòd Germanorum Imperii totus fuiſſet,dum ex Lotaringia in Franciam ad ius Regni capeſſendum venit, obuium cũ delecta manu habuit Vgonem Capetum factionis plus iuſto validæ. Ad Laudunum pugna cõmiſſa,fortuna viribusq;,& mortalium ſtudijs inferior Carolus, in oppidũ propinquum ſe recepit. Cum obſeſſus eruptione cædem hoſtiũ feciſſet, nouis copiis contrà aduenientibus arctior facta eſt obſidio. Noctu Aſcelini epiſcopi ciuitatis proditione rẽſeratis portis,intromiſſoq; Capeto,cõprehenſus in cuſtodiam Aurelianum mittitur.Ita tertium ſtemma in ſolio locatur, haudquaquam Francis pœnitẽdum.

Iam certus Rex CAPETVS nihil præterea grauius in Carolum auſus,quàm vt perpetua diligentiq; eum aſſeruaret cuſtodia. ei tamen copiam vxoris tam liberam fecit,vt is liberos ſuſtulerit Ludouicum Carolumq;.Sed ii intra pueritiæ annos deceſſerunt. Comes Flandriæ per proauiam Magno iuſta cognatione iunctus,coronationi Vgonis intereſſe noluit,Regum Francorum beneficiarius. Excidium ei Capetus parabat,aliquotq; iam oppida de illo ceperat, cum quæ opes maxime infeſtæ ad eam diem Flandro fuerant,hæ ſalutem attulere. Ricardus ſecundus Dux Normanorum primi Ricardi filius authoritate gratiaq;,qua multum poterat,Regem permouit,ne quietum malum vltrà excitaret. Qui nouo Regno ex profeſſo nõ ſint hoſtes,eos pro amicis habendos.& verebatur Dux,ne aſſueſceret Vgo illuſtres opibus familias euertere,ſe ſecundum à Comite peti poſſe. Et pax & oppida reddita Flandro, cum per oratores ſe iureiurando deuinxiſſet ROBERTO, quem pater Vgo Regem ſibi cooptatum ſacrandum curarat,ne in nõdum firmato Regno, ſi poſt fata ſua id differretur, exoriri poſſet in tanta mortalium cupiditate Regni ſcelere virtuteq; petendi nouarũ rerum moles.Simul Arnulfus Lotarii Regis Franci frater materno genere impar Archiepiſcopus Remorum coacto Patrum cõcilio ob paternam maieſtatem Vgoni inuiſus,prætextu illegitimorum nataliũ è ſede deiicitur,reclamante vno Seuino Senonum Archiepiſcopo. Gilbertus Aquitanus Philoſophus Othonis Cæſaris primũ,Roberti deinde Regis præceptor,ad ſuſpicionem vſq; magicarum artium doctus,in deiecti locum ſubſtituitur,eruditione quàm vita melior.Plus leges quàm Regis voluntas valuere.Iohannes Pontifex Maximus Leonem in Franciam Legatum miſit,qui cognita cauſſa, concilii acta reſcidit:hortatúsque Vgonem, vt contentus regno quod immortale optaret in domo ſua eſſe,cum ſene Archiepiſcopo bellum non gereret.hoc ad gloriam eius,vitæq; integritatem pertinere.Et ne Gilbertus Cæſarum Regumq; adoleſcẽtiæ moderator, ad priuatam inhonoratamq; vitam recideret,Rauennatium Archiepiſcopus creatus,ad ſummum Pontificatum malis artibus peruenit, Sylueſter dictus. Vgo anno huius ſeculi nonageſimoſeptimo deceſſit,nec controuerſia orta,quo minus Robertus, vt viuo patre cœperat,regnaret.Nullum ſuum hoſtem habebat.Odo Carnutum Comes Meledunum prodente Valterõ Præfecto cepit, quod Burchardi Comitis iuris erat:nec denunciatione Regis adduci poterat,vt iuſto domino redderet. Ricardo Normanorum Duci ea prouincia demandata. Is oppidum terrore receptũ,Burchardo reſtituit,proditore ſuſpenſo.Maior mox belli cauſſa & ad Regem pertinens nata. Obiuerat nullis liberis relictis Henricus Dux Burgundiæ patruus Roberti.Landricus Comes Niuernenſis ſe Ducem Burgundiæ dictitabat,iuraq; genti dabat.Virtus fidésque Normanorum eo bello enituit. Mortuo Ricardo ſecundo Duci tertius ſucceſſerat.Is auxilia validiſſima Roberto Regi adduxit. Quo metu Landricus perculſus, Altiſſiodori, quæ vrbs illi parebat, mœnibus ſe incluſit. Ciues vltimã vim experiri noluerunt.Vrbem Landricúmque dedidere.Auallonis arx pertinacior fuit. Trium menſium obſidione domita in poteſtatem venit. Vniuerſo Ducatu potitus Rex,genti Ducem dedit filium,quo ipſe nomine,Robertum.Senones oppri-

35. VGO CAPETVS. 36. ROBERTVS. mebantur

mebantur tyrãnide Reginaldi Comitis,indignè ferentis mortuo Seuino Archiepiſcopo comitiis deligendi Pontificis conſenſu ſacerdotũ ciuitatis, Epiſcoporúmque eius prouinciæ approbatione, ac Pontificis Romani authoritate, Regíſque nutu prælatum Leotericum Brunoni Fromundi fratris ſui filio. Aduenienti cum copiis Regi,vrbis portæ patuere, Comite fuga ſibi ab odio ciuium conſulente. Fromundus à fuga intercluſus,in turrim ſe cum armatis recepit. Incẽdio víque euerti propugnatores propugnaculúmque poterant. Temperatum eſt.Fame vincere ſanctius viſum, cum nihil prouiſum victui foret.Fromundo in cuſtodiam perpetuam Aurelianum miſſo,aliis venia ſupplicibus data. Belli inter Francos Germanóſque redintegrandi cauſſa fuit eadem quæ ſæpe antea, incertum adhuc Lotaringiæ ius.Obiuerat Otho Lotaringiæ Dux,quem Caroli Ducis à Capeto Regni Francici æmulo capti filium fuiſſe Sigibertus author eſt.Henricus Noricorũ Dux in Othonis tertii defuncti locum ſuffectus Cæſar, Lotaringiam dabat Comiti Gotthofredo filio Gotthofredi Arduennenſis in Auguſtali aula gratioſiſſimo. Balduinus Flandriæ Comes cauſſæ Francorum ſtudioſiſſimus Valentianas oppidum nobiliſſimum occupat,& alia,ſed ea ignobilia,oppida inuadit,quæ Auguſto parebant.Cæſar antequam res deteriore loco eſſent,arcẽ belli Valentianas obſidet.Aduentu Francorum ſoluere coactus obſidionem, Gandauum tentat. cúmque ea quoque res parum illi procederet, omiſſa ſpe oppidorum expugnandorum,bellum cum agris gerere cœpit. Incendio ruiníſque cuncta miſcet,fœdátque.Ingentem vim Flandrorum in poteſtatem redigit. Non enim tantum auxiliorum ex Francia conuenerat,vt & vrbes tutari,& aperto Marte decertare poſſent,id quod opus erat,ſi prohibere populationibus,cæteraq; fœditate agros vellent. Sic quoque in conditiones deſcenſum, vt Auguſtus non Valentianas modò Comiti relinqueret, ſed & Valacras adderet, íſque ſe beneficiarium eius rei nomine Cæſaris profiteretur. tam atróxque orta eſt in Gallia Germaniáque peſtilentia,vt neceſſe foret tela manu abiicere,tanquã ſuperis mortalium generi inexpiabilioris odii bellum inferentibus.Adeo ſæuiente malo efferati erant animi, vt repetẽdæ libitinæ,moræque tædio,iuſtorúmque funebrium, cumuli corporum exanguium aceruatorum immixtis ſpirantibus adhuc & animam agentibus terra altè latéque effoſſa obruerentur.Pace terris veniáque à numine reddita,Henricus Cæſar Robertusq; Rex ſuper Charum fluuium cum delectiſſimis Ducibus Comitibúſque ad colloquium congreſſi ſunt,pace fida ſubſecuta inter Regnum Imperiumq;. Henricus æger cum ſibi fatalem diem adeſſe cerneret, conſulentibus ſe proceribus de ſucceſſore deligẽdo,ſuaſit,vt Conradum ſobolem Conradi Vangionum Ducis ſibi ſubſtituerent.Mortui iudicium valuit,eo ſanctius,quòd non affectibus ſuis, ſed communi ſaluti moriens proſpicere viſus fuerat. viuens enim in nulla illum apud ſe authoritate gratiáve habuerat.Conradus Auguſtus per maiores ſuos Germanorum Francorũmque nobiliſſimis familiis iunctus,nouam neceſſitudinem iniuit, filia Odoni Comiti Campano in matrimonium data. Rhodulphus Giſilæ Auguſtæ auunculus Burgundiæ Rex ſalutatus, charitate erga Francos nemini ceſſit. Comitatus eius regionis illi

Rẽgi parebat, Ducatus Roberto Duci Roberti Regis filio. Lotaringia Gotthelonem Gotthofredi Arduennensis defuncti fratrem Ducem suum habebat. Francus Rex literas, ingeniáque, ac omnes bonas artes summo in precio habuit. In templis frequens, numinis reuerẽtissimus, liberalibus studiis sacríscq; disciplinis deditus, priscæ sanctitatis æmulus. Antiphona sacráque responsa quædam edidit iudicio Ecclesiæ vniuersæ probata, receptáque. eius illa sunt SANCTI SPIRITVS ADSIT NOBIS GRATIA. O CONSTANTIA MARTYRVM. O IVDA. Ferunt cum Auallonem obsideret, nullo oppugnante quassantéve, sed in tabernáculo numini eo hymnos concinente, sua sponte magnam murorum partem corruisse, velut diuinitus ac superis veneratori suo gratiam præsentem referentibus. Ex Constantia Gulielmi Comitis Arelatensis, & Blanchæ Gotthofredi Comitis Andegauensis filiæ filia procreauit Robertum & Henricum. Arelate vrbs Regum sedes fuerat, tunc Comitum erat. Gotthofredo Chrysogonello viro fortissimo & nobilissimo maximísque opibus Hugo Dux Francorum cesserat Comitatu Andium, vt sibi adesset in domesticis de Regno certaminibus. Gotthofredi soboles fuit Fulco Gotthofredi cognomine à virium miraculo Martelli pater. Robertus Rex templa hæc ædificauit, singula Virgini, Stampis, Aureliani, Victriaci. Regulo, Syluanecti. Nicolao Lutetiæ. Leodegario ad Syluam Aquilinam. Item Aureliani Hilario ædem, eadẽ in vrbe Anniano, Augustoduni Cassiano singulas ædes, singuláque cœnobia. Montemfortem, Sparnomúmque muniuit mœnibus, arcéque. Hoc Rege Theobaldus Regius Salturarius Montemletericum muris propugnaculísque cinxit. Rex anno salutis millesimo religionis caussa in Vrbem Romam profectus est. Primo & tricesimo post obiit anno, quo Stella crinita fulsit, atrocissimis exortis tempestatibus, largissimis imbribus, minacibus procellis. Flumina inflata, ripâsque supergressa, in lati æquoris speciem agros operiebãt. Subsecuta fames, pestilentiáque. Successit Roberto HENRICVS, quem ille moriens hæredem nuncuparat, vt nonnulli scribunt, minorem filium. Huic consilio Constantia obstabat, Robertum alterum filium Regem salutabat. Odóque Campaniæ, ac Balduinus Flandriæ Comites, ac non pauci præterea nec contemnenda nobilitate in armis ei aderãt, cæteri minore inuidia, Campanus non sine vituperatione cupiditatis, quòd pacto cauisset sibi dimidiam partem ciuitatis Senonum suæ ditionis Campaniæ attributum iri. Balduinus integer ab infamia fuit sordium, cupiditatísque, nec vllo belli præmio appetito. Aduersarii iam Lutetiam, Syluanectum, Meledunum, &, quod maxime cupiebat Campanus, Senones ac circumiecta oppida occuparant. Quòd si Robertus, de cuius Regno certabatur, se impigrum Ducem caussæ suæ præbuisset, res non tam facilem exitum incruentúmve habuisset. Comminationibus potius quàm rebus gerendis decretum. Robertus Dux Normaniæ egregiam iuuentutem Henrico auxilio misit, bello domestico, fraternóque, quanuis dispari animo, conditionéque assuetus. Ricardum tertium Ducem fratrem suum, id quod constat, maiorem, consensu popularium, iudicióque supremo patris ac legibus, & more patriæ rerum potitum, coacta perditissimorum,

morum, audaciſſimorũmque manu, bello perſecutus, aliquot oppidis primùm exuerat: deinde procerum armis captus, in cuſtodiámque coniectus, à fratre Duce magis pie quàm ex vſu dimiſſus eſt. Ricardus enim virtute capto fratre, miſericordiáque dimiſſo, & vita donato, ipſe ſibi exitium creauit, ab eodem fratre veneno, vt traditur, ſublatus. Fraternum verò inter Francos bellum perparuis expeditionibus, leuibúſque prælíis, ac propè nullo hauſto cruore confectum. Cum Robertus Dux nihil moueret, ſilentióque, ac diſſimulatione Regnum Henrici comprobaret, ac iure Regni cedere acerrimo, & qualem tempora poſtularent, fratri, iudicióque optimi patris videretur, Ducatu Burgundiæ nobiliſſimo, opulentiſſimóque contentus: mater Conſtantia facilè adducta eſt, vt ipſa quoque bello pacem præferret, eadem maieſtate apud Henricum futura, quam à Roberto expectaſſet. nec ipſa modò, ſed & Flandrus, cæteríque proceres armis poſitis dextras interiunxerunt, in mutuúmque complexum venerunt. Odo Senones inſederat, victa cauſſa communi ſuam cupiditatem defenſurus. Vi coactus, aliò conatus conſiliáque vertit, Regni Burgundiæ appetentiſſimus. Rhodulphus Burgundiæ Rex cum iam trigeſimum annum varia fortuna regnaret, feſsúſque tandem aliis ſuper alias defectionibus feceſſionibúſque popularium, mentionem faceret Burgundiæ Germanis contribuendæ, ac in animo ſe habere præ ſe ferret Henricum Conradi Cæſaris filium in præſens in ſocietatem Regni, ac in ſpẽ eius hæreditatis, vniuerſæque ſucceſſionis accerſere, Odo Campaniæ Comes ſpem eius Regni ſibi liberíſque ſuis propinqua cognatione Conrado Rhodulphóque iunctis propalam petebat: ſe virtute Rhodulphum ab impotentia, contumaciáque popularium defenſurum, illo defuncto, Conradi Cæſaris ac Henrici patri in Imperium ſucceſſuri beneficiarium futurum, auſpiciíſque Auguſtorum Germanorum res geſturum. Munus Rhodulphi habere ſibi filióque, quàm dari aliis, Conradus malebat: & non parum virium Germani proceres acceſſurum rebus ſuis ducebant Burgundionum Regno ſibi contributo, quod excluſo Ducatu, qui Franco Regi ſine controuerſia parebat, Sequanos, Allobrogúmque, ac Arelatenſium Regias vrbes complecteretur, ac ab extremis Germanorum finibus ad mediterraneum mare pertineret, opportunum Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Africæque rebus, conſiliíſque expediendis, ac conatibus capiendis, vt Auguſtum nomen Germaniæ finibus ac anguſtiis clauſum, prodire in totius orbis terrarum lucem, ac priſtinam maieſtatem tandem poſſit. Tantæ repulſæ dolore iráque ſuccenſus Campanus, dum Cæſar Pannoniarum bello diſtinetur, Burgundiam præſidiis vacuam, eandem Regi ſuo non ſatis æquam, armis & ſuorum factione repentino impetu occupare contendit, Pannonicum bellum Germanos in multos annos à Burgundia reſpicienda in ſe auerſurum ratus. Rhodulphus indignitate motus, eo obſtinatius, vt conſtituerat, diadema cæteráque Regni inſignia ad Conradum mittit, ſimul moriens Henricum eius filium hæredem inſtituit. omnia in exitium Odonis ſpectarunt. Compoſitis Pannoniæ rebus Cæſar in Campanum ducit: primùm veteres eius fines vaſtat, ipſum deinde, ac ipſius exercitum è Burgundia exigit, filii ergô hæreditatem adit,

in poſſeſſionêmque venit. Vrbium illarum proceres, in quibus & Lugdunenſis Pontifex numeratur, dicto audientes ſunt, præſidia arcibus recipiunt, & vt fidem ſuam oppignerent, obſides dant. Odo vndique deſtitutus ſe Franco Regi antè hoſtem profeſſus, tunc Germanis laceſſitis, ac iure infenſis infeſtíſque, ipſe quoque à neceſſitate conſilium in præſens mutuatus, fidei Conradi ſe tradit: impunitate, veniáque donatur. Pax inter Francos ac Germanos, fraternúmque nomen inuiolatum permanſit: Regnîque Francici iura Imperio, & Imperii Francico Regno ſancta extitere. Cum Italiam Cæſar petiſſet, Italicas res difficiliores futuras ei arbitratus Odo, ac minime Pannonicis comparandas, diu quieſcere non potuit: agendo rurſus moliendóque ingens ſe nomen opéſque quæſiturum ratus, in prouinciam Imperii Lotaringiam excurſiones facit. ac ne latrocinium illud verius quàm iuſtum bellum videretur, Leucos obſidet, nihil minus quàm eo tempore victi modo Campani vim expectantes. Hi tamen tanta virtute præſentiáque animi ſe vrbémque tutati ſunt, ac die noctûque crebris eruptionibus nihil tuti hoſti reliquere, vt coactus fuerit ſoluere obſidionem. Ille ne repulſus fugatúſque dici credíque poſſet, Barrhum tentat: & quia minus validum viris armíſque oppidum erat, expugnat, omniáque circà terrore implet, donec Gotthello non minori audacia Lotaringiæ Dux, antequam interior Lotaringia vreretur, ei in armis occurrit. Atrox prælium committitur. Campanus cadit. Victor Lotaringus victi ſignum captum ad Auguſtum in Italiam miſit: cuius victoriæ gratulatio faciliores lætioreſq; Germanis Italicas res præbuit. & Henricus Cæſar patri Cæſari defuncto ſuccedens, fœdere icto, pacem Francorum coluit, Hagnênque filiam Gulielmi Ducis Aquitaniæ vxorem duxit. Odonis filii duo, Theobaldus Carnutes & Turones, Stephanus Tricaſſes, omnia hæc de opibus paternis in ditione habebant, ſpiritibus etiam paternis inflati. Ferocior erat Theobaldus. Pari ſuperbia hoſtis ei obiectus Gotthofredus Martellus Andiũ Comes Turones prouinciam ab Rege petiit, illóſque eius permiſſu obſedit, ac Theobaldum ad ſoluendam obſidionem accurrentem ipſum ac quingentos & ſexaginta equites intercepit: nec vllã deinceps moram vrbs interpoſuit quo minus deditionem faceret. Tunc ſpiritus illi feroces etiam Campano cecidere. Stephanus enim fidem clementiámque Franci Regis quàm vires irámque experiri ſalutarius duxit. Pace veniáque impetrata, ſuas opes ſeruauit. Robertus Normanorum Dux ſingularem fidem virtutémque gratuitam omnibus in rebus præſtitit, ac tantum apud eum ob id meritum authoritate gratiáque valuit, vt cum Hieroſolyma religionis gratia petiturus, Gulielmum filium etiamnum puerum ex concubina procreatum, ſi quid ſibi accideret, hæredem nuncuparet, id ab Rege Franco, quanuis non ê re dignitatéve Francica, comprobaretur, confirmaretúrque. Nec abeſt ſuſpicio Ducem ſacram peregrinationem vouiſſe, vt fraternas pœnas furiáſque à ſe auerteret. Sed multo facilius parricidium perpetratur quàm expiatur. In Aſiam iuit, terrámque ſanctam peragrauit, magno comitatu faſtúque, qui ſolus alere iram numinis poſſet, ne labori tam longinqui itineris maximum ſcelus condonaretur. Et vt fama parricidii ſuperbiæ'que peregrinantis

falſa fuerit ,non poterat ſuperis cordi eſſe,illum , vt morte fratris Ducatum obtinuerat , ita reliquis iuſtis fratribus Ducatum paternum auitúmque non relinquere,ſed notho legare,& velle poſt mortem etiam iniuriam ſuam immortalem eſſe . In reditu non minori impotentia vſus,in Bithynia deceſſit. Niceæ ſepultus eſt,ſuorum & ipſe,vt iidem ſcribunt,veneno extinctus. Sanctius Fulco Comes Andegauenſis Martelli pater aliquot antè annis duorum omnino vernaculorum comitatu Hieroſolyma peregre profectus, illis iureiurando adactis,ſe,quod imperaretur,facturos,ſumpto noxii damnatíque habitu,eorum alteri ſe collo reſti illaqueandum,trahendúmque ad domini monumentum tradidit : alteri virgas dedit , quibus ſe tergo cæſum lacerúmque eodem fœdè agerent vociferantem , ADMITTE DOMINE MISERVM FVLCONEM PERIVRVM, ET FVGITIVVM TVVM. Hoc factum ſatis conſtat , ſed cuiuſnam periurii ſceleríſve expiandi cauſſa, non liquet . Numen etiam credo voluit noxæ memoriam extingui in tam illuſtri ſanctáque ſatisfactione : & Fulconis ex filia pronepos Fulco Rex Hieroſolymitanorum creabitur , & extincta demum Gulielmi nothi agnatione, Andegauēſium Comitum eadem Fulconum familia cognatione iuncta Gulielmi nothi ſtirpi,ei in Regnum ſuccedet in hunc vſque diem nomine ac opibus ingens . Tunc Fulco domum rediit, ea demiſſione animi non vilior terrarum orbi, ſuiſve ingratior , ſed probatior gratioſiórque . Mortui Roberti Ducis odium in animis popularium viuebat,vigebátq;.Apud Henricum Regem ſuprema eius voluntas rata,ſanctiórque quàm apud Normanos extitit . Cum nothum in aula Francica educatum in poteſtate haberet, eum Ducem ſalutatum , fidéque iureiurando obſtricta , & oſculo fidelitatis vtrinque delibato , in poſſeſſionem paterni dominatus cum præſidio miſit. Maxima procerum eius gentis pars indigne ferebant eum puerum nouem annorum inter ſuos dominari,cum Rhollonis iuſta legitimáque ſoboles ſupereſſet : in primis patruos iuſtos legitimóſque habebat Maugerum Archiepiſcopum Rotomagenſium,& Gulielmum militaris ingenii virum. Continuo bella de ſumma rerum inter Normanos ciuilia exorta.Sed ingētem vim auri,arcéſque à patre,ætatíſque rectores fideliſſimos,ſummóſque bello viros acceperat nothus . Rex Tegulariam tantum arcem nuper opportuno loco ad faciendas excurſiones ædificatam ſibi dedi iubet , ne perditorum hominum latronúmque receptaculum foret. Tutores pueri , rerúmque procuratores ſe traditurос eam intra certam diem ſpoponderant:à qua fide præſtanda tantum abfuere , vt perſpecta loci commoditate Criſpinum virum impigrum cum præſidio eius cuſtodiæ impoſuerint.Ea indignitate ludificationéque accenſus Rex,arcem magno ſuorum ardore expugnauit , per irámque diruit : mox animo & ipſe reputans quàm magno vſui in Normanico tumultu foret,reſtituit.Hiſtorici Normani, & qui eos ſequuntur , tradunt Regem infeſtis ſignis penetrantem interiorem Normaniam fuſum fugatumq;. Sed propius fidem ſit eam tunc gentem ſeditionibus domeſticis ægram Regium bellum non laturam . Rex Tegularia recepta,vt cœperat,notho auxilia miſit, quibus ille cumulatus facilè aduerſarios ſuperauit . Gulielmus Co-

mes Montrolienſis,ſoboles & ipſe Rhollonis iuſta,cum partium ſuarum nobilitate,hiſque qui notho puero parere turpe ſibi, ſpeíque ſuæ exiſtimabant, cum nobiliſſimis Francorum ad nouam experiendam fortunã maximo comitatu è Gallia emigrant.Italia eos excepit: cuius longitudinem variis caſibus emenſi,tandem in Apulia conſtitere,noménque ſibi ingens virtute fœlicitatéque peperere, noua ſemper manu affluente. Sed omnium decus,Roberti cognomine Viſcardi, genere Normani, virtus fœlicitáſque anteiuit. Is cum longe latéque imperium ſuum terra marique propagaſſet, ipſe(vt verbis Othonis Pontificis vtar) Apuliæ Calabriæque Ducatum retinuit, fratríque Rogerio Siciliæ Comitatum dedit.Horum ſoboles non Ducum modò ab illis relicta inſignia,noménque ac opes tutata eſt, ſed ad Regium titulum faſtigiúmque peruenit.Bellum Italiæ pax Francica extitit,qua lætus Henricus Rex ædem Lutetiæ ſuburbanam, cœnobiúmq; diuo Martino ſtruxit:exemploq; paterno erga ſuperos religione,manſuetudine aduerſus mortales nobilis,eo tranquillius Regnum habuit, quòd animi robur perſpexerant omnes, ac ita lenitatem admirabantur,vt & mentis magnitudiné vererentur. Paucis anté obitum diebus PHILIPPVM filium maiorem, ſed nondum pueritiæ annos ſupergreſſum, coronandum curauit,anno eius ſeculi ſexageſimo. Minor Vgo Heberti Viromanduorum Comitis filia in matrimonium ducta, ſocero in opes illas ſucceſſit. Florentiſſimis ſuis ſuorúmque rebus Henricus decedens, filiis tutorem dedit Balduinum Comitem Flandriæ, virum integerrimum,& fidei ſapientiæque perſpectiſſimæ. Cæteri Franci proceres in rerum procuratione adminiſtrationéque Flandrum verſari,æquiſſimo animo ferebant.Vaſconum mens lababat.Alieniores à Flandro erant:Vereri ſe dicebant, ne tutelam pupilli ſui ſuum Regnum faceret, ſi vni omnia libera conceſsáque ſint:quòd Soror Regis ei nupſerat,ne Regnum appeteret. Sed cum etiam Regem in poteſtate haberet, eius nomine delectum religionis ſimulatione indixit, quòd à Saracenis Barbaráque religione Hiſpaniam magis quàm vnquam antè,euaſtari diceret, futurúmque, niſi quis anteuertat, vt edomita Hiſpania in Galliam tranſeant.Velut ad ſacrum bellum libenti animo in armis nobilitas præſto affuit. In Vaſconiam ductæ copiæ quaſi Pyrenæum tranſmiſſuræ. Tunc fama euulgata eſt, Hiſpaniæ vniuerſæ agros vſtos partim Saracenorum in Hiſpanos,partim horum in illos igne,nec eam commeatus inopem exercitus externos alere poſſe, vixque domeſticas copias tutari. Depoſita igitur illarum rerum ſimulatione, vires conuerſæ ſunt in Vaſconum conſiliis opprimendis. Ad officium conuenere. iureiurando ſe tutori pupillóque deuinxere. Procerum liberi per ſpeciem honorum aulicæque gratiæ ac potentiæ pro obſidibus abducti. Exercitus ſacræ militiæ nomine authoratus; re infecta, ac ne viſo quidem hoſte dimiſſus. Huius rei Vaſconum annales authores habuimus. Hæc res conſilio artéque magis quàm armis ingentem maieſtatem Flandro conciliauit,ac ad exemplum cæteros incendit. Hanno Agrippinenſium Pontifex, quum Hagne Auguſta mortuo viro Henrico tertio quintum iam annum ipſa & pueritiam filii Cæſaris Henrici, & res regeret, indigne ferens fœminæ imperio bellicoſiſſimas

 gentes

gentes ſubeſſe, partim viribus, partim calliditate pupillum Auguſtum in ſuam redegit poteſtatem: exortóque fremitu, ac tumultu imminente, procerum conuentum habuit: oſtenditque non ſuarum rerum cauſſa, qui & nominis & opum ſatis haberet, ſed dignitatis communis gratia id ſe egiſſe, vt viri viris conſulerent. Tunc cuncti factum voluntatêmque eius magno aſſenſu approbarunt. Hagne ſumma rerum deiecta, ad Frutellam in cœnobium ſanctarum fœminarum ſe contulit: vnde non multo pòſt in Italiam profecta eſt, quòd cum tutelam filii Cæſaris gereret, Italicis Imperii rebus Gilbertum Parmenſem ſummum belli pacíſque artibus virum præfeciſſet, & erat in Italia Beatrix Henrici ſecundi ſoror, Bonifacii Lucenſis magna nobilitate ſummíſque opibus viri vxor, vnde nata Mathildis ſancta fœmina, quæ Gotthofredo Comiti collocata fuit, hæres paternarum maternarûmque opum. Igitur Gotthofredus maritus iura dabat Lucæ, Parmæ, Regio Lepidi, Mantuæ, ac ei alia Italiæ parte regioni quæ in poteſtatem Pôtificum poſtea teſtamento Mathildis venit, ac patrimonium Petri vocitatur. Hagne Auguſta Italicas ſedes viduitati ac magnitudini ſuæ, memoriæ'que mariti antiquiores eſſe duxit patria Aquitania, quæ bello ardebat. Gotthofredus Martellus idem Andium Turonúmque Comes, ferox robore animi, viribúſque corporis, & opibus factionis ſuæ plus æquo validæ, Gulielmo Aquitaniæ Comiti admodum iuueni bellum intulit. Cúmque eius vectigalis ac beneficiarius eſſet, coëgit ſibi vectigal eum paciſci, penſitaréque: ſucceſſúque aucta audacia, ipſum captum in cuſtodiam arctam fœdámque coniecit: illóque ita necato, eius nouercam matrimonio ſibi iunxit, & defuncti fratres ex patre admodum pueros per eam illorum matrem in poteſtatem redegit: Aquitaniæ'que imperitabat non modò vitricus, ſed tutor ſalutatus. adeò tutelarum iure ſpeciéque res paſſim adminiſtrabantur. Balduinus Franci Regis tutor cognomine Pius, filiam ſuam Mathildem Gulielmo Duci notho iam maturo rebus maximis gerendis deſpondit, & Francorum opes illi ad ſpem Regni Anglici conciliauit. cuius belli ratio initiáque paulo altius, ſed quàm breuiſſime repetenda. Sueno Danorum Noruegorúmque Rex auorum memoria claſſe in Angliã cum tranſmiſiſſet, Edelfredum Anglorum Regem prælio victum tota ex inſula exegit. Profugus in Normaniam cum duobus filiis, Eduardo Aluredóque, ac Anna vxore eadem Ricardi tertii Ducis ſorore ſeſe recepit. Mortuo Suenone Anglus depoſitis apud auunculum adoleſcétulis, paruis copiis ſubnixus ad repetendum Regnum cum vxore reuerſus, ab Hunnuto Dani filio ſignis collatis victus, Londiníque obſeſſus deceſſit. Victor vt Normanos ex hoſtibus amicos, affinéſque ſibi efficeret, cælebs Annam viduam in matrimonium duxit, magnóque in honore ac gratia habuit. Eduardus cum maioribus copiis tranſmiſit, caſtráque iuxta hoſtem collocauit. Re infecta reuertit. Ferunt, cum ei ſui certam victoriam ſponderent, hoſtéſque ad internecionem deletum iri, illum dixiſſe, Abſit vt meum vnius regnum tot millium hominum morte ad me redeat. Præſtat priuatam & incruentam agere vitam, quàm per tantam carnificinam dominari. Magis pia quàm fortis hæc ſententia in exule viſa. Ab hominibus damnata, à numine probabitur.

Incruentus regnabit. Interea mortuo Hunnuto filius ex priore vxore Heroldus ſucceſſit: Aluredúmque auxilio Roberti Ducis tranſgreſſum dolo ſuſtulit, ſubornatis veteribus Anglorum proceribus, quorum longe princeps Godouinus erat, qui dicerent feſſos ſe auaro impotentíque Danorum Imperio, Edelfredi iuſti legitimíque ac optimi Regis ſobolem ſpectare.maturaret procedere ab ora maritima ad accipiendas in ditionem mediterraneas vrbes, quæ eum vt cælo miſſum ſuſpicerent, opperirentúrque. Improuide habita ſummis viris fides. Cum mille omnino expeditis profectus, inſidiis exceptus necatur. Hunnuto ſucceſſit Ardehunnutus ipſius ex patre frater, qui cum Eduardum ſanctum virum è Normania vocatum in ſocietatem Regni adſciuiſſet, obiit. Eduardus à diuturno exilio ad Regnum profectus, tranquillam etiam reliquam vitam tranſegit: & quòd apud Normanos Duces educatus, cultúſque fuiſſet, nec liberos ſuſtuliſſet, beneficiorum cognationíſque ac conſuetudinis memor, Gulielmum nothum Regem hæredémque nuncupauit, in eiúſque verba proceres gentis iureiurando adegit. Poſt obitum apud mortales eius authoritas vilis, & ſacramenti religio leuis extitit. Anglos iam externorum Regum tædebat, indignum eſſe ſi Anglia Regnum opulentiſſimum nobiliſſimúmque vel Danis obſcuræ genti, vel Normano notho ſeruiat, cum ſint inter ſe ſummi Duces, qui Regium nomen maieſtatémque ſuſtinere ac tueri poſſint. Godouini filius Haraldus regnare iuſſus iura reddebat, vir & fauore vulgi, & ſtudiis nobilitatis ingens. Sed imminebat ei metus & Danici belli, quòd repetituri Dani ius poſſeſſionémque illius Regni erant: & Normanici, quòd Gulielmus nothus perſpectæ virtutis Dux ſemel Rex iureiurando gentis factus ſalutatúſque, omnia acturus moliturúſque erat, vt acceptam ſemel nominis maieſtatem in perpetuum retineret, tutaretúrque. Prior Danus Rex claſſe quanta maxima contrahi poterat (ad mille naues fuiſſe ferunt) in Angliam nauigauit, nec appulſu littorum arceri potuit. Viribus terreſtribus victus cecidit, vaſtata tamen magna ex parte Anglia: facilióque de acciſis rebus victoria Normano ſubſequenti hoſti integróque fuit. Tranſmiſit in Angliam cum robore Normanicæ Francicæ'que nobilitatis: vt'que neceſſitatem vincendi ſuis imponeret, in oculis omnium claſſem qua traiecerat, incendit. cum hoſte conflixit. maximo vtrinque ardore res geſta, quòd vterque Imperator cauſſam ſuam pari virtute tegendam exiſtimabat: apparebátque neutrum niſi morientem alteri cóceſſurum. Haraldus ſemel Rex dictus, æmulúmque ſe ac hoſtem Gulielmo profeſſus, in certaménque iterum de Regno deſcendens, Regium nomen non poterat niſi victoria retinere, nec vitam priuatam exiliúmve victore tanto hoſte reſpicere. Gulielmus claſſe incenſa, patria receptúque omni excluſus, cunctis circà hoſtilibus, certa, niſi vinceret, peſte, neceſſitatem ſummi inuictíque Ducis ac militis muneris fungendi ſibi impoſuerat: & milites eius Normani Francíque nihil ſibi ad virtutem reliqui fecere. Minus pertinaces Angli extitere: neque maximis viribus contenderunt, infenſi Regi ſuo Haraldo, quòd paucis antè diebus, ſuperiorique de Regno bello in hoſtem duxiſſet ſpe iniecta largitionis, ingentiúmque præmiorum: hoſte victo vix ſolitum

litum æs militare pependerat, ferocior etiam & imperiosior factus. Igitur tunc in aciem tantum,ac in ordines & ad signa quisque sua descendebant:vt facilè procedente certamine appareret eos non tam dare operam vt vincerent,quàm ne vincerentur:tantum se loco tenebant, pedem non referebant, nec gradum promouebant.vt vero sagitta ictus Haraldus Rex cecidit, non ipsi homines, sed caussa defuncti victa,extinctáque: Manus Gulielmo datæ: finis cruoris factus.Normani annales,& qui eos authores sequuntur, magna contentione pugnatum tradunt: cum perrumpere multis conatibus aciem hostium non possent,fugam simulatam,vt hostis insequens dispalaretur, ordinésque perturbaret.Anglorum septem & quadraginta millia(adeo res illas efferunt)suorum sex millia cecidisse.Francis,Francóve Regi,aut socero Flandro, socerive filio,qui mortuo patri in Comitatum successerat, nihil acceptum ferunt:eos etiam decori nothi inuidisse detraxisséque tradunt. Si Danorum annales sequimur, cum Noruegi aliud Angliæ latus classe tenerent; tunc Normani ad aliud classem appulere. Haraldus duplici bello circunuẽtus,dum anceps hæret,spatium loci temporísque liberè procurrendi vtrique hosti dedit. Noruegi vero velut nullo iam hoste in prædam effusi, vagi,palantésque ad occasionem Anglo viam aperuere. Is enim recepto animo, ac beneficio fortunæ vsus,repẽte adortus eos occidit.Sed & ipse mox in secordiam insolentia victoriæ versus,per contemptionem,ac quasi inuictus,temere congressus cum Normano,susus fugatúsque, partæ de Noruego victoriæ decus amisit,Haraldi vestigium in præsentia nullum comparuit.Paulopost è latebris,quò se procul abdiderat,ab agrestibus abstractus, ac deditus.adeo nõ singulorum modò authorum,sed & gentium monumenta inter se aberrant: Cæterum apud omnes Gulielmi nothi iam Regis secundum victoriã omniũ consensu salutati,nomen gloriâque ingens est.At vno prælio Rex factus coronatúsque, reliquam vitam forte segnem atque imbellem egit?Minime. Et ipse inexplebilis magnitudinis,& primum à Valiorum Principe Dauide, & Scotorum Rege Melcolino,deinde & à Danis bello petitus. Anno eius seculi septimo & sexagesimo,qui Philippi Regis septimus fuit,Haraldus cecidit.septem & viginti annis huic victoriæ superfuit Gulielmus, omnium animis nouo semper bello occupatis. Intermisso cultu agrorum,tanta fames in Anglia Scotiáque exorta,vt apud eas gentes renouata sit memoria carnis humanæ gustandæ.Scotus tandem in fidem Gulielmi venit:& Danorum Noruegorúmque arma in continenti exercitatione potius quàm periculo tenuere Normanos: nec Gulielmum absterruere quo minus Regnum armis quæsitum,legibus institutísque firmaret:sanctósque viros in precio habere videretur:ac sacerdotum deformatos mores quamproxime posset ad priscorum patrum religionem reuocare,exemplo è Frãcia petito. Gallia nunquam maiores sanctiorésque viros quàm Rege Philippo tulit,ipse male audiit. Gotthofredus Martellus Comes Andegauensium, magnísque etiam alibi opibus moriens hæredes instituerat sororis filios Gotthofredum Barbatum, & Fulconem à moribus cognomine Asperum. Barbatus maior sibi reliquis dominatibus auunculi retentis, Aspero fratri ætate minori; sed ferocia

roboréque ſuperiori Vaſtinetenſium omnino Comitatum dederat. Is fauore popularium in ſpem omnium bonorum erectus, fœdere cum Rege icto, ei Vaſtineto ceſſit: ne fratri cui bellum inferebat, adeſſet, ſed tacitum ſpectatorem ſe præberet, quem iudicem vindicémque eſſe oporteret. Barbatus ab Aſpero armis captus, ac in cuſtodiam perpetuam traditus. Philippus accepta diſſimulationis mercede conquieuit, animo minime regio. Hæc ſordium noxa, illa libidinis. Vxorem duxerat Bertam Balduini Comitis Hollandiæ filiam, ex eáque filium Ludouicum Craſſum in Regnum ſibi ſucceſſurum ſuſtulerat: eandem repudiare conatus, ab ſe ablegarat in maritimum oppidũ Montrolium, Bertradámque ex eodem Fulcone Aſpero marito matrẽ Fulconis futuri Hieroſolymitanorum Regis ſibi thoro iunxerat, ac per aliquot iam annos habebat, tam illi deditus, vt eius nutu omnia adminiſtrarentur, circumagerentúrque: nec niſi coactus pellice dimiſſa vxorem reduxit, cũ ſummus Pontifex Vrbanus aqua & igni ei interdixiſſet: id quod ante concilium Claromontanum factum Andreas ſcribit. Alii id eo demum concilio decretum ferunt: & difficile eſt res geſtas in ſuum quamque annum digerere. Sed id perparui refert, nec abhorret à fide, res ante inchoatas agitatáſque, Claromonte ad exitum deductas. Quin inſanus Philippi amor ménſque ſanari non potuit viuo Vrbano. Extat epiſtola Iuonis Carnutum Epiſcopi, qua laudatur magnitudo animi Iohannis Legati Romani, quòd abſtinuerit à communione Philippi Regis: vituperantúrque quidam Belgarum Epiſcopi, qui contra interdictum Vrbani ſummi Pontificis coronam Regi impoſuerint, quaſi mortua iuſtitia, mortuo iuſtitiæ præcone. Bertradam nonnulli tradunt Regio ſanguine ortam. Robertum Regem Franciæ duobus deinceps iuſtis matrimoniis filios genuiſſe, priore Almaricum, vnde Simon creatus, ab hoc alter Almaricus à Monteforti, ac Bertrada pellicum nobiliſſima. Francia ſub Rege minus probato ita incolumem maieſtatem ei ſeruauit, vt ipſa à ſanctitate maiorum non degeneraret. Henricus Sueſſionum Pontifex vltro ad Vrbanum Pontificem Max. iuit: Pontificatúque quem à Philippo acceperat, ſe abdicauit, certo conſilio eius dignitatis deinde nõ recipiendæ. Vrbanus permotus diœceſis neceſſitate, ſedem inuito eidem reſtituit, iureiurando adacto temperaturum ſe ab eorum communione quos ſedes Romana ſocietate fidelium amouiſſet, neque interfuturum conſecrationibus eorum qui ſedes à profanis accepiſſent. vtraque in cauſſa Philippum Regem notans. In Bellouacorum Epiſcopo idem actum. Atrebates eccleſiæ Cameracenſi contribuebantur. Vrbanus edoctus diuum Vedaſtum à diuo Remigio Atrebatium Epiſcopum ſacratum, ſuum illis Pontificem dedit Lambertum Morinorum Archidiaconum. Gotthofredus Epiſcopus Pariſiorum frater Euſtathii Comitis Bononienſis, idem Franciæ Cancellarius, non in re modò ſacra, ſed & profana magna erat authoritate. Aemilius Probus tradit apud Romanos, Scribas mercenarios fuiſſe, apud Græcos maiore dignatione, nec ad id officium admiſſos niſi honeſto loco, & fide & induſtria cognita, quòd neceſſe fuerit omnium conſiliorum eos eſſe participes. húncque locum officii amicitiæ'que apud Macedonum Reges extitiſſe. Cancellarii

nomen Arcadio & Honorio Cæsaribus iam à latinis (vt tunc literæ erant) receptum fuisse, ex eorum sanctionibus quæ in Iustiniani libris leguntur, apparet: vt nunc apud Francos res habet, nescio an quem ipsi Cancellarium dicunt, recte præfectum iuris dicere possimus; voce etiam à Liuio vsurpata: Burgundiones cum eis Allobroges contribuebantur, tantum honoris nomini habebant, vt etiam Regni sui Archicancellarium haberent, vocitareq; auderent: & Eustathii Bononiensis Comitis fratrem Andreas historicus non Regis Cancellarium, sed Franciæ vocitat. Magnitudinem virorum qui eo munere fungebantur, vires decusque illi attulisse crediderim, vt ab exiguis initiis ad tantam maiestatem peruenerit. Et magistratum amplissimum esse necesse erat, quem apud Francos Pontifex Regiæ vrbis, apud Burgundiones Archiepiscopus Viennensium gerebant. Tunc igitur Cancellarii consilio res Flandrica perturbari cœpta, sedata est, non sine ipsius ac Philippi Regis inuidia. Balduinus tutor Regis Flandriæ Comes tres reliquit liberos, Balduinum, Robertum, Mathildem. Balduinus maximus stirpis Richildem Hermani Comitis Annoniæ vnicam filiam hæredémque vxorem duxerat. Tres patri superstes annos, filios Arnulfum Balduinúmque reliquit. Eorum tutelam Richildis mater susceptit. Flandri viro non fœminæ parere in animum induxerant. Robertum pupillorum patruum ad susciendam gerendámque tutelam incitant: fœdere potius quàm auxiliis Franci Regis fretus Arnulfus puer, temere cum patruo conflixit, cecidítque. Balduinus cæsi frater, Richildísque mater fortunam prælii deintegro experiuntur. Hinc Richildis, illinc Robertus capitur. Permutatio captiuorum facta, Pontifice Parisiorum, Eustathióque eius fratre suasore, vetitáque Francorum nobilitas Flandrico bello se immiscere, alterutríve parti adesse. Balduinum filium ope destitutum mater in Annoniam paternúmque dominatum duxit. Robertus Comes Flandriæ salutatus, ex Gertrude Bernardi Saxonum Ducis filia, quæ ex priore marito Florentio Hollandiæ ac Zelandiæ Comite Florētium procrearat, quatuor liberos tulit: Robertum sacro bello nobilem, & Philippum Hyprensium principem, Adelam, & Gertrudem: illam Danorum Reginam, hanc Alsatiæ Ducem. Virtus Ducum, Franciæque sanctitas notam Regis diluit exorto sacro bello. Decesserat anno eius seculi nonagesimotertio Gulielmus Rex, mórsque eius peropportuna fuerat. Quod nisi eum sua dies senectáque iam quartum & septuagesimum annum agentem absumpsisset, Franciam bello auersurus in se fuerat, Regio nomine tumens, séque Franci Regis Normaniæ ergô beneficiarium oblitus, & rebus secundis ferox etiam in suos, adeo vt aliquot turmæ ab eo secessionem fecerint, eísque Ducem se Robertus eius filius præbuerit. Consilio Francici belli in continentem longo temporis interuallo reuertit. Moriens contumaciæ Roberti filii natu maximi non oblitus, Gulielmum cognomento Ruffum, ætate interiacentem inter Robertum & Henricum, Regem Angliæ designauit. Roberto Normaniam Ducatum, Henrico gazam omnem legauit. Illud exemplum nobile est, quòd corpori defuncti tam inuicti bello Regis, sepultura paulisper interdictum fuit. Templum extruxerat aliena in area, nec per-

ſoluerat precium domino, qui tunc egens, pompam funebrem, cœtúmque procerum nihil veritus, in mediam proſequentium Regium funus celebritatem, mirantibus cunctis ſatís ne ſanus eſſet, ſe intulit ita clamitans, Qui Regna oppreſſit armis, me quoque metu mortis hactenus oppreſſit. Ego iniuriæ ſuperſtes, pacem mortuo non dabo. In quem effertis iſtum hominem locum, meus eſt. In alienum ſolum inferendi mortui ius nemini eſſe, defendo: ſin extincto tandem indignitatis authore viuit adhuc vis, Rhollonẽ conditorẽ, parentémque gentis appello, qui legibus ab ſe datis quàm cuiuſquam iniuria plus vnus poteſt, pollétque. Simul incendium, incertum forte, an fraude humana, ortum, late domos propinquas ædéſque ſacras depaſcit. Vndique ad extinguendam ſæuientem flammam concurſus fit. Circa Regium cadauer ſolitudo facta. Velut manifeſta numinis ira territus Henricus Regis mortui filius, qui ſolus procerum diuelli à feretro non potuit, rem præſenti pecunia fundi domino luit. Ita manes patris fraude noxáque liberati. Francus Rex Robertum in fidem venientem, Ducem Normaniæ ſalutauit, iureiurando fidelitatis exacto. Ruffus iam inde ex quo pater agere animam cœperat, in Angliam ad Regnum ineundum tranſmiſerat, paucorum annorum Rex. Pietas Henrici, qui minimus natu, filiorum ſolus funeri patris officium præſtitit, ſuperis cordi fuit. Infœlici enim fratrum fato ſuperſtes erit, ac annos quinque & triginta Regnabit, proléſque eius filiæ per multa deinceps ſecula in eo ſolio ſedebit.



ACRVM BELLVM HEROICORVM TEMporum memoriam gloria, & rerum magnitudine trā-
ſcēdet. Permixtione terrarum orta,nullius gentis nobilitas, virtúſve armorum exors extitit. Summi Duces
præfuerunt, egregiis militibus certatim nomina dantibus,ac voluntariam profeſſis militiam aduerſus opulē-
tiſſimos bellicoſiſſimóſque orientis Imperatores, Regúmque Reges.Humanum genus duas in parteis diuiſum. Pii cum barbara religione Numinis cauſſa ſuſcepta,longe maximis armorum viribus,animorúmque certamine,bellarūt: loca quæ tanto exercitui ab extremis terrarum oris profecto adiri poſſe vix fides fuiſſet,in ius ditionémque redacta, & alter propè terrarum orbis ſub ſignis peragratus.Maumethis ſtudioſi æmulíque iam inde ab initio maximam nobiliſſimámque orbis terrarum partem occuparant,hoſtes noſtri diri,feriq;, quicquid nobis ſanctum eſt,illis nefarium execrabiléque habebatur. Vnum initio habuerant ſummū virum,qui omnibus imperaret,ad quem ſumma rerum conſiliorúmque rediret.Deinde,vt erat neceſſe in tam longe lateq; fuſis opibus,ſeditio eſt orta,duæque ſedes,ac duo Imperatores facti.Alter Baldacenſis Calipha(Calipha latina ~~interpretatione~~ ſucceſſor eſt) quòd in locum Maumethis,opéſque alii aliis deinceps ſuccedant:Alter Aegyptius vocitabatur,Hali quodam propinqua cognatione Maumethem cōtingente, authore ſeceſſionis à Chaldaicis,qui iidem atque Baldacenſes erant. Ille iura Orienti dabat,hic non multis initio gentibus imperitabat. Paulatim hæc Regia vniuerſam Africam,ac maximam Hiſpaniæ partē in poteſtatem redegit. Ex rebus ſecundis Imperioq;,ſuperbia negligentiaq;,atque inde ſecordia ſegnitiesq; orta.Tandē Caliphæ luxui dedi cœpti,hos inſtituerunt,qui Sultani ab Aegyptiis vocitantur:Romana enarratione procuratores ſummæ rerum dici poſſunt.Per complures ætates Saracenorum res hoc ſtatu fuerāt.Turcæ Pipino Caroli Magni patre Francorum Rege domo profecti,cum diu erraſſent, in Perſide ſibi ſedes delegere.Regni etiam Perſici nobilitatem veterē,nomenq; reſtituerunt, & nobilis Perſarum vrbs Turca nuncupabatur. Hieroſolyma inter tot rerum temporūq; fluctus variis motibus agitata,modò Baldacēſibus Caliphis,modò Aegyptiis,modò Turcarū Imperatoribus parebant,grauiore in dies ſeruitute.Ante concilium Claromontanum duodequadraginta circiter annis continenti Turcarum oppreſſa iugo,quotidie hoſtilia patiebantur. Non cum Patriarchis modò,piiſque regionis cultoribus, ſed cum ſanctitate locorū impii bellū gerebant,odio religionis noſtræ inexpiabili.Perpauci exterorum è noſtris audebāt ſanctā vrbē inuiſere. Petrus ex nobilitate Ambianenſi puer literis imbutus,vbi ætas patiēs laborū fuit,rei militari deditus, vir effectus,rebus humanis ſpretis eremo ſe dicauit. Aliquāto pòſt impetus eum ſubiit ſacræ peregrinationis ſuſcipiēdæ.Paupertate viliq; cultu inter Barbaros tutus,& acri quidē ingenio,ſed qui corporis ſpecie ~~indecora~~, breuiq; ſtatura & minus liberali facie contēnendus magis quàm metuēdus videretur,omnia circumiuit,luſtrauítque, ac mores impiorum,animos,vrbes,vires cognouit,

perſpexitq; quàm atrocia & nefaria exempla barbaræ religionis homines in noſtros ederent. Cúmque edoceretur à Simone Patriarcha Hieroſolymitano viro ſancto, quæ illi paucis diebus intolerabilia viderentur, incolis piis quotidie videnda patiendáque eſſe, ac perpetua futura, & ſi quid vltimis malis addi poſſit, etiam atrociora: è re viſum eſt Patriarcham Petro literas ad ſummum Pontificem dare, quibus opẽ ſanctæ Chriſtiano nomini terræ laboranti maliſque feſſæ ímploraret. Hæ in hanc ſententiã ſcriptæ ſunt: „ SANCTAE vrbis „ ciues, ac CHRISTI cõterranei quotidie perferimus ea, quæ ſupremis tantũ „ diebus mortalitatis ſuæ CHRISTVS Rex noſter ſemel paſſus eſt: Pulſa„ mur, cædimur, fodimur. Quotidie noſtrũm aliquis fuſtibus, ſecuri, cruce ma„ ctatur. E ciuitate in ciuitatem refugeremus ad extremos terrarum fines: è me„ diáque terra, vbi ſalute noſtra operatus eſt Seruator noſter, commigraremus, „ inopem, profugam, vagámque vitam acturi, niſi nefas eſſet, terram naſcente, „ docente, moriente, reſurgente, cælum repetente domino ſacrã, cultoribus ſa„ cerdotibúſque orbam eſſe, priúſque non ſupereſſe qui martyrium mortémq; „ perferant, quàm deſint qui inferant: nec eſſe qui pro Chriſto velut in bello „ mori velint, cum ſint qui oppugnandi finem non faciunt. Hæc nos patimur, „ miſerrime quidem. Sed fuit cum maiores noſtri nihil tale ſibi poſteríſve ſuis „ timerent. Nunc forſitan ſine metus ſuſpicione degunt occidentis Chriſtiana „ Regna: ſed exemplo teſtificationéque noſtra permoueantur. In dies Turcarũ „ vires augentur, noſtrorum imminuuntur. nouorum ſemper Imperiorũ acceſ„ ſio illis ſpiritus addit. Orbem terrarum ſpe amplectuntur. Ferociora validio„ ráque ſunt Turcarum quàm Saracenorum fuerint arma, conſilia etiam calli„ diora, & cœpta audaciora, & conatus maiores, ac exitus ſecundiores. Vtrãq; „ tamen Romam tentarunt Saraceni. Byzantium obſedere, ac Italiæ non mo„ dò oram maritimam, ſed & mediterranea euaſtarũt. En cur Regna occidẽtis „ ſe in tuto locata, & extra aleã poſita confidant, cũ orbis terrarũ arces in peri„ culo fuerint? Quid ſibi ſpondebit reliquum nomen Chriſtianum, cum ſedes „ CHRISTI, religionis ſpecula Hieroſolyma oppugnata, capta, triumphata, „ edomita, ſeruata, elocata ſint? cũ ex Chriſtiana profeſſione tenues exanguéſ„ que ac paruæ reliquiæ ſuperſint, ſi quidem veteri corpori ſuo conferantur? „ Terra hæc, quæ quotidie ſanguine noſtro perfunditur, ſanguis ipſe fuſus vin„ dicem quærit. Veſtram opem, miſericordiam, fidem, religionem imploramus „ ſupplices, demiſſiſſimi, Beatiſſime pater, ac Reges, Duces, proceréſque non „ nomine tantum, profeſſioníſque voce, ſed animo Chriſtiani. Antequam tem„ peſtas in vos tonet, antequã fulminet, auertite à vobis liberíſque veſtris pro„ cellam imminẽtem: defendite ſupplices veſtros, vindicate religionem ab im„ pia nefariáque ſeruitute: terras beneficio veſtro demerebimini: numen & cæ„ leſti in ſempiternitatem, & in præſentia terreſtribus Regnis virtutem ve„ ſtram remunerabitur, cuius ſacrum ſolum ab inferna rabie defenderitis.

Hæ fuere literæ non minus ad proceres noſtros quàm ad Pontificem maximum datæ: addita vberiora mandata Petro: cui quod formæ minus ſpecioſæ deerat, acre ingenium facundiáque explebat. Acceſſit fama, eum in templo quieſcentem viſum ſibi audire vocem CHRISTI iubentis illum

cæli legatum redire,nunciaréque proceribus Christianis,bellū pro religione
ſuſciperent,gereréntque.Ita Deum dominúmque velle,iuberéque . Conſtat
Vrbanum audito Petro,lectíſque literis,cōcilium Claromontem in Galliam
indixiſſe:ac dum conueniunt vndique proceres, cum in Italia conciliis prius
habitis,mores ſacerdotum à priſca ſanctitate degenerantes , ad veterem fru-
gem quàm proxime fieri poterat,reuocaſſet,in Gallia quoq; circūiuit nobiles
diœceſes,multaq; ſancte inſtituit,ſanxitq;.Cum Claromontem peruenit, pri-
mis diebus ſacris faciendis,afflatione q; ſancti ſpiritus ac ope implorāda con-
ſumptis,tunc in prima ſeſſione trecentorum decem Patrum eos hortatus eſt;
vt fraterno inter ſe animo agerēt:meminiſſent muneris ſui,eos eſſe internun-
cios,interpretéſque Numinis, ac mortalium, qui voluntatē patris cæleſtis fi-
liis in ſpem ſupernorum Hieroſolymorum procreatis ſuſceptíſque enuncia-
rent:qui ſuperūm iram in humanū genus,precibus,lacrymis,cilicio,vita pla-
carent:qui deleri mallent è libro viuentium, q̄ vt pereat vel minimus eorum
quos ſanguine ſuo à morte ſeruator vindicaſſet:qui Apoſtolis ſucceſſiſſent in
cuſtodiam gregis:mortemq; pro CHRISTI nomine cruentam,ſi caſus fe-
rat,obeundam:nec hoc volentibus difficile factu eſſe.Deum his à quibus pie
colatur,quiq; eius cauſſa omnia velint,adeſſe:eorum mentē conſilio , pectus
fortitudine,animum numine implere:præmia proponi , quæ ne ſpe quidem
animoq; concipi nunc poſſint. Iam confluxerāt ad præſtitutā diem proce-
res legatiq;, ac ſummi vndiq; viri . Tunc altero conſeſſu nemine piorum ex-
cluſo ſummotóve,recitari iuſſit Hieroſolymitanas ad ſe proceréſque literas:
continuò & Ambianenſis mandata expoſuit:& quæ literis tradi non potue-
rant,lacrymas gemitúſque gentis, & alia quæ ſancto facundoq; viro,qui mi-
ſeriam fœditatemq; hominum terrarumq; illarum coràm vidiſſet, incendēte
dolore animi facilius fuit oſtendere miſerariq;,quàm tāto interuallo ſcripto-
res expromere poſſimus.Cum permoueri homines voce Petri Pōtifex vide-
rēt,tūc ita exorſus eſt: Audiſtis filii legationē non vnius ſanctæ ciuitatis,ſed
totius humani generis, fidem veſtram implorantis in bello quod impii tene-
brarumq; poteſtates contra pios CHRISTVMq; & lucis angelos gerunt.
Communis cauſſa,nec magis Orientis quàm Occidētis,terrarumq; omnium
eſt:latus noſtrum illa tela petunt:ibi oppugnamur:quicquid ibi perit , nobis
perit.Noſtrum illud dedecus,noſtrum excidium. Turpe eſt,cū viribus, cum
numine ſuperiores ſimus,nobis per ignauiam ſedentibus,compreſſisq; mani-
bus,à nouo ignobiliſſimoq; hoſte cauſſam noſtram,cauſſam religionis,cauſ-
ſam cæli vinci.Pace hic fruimur, ſed cū indignitate.in ocio degimus,ſed fla-
gitioſo,quodq; poſteri noſtri culpent,iam ſuperūm iudicio,ſi vltrà ceſſamus,
damnatum.Militia eſt ſuper terram hominis vita. Die baptiſmatis nomē de-
dimus,inverbaq; CHRISTI iurati ſumus.Dux eſt ille ac Imperator noſter.
Signa eius ac crux religioq; oppugnatur,& capti auribus non audiemus claſ-
ſicum eius,ac quid in nobis ipſe loquatur?Aperite illi pulſanti fores pectoris
veſtri,ac ad intima ſacraria ſenſuum veſtrorū redacti,eum in conſiliū admit-
tite,quid fratribus veſtris dei hominūq; hoſti obiectis faciendū cenſeat,vobis,
& reliquis,qui pace domi feſta,arma,tela,equos habēt,ætate,robore,cōſilio,

» fortunis floretiſſimi in ſumma victoriæ Deíque ſecundi fiducia,qui quos re-
» ligionis ſuæ propugnatores eſſe voluerit, eis & dum in hoſtem feruntur, ne
» corruant,dextram ſuppoſiturus ſit:& dum præliantur,auxilio accurſurus, &
» parta victoria ſolidam gloriam,triumphos,opes,Regna,Imperia daturus. Si
» quis me armis petat,ſcio, quæ veſtra pietas eſt, pro capite meo vos filii nihil
» periculi non ſubituros. Oppugnatur CHRISTVS, nec dextras nec arma
» habebimus,nec viriles animos geremus? Manci,trunci,debiles erimus? Opta-
» re vnuſquiſque veſtrum,filii,debet,vt in primis numeretur,quos Dux noſter
» CHRISTVS defenſores nominis ſui delegerit. Velle enim tutari religio-
» nem,id etiam non ab homine,ſed à Deo beneficiũ homini datur,ídque tan-
» ta facilitate,vt ſi modò animum veſtrum illi non præcluſeritis,& mentẽ mi-
» litandi,& fœlicitatem vincẽdi daturus ſit,qui aperit manum ſuam, & implet
» omne animans benedictione. Maiores veſtri aduerſus Saracenos in Hiſpania,
» in Aquitania,in Italia,in Illyrico,in Dalmatia pugnauerunt. Nullam gentem
» laude ſua fraudo. Sua cuique gloria contigit,alii aliud decus tulerunt,nulla è
» nomine Chriſtiano natio expers eſt ſuæ pietatis,religionis,meritorũmq;. Sed
» quia in Gallia verba facimus, ex Aruernorum vrbe totum Chriſtianum or-
» bem alloquimur,locus non patitur, vt ſilentio præteream id quod ipſe ſug-
» gerit. Vnus Carolus Martellus,nec ipſe Rex, nec patre Rege natus, vno die
» quadringenta propè impiorum millia,Regémque nobiliſſimum interemit.
» Vidit ſol lætus ſpectaculo,viderunt mundi lumina, intra paucas horas Aſiæ
» Africæ'que euerſores,eoſdem Europæ moliẽtes excidium,ab vno vnius gen-
» tis Duce ſtratos,cadaueribus ſuis eam terram metientes, quam pugna com-
» mittenda ſibi ſpondebant ſanguine incolarum Maumethi initiatam, ſacras
» ipſis ſedes perpetuáſque futuram. Angelus præſes Franciæ,in re trepida tan-
» tùm non conſpectus oculis mortalium,hæc cæde impiorum tutatus,reliquũ
» orbẽ terrarũ metu liberauit. Turcæ noui piorũ CHRISTI iq; hoſtes è Perſi-
» de profecti,omne atrocitatis,ſuperbiæ,libidinis,auaritiæ,impietatis vetus exẽ-
» plum ſuperant,terrarum Imperium appetunt,id vnum agunt,moliuntur,pa-
» rant,audent:ad id vires,conſilia,conatus,arma intendunt. Quæ priſca morta-
» lium memoria Babyloniis,Medis,Perſis,Macedonibus, Parthis, quíque do-
» mini orbis terrarum eſſe ſalutaríque volebant,parebant, ea nunc Turcarum
» ſunt. Hi CHRISTI famulos premunt,vexant,exagitant: crucis trophæo,
» ſepulcróque domini,& terræ veſtigiis numinis impreſſæ ſacræ'que inſultant:
» ibi quottidie CHRISTVS cæditur,pulſatur,icitur,occiditur. Rerum ſe-
» cundarum curſu, & diſſimulatione noſtra Turca ferocior factus, noua ſibi
» ſemper Regna pariens,non continebit ſe finibus Aſiæ. propiores ſumus qui
» Europam incolimus,Imperio Turcarum,quàm Hieroſolyma Caſpiis portis,
» vnde illa peſtis exorta humano generi ſtruit inſidias. Iam nobis imminet,cer-
» uicibus noſtris ea ſecuris impendet. Saracenis in Maumethis ſuperſtitione ſo-
» ciis non pepercerunt,eorum nomen ex Oriente propè toto ſuſtulere,& cõ-
» fidimus eos nobis temperaturos? Quæ exempla Hieroſolymis in virgines, in
» matronas,in florem ætatis,in ſacra,in numen,in mortales ediderunt, in nos,
» niſi viri iam ſimus,edent. Antequam opprimant,opprimantur. Vnus fuit Ca-

rolus Martellus. Multi esse Caroli Martelli possunt. Tantum animo est opus. Nullus paulo nobilior Dux Imperatórve in Asiam ex Europa trãsmisit, quin continuò vicerit, quin Magni nomen inde reportarit, vel Regna sibi quæsierit. Qui Comites ibitis, Duces vos virtus vestra creabit. Qui Duces, Reges efficiemini. Qui tantum Reges, Reges Regum salutabimini. Ibi sunt gazæ, ibi diuitiæ, ibi opes, quæ expositæ sunt viris fortibus. Ibi aurum, gemmæ, ac quæcunq; â mortalibus magno æstimantur. Ibi Regna, ibi gloria, & quicquid bellis præliisq; ingentibus quæritur. Ibi caussa CHRISTI defendenda. belli mala à vobis, à coniugibus, liberisq; quisque vestris auertetis in suos authores: simul inopes sibi opes, ignobiles nobilitatẽ, nobiles Imperium parabunt. immo quoniam vindices religionis eritis, ea quæ dixi præmia non petetis, sed ipsa vltro ad vos perueniẽt. Agitedum pii, fortes, ac vt vno nomine omnia complectar, vere Christiani, animos nunc armate, nomina date, sacram militiam profiteamini, crucis vexillum sumite. Fundetis vestros, hoc est Ducis vestri CHRISTI hostes, singuli dena millia fugabitis. Nihil virtuti, nihil pietati erit inaccessum. Montes itineri vestro subsident, valles assurgent, freta mansuescẽt, hostis trepidabit. Qui piorum sub eius imperio miseram vitam degunt, quorum oratores CHRISTIq; ad vos Legatos oraculúmque audistis, vos vt cælo missos intuebuntur, admirabuntur. Vos seruatores suos, vos vindices terrarum, & singuli & vniuersi, & singulos & vniuersos salutabunt. Redibitis ad suos quisq; pleni opibus, pleni gloria, pleni victoria. Regna illa vel quibus visum fuerit, diuidetis, vel ipsi vobis habebitis: leges impiis imponetis, orbis terrarũ rectores eritis: omnis posteritas vos celebrabit: exemplũ virtutis pietatisq; à vobis petet: liberis vestris ingẽs & nominis vestri & opum patrimoniũ relinquetis: memoria vestri sancta & immortalis erit. Has pollicitationes, hanc vocẽ non meam credideritis, qui non sponte mea cogito quomodo aut quid loquar: sed in hoc celeberrimo terrarum concilio, hoc horæ momento est qui pro se loquatur in me CHRISTVS. Et literis Hierosolymitanis, & voce Ambianensis, & oratione authoritatéque Pontificis, & sanctitate caussæ factum est, vt omnes permouerentur, & velut communi numine afflati vnam & eandem vocem simul omnes emitterent, pariterq; persæpe repetentes succlamarent, DEVS VVLT. Tandẽ indicto silentio Pontifex, Quod verbũ, inquit, in profitendo sacro bello non temere vobis excidit, id pro tessera in gerendis rebus vobis velut diuinitus data accipite. Simul adeste quibus continuò insignia militiæ CHRISTI induere cordi est. Primi omnium ad pedes Pontificis Maximi duo Episcopi accessere, Ademarus Anicienſium, vir & sanctitate & virtute præstans, ac Gulielmus Arausienſium non multo inferior Ademaro, petentes vt sibi liceret arma pro pietate suscipere. Eos amplissimis verbis collaudauit Vrbanus, ac illorum dextrum humerum insigniuit lanea cruce rubra, quam sacram paludamento assutam in bello gestarent. Iidem cæteríque patres protinus in suas quisque diœceses dimissi, vt popularium Ducúmque animos oratione ad arma sacra capienda sacris concionibus incitarent. Nec Petrus huic rei defuit: simul erant apud Latinos profugi Hierosolymitani ciues, Antiochenses q; permulti sancti nobilésque viri, qui è seruitute

Turcarum elapſi,vagam egentémque vitam agebant, ac lacrymis vocéque & ſquallore pios permouebant.Certatim igitur ſummi genere factíſque viri militiam ſacram profeſſi ſunt,orto initio ab Vgone Regis Franci fratre. Subinde alii Duces Comitéſque affuere. Omnium oculos in ſe conuertit Gotthofredus Euſtathii Bononiæ Belgicæ Comitis filius, Lotaringiæ Dux,hæres inſtitutus ab auunculo Gotthofredo Duce Gotthellonis Ducis filio,à dehoneſtamento corporis cognomine Gibbero . Hunc bello præclariſſimum duo fratres Euſtathius Balduinúsque comitati, nomina dedere, ſeq; cruce initiandos præbuere.Gulielmus tertius eius frater domi apud parentes ætatis exactæ permanſit.Duo præterea Roberti,alter Normaniæ Dux,Gulielmi Anglorum Regis filius,alter Flandriæ Comes:ſimul Raimundus Toloſatium,& Stephanus Bleſenſium, idem Carnutum,Comites ſe huic militiæ dicarunt. Horum nomen illuſtriſſimum extitit.Sed & alii permulti crucem ab Epiſcopis quiſq; ſuis accepere, Germani,Galli,Itali, Angli,Scoti:extremisq; ab orbis terrarum regionibus, inſulisq; orbe terrarum ſubmotis. Hiſpani ſuum ſacrum bellum domi aduerſus Saracenorum tetras reliquias perſequebantur . Fuere qui traderent, quo die Claromonte decretum ſit ſacrum bellum , eodem illius decreti famam orbem terrarum peruaſiſſe.Quod ſi res ita tulit,neceſſe ſit vel id diuinitus accidiſſe, vel cum dies concilii edicta multo antè fuiſſet, nec ambigeretur qua de re eſſet Pontifex relaturus, id pro decreto vbique acceptum, quod omnium votis Pontifice ſancto ſanctiſſimisq; temporibus expetebatur. Locupletes tenuiorum curam ac clientelam ſuſceperunt,eos armarunt,ornarunt,aluerunt.Fratres inter ſe omnes vocitabantur. Sanctiones quoque Pontificis , & leges Regiæ multa commoda impertiebant rebus cauſſisq; eorum qui huius militiæ cauſſa domo abeſſent : & qui domi manebant, abeuntibus nihil denegabant.Pecunia noxáve nexi,ſoluti.Mulieres neque viros,neque liberos,vt aſſolet,lacrymis amplexibúsve circunfuſæ morabantur.Sua ipſæ ornamenta depromebant,venumq; danda offerebant vltro. Comes Biturigum nomine Arpinus eam ciuitatem Philippo Regi vendidit ſexaginta millibus aureorum, maiori vendentis quàm ementis gloria . Dimiſſo Claromontano concilio,Pontifex in Vrbem rediit.Normanus Dux Conſtantienſium primũ Comitatum fratri Henrico mille & ſexcentis pondo argenti addixit.Deinde reliquam Normaniam tredecim millibus ſexcentis item argenti pondo alteri fratri Gulielmo Regi Anglorum oppignerauit . Gotthofredus Lotaringiæ Dux Sperto Eburonum Epiſcopo Ducatum Bullionis ſatis magna vi auri vendidit . tantum rerum humanarum contemptum animis mortalium áffert vera religio,ac numinis fiducia. Flandrus ſerius mouit,bello petitus ab Henrico Cæſare:qui cum ſuperiores Pontifices Romanos vexaſſet, Vrbano etiam velut iuſtis iam inter Pontifices Auguſtosq; inimicitiis iniquus,gloriã pii belli ab illo excitati,ſuarum partium dedecus exiſtimabat: ſed tandem cognitũ eſt Imperium Regum Auguſtorúmque per ſe nullum,voluntate conſenſuq; popularium conſtare.Dilabentibus ſuis Cæſar Flandricum bellum depoſuit.Robertus ſe coniunxit Franci Regis fratri Vgoni:qui quòd nobiliſſimus omniũ eo bello procerum foret,Magnus cognomine dicitur. Duces rerum bellica-

rum periti nihil præpropere agebant,gnari quantam molem belli ſuſciperẽt. aduerſus Turcas ſibi pugnandum eſſe,viros fortes ac inuictos, quíquẽ Perſarum Imperium ſibi virtute peperiſſent: qui Parthorum Regna, & quicquid Sol oriens videt,tenerent: qui nondum illa vetere indole,roboréque animorum & corporis exoleſcente, opibus etiam ac diuitiis, quibus Orientis Regna referta ſint,abundent, numero mortalium præſtent, cæli illius ardori ſolóque aſſueti: ſibi non cum hominibus modò fortiſſimis,ſed cum candente Sole,ſolóque ſitiente dimicandum: eam futuram multorum annorum militiam:maria tranſmittenda,Aſiam metiendam,Taurum montem ſuperãdum, plures vrbes expugnandas quàm quot dies annus habet, ne paucorum menſium ſudorem futurum putẽt,ac ad ſingulas acie pugnandum cum hoſte,qui ad manum ſupplementum cõmeatusq; haberet. Apparandum ita bellum,vt aduerſus illa omnia prouiſum præcautumq; ſit. Ambianẽſis Eremita,qui rem militarem puer attigiſſet,non perdidiciſſet,maiori animo q̃ conſilio eueſtigio arma capere,ſe ſequi iubebat:circumibat ciuitates:ei ſe quamplurima mortalium millia conglobabant. iuuentus præſto aderat,ſeniores pecuniã illi vltro conferebant,vt egens miles in itinere ea iuuaretur. Valterus, cuius genus cognomenq; verum incertum,tantum quòd procerum illorum ſolus dominatu careret,& ſolum ſuum nullũ haberet,Egerius vocitatus,quatuordecim millia hominum moræ impatiẽtium per Germaniam,Vngariam,Bulgariam,Thraciam,Daciam,duxit,variis caſibus agitatus,& impotentia contumaciaq; ſuorum, & ferocia eorum quorum per fines tranſibat. Errans tandem Conſtantinopolin peruenit,dimidia ferè ſuorum parte deſiderata. Ambianenſis quoq; aliquanto maiore ſubſecutus manu, nihilo fœlicior, continere ſuos nec ipſe potuit,quin tanquam in hoſtico fæuirent:qua indignitate earum terrarũ cultores moti,noſtrorum cædem fecere, vt quiſq; à ſignis dilabebatur: præterea ad duo millia plauſtrorum,& magna vis ſacræ pecuniæ amiſſa. Reliqui ægrè Conſtantinopolin ad Valterum euaſere. Tunc nihil ſaniores multa etiam in Græcos audebant,cum animi ferocia,tum inopia adacti. Quorumcunq; poterant Conſtantinopolitani arma telaq; emebant.ita nõ paucis inermibus ſpiritus cecidere. Cæteros omnes Alexis Imperator contractis nauibus coëgit in Aſiam Egerio ac Eremita Ducibus traiicere. Interea veræ vires, Latiniq; nominis robur,ſummis ſub Ducibus ita ſe parabant,vt neq; cogi tranſire,neque arceri tranſitu à quoquam poſſent. Gallia,Germania,Italia ſuos armabat. Germani,Lotaringiq; Ducibus Bononienſibus, ac iis proceribus qui ſe eis comites addiderant,Ambianenſis veſtigia ſequebantur. Vngari eo maiorem huius exercitus impotentiam violentiamq; fore rati, quo plures validioresq; erant, quàm Ambianenſes fuerant, finibus prohibere eos ſtatuerant. Gotthofredus miſſo caduceatore facultatẽ cum eorum rege colloquendi impetrauit. Fratrẽ Balduinum obſidem dedit. Ei non modò tranſitus datus,ſed & multi Vngaricæ nobilitatis nomen Bononienſi ad ſacram militiam dedere. Erat Gotthofredus nõ artis modò militaris Imperatoriæq; peritiſſimus, ſed religione præſtans,ſpecie corporis eximia, ſtatura ſublimi, inceſſu graui, ſermone breui,ſed ſentẽtiis admirabili,vultu maieſtate auguſto. Fratres eius huiuſmodi,vt miles

illos rebus gerendis ſummos Duces,vita Epiſcopos naſcentis eccleſiæ prædi-
caret.Dum hi Pannoniã metiuntur: Vgo Magnus Normanus,Flandrus,Ble-
ſenſis, Toloſas,cum ſuis quiſq; copiis Romam itinere pedeſtri peruenere:cir-
cuitisq; ſacris locis,adorato Pontifice, eodem benedicente,profectionémque
fauſtam,ac reditum fœlicem apprecante, Ademarumq; Anicienſium Epiſco-
pum ad id bellum legante,Superum mare petiuere. ac quoniam vnus portus
tantam multitudinem capere non poterat, alii Brunduſium, alii Barium, alii
Hydruntem ſe diuerſi contulere.ſimul noui Duces acceſſere.Normani,quos
oſtendimus ex Gallia in Apuliam profectos,beneficio temporum vſi,cum ea
Italiæ ora bellis domeſticis laboraret,ſimul armis latrociniisq; Saracenorũ ve-
xaretur, nec Græci eam ſatis tuerentur, & Germanus Auguſtus ſuæ ditionis
illam eſſe vellet,ipſi inter tam diuerſos eius oræ rerum fluctus,nomen ingens
ſibi opésque peperere.Saracenos iuncti Græcis initio cohibuere,ipſos deinde
Græcos exegere opulẽtiſſimis Italiæ vrbibus.Robertus Viſcardus Normanus
opes gentis mire auxit, quòd duos Cæſares Henricum Germanum terreſtri
prælio,Alexin Græcum maritimo deuicit.nec ea Italiæ ora contentus,Siciliæ
quaſdam vrbes ditionis ſuæ primùm fecit, deinde inſulæ Comitem Rogeriũ
fratrem (vt oſtendimus) inſtituit . Roberto ſumma gloria mortuo, duo eius
filii de opibus paternis ambigebant,quòd è diuerſis matribus eſſent:nec con-
temnenda pars diuitiarum beneficio doteq; poſterioris vxoris ad patrem per-
uenerat . Rogerius minor audebat ſe dicere Regem Apuliæ, cuius partem à
patre virtute quæſitam : Bohemundus maior armis ſibi vindicabat.Authori-
bus paternis amicis, Ducis Apuli nomen iusq; penes Rogerium manſit: Ta-
rentum & quædam alia oppida Bohemundo attributa.Id ante conciliũ Cla-
romontanum . Eo ſoluto Bohemundus non cõtentus arbitrio amicorum,
Melphin vrbem de Rogerio occupat.Frater vt vrbem nobilem recuperaret,
caſtra iuxtà locat.Dum fraternum bellum trahitur,Vgo ſociiq; Duces com-
munem legationem ad fratres mittunt de bello pluſquam ciuili finiendo an-
tequam odia accendantur,ſanguisq; fundatur.officium pietasq; vndique con-
ſtitit.Bohemundus non modò Melphin fratri reddidit,ſed paludamento pur
pureo iuſſo afferri, habuit apud ſuos milites concionem, & erant omnes ve-
terani Viſcardo Duce militare ſoliti,filiúmque Bohemundum patris ſimula-
crum,virtutisq; æmulum obſeruabant.Hos oratione permouit,vt omniũ quæ
vnquam fuerint,quæ dici fingíve poſſint,bellorum glorioſiſſimum,vbi virtus
maxime poſſet elucere,ſuſciperent:ſeq; tot Ducibus,tam nobili agmini aſſo-
» ciarent.Duceret ipſe,ſe ſecuturos omnes conclamarunt.tunc ſic inquit,Mihi
» vobiſcum reliqua erunt cõmunia,vt & hoc eſt.ſimul paludamentum purpu-
reum in cruces diſſectum: hæq; militibus pro ſacro inſigni diuiſæ: & cum id
non ſatis eſſet multitudini vltro offerentium ſe , alia rubra veſtimenta allata,
diſſectaq; ſunt. Rogerius frater adeo neminem ſuorũ moratus eſt quo minus
inſignia ſacræ militiæ ſuſciperẽt,vt Tancredum ſororis filium fratri tradiderit
comitem. Ad viginti millia Lucanæ, Brutiæ,Apulæ, Siculæ iuuentutis Duce
Bohemundo militarunt.Ex cætera Italia Duces militésque ſe illi coniunxere.
Sua cuiuſq; gentis ſumma nõ traditur eorũ qui crucem omni ex orbe terratũ

Christiano induerint. Non militaturi tantum videbãtur,sed in omnẽ Orientem Colonias duci credidisses. Pannoniæ plenæ horum militum itinere terrestri Byzantium petentium erant. Alibi classibus maria sternebantur: vt qui totã speciem animo conceperit,motum generis humani maiorẽ fieri nullum posse facilè putarit. Omnes portus,omnis ora maritima referta nauibus militeq; conspiciebantur.Prosequebatur inualida ætas,sexusq; imbellis,& qui domi manebant,vt militantibus subinde quod suum cuiusq; tempus postularet opis submitterent, suos proficiscentes amplectebantur, nec diuelli poterant. Deum optimum maximum precabantur,vt militiã prosperam daret,reduces domũ sisteret,incolumesq;, belli mala in hostem verteret.Ex tribus præcipue portubus solutum est, ac in Illyricam vrbem Dyrrhachium, & in circumiectam Illyrici oram transmissum:vt Byzantium terra peruenirent.Illis regionibus ab Augusto Græco Prætores dati ea lege transitum cõcessere,vt diuisi in cohortes turmasq; non plus q̃ mille singulis agminibus irent. Bohemundus Roberti qui Græcos Italia expulerat,filius plus sibi negocii fore aduersus Græcos quàm Barbaros arbitratus,ea parte iter facere noluit. Igitur ne cæterorũ exemplo copias diuisas duceret,continenti nauigatione,id quod Græcus minime expectasset,Corinthium sinum inuectus,per Aetoliam,Thessaliam,cõtinentemq; illi Macedoniam,antequam à Cæsare copiæ contrà venirent, iter fecit:quibusdã etiam locis cum Græcis Ducibus præsidio regionum attributis dimicauit,incruentoq; milite suo victor in Thraciã peruenit,seq; Gotthofredo coniunxit.Interea Egerius Eremitâque in Asiam cum transmisissent,ac in fines Nicensium agri vberrimi peruenissent, Cinitúmque opulẽtissimum oppidum recepissent:primùm castris communitis se continebãt,consiliumq; erat,summos Duces qui aduentare dicebantur,opperiri: deinde cum eodem loco duos cõtinenter menses sedissent,caritate annonæ in dies ingrauescente, reliquaq; pecunia & sacra & profana consumpta,Eremita legationem ad Alexin suscepit, vt nostrorum inopiam subleuaret. Cúmque diutius omnium expectatione abesset,nec mora suspicione careret,tunc milites verecũdia sancti viri soluti,ocio lasciuientes,ductu etiam imperioq; Egerii spreto,Reginaldum genere Germanũ Ducem creauere,ac ducere in hostem,resq; tandẽ gerere,ac cuius rei causa venissent,fortunã experiri iubent,oppidumq; nomine Exerogorgum,fuga incolarum, doloq; Turcarum vacuum occupant, ignauiam hostium increpãtes,qui loca munita deseruissent rerum suarũ diffidentia,nec dubia, detrectando certamine, cõfessione concessioneq; victoriæ.Satrapes Turca Solymanus,si eos qui primi nostrorum in Asiam transmisissent, quacunq; ratione opprimeret, cæteros segniores futuros ratus,copias in propinquo in insidiis collocarat,& nostri se eius consilio opportunos præbuere. Aliquot cohortes turmæq; agmine facto paulo longius procedunt, pecoraq; temere pascentia,& ad temeritatem inescandam,licentiamq; augendã,vltro à Barbaris obiecta,in castra cõpellunt. Ea præda conspecta, ad tria millia Germanorum peditum, & ducenti equites,spe maioris gloriæ reiq;,oppidum nõ magnũ intra quatuor millia passuum oppugnare ausi, nullam opem ex propinquo ferente, sed maiorem occasionem expectante Solymano, fœlicia in

ſpeciem initia nacti, fœdum exitum habuere. Expugnatos oppidanos truci-
darunt. Ita inſolenter lætos Germanos, ac armis poſitis prædam è tectis ege-
rentes, Turca repentino aduentu oppreſſit. Ad vnum omnes cæſi. Simul hæc
calamitas maiorem attulit. Vbi enim hæc vt geſta erant Exerogorgum nun-
ciata in caſtra noſtrorum ſunt, ſanioribus nihil temere mouendum ſuadenti-
bus, Gotthofredo Burello timiditatẽ ignauiamq; exprobrante, ac vociferante
indignam miſeramq; commilitonum necem vindicandã, ac ſpiritus hoſtium
edomandos, decem millia peditum cum ala equitum quingenaria conuulſis
ſignis egrediuntur. Non multum itineris emenſi fuerant, cum ex patenti cãpo
ſyluam temere ingreſſi, circunfundente ſe velut ex inſidiis hoſte, pugnare cir-
cumuenti coguntur. Princeps ibi iuuentutis Latinæ erat Fulcerius Aurelianẽ-
ſis. Is egregiam virtutem, conſiliumq; in re trepida præſtitit: ipſe Egeriusq; di-
uiſis partibus primum impetum hoſtium ſuſtinuere: ac eorum exemplo vo-
cibusq; accenſi milites, præſtanter, vt tumultuario prælio, res geſſere. Vbi vero
hi confecti vulneribus cecidere, tunc certa hoſtium victoria fuit. Exerogorgũ
pauci ſe recepere: cæteri cæſi. Mox & Exerogorgum obſedere hoſtes. Clauſi
noſtri, ſiti maxime laborabant, quòd ex vno tantum fonte peti poterat aqua,
qui pro muris oriebatur, nec niſi repulſis procul hoſtibus eius copia eſſe po-
terat. Clamitabant milites, vt eruptio fieret, cruoréque Turcarum ſitim ſeda-
rent. Reginaldus velut ſpe ſalutis omni amiſſa, morte fœdius conſilium init.
Communicata re cum paucis, quibus tantum ſcelus ſeq; credere audebat, ad
hoſtes tranſit, commilitonesq; à quibus per potiorum contemptum delectus
Dux fuerat, deſeruit: nec in mortales modò, ſed etiã in numen peccauit. Cre-
ditur enim à religione noſtra ad Maumethẽ defeciſſe. Expugnatum oppidũ,
cædes facta. Ad tria Latinorum millia, antequã omnia hoſtis teneret, per auer-
ſam portam in maritimum vicum ſe fuga recepere, ferocesq; victoria pugnæ,
ac expugnato Exerogorgo Turcas vim facientes arcuere, quoad Ambianẽſis
ab Auguſto demiſſiſſimis precibus impetrauit, vt Græci Legati ad Solymanũ
mitterentur, qui peterent Latinos ſibi condonari. Ea reș illis ſaluti fuit, duos
ſimul ex profeſſo hoſtes Græcos Latinosq; Turca ſuſcipere nõdum auſo, nec
Græco è re ſua exiſtimante, ea re Petro denegata, hoſtilem animum erga no-
ſtros præ ſe ferre. Nec hoc velut omen infauſtum, triſtiaq; ingentis belli com-
miſſi initia, Duces caſuum bellicorum Martisq; cõmunis peritos à conatu de-
terruere, ſed & illos cautiores, & militem modeſtioré effecere. Iam Vgo cum
Ducibus Comitibusq; ſuis Conſtantinopolin peruenerat, neq; comiter, neque
magnifice, neq; liberaliter à Cæſare exceptus, quòd cœpta Latinorum ei iam
ſuſpecta formidoloſaq; erãt, quotidieq; rixa inter noſtros Græcosq; exoriebatur; cædesq; fiebant, ita vt nec manere inter infeſtos, nec tranſmittere breui tra
iectu in Aſiam auderet, ancipiti & à Turcis & à Græcis metu. Fama etiam ac-
cidit, Vgonem, quòd ſubſequentibus ſuis ipſe cum paucis anteceſſiſſet, propè
in cuſtodia aſſeruari. Tunc Tarentinus Bononienſisq; ad Græcum miſerũt, ſe
omnia circà euaſtaturos, vrbesq; euerſuros, ſi quid ſecus Vgoni accideret. ſi-
mul quàm maximis potuere itineribus Byzantium acceſſere, nec initio ſe in
vrbem includere voluere. Sic quoq; Græci nocte intẽpeſta caſtra Latinorum

 ſuburbana

ſuburbana ſunt adorti:apparuitq; ſacrum bellum in ipſo exortu finẽ ſumpturum interitu noſtrorum,niſi Ducum virtus conſiliumq; proſpexiſſet id quod ab iniquis infeſtisq; exoriri poſſet.Reiecti Græci,caſtra defenſa.Poſtridie Alexis miſit ad noſtros, qui nocturnum tumultũ ſe ignaro ab imperita multitudine diceret conflatum: ſed bono animo eſſent,omnia à ſe in Latinos munifice benigneq; profectura. Datum forũ rerum venaliũ noſtris eſt,portæ vrbis patuere,intromiſſæ omnes copiæ.Et acceptis obſidibus,in quibus erat Cæſaris filius Iohannes,Duces cum Auguſto congreſſi.Purgauit ſe Alexis ſi male de Latinis cogitaſſet:cum Vgo ac nobiliſſima copiarũ Latinarum pars diuerſis diſpalatísque agminibus iter facerent,eos nullo negocio potuiſſe opprimi: « Tutos nemine ſuorum deſiderato Byzantium peruenisſe.Quæ Bohemundo « in longo itinere aduerſa (vt aſſolet) accidiſſent,ea ſe nolle facta:ſi præſenſiſſet « eum per Græciã ducere in animo habere, nihil inhoſpitale illi oriturũ fuiſſe. « quæ proſpici non potuerint,adſcribi ſibi nõ debere.tumultus non modò no « cturnos ſuburbanosq;,ſed diurnos vrbanosq; ortos,quòd noſtrorum nõnulli « qui ſine Ducibus præceſſerant, inopia adducti, vt alia indigna ſilerentur, ma- « gnificentiſſimarũ ædium plumbeis laminis tecta faſtigia nudaſſent,ornamen- « taq; nobilia ſuſtuliſſent,venumq; dediſſent.nunc aduentu Ducum omnẽ for- « midinem ſublatam.nullius magis q̃ ſua intereſſe,imperium Turcarum euerti. « ſe his annis à Solymano Turcarum clariſſimo Duce nobiliſſimis cis Taurum « vrbibus exutum,omnia Niceã vſq; Bithyniæ amiſiſſe. Exin munera magnifica Ducibus data.liberalis ac pius Cæſar viſus non cæteris modò proceribus, ſed & Bohemundo Roberti Græcorum hoſtis filio . Verumenimuero tanta in hoc iuncta cum maieſtate comitas,ac morum ſuauitas,vt vel infenſiſſimos quoſq; infeſtiſſimosq; ſibi cõciliare in ſui admirationem poſſet.Fœdus ictum, vt Græcus Latinos cõmeatu,ac quam quiſq; rerum cardo poſtularet,ope iuuaret.Latini,quicquid de impiis caperent,præter Hieroſolyma,Græcis redderent. Ita læti Duces quòd in verum hoſtem ducendi poteſtas fieret,Calcedonem tranſmiſerunt.Tunc ſummi Duces fama tantùm inter ſe noti,caſtra cõiunxerunt,& in mutuum conſpectum cõplexumq; iuerunt,magna ſingulorũ vniuerſorumq; inter ſe admiratione prudentiæ,ſanctitatis,virtutis,nobilitatis. Tunc vnum conſilium ex omnibus Ducibus factum,ad quod ſumma rerum ſpectaret.Hiq; copias recenſuere.Inito numero,inuenta fuiſſe circiter ſexcẽta millia peditum, equitum loricatorum centum millia,authores propè omnes ſunt.Otho Pontifex trecenta millia pugnatorũ tradit. Viros quoſdam etiam ſummos ſuæ ſequebantur vxores,qui ſemel ſacram profeſſi militiam,deſerere ſigna,infame nefariumq; exiſtimabant, nec ſuſtinebãt repellere à ſacro comitatu ſuas ætate formaq; præſtantes,quæ genialem thorũ expertæ, non erant laturæ virorum deſiderium in longinquo diuturnoq; bello, nec diuelli à maritis poterant.Nulla vulgato corpore mulier his caſtris recepta,nullus flagitioſus admiſſus.Non caſtra,ſed templũ credidiſſes.Sacerdotibus operantibus altaris myſteriis miles aderat.Media nocte hymni in Deum ſuperosq; concinebantur:veſpertino cultu cæleſtem opem implorabant: vt mirum non ſit tam ſanctis armis numen affuiſſe.Protinusq; res geri cœptæ.Itinere pedeſtri Nico-

media petita,præmiſſiq; cum valido præſidio,qui,quoniam difficile iter excipiebat,viã munirent,quà impedimenta ducerentur,agerenturq;. Inde nemine obſiſtente,proſequentibusq; cum commeatu Græcis locorum hoſtiumq; peritis,Niceam peruentum eſt, excitatis ad diuortia viarum crucibus ligneis,lapidumq; tumulis coaceruatis, vt eo ſigno,qui ſequebantur,aberrare non poſſent.Cum ante vrbem conſediſſent,animos oppidanorum tentarũt,ſi voluntariam deditionem facere mallent, q̃ vim Latinorum experiri. Græci genere erant,religioneq; pii:ſed inerat validum Turcarum præſidium:Belchefo Turcarum,idem Perſarum Imperator,cum bellum circũferens,gentis ſuæ Imperium mire auxiſſet,ac iam ætate ingraueſcens redire in Perſas cõſtituiſſet,Alphaſali fratris filio Armeniæ minoris Satrapiam primũ attribuit,deinde eum copiis iuuit,vt opes ſuas propagaret:Græcos præcipue in continenti metu teneret:ne attollere caput auderent.Simul vt alia parte æmulos imperii terrarũ Aegyptios coerceret,ne eorum Caliphæ Sultaníque recuperare quæ in Syria amiſerant, ſe poſſe confiderent, Ducatho alterius fratris filio Damaſcenam Tetrarchiam dedit:huncq; atque Alphaſalem Sultanos vocitauit:nec ſanguinis modò, ſed virtutis amicitiæq; rationem habuit. Duobus prætoribus ſuis Caſſiano Antiochenſem Tetrarchiam largitus eſt: Aſſungurro Antiochenſi finitimam Halapianam, Principe regionis Heliopoli. Hos quatuor ſummos viros beneficiarios ſuos vectigalésque,rerum Turcicarum fidos propugnatores Ducéſque habebat. Alphaſal primùm Satrapes,deinde Sultanus ſalutatus Ciliciam, Pamphyliã,Lyciam, Lycaoniam,Cappadociam, Armeniam maiorem,Galatiam, Paphlagoniam, Ponti Bithyniæq; opulentiſſimas vrbes in ius ditionemq; redegit,patruo virtute cedere in animum non inducens:Græcorũ Imperii ingens terror.Rebus gerẽdis,inſtitutoq; vitæ Magni Alexandri æmulus vel erat,vel aſſentatione potius domeſtica immaturaq; ferebatur.ea etiam ex re contempto priſtino Alphaſalis nomine vt minus illuſtri, Salamanſa regio ac inter ſuos nobiliſſimo dici voluit, à noſtris Solymanus appellatus,bellis præliisq; ad eam diem inuictus.Clementia quoque ſecundum victorias inſignis,indulgenter captos deditosq; habebat,vſu tantum armorum, & reipublicæ adminiſtratione Chriſtianis prohibita:vt ad famam liberalitatis mãſuetudinisq;, quam ſummis Ducibus ad opes propagandas miro vſui eſſe fuerat expertus,Imperium gentis ſuæ adaugeret.ſimul ne ſæuiendo,aut ſolitudinem ea faceret, quibus imperaturus aduenerat: aut animis mortalium ſemper à ſe alienis,& quos cepiſſet,& quos non cepiſſet,hoſtes infeſti perpetuíque eſſent habendi, bello in omne tempus integro. Igitur Nicenſes mœnia egregie tutabantur,præſidiiq; præfecto parebant.Vrbs quadrata forma eſt,æquis vndiq; lateribus. Quod meridiem ſpectat,lacu Aſcanio munitur, alto procelloſoq;, ac cum ventis intumuit, minaci. Ab Oriente Vgo Magnus cum Normano Flandróque ac Bleſenſi, ab Occidente Bononienſis cum fratribus, à Septentrione Tarentinus cum reliquis Italici nõminis caſtra metati ſunt: Machinæ, tormentáque, ac quicquid ad vrbium excidia pertinet, comparatum. Sylua ex propinquo materiam benigne ſuppeditabat. Turres ligneæ multiplici tabulato excitatæ,promotus agger,actæ vineæ,aries,quo vſos Latinos hoc bello

inuenio,quatiendis muris admotus,Præfecto fabrûm Longobardo quodam: Oppidani omnis antiquitatis periti, Turcæq; bellorum artifices, omnes Latinorum conatus ludificabantur:tormentis arietíque craſſitudo murorum obſiſtebat: ſimul ſaxa ingenti pondere tollenonibus eminus incutiebant,in ſubeuntes deuoluunt:altitudo ipſa mœnium vſum ſcalarũ arcebat,& aut in pertinaci conatu, vt quæque longiſſima erat, facillime perfringebantur,aut paucæ integræ ſuperſtantium oculis caliginem offundebant: ac ſi qui forte euaſerant, ipſa paucitas opprimebatur multitudine propugnatorum. Qui vectibus ferreis inferiore parte mœnia conuulſis imis ſaxis aperire tentabant, eos vel vncis ferreis vel lupis iniectis in muros extrahebant,fœdéque interemptos ac laceros tormentis ad noſtros reiiciebant. Vt minore igitur periculo res gereretur, teſtudine muſculóque à Longobardis admoto muri ſubruebantur: hoſtis,ne corruerent,robuſtiſſimis ſtipitibus fulciebat.ſubiectis & hi à noſtris malleolis, igníque coniecto comburebantur. ſed tantam animi præſentiam virtutémque obſeſſi præſtiterunt,vt noctu reficerent quæ interdiu ruinis ſtrata erant. Maxime imminuta eſt ſpes Ducum, quòd cum turris validiſſimum propugnaculum interdiu quaſſata, cum ingenti ſonitu noctu procubuiſſet, nec vllus auſus fuiſſet tenebris ac interiori vrbi ignotæ ſe committere,vbi primum illuxit,noſtri munitionem nouam ſibi obiectam conſpexere: vt omnis conatus irritus,ludibrióque eſſet,& nouus ſemper deſudandus labor.nec Solymanus ſuos deſerebat. Nuncio nauicula per lacum miſſo, Nicenſes præſidiúmque certiores fecit,quo die,quóque diei tempore caſtra Vgonis aggreſſurus eſſet, vt ipſi quoque pariter erumperent. Francus ad id ſuorum animos iam inde ab initio præparauerat,& tunc ancipitia ſigna ſtatuit:interiorem hoſtem ferro ignéque in homines operáque armatum intra mœnia compulit, ac propè fuit vt cum fugientibus victor in vrbem penetraret. Clauſis eo metu propere portis,extremum eorum qui eruperant,agmen cædi expoſitũ eſt. Exterior hoſtis Solymanus maiore vi pertinaciaq; dimicauit. Tarentino Bononienſiq; occurrentibus,antequam circumueniretur,ſignum receptui dedit. Hoc prælio re compertum eſt, quod ſpe præceperant: Turcam virtute imparem. Obſeſſi expugnari vi non poterant, quòd ex propinquo per lacum Solymanus commeatus auxiliaq; nauibus ſubmittebat. Repelli re infecta ab vrbe quam primam omnium tentaſſent, magnam ad vniuerſum bellum deſperationem afferebat:nec tutum erat longius progreſſos,hoſtem fruſtra tentatum, ac eo ferociorem futurum,â tergo relinquere. Græcum ingenium ex vſu ſuo rem Latinorum expediuit. Erat in noſtrorum caſtris Græcorum equitum ala ab Auguſto miſſa, cuius Præfectus Tatinus conſiliis Ducum intererat, & quia vir prudens,bellíque Turcici peritus erat,& quia honeſte excludi ſe ingerens non poterat, ne fides Græca ſuſpecta Latinis tam neceſſario tempore videretur: Is gnarus animorum Ducum, per occultos internuncios egit cum obſeſſis,vt ipſi Græci Græco Auguſto ſe redderent, cum officio fidéque Solymano iam ſatiſfeciſſent. ita incolumem inuiolatamq; Niceam futuram, ac vndique gratiam inituros, & apud Latinos, quòd eorum curſum vltrà nihil morarentur: & apud Turcas,quòd fide ad vltimum ſeruata, cum

Solymanus virtute eximere obſidione eos non poſſet, obſeſſoribus ſe nō de-
derent: & ab Auguſto Græco,quòd originum ſuarum memores,ſe ſuis reſti-
tuerēt.Hæc apud oppidanos acta.ſimul edocet noſtros opem Cæſaris implo-
randam:niſi poſſeſſionē lacus hoſti adimant,fruſtra eos tot labores ſuſcipere.
Græcos remiges Lemboſq; cōparandos,qui Aſcanio potiti,auertant obſeſſos
à ſpe auxilii Barbarorum. Miſſi ſunt oratores ad Alexin: nec is prius annuit,
q̄ pacto conuenit,ne quid iuris Latinis in vrbē deditōsve foret.Tūc Lembos
ad oram maritimam Nicenſis agri miſit,qui iunctis curribus in lacū deuehe-
rentur cū Græcis remigibus,gubernatoribusq;.Ita exitum res nacta eſt,vt Ta-
rentinus cōſtituerat.Oppidani Græcis portas patefecere.Nicenſes ciues nulla
ſuarum rerum deſiderata,incolumes permanſere. Turcæ omnes (in his vxor
duoq; liberi Solymani) Conſtātinopolin ducti,magnificeq; ac benigne culti,
& ſine precio ad Solymanum etiā cum muneribus remiſſi,per cauſſam,quòd
condonatis tribus,vt oſtendimus,Latinorū millibus,à Turca meritum remu-
nerandum eſſet:ſed eò (vt fertur) Cæſaris conſiliū ſpectauit,vt belli Latinorū
præmia ipſe omnia haberet,ac vrbes obſeſſæ,obſidionémve metuentes,vltro
vetus Græcorū Imperium reſpicerent,ac Turcæ noſtris virtute inferiores,fide
liberalitateq; Cæſaris prouocati,quæ retinere nō poſſent,ea Græcorum q̄ La-
tinorum eſſe mallent. Duces dolorē diſſimulabant: miles fremebat,ſi ex pri-
ſtino fœdere neceſſe fuerat vrbem ſudore ſuo partā,Auguſto reddi,nobiliſſi-
morum hominum,aut,ſi remuneratio vtiq; facienda diſpar erat,ſaltē opulen-
tiſſimarum rerum prædam egenti exhauſtóque militi cedere debuiſſe. Duos
& quinquaginta dies ea obſidio tenuit. Tertio nonas Iulii recepta eſt Nicea,
eius ſeculi anno ſeptimo & nonageſimo.Hanc vnā opem Græci Latinis ma-
gna mercede tulere:nec poſtea,vt fides data acceptaq; poſcebat,noſtros com-
meatu auxiliísve iuuere. Tandem moueri placuit. Ager Nicenſis vberrimus
eſt,ſed cælo graui. Excipiebant fines aduerſi iumentis alendis,quorum ingēs
erat in exercitu numerus.Duobus & agminibus & itineribus iter ingreſſi ſunt.
Tarētinus alterum agmen duxit,Magnus alterum.Tertio die de tertia vigilia
Bohemundus cum mouiſſet, vbi illuxit, certior ab exploratoribus factus eſt
Solymanum in proximis montibus conſediſſe cum incredibili numero no-
uorum militum ab Imperatore ſuo miſſorum. Babylonii erant,Medi,Perſæ,
& ab vltimo excitæ Oriente gentes.Suſtinuit ſigna,miſitq; cōfeſtim ad Fran-
cum,ſi videretur,maturaret:hoſtem adeſſe,pugnā inſtare.ſimul caſtra muniri
cœpta.Continuò decurrēre Barbari cū vlulatu ſtrepituq; moris ſui in pugna
ineunda.Qui eorum in æquum deſcenderant,vbi noſtrorum numerū aciemq;
æquarunt,cæteri in caſtra nondū permunita impetū faciunt.Lixæ,Caloneſq;,
& qui in opere verſabantur,vim diu nō ſuſtinuere.Irruperant per intermiſſas
munitiones Barbari:fuga hominum, ſtrages ſarcinarum iumentorumq; fieri.
Tarentinus compulſus ad montes iis hoſtium quibúscum manū cōſeruerat,
cæteros ſuorum ſub ſignis manere eo loco iuſſit:ipſe cū mille delectis equiti-
bus ſuperueniebat.ad primū eius conſpectum,& qui caſtra inuaſerāt,ad ſuos
ſe recipere in mōtes cœpere, ſed pauci tenuere,recipiētibus animos iis qui in
caſtris erāt:& delectiſſima ala inſtante.Cum in pugnā rediiſſet Bohemundus,

omnia longe alio ſtatu inuenit,quàm quo reliquerat,maiores multo copias à Solymano è montibus in campos demiſſas,ſuos ægre tolerantes.eius aduentu acies reſtituitur,æquoq; Marte dimicabatur.Præter neceſſarium caſtrorũ præſidium,ſuos omnes in prælium duxerat Tarentinus.in meridianum vſq; tempus pugna extracta. Sagittarum imbre pii laborabant,comminusq; congredi conabantur,ruebantq; in hoſtẽ.Nemo ignauus.Cum ad ludificandos noſtros Barbari circumuolitarent,pluribusq; agminibus alii alia parte ferrẽtur,Latini æquo animo,vt propiore pugna dimicarent,pauci pluribus occurrebant.Iam æſtus,labor,ieiunium,vulnera,laſſitudo affecerat vtroſq;.Sed quòd multitudine abundabat Solymanus,partem ſuorum poſcentes pugnam continuerat,vt illis integris,ciboq; per ocium ſumpto vigentibus, noſtros feſſos opprimeret, ac hi rem virtute primorum æquatam,ipſi haud dubie inclinarent,totámque traherent.Vbi tẽpus viſum eſt,alios ad caſtra hoſtium rurſus expugnãda mittit,alios ſubſidio ſuis in aciem.Iam caſtra capiebantur,maioráq; quàm antè cædes ibi fiebat: & noſtri pugna feſſi, aduerſus integrũ recentemq; hoſtem plus animorum q̃ virium gerebãt.Ignominiaq; vtrobiq; accepta fuiſſet,niſi Franci Duce Magno tãdem,qui procul abfuerat,ſuperueniſſent. Hi caſtra recepere, ac dum Barbari partim per nondum cõmiſſa munimenta ſe recipiunt,partim de vallo ſe præcipiti fuga deiiciunt: plurimum ſtragis cædisq; in anguſtiis trepidationeq; editum.In acie quoq; qui noſtrorũ vulneribus ac laſſitudine confecti erant,conſpectu Francorũ,velut tunc primum ſignũ pugnæ accepiſſent, redintegrato clamore, præliũ reſtituunt. Mox adeſt Francus cruore caſtrorũ recuperatorum recenti madens,feroxq;. ita quaſi nullus eo die impetus factus eſſet,res geritur.omnibus vtrinq; copiis pugnatur.vſus oculorũ inducta nube pulueris ſublatus.clamor noſtrorũ,vlulatus hoſtium,cantus ſignorum,fragor tympanorũ aures obſtruebat,ne imperia Ducum exaudirẽtur.Hanc primam pugnam milites meminerant iuſta acie æquo loco patentiq; commiſſam, hos eſſe hoſtes in quos ſuperiore anno nomina dederant:quibus ſi cederent,receptum nullum patere,tanto à patria interuallo:tot terras, tot maria intercedere. & Solymanus res gerebat non pro publica modò cauſſa, communiq;,ſed pro Satrapiæ ſuæ Tetrarchiæq; opibus:& eius miles dignus eo Duce erat,turpéque exiſtimabat ſe à nouo hoſte collectitioq;,nullo delectu virtutis habito, ſuum vnũ Regem Imperatorémve non habente,ſuperari.Ita pari odio ferociaq; pugnabatur.Robertus Dux aureum vexillum in frequentiſſimos hoſtes iecit:quod dum repetunt Normani antequã in poteſtatem hoſtiũ veniret,impetus furentium factus hoſtes diſſipauit,nõ ita tamen vt funderet,fugaretq;:ſe ad montis radices recepere ſenſim,ac minime terga dantes.Ibi quoq; prælium in ſerum diei extractum,vix neceſſitas noxq; diremit. Inſequentis diei Sol ortus victorem oſtendit.Deſerti mõtes fuga hoſtium.Noſtri cæſorum hoſtium ſpolia legêre.ad duo millia noſtrorum deſiderata, in quibus Gulielmus Tancredi frater,ac Robertus Pariſienſis,parua pro tanta victoria iactura.Hoſtium quadraginta circitèr millia cecidere . Latini ſuorum corpora poſtridie, quæ crux inſignia faciebat,ſelecta ſepelierunt.Solymanus nullo loco conſtitit.Victoriam quidem reportaſſe ſe prædicabat:ſed quacunque properabat,horrea

in primis incendebat, ne oppidis quidem parcens. quoſcunq; incolarum poterat,abſtrahebat,vt ſolitudinem vaſtúmque hoſti relinqueret. Apud noſtros Anicienſis iuſtis funebribus perſolutis,ſacrisq; factis,talem orationem habuit:

» Nullum vnquam, inuictiſſimi Duces,ac fortiſſimi milites,prælium maiori
» virtute cõmiſſum geſtumq; eſt, q̃ quod heſterno die cæſis cæli hoſtibus pro-
» fligaſtis.Omnia Oriẽtis Regna opulẽtiſſima,validiſſimaq;, vos alieno in orbe
» terrarum circumuentos,domi ipſa ſuæ adorta, dignam furore ſuo mercedem
» tulere.Domitor gentium exercitus à vobis victus,cæſus,ſtratus.Nobiliſſimus
» Dux fuſus,fugatus,nihil ſibi relictum arbitratus,quæ ipſius modò fuerãt,tan-
» quam noſtra effecta diripit,incendit, prædas hominum pecorumq; abigit,qui
» velut alter Alexander iura humano generi dare in animũ induxerat.Immor-
» talem gloriã, ſummumq; nominis decus vobis dextra peperiſtis, qui clauſum
» piis Orientẽ,ferro aperuiſtis.Sed admirandæ virtuti veſtræ vberrima præmia,
» fructumq; longi æui Deum optimum maximum, pro quo dimicaſtis,daturũ
» confido,vt & victoriam dedit,& ea ſuperſtites vos perfrui voluit,quò maio-
» res animos ad reliquias belli,ſi quid forte ſupereſt,perſequendas gereretis.Sed
» erit ſemper locus de incredibili fortitudine veſtra prædicandi,nec erit vlla ſo
» litudo tam muta, nulla regio tam inculta, nulla conſeneſcente mundo tanta
» temporis longinquitas vetuſtâsve,quæ de vobis conticeſcat,vos non admire-
» tur,vos rerum columen non fateatur.Nunc de iis quos fato functos ab ocu-
» lis noſtris raptos immortalitas conſecuta eſt, paulo plura dicenda ſunt,vt iu-
» ſtum eorum deſiderium,grata laudum commemoratione leniamus:eo etiam
» æquiore animo,quòd maxima pars decoris vobis cum illis, vt inter commi-
» litones,& gloriæ conatusq; ſocios,cõmunis erit. Hi enim vobiſcum religio-
» ne adducti,primi omnium mortalium veræ virtutis ſpeciem animo concepe-
» re,ac homines nati,maiora humanis conſiliis & auſi ſunt,& perfecerunt. Di-
» uerſi diſiunctiq; inter ſe patria,genere,lingua, moribus,inſtitutis, tanta pecto-
» ris,tamq; germana mentis conſenſione conſpirarunt, ac coaluerunt, vt vnius
» vrbis ciues omnes viderentur, vt fratres inter ſe eſſent,vt Iberus, Rhodanus,
» Rhenus, Tamiſis,Tiberis, Danubius, Albis, vnius eiuſdemq; omnes ciuitatis,
» vnius aluei amnes credi poſſent : ac quos natura cardóque cæli diremerat, ii
» cauſſa,voluntate,militia, ſignis iungerentur, Clariſſimis quidem Ducibus,ſed
» compluribus,nec vno penes quem in cæteros ius imperiũmque ac arbitrium
» ſit:qui tamen ita diuinitus vnanimes facti ſunt,vt terrarum adhuc incolæ,ve-
» lut cæli conſortio collegióque perfruantnr . Horum Ducum vocatu, com-
» militones veſtri, quos fato glorioſiſſime functos ò milites oratione mortali,
» præconio omnium ſeculorum dignos celebramus,non legibus humanis,non
» mortalium delectu,tanta alacritate nomina dedere in CHRISTI militiam,
» tantâque conſtantia bellarunt,pugnarúntque,quanta nemo vnquam pro pa-
» tria, pro parentibus, liberis, pro ſeipſo dimicauit . Ducum imperiis vt nu-
» minis oraculíque voci dicto audientes , fortiſſimi dum vitam inter nos age-
» rent, ſanctiſſimi æternitate parta . Viuunt gloria, viuent rerum perpetuita-
» te, viuent memoria ſempiterna , viuent ſenſibus noſtris ſacri, viuent meliore
» ſui parte.Non enim corpore vita conſtat,re mille quotidie caſibus obnoxia.

Spiritu,animo,mente,quæ numine afflatur,impleturq;, æuum degunt. Cadaueribus,quæ terræ matri debebãtur,redditis,nulla mole grauante leues expeditiq;,quò ſua eos virtus numenq; ferebat, ſe cælo inſeruere, Sole lucidiores. Viuitis fœlices,ſuperúmque conſortes animæ.Emeritis vitæ ſtipẽdiis,præmia, honores,commoda veteranorum inuictiſſimorum percipitis.Sanguine veſtro fuſi,fugati,cæſi,ſtrati ſunt hoſtes templorũ,ararum,numinis. In tuto nos collocaſtis.Quod longe maximum difficillimúmque erat,nec niſi à vobis pariq; vobis virtute fieri poterat;Orientem vniuerſum viciſtis,ſuperaſtis,fregiſtis:nó bis cætera facilia pronáque præſtitiſtis. Tantum fremens frendénsque,ſed exanguis edomandus nobis hoſtis, arma longius ferenda, erigenda crucis trophæa.Hieroſolyma recipienda,exempla veſtra nobis proponenda,veſtigiis veſtris inſiſtendum.Viciſtis,nobis victoria veſtra vtendum. Quod maius patriæ decus,liberis patrimonium,parentibus gloria,vxoribus ſolatium relinqui poteſt, quàm inimitabilis propè virtutis memoria, vt vos cæleſtes nunc animæ; antè ſtrenui milites reliquiſtis?quos nos veſtri modò ſocii commilitonesq; æquare forſitan poſſimus,poſteri magis admirabuntur, q̃ aſſequi ſe poſſe confidãt.Hæc de ſanctiſſimis militibus,qui heſterno prælio, cum ad cælum euolaturi eſſent,diuinam virtutem inter nos præſtiterunt,delibaſſe ſatis ſit,cũ pro dignitate celebrari ore nõ poſſint.Vos milites exempla ab his religionis fortitudinisq; petatis,horum virtutem imitemini:poſteri veſtrã imitabuntur.Memoria horũ omnibus horis,ſed præcipue in pugna vobis ſancta ſit,oculis veſtris obuerſetur,pectus veſtrum afficiat.Ita in bello perficiẽdo fœlicitatẽ ſperate, ac numen ſecundum propitiumq;, ſi diuinitus ad ſacrum bellum vocati Ducibus à numine datis parueritis,& ſanctorum militũ præclara facinora æmulabimini:quos vt maiori religione in acie imitaremini,Deus optimus maximus cælo impertiuit,memoria eorũ vobis vt ſummo munere relicta,quorũ imaginẽ ſempiternã in imas pectoris veſtri aras demitteretis. Hæc Aniciẽſis. Ita milites erecti,pleniq; ſpe diuina ſimul & humana,caſtra mouent. Sitientia Aſiæ loca,deſertaq; fuga cultorũ,& incendio Solymani,excepere.Segetes nõ tam facilè corrumpi potuere,vt incendi vici:hæ naturæ meſſibus militũ ſpem primùm ſuſtentabant,deinde aluere.Sitis magnam iumentorum vim abſumpſit,nec minor pars cæteræ multitudinis q̃ militum erat,eóque grauiora maioraq; impedimenta, & itinera minora. Tandem ad lætiora peruentum loca, & vlteriora petita.Ad Antiochiam Piſidiæ ſtatiua habuere: qua recepta,Iconium Lycaoniæ vrbem perrectum. Admiſſi benigne ab oppidanis, audiuere non contemnendam Turcarum manum ad vrbem propinquam Heracleam ſtare,vt eam tutarentur:ſed hi potius ibi ſedebant expectantes ſi noſtri vel inteſtina diſſenſione,vel ignoratione locorũ, erroreq;, vel alia occaſione,quam bellorum caſus ancipites,longumq; iter,& tempus fortunaq; afferunt,opportuni inſidiis apertísve conatibus fierent. Hic contrà metus noſtros vnanimes omniáque circunſpicientes præſtabat. Acie inſtructa, Latinis occurrentibus, Turcæ abiere:vrbs deditionem fecit. Ita Piſidiæ Lycaoniæq; clariſſimæ vrbes in fide Latini nominis erant. Dum in Lycaonia ſtatiua cæteri habent,Balduinus Belga,& Tancredus Apulus,è caſtris cum ſuis vterq; turmis ad tentandas

vlteriores vrbes profecti,recepta Lycia Pamphyliáque,diuerſi abeunt. Apulus Ciliciam petiit. Cum nõ procul à Tarſo regionis illius principe vrbe abeſſet, hoſtium agmen ei occurrit: Oppidani ad ſpectaculũ effuſi,muros complerãt. Apulorum virtus eo enituit die. Fuſi fugatíque hoſtes: Victor patefieri portas iubebat. Sed inerat Turcarum præſidium. Hi cum ſentirent oppidanorũ animos admiratione virtutis Latinorum fortunã facilè ſecuturos, portam vnam vrbis,& quæ in propinquo turres erant,occupant,ſuo ſibi tẽpore conſulturi. Dum de conditionibus tradendæ vrbis Tarſenſes agunt,ac propè re confecta Tancredi ſigna in muris ſtatuiſſent, forte Balduinus, cum aliquandiu alia regione vagatus fuiſſet, propinquos montes tenuit: conſpectíſque ad Tarſum Apulorum caſtris, ignorans vbinam Tancredus, à quo diuerſus mouerat, res gereret, hoſtium ea eſſe ſuſpicatus, virtute ſuorũ multitudineq; fretus in ſubiectam planitiem copias deducit. Simul Tancredus ingens illud agmen contemplatus, non dubitabat nouum Turcarum exercitum auxilio Tarſenſibus præſidióque adeſſe: ſuosq; cohortatus,vt quos ſemel deuiciſſent,eos nihil timerent,ſigna moueri iubet: acieq; inſtructa, vt pugnaturus occurrit. Ex propinquo conſpecta ſigna armáque errorem aperuere: cum mutua gratulatione copiæ iunctæ,ac in amplexus itum. Belgæ comiter accepti,inopesq; omnium rerum armentis donantur, quæ Apuli victoria de Turcis parta ex agris in caſtra compulerant. Vbi refectus cibo Belga eſt,conſpicatur ſigna Apuli in hoſtium muris: atq; inde controuerſia orta, quòd admitti ſe in partem recipiẽdi oppidi opulentiſſimi æquum cenſebat,nec communi militia præcipuam eſſe Apulorum cauſſam. Et parum abfuit quin vtriuſq; miles à controuerſia verborum ad arma deſcenderet,lætò Turcis ſpectaculo. Ciues Tancredo æquiores erant,quòd eum abſente velut de induſtria Balduino,ſignis collatis fortiſſimi militis ac ſummi Ducis munere functũ coràm perſpexerãt,ad hoc in legibus pacis ſanciendis mitiſſimum victorem experti fuerãt,ac eius ſignis erectis præiudicium cauſſæ fecerant, à quo non diſcedere conſtantiæ eſſe exiſtimabãt. Sed territi Belgarum minis,amotis Apuli ſignis,Balduini ſigna in turribus poſuere. Apulus Belgæ copiis impar,fremens frendensq; abiit ad maiorem gloriam,ſanctioremq; prædã,ac ad alia oppida bellum circumtulit. Balduinus Tarſum recepit præter ea vrbis propugnacula quæ Turcæ obtinebãt. Oppidanorum corpora resq; inuiolata ſeruauit: ſed nec ſic vituperationẽ inuidiamq; effugere potuit,quã etiam caſus inſequens auxit. Trecenaria cohors à Tarẽtino ad Apulum miſſa,ſub eam forte noctem quæ diem receptæ vrbis inſecuta eſt,Tarſum peruenit,rata Tancredũ ibi ſe inuenturã. vbi profectum accepit, Balduinum orabant,vt nocte opprimente ſe mœnibus reciperet. Ingreſſu prohibuit. Tantũ cibaria in cœnã per funes in ſportis demiſit. Sub dio pernoctarũt,ignari vrbis partem à Turcis obtineri. Labore itineris feſſi,ciboq; graues,ſine metu temere corpora ſomno ſternunt. Turcæ etiam huius rei neſcii,quòd oppidanos cum Latinis ſentire compererant,deplorata ſpe retinẽdi oppidi,vt ſaltem ſaluti ſuæ proſpicerent,ſilentio noctis tacitoq; ſigno cõglobati mœnibus egrediuntur. Offendunt corpora hominũ paſſim iacentiũ,non ambigua fide hoſtes eos eſſe. Cædes nullo negocio velut muti pecoris facta.

Ad vnum omnes interempti. Prima luce Belga relicta ab hoſte mœnia cum lætus videret,atroci ſpecie perculſus eſt Tarẽtinorum cæſorũ,ſpoliatorumq;. Cõtinuo accenſus ira miles,vociferansq; fortiſſimos commilitones à Balduino proditos hoſtibus,quòd ingreſſu eos vrbis arcuiſſet, malum illi minitabatur:nec furor militaris prius ſedari potuit,quàm fide facta Balduinum à Tarſenſibus iureiurando adactum ante Ducum aduentum nullam præterea manum in vrbem ſe introducturum , nec flebilius vlli quàm ſibi miſerum optimorum virorum exitium. Iam Apulus vicis caſtelliſq; quamplurimis partim vi,partim voluntate receptis,Manuſtram vrbem validiſſimam ditiſſimámque imperata facere abnuentem expugnarat,militémque ſuum locupletarat,cum rurſus Balduinus affuit partem iſtius etiam prædæ poſcẽs,vt bello expeditionéque communi.Noua ira priſtinæ addita indignationi,virum impigrum ingentísque ſpiritus acrius incendit.Repentinum impetum in caſtra Belgarum nondum permunita facit,cædémque edit.Cum ad arma conclamatum eſſet, viribus inferior coactus eſt recipere ſe in vrbem . Anguſtiæ pontis, quo vrbs flumine alluente aditur,eius extremũ agmen intercluſere: Comprehenſi permulti.Nox imminens diremit certamen.Interea ira miteſcente,cogitatio fraterni nominis commilitiiq; animos ſubiit, reconciliauitq;. Comprehenſi redditi,ac dextræ interiunctæ. Balduinum priuatus dolor occupauit . mortua in ſtatiuis Lycaoniæ ſe abſente vxor,& frater Dux inter venãdum cum militem ex vrſi immanis corporis complexu ~~eripere contendit~~,feram in ſe vnum verterat,nec niſi grauiter vulneratus eam ferro interemerat, & per aliquot deinceps menſes non niſi lectica iter fecit.Interea virium acceſſio ſpem maiorem Latinis adiecit. Vimerius ex Comitatu Bononienſi piraticam fecerat, ex eaq; opes ſummas nactus fuerat.Tunc animo quæſtuq; illo depoſito,cum Hollandorum Friſiorumq; iuuentute mari in Ciliciam delatus,ſacram militiam pœnitentia prioris vitæ profeſſus eſt : ſimul Aſiaticorum procerum nonnulli ſe noſtris coniunxere . Erat apud Bononienſes fratres Armenius nomine Pancratius,quem Alexis Auguſtus in cuſtodia perdiu habuerat.Is elapſus è Græcorum manu, Latinos ſecutus ,magno eis vſui fuit, peritus illarum rerum,regionúmque.Hoc impulſore adiutoréque Armenia minor in fidem Balduini venit,ac noſtrorum nomen res etiam trans Euphratem mouit.Edeſſani(ea eſt ſacra Syriæ vrbs)iam inde ab Apoſtolorum temporibus Chriſtiani,nunquam à religione defecerant,inter tot caſus ruinasq; finitimorum imperterriti.Græcus Auguſtus eis ante Solymani Belchefonisq; vim Prætorem dederat.Is circumacto tempore Præturæ ſuæ,cum vi Turcarum omnibus iam circà hoſtilibus ſucceſſor nemo veniret, retineretur q; ab Edeſſanis,remanſit,eiusq; nutu omnia gerebantur.Longa die ingentem vim auri à ciuibus coëgerat,aſpergebatúrque ſuſpicione, vt quiſque aliquid ei imperanti abnueret, morámve necteret, in eius agros Turcas clandeſtino fœdere excire, vt Edeſſani iam vectigal pendere Satrapis Sultanísque cogerentur . Aduentu Balduini ſpes affulſit libertatis . Miſſis oratoribus eum accerſunt ad rem Edeſſanam capeſſendam.Balduinus velut diuinitus miſſus exceptus eſt,nec Græco Prætori lætus fuit honos illi habitus,ciuiũmque alacritas. Secundas partes illi non negabat;

vt Magiſter militum apud ſe degeret,ſtipendiâque acciperet. Belga id fœdum ſibi ducebat,& ciues primum coëgerunt Græcum,vt Balduinum adoptaret, filiúmque nuncuparet. Edeſſanorum exemplo moti Samoſatenſes,nobilis ad Euphratem Syriæ ciuitas, cũ Satrapæ Turcæ nomine Balduci tyrannide premerentur,occultam mittunt ad Belgam legationem,vt ſui miſericordia eum caperet,& quam ab extremo terrarũ orbe profectus opem Edeſſanis tuliſſet, ea ſe non indigniſſimos, cum Chriſtiani ſint,exiſtimaret. Duxit illuc Balduinus. Recipere continuò vrbẽ,Turcis tutantibus,non potuit: Reliquit qui obſiderent. Edeſſam reuerſus inuenit ciues in ſenem Prætorem Græcum armatos,vlturósque iniurias quas ab illo accepiſſe ſe dicebant. Nec facta minis mitiora extitere. Fidem Belgarum omniúmque mortalium implorantem occiderunt. Tunc Balduci pertinacia victa,Samoſatáque recepta,Belgæq; in arcis præſidio collocati,cum tyrannide cederet Balducus incolumitatem ſibi vxoríque ac liberis paciſcens, & decem Byzantiorum millia ſibi numerari cauẽs, vt priuatam quidem, ſed non inopem agere vitam poſſet. Imperium Belgæ propagatum. Cappadocum etiam quædam vrbes,in quibus Cæſarea,Balduinum admiſere, eiúsque fidei ſe credidere. Ea expeditio animos fecit oppidis Chriſtianis,vt præſidia Turcarũ partim expellerent,partim interficerent: mõtiúmque anguſtias noſtris aperuit,quà ducendum erat, vniuerſo exercitu iam vlteriora ſpectante. Edeſſanum Comitatum Samoſatenſemq; Balduinus ſibi habere retineréque iuſſus. Pançratio ſua Armenia reddita, vt ea ipſeq; in fide ſacri ſepulcri forent: & Latinorum aliquot millia in præſidiis paſſim collocata, ne incolæ mutare temere fidem, & infeſtum iter noſtris in Syriam Meſopotamiámve contendentibus facere poſſent. Antiquiſſimum omnium fuit,vt Ciliciæ anguſtiæ,portæq; ac fauces Amani mõtis in manu eſſent Latinorum. Cilicia Tancredus donatur. Nec paucæ præterea ciuitates earum regionum quas peragrauerãt noſtri,illuſtribus incolis indigenísve parere iuſſæ, quorum fidem ſanctam,virtutémque præſtantem cognouerant. Ita cõpoſitis eius regionis rebus,maior in dies vlteriora tentandi Duces cupido inceſſit, quòd id iam inde ex quo ex Europa mouerant,ſibi propoſuerant: & addebat animos Balduini decus, tanto terrarum tractu Belgarum virtute fœlicitatéque trans Taurum tam procul peragrato. Is mons iam inde ab initio noſtris miraculo extitit. Velut minax perrumpensq; totam Aſiam percurrit,ſyderibus iuga inſerens,terrarum vindex,ne mare tot tamq; vaſtis ſinibus interioribus exterioribúsque eas penetrans,vniuerſas abſumat. in illud promontoriorum mucronibus penitus emiſſis pugnat mirabili pari, ac æterno rerum naturæ certamine: & ne quid tantùm pelago acceptum ferri poſſit, flumina ipſe nobiliſſima ex ſe fundit,gentes iungit,dirimítque: complures velut terrarum orbes facit, portarum anguſtiis repagulísque diſcluſos. Arma bellaq; longínqua ſublimis arduusq; arcet, niſi hominũ audacia terreri formidine nulla, monſtrísve poſſet. Fatalibus libris prædicta fuerat Romanis clades Tauri montis aquarumq; diuortia tranſgreſſis, quæ tunc Britannici oceani accolæ Bononienſes tranſmiſere,quãdò & Turcæ contrà traiecerant,Saracenique,& antè alii permulti Reges Imperatorésque non mortalibus modò,ſed numinis prouidentiæ,quæ

ea clauſtra obiecerat,vim inferentes.Balduinus, qui modò vlteriora illa ſubmotáque tentarat, peruia fecerat quæ inacceſſa veſtigiis humanis intactáque videri potuiſſent.Præcipitia confragoſaque loca, cautes horrendæ,ac immani mole aſſurgentia ſaxa,arrecti ſcopuli,& cælo ſe cacumina æquantia, continuò ſubſidentes in depreſſiſſimam altitudinem valles,arctiſſima inter anfractus via,& minime clementer decliuis iugis impendentibus ſubiecta, eadem hinc læui excelſiſſimáque rupe ac prærupta,illinc profundo hiatu,nullis circà adminiculis,audaciſſimo etiam cuique animum debilitauit. Conſpectus primùm pauorem,ſilentiúmque torpens iniecit:admiratio deinde, ac cõmiſeratio ſui, apertáque querimonia ſubiit,quòd nulla neceſſaria re adducti arma illuc vſque tuliſſent,vbi victoria incruenta hoſtis potiri queat,quem loca ipſa,quanuis nullis inſeſſa præſidiis,per ſe inexuperabilia tueantur. Si numini cordi futurum fuiſſet bellum ab Europa in vlteriorem Aſiam motum, non fuiſſe ab orbis terrarum architecto noſtris obiicienda naturæ clauſtra. Quæ in conſiliis ineundis per imperitum animorum impetum contemnantur, ea vbi ad res ipſas verúmque peruentum ſit,tunc demum, ſed id ſerò,ſua mole perpenſa,mentes mortalium eo magis conſternare,quo minus proſpecta,minúſque in conſilium adhibita fuerint. Hoſtes vt homines armatóſque ab hominibus armatíſque vinci poſſe:Altiſſima iuga,ſuperatis terris verticem ſideribus inferentia, quibus mortalium telis domari, quibus manibus ſede ſua euolui ? ad imos manes hiatus montium depreſſi, quibus coniectis molibus expleri queant?Vim naturæ fieri:nõ iam pro numine,ſed aduerſus orbis terrarum conditorem pugnari:quæ ille inacceſſa crearit,per ea ſe iter facere,impie,ſed & fruſtra conari,ac neceſſitatem ineluctabilem vincere. Ita gradum nemo promouebat,in veſtigio conſiſtebant,immoti animo,corporéque defixi,tantum ora oculóſque circunferentes,ac inter ſe intuentes miſerantéſque tanquam nunquam ſuos,domúmque, ac ne hoſtem quidem,vt ferro potius caderent,viſuri.Hoc vulgus militum. Duces ipſi increpitabant,qui falſa cogitatione, vanáque ſpecie ſibi ipſi horrenda facerent,ac inuia, quæ Græci(vt Perſæ,aliæque alioqui nobiles fama imperióque gẽtes ſileantur) dum rerum potirentur,occupaſſent,tenuiſſent,frenaſſent:quæ Saraceni magna manu trãſcendiſſent:quæ Turcæ quondam victores, nunc trepidè fugientes,ſine periculo,quia non admirarentur,emenſi eſſent.Hæc cum reliquo terrarum orbe rerum temporúmque initio affabre ſcitéque â ſummo artifice facta, non vana opera,& nulla ratione,ſed vt fores eſſent cardóque quà vltro citróque cõmearent,nullo alio quàm conditoris operíſque miraculo.Irent audacter,poſito vano & non neceſſario metu, quà itinerum duces à Pancratio aliíſque ſociis amicíſque Aſiæ proceribus miſſi præcederent:mox ſuum irriſuros pauorem. Ita leuis armaturæ milites,cum etiam ducibus itinerum præcedẽtibus,animóſque addentibus,tela tradidiſſent,iter ingreſſi,audaciam cæteris fecere,vt ſine tumultu etiam grauis armatura traduceretur. Impedimentorum non magna iactura facta.quædam iumenta cum ſarcinis exorta inſana trepidatione in profundum præcipitata.Homines,ſigna,arma,tela incolumia tandem in aperta æquáque loca emerſere. Priſtináque alacritas omnis reſtituta,

eo magis,quòd Balduinus imperio Edeſſæ parto firmatóque,Sororgiam vrbem validam nobilémque,ipſam piam,ſed Balæ Turcæ tyranni præſidio inſeſſam receperat, vnde Antiochiam vſque Syriæ duci tutò exercitus poſſet, quòd ea vrbs media inter Euſratem Antiochiámque rebus gerendis idonea collocata eſt. Bala,ne amiſſa Sororgia,reliquis oppidis,quæ pauca obtinebat, exueretur,pacem exorauit, amicitiámque ac ſocietatem cum noſtris iunxit, id tempori neceſſitatíque præſtans. Authoribus omnibus Ducibus Balduinus Edeſſæ cum ſuis copiis ſe continuit,vt in ſpeculis eſſet, ne quid ea parte moliri Turcæ poſſent in Latinos. Tancredus ex Cilicia,qua donatus fuerat, reuocatus,vt relicto,quod ſatis videretur, diuiſoq; in arces opportunas præſidio,ipſe ad magnum exercitum reuerteretur. Simul decretum, ne quis iniuſſus diſcederet: omnéſque iureiurando adacti,ſe non niſi ſacro bello confecto domum reſpecturos,opem cõmilitonibus in acie,in periculis, in laboribus laturos,ſingulos & inter ſe,& vniuerſis, & ſingulis vniuerſos affuturos, Ducum imperio obtẽperaturos. Ita vno agmine ad vrbẽ nomine Mareſiam peruentum:quam qui Turcarum obtinebant præſidio,diffiſi ſibi, mœnibúſque, ac ciuium animis,nocturna fuga ad primam Latinorum aduentantium famam ſibi conſuluere. Mareſienſes vrbem ſeque noſtris dediderunt. Conſilióque habito placuit Flandrum Comitem cũ mille loricatis equitibus præcedere ad tentandam proximam vrbem Artaſiam,quindecim ab Antiochia millibus diſtantem. Eo munere impigre fœlicitérque functus eſt Robertus. Cum eius ſigna fulgentia oppidani conſpexiſſent,armis correptis Turcas vrbis præſides interemere,eorúmque capita ad Flandros detulere,ac portas patefecere. Hanc ſuorum cædem Turcæ vt vlciſcerentur,ſimul vt vrbem antequam vniuerſus exercitus adeſſet,recuperarent, ad decem millia eorum qui vndique Antiochiam conuenerant, ſigna mouent: cúmque Mareſiæ appropinquarent, idoneo loco latitantes in inſidiis, præmiſerunt excurſores, qui certamine iniecto Flandrum ex vrbe elicerent, ſtudióque dimicandi longius abductos,ſimulatione fugæ ad deſtinatum conſilio locum pertraherẽt. Flandri ad primum conſpectum hoſtium vrbe egreſſi, cum præcurſoribus egregie manum conſeruere, tergáque ſimulato metu cedentium inſecuti,præcipitarunt in inſidias:ſic quoque redintegrarunt pugnam,ex neceſſitate animis ſumptis,quòd fore credebant, vt Mareſienſes noſtros niſi victores non reciperent,nec alius ſperabatur receptus. Sed illi quòd in præſidium Turcarum ſæuiſſent,nullam niſi victoribus noſtris ſpem relictam ſibi cernebant: armatíque ex vrbe profecti,primo metu Flandrum perculere, ne cædis defectiónísque à Turcis crimen ſanguine Latinorum luere vellent,ac ſe priſtino Imperio reddere:ſimul hoſtis intercludere noſtros ab vrbe conabatur, alâſque circundabat,cum ſublato clamore cum impetu oppidani vim faciunt, Turcáſque in Flandrum vndique verſos à tergo adoriuntur. Tunc verò omiſſo hoſte,Turcæ ſe recipere addenſato agmine,qui circunfuſi latinis fuerant,cœpere. Militem inſequi ardentem Comes ſigno receptui dato reduxit, ſolicitus ne nouæ copiæ ab Antiochia prælium redintegrarent. ſimul leuis armatura hoſtium grauem armis Flandrum eluſura facilè erat. Nec vana ſuſpicio

Comitis fuit. Turcarum noua manus Artaſiam conuenit: Flandrúmque, eruptionem cum tentaſſet, intra mœnia compulſum oppugnabant. qua re Ducibus nunciata, ne fortiſſimus vir in periculo diu verſaretur, iter accelerarunt. Ante eorum aduentum diſcedunt hoſtes, põtémque Oronti fluuio ſuperimpoſitum æquo ferè ab Artaſia Antiochiáque ſpatio diſtantem, præſidio valido firmant: ac ad capita eius munitiones ducunt, vlteriorémque ripam locis opportunis inſidunt, necubi vado reperto noſtri tranſire poſſent. Præmiſſus Robertus Normaniæ Dux pontem occupare, deturbaréque Barbaros conatus, nube ſagittarum ab hoſte coniecta obruebatur, nec facilè ſigna explicare poterat, quòd in arcto res gerebatur, locúſque & genus pugnæ pro hoſte erant. Omiſſo igitur vano cœpto, fluuium tentat, ſi tranſmittere vlla parte queat. Hoſtis ex ripa ſuperioréque loco Normanos flumine impeditos, ſubiectóſque telis acriter impigréque premit. Dum virtus Normanica pertinaciáque non cedit, trahitúrque certamen, vniuerſus Latinorum exercitus in conſpectum venit. Ea res effecit vt Turcæ cederent, Normanus pontem occuparet. Ita ad duodecimum Calendas Nouembres peruétum Antiochiam. Ea vrbs Syriæ caput eſt. Septem millia equitum, viginti millia peditum Turcicæ iuuentutis eò conuenerant, illam per ſe propè inuictam virtute defenſuri. Commeatum, arma, tela intulerant: omnibus rebus vrbem, ſéque munierant, firmarántque, vt erumpere per occaſiones, infeſtáque circà omnia hoſti facere, ac ſi caſus ita ferret, obſidionem quanuis longi temporis ſuſtinere poſſent. Vrbs ipſa & natura loci, ſitúque, & opere, muris, propugnaculis, arcéque inexpugnabilis, tutáque. Ante eam ab oriente in occidentem porrigitur vallis agri opimi vberíſque, quadraginta millium paſſuum longitudine, latitudine inæquali: vbi arctiſſime coit, quatuor: vbi laxiſſime ſe in ſinum pandit, ſex millium, fontibus ac riuis irrigui ſoli, amœníque, ac humano propè cultu fœlicioris. Lacum piſcoſum intra duodecimum ab vrbe lapidem efficiunt fontes, riuúſque ex Oronte influens. Montes qui cum valle vtrinque decurrunt excelſi, perennes, perſpicuáſque, ac potu ſuaues edunt aquas: latera eorum leniter decliuia, & cultura læta, & domiciliis frequentia. fluuius Orontes per mediam vallem fertur, Antiochiámque alluit: íſque ab ea ad Seleuciam recepto quem emiſerat riuo, in mare ſe fundit, decem millibus paſſuum ab Antiochia, haud procul à Caſſio miræ celſitudinis monte. Igitur & mediterraneis & maritimis commodis vſibúſque Antiochia maxima Orientis vrbium initium ſumit à monte meridiem ſpectante: ita vt ab eo ſummo per decliue latus ad planitiem circunducti muri ad Orontem pertineant: qui fluuius ſe inſinuans ab occidente, mœnibus, & eius regionis monti tam appropinquat, vt ponte ſtatim tranſeatur: à tergo claudit mons tantæ amplitudinis, vt duobus iugis ſe attollens, ſpeciem duorum montium viſentibus præbeat. fontes ibi ſalubres etiam vberéſque oriuntur: ad hoc eſt magnificus aquæ ductus, quo fons Daphne in vrbem perducitur à tertio lapide. Vrbs editiſſimis locis impoſita, circunuallari, coronáve militum oppugnari non poteſt: egregiis etiam à valle planóque, vnde aſcenſus nitentibus æquior eſt, operibus propugnaculíſque firmata. Tota muro validiſſimo duplici ſepta,

trecentis ſexaginta turribus aſſurgentibus horrens, ac ſpecie minaci: neque Turcæ, niſi omnibus prius circà occupatis vrbibus, diutiſſime obſeſſam fame in ditionem acceperant, quatuordecim tandem ante concilium Claromontanum annis: nec magna modò, ſed & ſancta nomini Chriſtiano, quòd Petrus Apoſtolorum princeps in ea ſederit. Initio qui CHRISTVM agnouerant, Nazareni dicebantur: in hac primum Chriſtiani vocitari cœpti. Viginti prouincias illa ſedes ſacra iuriſdictione regebat. ex his quatuordecim ſuos Pontifices Metropolitanos habebant, cum ſuis quemque ſuffraganti-
bus. Sex reliquæ ſub duobus agebant, quos Catholicos nuncupabant, ipſo nomine magnitudinem vniuerſam oſtendentes. Orontes naſcitur inter Libanum & Antilibanum iuxta Heliopolim. Aduentu noſtrorum, ex finitimis intutíſque locis omnes Antiochiam commigrabant cum his quæ agi ferríque poterant. Non contemnendam horum manum noſtri ab vrbe intercluſere, interceperéque pecora agentem, onuſtúmque chariſſimis quemque rebus: ídque noſtris magno vſui fuit. Turcarum captiui cum interroga-
„ rentur de ſpe præſidióque vrbis, reſponderunt, Si ſani eſſent noſtri, vim inex-
„ pugnabilibus inuictíſque non intentaturos. Vrbem nequaquam Niceæ com-
„ parandam: præeſſe Caſſianum, duobus iuuenibus filiis ſubnixum, Bacmano,
„ ac Senſadolo, paternæ gloriæ nihil concedentibus: nouas Perſarum copias,
„ cum opus ſit, & ipſas iuſto prælio accurſuras, réſque melioribus fœliciori-
„ búſque quàm ad eam diem Ducibus Regibúſque geſtum iri. Hæc à captiuis odio noſtri dici exiſtimabantur. Res tamen ipſa inſpiciebatur, quæ diſſimulari non poterat. Primo ſtatim Latinorum aduentu hoſtis eos munitione caſtrorum prohibiturus erupit. Apulus Tarentinúſque impetum ſuſtinuere, dum reliqui opus faciunt. Acerrimum prælium non fuit, quòd propinquitas vrbis, telâque è muris miſſa Barbaros tegebant, & noſtri ſatis habebant hoſtem coërcere, ne turbare munitores poſſet. Commeatus copia ſuppetebat, quòd Syri Chriſtiani pii regionis incolæ in caſtra quicquid vſui erat comportabant, Latinis æquo precio commercantibus: & multi ex Antiochenſibus ciuibus, qui & ipſi religionis noſtræ erant, in caſtra furtim commeabant, edocebántque quibuſnam locis frumenta more Syrorum ſubter terram infoſſa occulerentur: & ipſe Caſſianus, quos oppidanorum ſibi fideles arbitrabatur, vltro ſubmittebat, vt res, animos, conatúſque ac ſtudia noſtrorum per eos comperta haberet: illos fallere non poſſe ſperans, quòd liberos vxoréſque in vrbe apud ſe relinquerent. Totius terrarum orbis oculi hoc bellum ſpectabant. Aegyptius Calipha odio Turcarum, à quibus magna opum parte ſpoliatus fuerat, lætus erat Latinorum in eam gentem bello: ſpe noſtrorum armis euerti, aut ſaltem imminui, debilitaríve Perſarum Imperium poſſe, & Latinos Duces parta victoria deducturos exercitum: ita nullo ſuo labore Aegyptios velut vacantia recuperaturos, quæ amiſiſſent. Oratores eorum mari in proximam oram delati, in caſtra venere: hortatíque ſunt noſtros, vt magno conatu cœptum bellum non prius quàm confectum omitteretur. Benigne auditi, ac cum muneribus dimiſſi, nihil fallentes. Satis ſentiebant Duces, non charitate noſtri ea illos dicere, ſed ex vſu præſenti

rerum ſuarum, ac futuri cogitatione. Cæterum ne fortunæ velut diuinitus oblatæ munus repudiaretur,miſſi cum redeuntibus domum Aegyptiis legati Latini ad ſocietatem belli armorúmque in Turcas confirmandam.Interea quod inſtabat,peragendum erat.Antiochia quibus partibus in planitiem vergit,quinque nobiles portas habet:vna orientem ſpectat, altera occidentem. hæ inter ſe vniuerſa vrbis longitudine (ea duûm millium & quingentorum paſſuum eſt)diſtant.In ſeptentrionem tres verſæ: harum vna ponti iungitur, quo palus ex fontibus riuulíſque ſtagnantibus effecta, & mœnibus continens tranſmittitur,altera mille paſſibus procul ab Oronte, tertia ponti eiuſdem fluuii commiſſa. Hæ pari inter ſe ſpatio diſtant. Portam Orontis, & eam quæ occidenti obiicitur, inobſeſſam reliquere Duces, quòd ille amnis ita alluit mœnia, vt niſi eo tranſito,ab altera ferri ad alteram ſigna non poſſint. ad eam quæ orientem ſpectat, propius metatus eſt Bohemundus cum Italis.exin Normanus, mox Flandrus, continentes huic caſtra poſuere.Magnus,ac Bleſenſis, hi omnia obtinebant ad portam vſque paludis, ad quam legatus Toloſaſque ſedebant.Dux vero Gotthofredus cum Euſtathio fratre mediam inter paludem Orontémque portam obſidebat,militantibus Ducis ductu auſpiciíſque Lotaringis,Friſiis,Sueuis,Saxonibus, Franconibus, Bauaris.omnes hi Duces ita tetenderant,vt munitionibus commiſſis vna omnino caſtra,ſed triquetra forma viderentur.Reſtabat vt Orontes frenaretur,vt noſtris tranſitus liber daretur. Igitur contractas ex lacu fluminéque naues mille paſſibus à ponte vrbis validis inter ſe vinculis iungunt, retinaculíſque ſiſtunt,ne ſecundo flumine laberentur.eaſdem pontis in modum ſternunt, & terra operiunt, adæquántque, vt velut per continentem non homines modò,ſed & iumenta ſine pauore ire agíque poſſent:ac ad vtranque ripam turres ex materia excitant. Nec Turca ſegne ocium terebat. iuuentute armata hunc naualem pontem noſtrorũ tentabat,ſi vi ſoluere, igníve corrumpere,aut propugnatoribus nudare,occuparéque poſſet. Ingens cœptum,pertinax conatus,anceps dimicatio:ſub noctem re infecta ſe recepit hoſtis, & ne ſæpius erumperet, Latini coactis fabris tignariis, quorum magna vis in caſtris erat, turrim ligneam ſatis procul excitant, ad portámque hoſtium promouent,vt circa eam munitiones facerent, ac tanquam caſtello obiecto intra mœnia hoſtem continerent.Hic quoque ingens certamen ortum,acriúſque quàm ad pontem naualem res geſta, quòd noſtri ſpem victoriæ ea in re ponebant,ſi hoſtem obſidione iuſta premerent: & Turca pro ſalute ſua pugnabat, & propinquitas vrbis recentem ſemper militem præbebat, qui feſſo integer ſuccederet.Ac ex muris tela coniiciebantur: ferro inuicti noſtri, igne armatæ propè toti vrbi ceſſere. Combuſta turris.Nihil intentatum reliquere noſtri, hoſtéſque.Tormenta Latini aduerſus exitum hoſtium collocarunt.Contrà & hoſtes turres portarum,& quicquid noſtros terrere, aut noſtri tentare poſſent, miſſilibus tormentis'que inſtruunt: non die, non nocte quies dabatur,capiebatúrve: nec Latinis cuniculi procedebant, alibi paluſtri limo, alibi ſilice indomito occurrente, alibi Barbaris tranſuerſos cuniculos agentibus. Et pons naualis noſtros quidem tranſmittebat, ſed permultos in-

tercipiebat hoſtis, quòd paucæ infrequentéſque cohortes turmæ'vè tranſi-
bant,nec magna manus committere ſe temere procul à munitionibus tutum
exiſtimabat,ne caſtra nudarentur,Orontéſque intercedens diſtineret. In Ca-
lendas Februarias res extracta erat,inopiáque noſtri iam tentabantur.ad hoc
aquæ tam ingentes ea hyeme fuere, vt in ſicco quieſcendi locus non inueni-
retur:cúmque tandem fame miſeriáque multi perirent, locus ſepulturæ va-
cans nullus extabat: aſſuetudinéque efferati, iuſta funeribus non ſoluebant:
nec extremum malorum mors,ac ne malum quidem viris fortibus habeba-
tur:fame occidere,miſerum indignúmque cenſebant, quam vinci rerum na-
tura prohiberet,cum cætera virtus aut domare aut ferre queat. vix duo mil-
lia equorum bellatorum ſupererant,cæteri aut inopia pabuli,aut militari fa-
me nulli rei parcente abſumpti.Sunt etiam inuenti qui corporibus hoſtium
vitam tolerarent: quidam nobilium cum ex caſtris clàm ſe ſurripuiſſent, ex
fuga à Tancredo retracti: in quibus Gulielmus cognomento Carpentarius,
& Petrus author ſacri belli:híque ob nobilitatem Vgoni Magno redditi, vt
de eis ipſe ſtatueret. Verbis grauiſſimis probríſque, vt deſertores ſignorum,
fratrum,commilitonúmque proditores,ſacræ cauſſæ præuaricatores,euerſo-
réſque increpiti,& nouo iureiurando adacti. Ac ne procerum animus laba-
re poſſet, eos Bononienſis confirmandos ſuſcepit: coactóque concilio eſt
„ hortatus,vt nobilitatem à parentibus virtute rebúſque geſtis partam, ſibíque
„ relictam,eiſdem artibus tuerentur, quibus illi quæſiuiſſent. Ad Antiochiam
„ Syriæ res geri,ſed velut in clariſſima omnium mortalium poſteritatíſque lu-
„ ce,nihil ibi geſtum ignorari poſſe:ſuam quemque mercedem ignauiæ, forti-
„ tudinis,ſanctitatíſque laturum, decus ignominiámve liberis relicturum.mil-
„ lies mori præſtare clariſſimis viris, quàm à priſtina ſua maiorúmque gloria
„ degenerare.tolerantia firmitudinéque animi & conſilio omnia edomari. ſi
„ Duces ſe inuictos tempore præbeant, inuictum etiam militem futurum,nec
„ tanto reliquo exercitui quicquam defuturum. Nec oratio magis quàm
authoritas exiſtimatióque Ducis mouit. Bohemundus, cui magis popu-
lare ingenium, vocatos ad concionem milites, qui iam in circulis de receſ-
„ ſu inter ſe agebant, alia ratione pectora verſauit, Se quoque hominem, &
„ neceſſitati naturæ obnoxium,fame tentari: ſed dum radices herbarum, ſtir-
„ pésque ſupereſſent,Turcarum perſeuerantiæ non ceſſurum.Obſeſſoribús ne
„ quàm obſeſſis duriora eadem videri? penuriam rerum grauiorem ibi credi,
„ quàm domi cuique ſuæ? Quoties in Europa in bellis domeſticis aſperiora
„ tolerata,vt ſuum quiſque finitimum hoſtem vinceret? Eadem non feremus,
„ quia in Aſia bellamus?& quæ perpetienda,ſi caſus ferret,bellum capeſſentes
„ nobis proponebamus,his neque firmitudinem animi,neque remedium adhi
„ bebimus?Omnia circà hoſtilia ſunt.Quam virtutem in aperiéda,ſi neque ho
„ minum neque cæli nos puderet, fugæ via præſtare per medios hoſtes coge-
„ remur,eam in expugnandis propinquis oppidis,réque inde frumentaria pro-
„ ſpicienda adhibeamus.Si quis vir eſt,prima luce me ſequatur. En ego ille in
„ menſis Siculis, epulíſque Tarentinis,ac mollitie educatus, non prius quàm
„ vobis ſatiatis cibum capiam.Si vel me mei fiducia,vel vos ego fallam, pergi-

te domum ad longinquam ſalutem,qua propinqua præſentíque indigere vos « conquerimini. Poſtridie ad eius caſtra vniuerſus propè exercitus affuit,o- « mnes collaudati. Tunc ne caſtra præſidiis nudarentur, delegit decem millia peditum,duo equitum,qui reliqui erant:itérque intendit ad nobile oppidum Arethuſam, vnde præſidium Turcarum validum erumpens commeatus in caſtra ferri prohibebat: locíſque incultis, ruinâque ædificiorum latebroſis, quatuor millia peditum in inſidiis locauit: cæteras copias in hoſtes præmiſſis equitibus duxit, haud dubius futurum id quòd vſu venit. Hoſtes qui ſuperioribus diebus multas cum frumẽtatoribus noſtrorum manus fugaſſent, gnaríque eorum extremæ inopiæ, rati non prælii conſerendi conſilio, ſed commeatus petendi neceſſitate adductos,caſtris egreſſos, ad primum pulueris conſpectum patefactis portis,in equitatum ruunt omnes equites. Eques Latinus initium pugnæ ſuſtinuit per ſe:cum ferre vltrâ non poſſet multitudinem hoſtium, ſuperuenit peditatus, paríque Marte dimicabatur. Procedente pugna noſtri conſultò ceſſere, vt in inſidias Turca præcipitaret, qui noſtros fame confectos tolerando diutino prælio impares fugere credebat. dum inſtat, opportunus dolo fuit.Senſim primùm noſtri cedebant, deindè cum tectus equitatu pedes longius ſe recepiſſet,equites quoque verſis concitatíſque equis ſe proripiunt quò iuſſi à Tarentino erãt. Vbi inſecuti Barbari prætergreſſi improuide ſunt inſidias,tunc ex latebris qui ſe abdiderant, cum clamore exurgunt, tergáque hoſtium cædunt: & qui formidinem ſimularant,ſigna obuertunt.ita à tergo frontéque cæſi hoſtes,pauci effugere,ingens numerus equorum captus,noſtríſque diuiſus.quæ res vires ſpémque Latinorum reſtituit, tutiórque fuit frumentatio noſtris per aliquot dies, quòd ex propinquis locis inopiam ſuſtentabant. Sed tot millibus Latinorum vlteriorum regionum ſubſidiis opus erat, priſtinâque fames redintegrabatur, ac in dies magis ingraueſcebat. longinquiores conatus audendi, capeſſendíque erant.Ne magnæ partis militum diſceſſu,reliqui ab aſſiduo, nihílque tuti reliquum faciente hoſte circunuenirentur,caſtra minora fieri placuit, egregiéque foſſis,aggeribus,vallo,turribus muniri, tormentíſque inſtrui, in mediíſque his contractioribúſque caſtris velut arcem caſtellum extrui, illíque munitiones alteras circundari. Perfecto opere Bohemundus aſſumpto Flandro cum duplici quàm modò manu, quàm longiſſime potuit in fines hoſtium eſt profectus. Omnes in agris, vt nullo à noſtris metu, qui fame miſeriis'que enecti credebantur, degebant. Ingentem igitur vim prædæ auertebat, cum Barbarorum manus ingens vndique coacta noſtrorum agmen abigendis pecoribus ferendis'que oneribus impeditũ adorta, primùm tumultum iniecit, deinde cum Latini reliquis abiectis arma tantum teláque ac animos expediſſent,impreſſionêmque facerent,tergà dedit:longe plurimi cameli ſunt intercepti: quæ præda lætior commodiórque viſa ad leuandum onere militem. Reditus Tarentini Flandri'que mira lætitia eorum qui remanſerant, in caſtris exceptus eſt, quòd cum præda commeatúque veniebant: & eorum diſceſſu caſtra tentata fuerant ea parte, quæ Anicienſi euenerat, ægréque à ſagittarum telorúmque coniectu, & conniſu Barbarorum defenſa fuerant:

Tunc minus ferox eſſe cœpit hoſtis, refectúſque in aliquot dies miles. Exin obſidionis lentæ tædium militis animos, & renaſcēs ſemper inopia omnium rerum rurſus afficiebat, cum allatum eſt,ex Halapiana Satrapia, Damaſcenáque Tetrarchia aduentare auxilio Antiochenſibus duodetriginta millia armatorum. Antequam hæ copiæ propius accederent, ne à duobus ſimul hoſtibus interiore ac exteriore caſtra premerentur, conſtitutum, vt omnis equitatus prima vigilia per pontem naualem è caſtris educeretur ad id campi quod inter Orontem & Lacum in anguſtum coit. Hoſtes ponte ſuperiore tranſierant. Mane cum ſuperueniente hoſte pugnatum eſt.locus, virtus, numen victoriam Latinis dedit: & quia in arcto dimicabatur, vbi non magna hoſtium pars capeſſere pugnam poſſet,circiter duo tantum eorum millia cecidere:reliquis ſpatium loci temporíſque ad ſalutem datum.plus etiam equorum captum, quàm hominum occiſum. aliquid etiam commeatus inuentum, quòd Turcarum conſuetudo fert, vt ſine folliculis farina plenis in expeditionem non eant. Cæſorum capita Latini partim tormentis in vrbem miſere, partim in conſpectu pro muris haſtilibus præfixere. Conuenerat inter Caſſianum exercitúmque auxilio accurrentem,vt ille ex vrbe erumperet, hi exteriores munitiones noſtrorum adorirentur. ancipiti certamine, & prima luce Caſſianus interiori parte caſtra oppugnabat, ſperans iamiam affuturos ſocios Satrapas. Reditus victoris, nouúſque lætitiæ index ſublatus clamor,illum mœroris luctúſque plenum in vrbem compulit. læta triſtibus, vt res humanæ ſunt,miſcebantur. Sueno, Dani Regis filius,cum mille quingentis equitibus cruce inſignitis tranſmiſſo ad Conſtantinopolih Boſporo iter Antiochiam ad reliquos Latinos faciebat. Inſidiis Turcarum ad vnum omnes cum Regio iuuene cæſi. Nec mari ſegniter res geſtæ. Veneti circitèr ducentas omnis generis naues, quanta claſſe ad eam diem nunquam nauigarant, inſtruxerant, ornarántque, Præfectis Henrico Contareno ciuitatis Epiſcopo, & Michaële Vitale Ducis filio. In Dalmatia remigium expleuere. Ex Ionio mari in Aegæum curſum tenuere. Iam & Piſani Rhodum occuparant, & Genuenſes vt Antiochiæ obſeſſoribus ex propinquo ferrent opem,proximam maritimam oram ad oſtia Orontis claſſe ſociis nauálibus militéque egregie inſtructa ornatáque obtinebant. Veneti deſcenſione in Ioniæ oram facta Smyrnam cepere, ac Lycii, & Pamphylii, Ciliciíque maris littus legebant. Igitur Itali maris poſſeſſionem nacti. Simul vt terreſtris exercitus aliqua re iuuaretur à claſſe Italica, Tarentinus Toloſasque cum quinque millibus peditum profecti, à Genuenſibus commeatus, nouóſque fabros materiarios, ac ferramenta ad opus faciendum, cum arctiore premere obſidione, clauderéque Caſſianum in animo haberent, accepere. Cum ingenti ſarcinarum numero redibant. Agmen ducebat Toloſas, claudebat Tarentinus. Ex arce vrbis editiſſima id conſpicatus hoſtis, cum robore præſidii in noſtros impetum facit, porta à caſtris maxime auerſa. Toloſas proximum montem cepit. iumenta cum ſarcinis, híſque qui ea agebant, fuga diſſipantur. Bohemundus milites ſuos omnes incolumes in tumulum ſubduxit, ſéque Raimundo coniunxit. Bononien-

fis audito tumultu ſuos è caſtris raptim circunduxit, omnéſque in armis eſſe à Ducibus iuſſi. Aduentu Bononienſis, qui locis ſuperimpendentibus tegebantur, ſe periculo eripuere, ſignáque in hoſtẽ ancipitia obuertêre. Acriter pugnatum. Cecidit Bachmanus Caſſiani filius fortiſſime dimicans: Interea quicquid reliqui militis in præſidio vrbis erat, patefacta porta ad templum Barbaræ religioni ſacrum loco editiore conſtitere, vt à perſequendis ſuis noſtros deterrerent. In hos Bononienſis ſuos duxit, imparíque certamine ſuccedens, ab hoſte loci commoditate freto recipere ſe cogebatur. Tarentinus Toloſáſque, vt parem gratiam referrent, fuſo ſuo hoſte ante ſigna procurrentes, illum corporibus ſuis texere. Creſcente certamine noſtri alios alii exhortantes, redintegrato clamore, ac impreſſione facta, locum tenuere, intraq; portam hoſtem compulere. Hoſtium ad quinque millia eo die cecidere, ad ſeptem millia capti, inter quos fuere decem nobiliſſimi Turcarum Duces. Latinorum circitèr mille ducenti deſiderati. Iumenta quæ cum oneribus diſpalata fuerant, recepta. Pars ſpoliorum hoſtium ad mare in claſſem miſſa, ſignum victoriæ: & Syri rurſus Latinos iuuabant. Simul Balduinus ab Edeſſa equos, arma, tela, pecuniam in caſtra mittebat, rem frumentariam expediebat: vérque appetebat, triſtitia diſcuſſa, lætiora omnia effecturum: & Caſſiano ſuæ clades moleſtiores erant, quòd quotidianis eruptionibus nouam ſemper etiam in victoria iacturã ſentiebat, illi minus in paucitate tolerabilem, quàm noſtrorum multitudini. Sed cum in caſtra confluerent Græci, Cappadoces, Armenii, Syri, & aliæ præterea gentes, quæ noſtræ religionis eſſent, nec excludi à noſtris ſacram profeſſi militiã venientes pie poſſent: Turcæ, aut Turcicarum rerum ſtudioſi, periti linguarũ earum inſtitutorúmque, mutato cultu caſtra ingrediebantur: conſiliáque Latinorum explorata perferebant ad ſuos: vt nihil iam arcanum foret. Cum ea de re Duces concilium haberent, cenſeréntque aliqui conſtituendum eſſe ſanctius ac magis arcanum pauciorum delectiſſimorúmque concilium: Bohemundus, Ego, inquit, vos hac cura leuabo. Proripiénſque ſe è cœtu procerum, produci iuſſit quos Turcarum captiuos in cuſtodiam tradiderat. Inſolens, ac neſcio an ferum inhumanúmque factum proditur, hos pro caſtris propalam iugulatos verubus figi, & ſubiectis prunis torreri eum iuſſiſſe, mirabundíſque omnibus clara voce dici, id eſſe Bohemundi obſonium, pœnáſque de ſpeculatoribus exploratoribúſque ſumptas. Atrocitas ea res Latinorum ignoratiores Barbaris ſecundum eam diem fecit. ſed veram etiam virtutem induſtriamq; Tarentinus præſtitit. Author fuit, vt collis qui ſupra ipſius caſtra in orietem vergeret, occuparetur, caſtellóque muniretur, quòd id magnam vim habiturum eſſet ad frenandas eruptiones hoſtium. Toloſas id munus depoposcit, collaudatúſque, operis, & arte ſuorum ſtruxit, tutandúmque ſuſcepit. Suſpicione duplici, ſordium, ac ignauiæ, ad eam diem laborauerat, à qua tunc egregie ſe vltro vindicauit: & fortuna occaſionem alteram præbuit. Ex perfugis compertum eſt ingentem vim pecorum in vallem à caſtris auerſam ex vrbe propulſam. Tancredus circuitu montis homines pecorâque abegit,

notatúsque ibi locus cœnobii diruti, vbi si castellum fieret, pro circunuallatis tandem hostes haberentur, auxiliísque intromittendis via intercluſa esset. Igitur locus ruderibus purgandus muniendúsque Tancredo obuenit, qui regio animo munificentiáque ad eam diem vsus, iam fortunis adeo exhaustis erat, vt oneri ferendo non foret, nec suo sumptu illud opus obire, tutaríque præsidio posset. Tolosas parcus imbellísque antè vulgo dictus, non paruam argenti vim Apulo contulit, ac celebris esse popularitate cœpit, parénsque militum vocitari. adeo in contrarium animi vertêre. Hæc opera eruptionibus assiduis ferro ignéque armati hostes corrumpere conati, semper cum clade repulsi, multos suorum amisere, ac iusta tandem obsidione clausi. Cassianus vero partim cæso, partim fugato exercitu qui auxilio veniebat, desiderato maiore filio, summis Ducibus amissis, flore præsidii interempto, cum nullo terrore, tædióve temporis nostros soluere obsidionem videret, inducias in diem certam petiit, impetrauítque, dictitans illas esse propinquæ deditionis pignus: cœperéque velut fido pacis commercio in vrbem nostri, Barbari oppidaníque in castra commeare. Erat Antiochiæ, vt maior pars authorum tradit, Pyrrhus nobilis indidem ciuis an incola, & religione & stirpe Turca. Is potentes vrbis nostros effecit. Tyriorum Pontifex totam rem Hemirpherro acceptam fert. eum fuisse Antiochensem ciuem, Cassiani scribam, sed Christianum, ex familia Benizetra, hoc lingua nostra est loricatorum soboles, incertum vnde sumpto nomine. qui per insitum, sed dissimulatum odium, ira corruptæ à quodam Turcarum nobilissimo vxoris incensus, simul rebus Cassiani deploratis, prodendæ cum præsidio Ducéque Turcarum patriæ consilium ceperat: vtque occultius id moliretur, ex omnibus Latinis vnum Tarentinum delegit, ad quem ipse deficeret, Antiochiámque traheret, fama admirationéque virtutis eius permotus. Et continuis cladibus præsidio Turcarum ad pauciſſimos redacto, Cassianus cogebatur partem rerum oppidanis administrandam tradere, commune periculum dictitans: odio enim inuidiáque Orientalis maiestatis, & diuitiarum auiditate Duces Europæ inopes miseróque ad diripiendas nobilissimas vrbes Asiæ, dignitate'que spoliandas venisse. Arcem, & alia loca præsidio, stationibus, vigiliísque firmare necesse erat: nec omnibus muneribus fungi soli hi poterant qui Turcarum reliqui erant: trecentæ præterea, vt ostendimus, & sexaginta turres cum tanto murorum orbe custodiri nisi adiutoribus oppidanis non poterant. Hemirpherro turris quæ duarum sororum dicebatur, iuxta portulam obuenerat. Ea res fortunam attulit, ratióque rei conficiendæ per fidos est composita internuncios. Cum expectatione occasionis tempus trahitur, compertum est Corbanam Persarum Imperatoris Satrapen, delectu Persarum habito, gentiúmque omnium quæ Persis parerent, quàm maximum poterat exercitum scripsisse. Nec spes parati auxilii latuit Cassianum, militésque eius, quorum quidam vnum ex nostris Latinorum Ducum virtutem laudibus cælo æquantem, cum Barbarus nostros contrà verbis obtereret, rixa exorta interemit: eóque tumultu, qui

noſtrorum erant in vrbe, in caſtra: qui hoſtium in caſtris, in vrbem ſe recepere, nulla re niſi mutuo metu tuti ab hoſte. Rupta inducarum fide, noſtri Perſarum nobiliſſimæ fama gentis aduentu ſoliciti, cõſultant quid agendum in re trepida ſit. Stephanus Comes Bleſenſium, qui primas prudentiæ partes ſibi opinione hominum vendicarat, per cauſſam valetudinis Alexandriam, non illam illuſtriſſimam omnium Aegypti, ſed Syriæ propinquam Antiochenſium finibus ſeceſſit, nõ ſolus, ſed magno comitatu: circitèr quatuor millia militũ eum ſecuta ſunt. nec aberat ſuſpicio id metu potius quàm morbo factum, ſimulatúmque. vix tertia pars militum Latinorum ſupererat, aliis alio caſu fatóve abſumptis, abſentibúſve. Si toto exercitu obuiam hoſti exteriori tantis copiis aduentanti occurreretur, fore, vt ſoluatur obſidio, Caſſianúſque tergo inſtet: ſin nihil moueant, verſa fortuna, ſe qui obſideant, obſeſſum iri, famêque per ignauiam ignominiámque perituros, incruento victore hoſte. Quòd ſi copiæ diuidantur, & qui maneant, & qui egrediantur, infirmos imparéſque ſuo vtroſque hoſti fore. Dum in ancipiti re conſilium non expediunt, Tarentinus, cum omnes antè celatos voluiſſet, Eſt mihi facilis ratio (inquit) Antiochiæ capiundæ, nullo ſudore, vulneréve aut periculo veſtro. Concedite mihi eam meíſque in omne tempus habendam, poſſidendámque, hoc biduo mea erit: tunc cum vniuerſis copiis, de tanta vrbe ad quã ſeruandam veni, victoria parta, obuiam perculſo conſternatóque hoſti acres ibimus. Tota res Tarentino permiſſa, vno Toloſate diſſentiéte, nec tacitum ſinente, in communi labore præcipuam eſſe mercedem Bohemundi. Cæteris aſſenſu miro approbantibus, orantibúſque vt præſentes difficultates quocunque pacto diſcuterentur, Tarentinus clàm admonuit Hemirpherrum, tempus eſſe fidei rebus confirmandæ. Is filium obſidem dedit, ne dolo captare noſtros videretur. Bohemundus per Coronam militem Tarentinum præmonitis ſociis Ducibus, hora noctis cum Hemirpherro compoſita copias ſuas ſilentio circunduxit ad eam turrim quam obtineri ab Antiochenſi ſciebat: nec ſtatim admiſſus, quòd Turca Vigiliarũ præfectus non ita res oppidanis credebat, vt non ipſe omnes circumiret, ac ſæpe repentinus inopinantibúſque ſuperueniret. & tunc forte eam turrim inuiſens, ſalutato benigne Hemirpherro, collaudatóque quòd id temporis vigilaret, eius fidei virtutíque cuſtodiam commendauit: inde digreſſus alias inuiſebat. Tunc ſcalæ demiſſæ, vt noſtri conſcenderent: primúſque in muros euaſit Longobardus nomine Paganus, animóſque cæteris fecit, vt certatim tranſcenderent. pluribus appoſitis ſcalis, muríſque in proximo occupatis, ac portula refracta, cæteri milites Ducéſque ingreſſi: orta luce mœnia tota in poteſtate erant. Metus antea ceperat oppidanos, coniurationem Turcarum factam, vt ciues trucidarentur, ignis tectis ſubiiceretur: & tunc vrbe à noſtris capta, timor animos eorum inceſſerat, ad cædem incendiáque coortos Barbaros, vt quæ vrbs diutius retineri non poſſet, ne gloria obſeſſoribus eueniret, ſolitudo fieret. Turcæ ad clamorem captæ vrbis, cùm opem ferre non poſſent, ac Latinos oppidanóſque metuerent, in arcem maximã pars conceſſere: dum alii diuerſi effugere contendunt, cædes late tenuit;

Turcarum domus familiâque prædæ,ludibrio, pœnæ'que fuere: non vxoribus,non paruis liberis temperatum per impotentem iram. aliqui ciuium interempti vel per errorem,vel ſtudio prædæ,cum diripientibus reſiſterent. ad decem millia cadauerum fuere. Ingens magníque precii rerum præda facta.Pridie Calendas Iunii vrbs capta,octauo amplius menſe obſidionis.Pauciſſimorum dierum commeatus repertus,ac quingenti circitèr reliqui ex tanto numero equi. Caſſianus in præſens fuga elapſus è telis noſtrorum, dum grauis annis circunfertur in montibus, à Syris occiditur. Senſadolus eius filius ætate florens, vigénſque,fugam expediuit, eodémque die Corbanæ occurrit.Is in itinere,ne hoſtem à tergo relinqueret, Edeſſam defendente Balduino tentarat,aliquótque dies oppugnando aſſidendóque ibi egerat: ac ne interea Antiochia,in quam orbis terrarum oculos animóſque verſos euentus expectatione ſciebat, amitteretur, re infecta mouit.ad triceſimum ab ea lapidem peruenerat,cum ex Senſadolo occurrente edoctus eſt vrbem ita captam,vt arx retenta ſit:noſtróſque quanuis ſpecie victores, inopia rerum neceſſariarum laborantes, interiore ac exteriore parte premi poſſe, arctiúſque obſideri,quàm obſederint. Poſtridie Antiochiam peruentum, caſtráque poſita primùm in planitie patente, deinde & in radicibus montis, & in ipſo monte,vt auxilia in arcem intromitterentur. Mons (vt oſtendimus) eſt editus, vrbique impendens,biceps, ac ita diſcriminatus, vt duo montes credi queant, valle ſatis alta dirimente. Qui vertex Orientem ſpectat, humilior eſt, ac lata in ſummo planitie, bona etiam patentéque pecori paſcendo: qui vero in Occidentem vergit, multo ſublimior, ac propè in mucronem faſtigiatus. In hoc iugo arx eſt natura operéque munita, ab oriente ac ſeptentrione præcipiti loco inuióque, ab occidente ſubeſt depreſſior collis, ac ſatis caſtigato cliuo, vallis nec altitúdine nec latitudine ingenti: quà, ſi nemo arceat, in vrbem iter eſt. Arx accerſere reciperéque auxilia externa poteſt exteriore parte, quam ipſa in poteſtate imminens habet: ſimul interiorem hoſtem magis terrere quàm timere. Noſtri eam tentantes, re infecta ſe recepere. Foſſam tantum vallúmque duxere, ne impune vim faceret præſidium. Nec Latinis Satrapæ aduentus improuiſa res fuit, vt qui ex captiuis exploratoribúſque omnia comperiſſent: ac tantum momenti vna nox, vnúſque Hemirpherrus fecerat, vt niſi prodita Antiochia, perituri poſtridie cuncti viderentur: eáque cauſſa extiterat proditionis maturandæ. Conſpectis ſignis Perſarum, arx maiores animos ſumpſit: & Latini ne obſidione clauderentur, caſtella munitionéſque quæ obſidendis Antiochenſibus obiecerant, retinere in poteſtate contendunt. Iam res in certamen ducta, omnia loca vno eodémque tempore diuiſis ſignis muneribúſque hoſtes tentant, ex arce, è collibus, è planitie inſtant ſigno dato Perſæ. ad caſtella acerrime pugnatur, impigre res geritur, nemo ſibi parcit, vulnerum obliuio pectora dimicantium ceperat, mortis cogitatio aberat. non reſpirandi, non reſpiciendi tempus locúſve relinquitur, non ſauciis ſe recipiendi, non feſſis integri recentéſque ſuccedere poterant. omnia luſtrant, circumeunt, adoriuntur Barbari. Bononienſis erumpere conatus,

retro compellitur. Flandrus cum castellum quod Tolosas ante receptam vrbem obtinuerat, ipse tunc sibi attributum ad cæcam vsque noctem ægre defendisset, diffidens loco, incendit, suósque incolumes reduxit, & reliqua extra vrbem vel vi à Corbana capta, vel amissa retinendi spe, deserta: maiórque metus nostros incesserat, quàm qui Antiochenses Cassianúmque à nostris ceperat, quòd illis quanuis exiguo commeatu, nisi prodita vrbs fuisset, rem extrahere in aduentum auxiliáque Persarum facile fuerat, qui vtique exempturi vrbem erant obsidione: nostri neque commeatu nisi breuissimi temporis, neque spe auxilii tam procul domo sustentabantur. Velut igitur rebus deploratis, ac certa remanentibus pernicie, Gulielmus Maisuilla, cui soror Tarentini nupserat, & Vido Trussellus noctu per funem è muris se demisere, ac ad classem cum se recepissent, res perditas esse dictitabant. simul Perses, ne mutuo auxilio classis vrbsque niti possent, non contemnendam partem copiarum ad mare misit. Ita Præfecti classis, velut explorata hostibus victoria, neque liberam sibi, neque tutam eis locis stationem rati, naues soluerunt: contigítque vt Blesensis cum longo solicitóque itinere in Græci Augusti prouincias peruenisset, audirétque Alexin Philomeli esse, ad eum se contulit. continuò affuit etiam Trussellus. Cæsar tandem toto terrarum orbe armato, ne gloria religionis defensæ Latinis cederet, ingentem suorum exercitum scripserat, Vidóque Bohemundi frater cum Italico supplemento, & alii Latinorum proceres illi se coniunxerant, opem Ducibus in Syriam laturi. Augustum cupidissimum cognoscendi status Antiochensium rerum, initio belli mouendi perculit metu reditus ex Syria Blesensis Comitis prudentiæ fama inclyti, opulentissimíque, ~~quem in concilio~~ Ducum Latinorum primas partes authoritatis maiestatísque obtinuisse cognouerat. Trussellus quo metu deseruerat Antiochiam, eo illam ita captam dictitabat, vt nostri verius capti proditíque viderentur, cum ipse necessitati paruisset, séque ex certa peste rapuisset: nullos cõmeatus in vrbe fuisse, spémque inferendi petendíque sublatam, obsessis clausísque à nobilissimo Persarum Duce, innumerabilibúsque copiis. Hæc vere commodéque dicebantur; si aut dicta, aut accepta fuissent in eam partem, vt quo arctiores res essent, eo maturior Augusti fides imploraretur, id quod Vido timiditatem ignauiámque desertorum increpitans faciebat. Alexis vero suas res integras florentésque cum Latinorũ Ducum si non perditis, saltem accisis, aut certe dubiis consociandas non censuit: arma cepisse magna spe sua, æmulationeq; ingenti toto terrarum orbe Latinorum gloria: nunc tempora fortunæque vim in consilium admittenda: in præsens egregie sibi consultum, si victoribus forte Turcis tutari se suáque possit, nec necesse sit quas ciuitates habet in Asia, eas ne prædæ cædíque sint, in Bulgariam traducere. Ita antè quàm moueretur, omissum est illud à Græco bellum, magno nostrorum Ducum decore, qui à suis alienísque deserti, relictíque, suprà quàm à mortali expectare quisquam potuisset, præstiterunt, ac humanas necessitates deuicerunt. Blesensis omni genere ignominiæ notatus à Ducibus fuit, quoad nouo exercitu coacto, aliquanto pòst Hierosolymitano bello non minorem virtutis

bellicæ quàm prudentiæ gloriam promeruit. Vido dimiſſis à Cæſare Græ-
corum copiis, diffiſus paucitati ſuorum, vltrà procedendum ſibi non exi-
ſtimauit, dum certior de rebus fratris fieret. Interea noſtri Antiochiæ in-
genti in periculo verſati ſunt: ac propè caſus tulit, vt quemadmodum fur-
to capta fuerat Antiochia, ita & amitteretur ipſa, noſtríque in poteſtatem
barbarorum vniuerſi venirent. Secunda vigilia hoſtes turrim propinquam ei
qua noſtri recepti fuerant, per negligentiam cuſtodum ſilentio admotis ſca-
lis occuparant. triginta iam conſcenderant, ſubeunte maiore multitudine,
cum Henricus Aſca Moſſellanenſis propinquus excubitor ſenſit, ac cũ duo-
bus cognatis ſuis Francone Sigimaróque contrà aduolauit, ſigno dato, vt
ſubſidio veniretur: captam partem vrbis. tanta in re vndique concurrebatur.
ac ne in nocturna trepidatione noſtrorum, Corbana alias partes murorum
tentaret, ſi forte ad vnum locum tutandum contendentibus cunctis, aliquid
indefenſum, nudatúmque cuſtodibus inuenire poſſet, Duces diuerſi omnia
circumiuere, luſtraueréque. Cæſis qui iam intrauerant, turris recuperata: cæ-
teri ſubmoti. Reliquum noctis ſolicitum fuit, omnium animis pauore atto-
nitis tanto caſu tam propinqui communis excidii. Furtorum pericula o-
mnes metuebant. Prælium vera virtute committendum depoſcebant. Præ-
miſſo caduceatore vt poteſtas fieret legatis tutò eundi ad Corbanam, pro-
fecti duo ſunt, Petrus Eremita, & Herluinus. Is linguæ Turcicæ non igna-
» rus. Ambianenſis intrepide apud Satrapen cauſſam religionis orauit: Si le-
» gibus humanis diuiníſque diſceptandum ſit, Antiochiam, & quicquid hoc
» bello à noſtris partum ſit, Chriſtianorum Imperii extitiſſe: ipſam Antio-
» chiam à principe apoſtolorum Petro, cultu idolorum, falſorúmque deorum
» veneratione ſemel liberatam, nunquam à noſtra religione defeciſſe: nunc
» oppreſſam armis Turcicæ de Numine perſuaſionis, à Ducibus Latinis priſti-
» næ cauſſæ reſtitutam: nec quicquam reliqui eſſe, cur relabi eam conueniat
» ex ſolida libertate in barbaræ ſectæ compedes. Sin legum pudor nihil valeat
» inter arma, petiit Herluinus, vt veræ virtutis periculum fieret. Ex Ducibus
» Latinis deligeret Dux Perſarum, cum quo cæteris ſubmotis congrederetur:
» vel ſi maior manus placeret, plures Duces cum pari numero Ducum certa-
» turos: aut gens cum gente, exercitus cum exercitu æquo loco ſigna confer-
ret. Corbana exiguum corpus erat, ſed ſpiritibus ingentibus. Reſpondit vi-
» ctoris eſſe conditiones ferre, legéſque dicere: nec victos Latinos, quandò for-
» tunam ſuam vel ignorarent, vel diſſimularent, generis mortis optionem ha-
» bituros: eorum Duces, qui domeſtica miſeria ac inopia adducti, Orienti bel-
» lum vecors intuliſſent, in vinculis ad Perſarum Imperatorem miſſurum ſe,
» vt de eis ille ſtatuat Perſarum legibus, ſuóque iudicio: militum vulgus non
» prius quàm fame illuuiéque ſemianimes in ſeruitutem recepturum: ſic quo-
» que quos eorum videbitur, vt infœlices arbores, ac inuiſas Soli, terríſque
» graues, ſucciſurum. Hæc Gotthofredus renunciata in vulgus edi vetuit.
Dum paucis diebus obſidio trahitur, fames ingraueſcit, pigritiáque ſubit
pectora: luctus mœſtitiáque animos afficit: tædium vitæ inceſſit. Mili-
tes tectis ſe continebant, in publicum non prodibant, extrahi à Ducibus

vocêve præconis non poterant, mortem (quod mallent) hoſtium ferro, vel (quod miſerrimum viro forti) fame expectabant. Conſenſu procerum Imperium vniuerſum, ſummáque rerum, quoad Antiochenſis res expediatur iis quibus tenebatur difficultatibus, Bohemundo committitur. Is vbi nullo pudore, nullo imperio, nullis minis, nullo ſolatio extrahi è tenebris in lucem milites ad munera quiſque ſua poſſunt, ignẽ paſſim tectis ſubiici iubet: ad duo millia domorum, adiuuante forte coorto vento, conflagrauere. Ita milites neceſſariò ſui copiam fecere. Acceſſit res, quæ ex ſumma diffidentia ſummam alacritatem effecit. adeo in bello res in contrarium facilè vertunt, ac quod nemo votis auſus eſſet expetere, ſibíve ſpondere, vltro ſe mortalibus nonnunquam offert: nec quicquam altius quàm religio in hominum pectora demittitur: nec, ſi mentis cæleſtis fieri coniecturã apud mortales fas eſt, vlla in cauſſa numinis vim ſtudiúmque magis quàm in hac támque neceſſario tempore tunc ſperare laborantibus cõueniebat. Nobiles ſacerdotes prodiere perſancte aſſeuerantes, Se nocturna ſpecie admonitos, irẽt, nunciarẽntque Ducibus, militibúſque, Deum opti. maxi. flagitiis noſtrorũ iratum, quòd non humana ope fuſo fugatóque Solymano, beneficii cæleſtis immemores, minus reuerentes ſuperûm extitiſſent: eos caſtra, quæ initio velut templũ fuiſſent, inceſtaſſe, impiæque religionis mulieribus ſe immiſcuiſſe, diſcrimine ſublato cuncta promiſcua feciſſe. Idcirco numen pœnas fame, concluſione, ac metu propinquæ mortis expetere cœpiſſe. niſi ad frugem vita, mens ad ſanitatem redeat, ſecurim ceruicibus imminere, quæ poſſit lacrymis, ieiunio, ſacráque confeſſione placato numine auerti. Petrus ſacerdos Maſſilienſis eadem ſibi quoque pectore obuerſata dictitabat, & ad fidem faciendam addebat, Per quietem ſibi diuinitus in æde Petri demonſtratum locum, vbi alte obruta abditáque lancea latitaret, quæ domini latus in cruce confodiſſet. Eam ſacroſancto ſanguine imbutam, de impiis triũphum victoriámque daturam. Productus in concionẽ hæc diſſeruit, à legato iureiurando adactus rem ita ſe habere, vt & verbis concepiſſet. Myſteriis altaris peractis, itum reuerentiſſime ad prædictũ à numine locum: Refoſſa lancea, ſublatus eſt multitudinis clamor, approbationis religioníſque plenus. Laus deo, gratiæq; actæ, fides cæleſtis implorata, indictum tridui ieiunium, ídque quod egeſtas neceſſarium fecerat, oraculo ſanctum effectum, Sacra confeſſione flagitia expiata. Quarto Calendas Iulias ſumma omnium alacritate arma capta: nec minus ſacerdotes quàm Duces ſigna circũibant, numen piis adeſſe, ſi non minus animos religione fiduciáque, quàm dextras ferro armarent. auderent ductu auſpicióque cæleſtium cum hoſte confligere: non multitudinis, nec mortalium virtute, ſed voluntate ſuperûm victoriam dari. Lanceam ſanctam legatus ferebat, ſancta ſpe animos replens. Præfectus arcis Turca vbi ex loco ſuperiore vidit noſtros ad pugnam parari, coiréque frequentes, eius rei ſignum, quod conuenerat, Corbanæ ſuſtulit: ſimul ne, id quod facturus videbatur, eruptione vrbem relictam inuaderet, Toloſas cum ſuis ei obiectus, in vrbe remanſit: cæteri Duces ſigna extulere. Matutino quidem tempore, ſed ſummo forte æſtu vix portis exierant, cum ros ſolito vberior cælo lapſus

eſt:& id pro diuino imbre à noſtris acceptum,non magis corporibus robur, quàm vires animo addidit,numen profecto huic aciei adeſſe. Animos militum hac perſuaſione affectos, Duces præterea oratione acuebant: ſubiicie-
» bántque,quòd victores Latini cum victis barbaris pugnaturi eſſent,non gra-
» uiorem tunc hoſtem Turcam ac Perſen futurum, quàm in Bithynia in illo
» acerrimo prælio fuerit, cum nullodum periculo virtutis fortunæ'que acie
» iuſta facto,recenti dolore iráque Niceæ in oculis expugnatæ,vxoríſque cum
» liberis captæ ſtimulante manus cõſeruiſſet. Nunc cis Taurum Aſia exactum
» Perſen,vrbibus nobiliſſimis cis Euphratem,vlterioribúſque nudatum, à ſuo
» Rege Regum ipſo deſide,ferrum & Latinũ robur horrente,miſſum eo con-
» ſilio, vt Antiochiam eximere conaretur obſidione, cunctabundum ac diffi-
» dentem ſegne iter feciſſe, tempúſque ignauia & metu triuiſſe, adeſſéque vt
» eos ſeruet,qui iam nulli ſint:montes occupaſſe,vt in campeſtri planitie victus
» receptum fidum certúmque habeat, ignotíſque Latino militi ſemitis ſaluti
» ſuæ conſulat.ſed victis nihil tutũ futurum,ipſa muta loca incoláſque in gra-
» tiam victoris hoſtilia infeſtáque omnia fugientibus facturos.nec ſpem modò
» certam exploratámque vincẽdi datam noſtris, ſed neceſſitatem excluſis pro-
» cul à patria: nullo terra,tot faucibus clauſtríſque montium & naturæ inter-
» cedentibus,receptu: nulla maris ſpe,claſſe Latina littorum appulſu prohibi-
» ta:nullo Antiochiæ commeatu.nec illa mœnia in fame obſidionéque defen-
» ſura,quos ſua dextra in acie non texerit.Ita viris ſuopte ingenio inuictis,for-
» tiſſimíſque,acerrimum neceſſitatis telum additum: ſimul præmia virtuti pa-
» ria parata,opes Gazáſque ditiorum beatiorúmque quàm validiorũ Regno-
» rum Imperiorúmque. Sultanos Caliphaſque ac Satrapas in vinculis habitu-
» ros.Ab occidẽte ſeptentrioneq; profectos,imperaturos regioni intra quã Sol
» oritur,qui orbẽ terrarũ circumlatus viſurus ſit nihil niſi eorũ virtute vel do-
» mitum,vel adminiſtratum. redituros domum quenque ſuam ad coniuges li-
» beróſque.fore vt omnia igni feſto colluceant,ſacris canticis perſonent: per-
» petuæ gloria, ſempiternitatéque ſeculorum,immortali laudis celebritate vi-
» uant. Simul ſingulæ gentes ſuo quæque decore excitabantur.Anglos,Sco-
tóſque,ac Danos eius ætatis bellicis rebus excitatos,inſitum etiam robur, & non minor animorũ quàm cæli ſolíque durities,indomita aſperitas, ac mortis contemptus erigebat. Germanis nomen Imperii,ſummúmque tituli faſtigium,ac ingenita vis pectoris,alacritatem addebat. Gallis res fortiter piéque ac fœliciter geſtæ, ſimul ſua nobilitas, maiorúmque decus animos faciebat. Italis memoriæ obuerſabatur vetuſtas gloriæ,ac leges terris datæ. Nulla denique gens domeſticis ad virtutẽ excitamentis non ferebatur ad virtutis ſpecimen eo die oſtendendum.Nec Corbana ceſſabat ſuos inflammare cupidi-
» tate gloriæ.vetus Perſarum imperium verbis in cælum ferens, Turcarum ar-
» ma triumphis trophæíſque nobiliſſima,egentes populos propẽ generatim ex
» Europa in Aſiam commigraſſe. Quotam eorum partem ſupereſſe, qui acie
» in Bithynia cum Solymano pugnarunt? & eos qui reliqui ſint, amiſiſſe illas
» quibus feroces venerint vires, ſpiritus illos priſtinos eis cecidiſſe, quòd Aſia
» illa minore potiti, quod magnum initio videri poterat, id parui ad vniuerſi

belli ſummam ſpem referre ſerò ſentiant. Hæſiſſe ad Antiochiam plus octo menſes,& eam ipſam furto interceptã. Nunc vera virtute rem geſtũ iri, quod antè hoc bello non vſuuenerit. In Bithynia non veras vires Perſarum conflixiſſe, ipſam nobilitatẽ Perſicam abfuiſſe. Hic non gentes modò Perſis finitimas, ſociasq;, ſed Perſas, ac ipſos Imperatoris Perſarũ intimos fidosq; ac inuictos amicos prælium inituros, ducturósque militem viribus, opibus, generoſitate, robore, numero, delectu præſtãtem, in homines inopia, illuuie, ſquallore, fameq; confectos, qui exiguas reliquias ſpeciei hominũ gerant, multumq; ab illa qua in Aſiã eruperint, indole degenerarint. Animatis ita vtrinq; militibus, acies ſtrui cœptæ. Siniſtrum cornu Vgoni Magno, extremũ Anicienſi, ſacræq; lanceæ, vbi plurimum eo die fiduciæ, interius datum. Dextrum tenuit Tarentinus, Bononienſis eodẽ in cornu interior conſtitit. Normanus Apulusq; mediam aciem rexere. Antequã confligeretur, alam delectorũ equitum Satrapes circummiſit, vt terga noſtrorũ in pugna adoriretur. Quod Duces conſpicati, detractas ex ſua cuiuſq; gẽtis acie cohortes, turmasq;, quot neceſſe videbatur, appropinquantibus oppoſuere, præfecto illis Reginaldo Venuſino. Iam conſerebatur prælĩ. Perſæ nõ omnes ſimul, nec pari conatu in pugnã deſcenderunt: in dextrũ Latinorum cornu, quod monti propius erat, robur Barbarorũ irruit. Tarẽtinus eos præſtanti animo excepit, memor victoriæ in Bithynia de eiſdem hoſtibus virtute ſua ſuorũmque partæ: nimirum quodam fato primis Turcarum conatibus ſe oppoſitũ. & cæteræ aciei partes fiducia eius in ſpem erectæ, ſe loco ſuo cõtinebant, non ſolũ vt ſpectarẽt velut iam certum euentum, ſed ne promouendis ſignis reliquos hoſtiũ adhuc quietos, in ſe à fronte, à latere, à tergo excirẽt. Pugnat acerrime Tarentinus, veluti toto terrarũ orbe armato, ac ſpectante omnẽ molem in ipſum vnũ incubuiſſe: nec locũ ignauiæ celandæ datum, nec lucẽ virtuti cognoſcẽdæ defuturã. Plures Barbarorũ q̃ Latinorum cadunt, ſed horũ paucitas grauius afficiebatur, q̃ multiplici hoſtes damno, quorum multitudo vel vulneribus ſuis cædeq; ferrum hoſtiũ hebetarent, viresq; laſſitudine cõficerent. Igitur cum extremũ illud cornu diutina pugna affectũ, languensq;, prælĩ remitteret, ac eo ferocior hoſtis inſtaret, Bononienſis interior promouere cœpit ſuos, vt latus Perſarum aduerſus Tarẽtinum pugnantiũ, ac acrius ſigna inferentiũ, tranſuerſus aggrederetur, ferociamq; contunderet. Aduerſus id cõſilium paratæ aliæ copiæ à Corbana demiſſæ, tanta ingruerunt vi, vt ſatis pulchrum illi foret ſuos à clade tutari. nec Normanus Apulusq; tertia Perſarũ acie iam ſe fulgentibus ſignis cõtra ſiquid moueretur, oſtendente, progredi tutũ arbitrabãtur. Tandem cũ graui armatu æſtuq; meridiano feſſos noſtros barbari exiſtimarẽt, media quoq; acie pugnari cœptũ, ac ad Anicienſem prælĩ peruenerat atrociſſimum. Minor vis Vgonem vrgebat, quòd longiſſime omniũ à Corbana monteq; aberat. Itaq; Frãci qui Vgoni Magno parebãt, flagrantes auiditate maioris pugnæ, ac veri decoris, ægreq; ferentes ſe non magnã partem rerũ in ſe vertere, fuſo aduerſo hoſte ne ſegnem ſtationẽ agerent, opem Reginaldo aduerſus frequẽtiſſimam alam pugnanti ferre ſtatuerant, ne ſi ea parte vincerent hoſtes, in noſtrorũ terga pugnarent: cum eques citus à dextro cornu venit, vt auxilio laborãtibus iretur,

quòd Tarentinus Bononienſisq; ægre vim hoſtiũ ſuſtinerent. Ita mutato cõ-
ſilio circumuectus Francus,ſiniſtrũ hoſtium cornu à tergo inuadit:illi multi-
tudine freti,ancipitia ſigna ſtatuũt.Prælĩ cruentũ fit,nullus ſegnis ignauúsve,
dextræ vis,robur pectoris,vigor animi ſe profert.ingens paſſim cædes,cumuli
corporum coaceruãtur,auiditas cruoris,rabies,furor,impetus veſanus graſſa-
tur,omnia peruadit,victoria nutãs,ſpes metusq; anceps.Reginaldus pręcipuo
diſcrimine laborat,ala equitum nobiliſſimorũ premente,cui etiã Solymanum
præfuiſſe ſunt qui tradũt:nec barbaros potuiſſe,niſi ope diuina vinci. Baldri-
cus Dolenſium Pontifex illius temporis æqualis cõperiſſe ſe ſcribit ex his qui
interfuerant,oblatam hoſtibus ſpeciem trium procerũ humana ſpecie augu-
ſtiorum,qui albentibus in equis ſedẽtes, ingens agmen pari cultu corporis ha
bituq; oris ex editiſſimis locis aduerſus hoſtes ducerẽt.hos nõ ab omnibus,ſed
à quibuſdã noſtrorum viſos,creditosq; eſſe martyres Georgium,Demetrium,
Mercurium:nec deinde barbaris animũ mentémve aut cõſilium ſuppetebat,
conſtabátve:apud eos omnia formidine fugaq; continuo plena fuere. Quod
vtiq; conſtat,Corbana ingens Latinorũ terror,qui primũ vt Antiochiam de-
fenderet,profectus fuerat,deinde recuperaturus aderat,ſubiici ſtipulis ad id, ſi
quid cõtingeret,deſtinatis ignem iuſſit, vt eo quod cõuenerat ſigno ſe ſui re-
ciperent. Prima omniũ ala ſe in montes recepit, deinde omnes copiæ ſenſim
illuc concedebant: inſtãtibus deinde noſtris,trepide terga dedere.Saluti mõ-
tes q̃ plurimis fuere,quos expeditus miles leuisq; eques facilius tenere metiriq;
curſu poterat,q̃ noſtrorũ grauis armatura,cataphractusq; equitatus.plus cen-
tum millia hoſtiũ cecidere,noſtrorũ quatuor circitèr millia ducẽti.ad quinq;
millia camelorũ cum oneribus,& magna cõmeatus vis capta, caſtraq; omnis
fortunæ,regiæq; opulẽtiæ plena. Poſtridie arx amiſſa ſpe ſubſidii dedita,pacta
vt ſine fraude qui in præſidio erant,dimitterẽtur.In conſilio dum de ſummis
rebus ageretur, peruicit Toloſas, vt nobiliſſima legatio Byzantiũ mitteretur,
quæ,ſi videretur,Antiochiam Græco redderet, quòd in id omnes iureiurãdo
adacti erant,vt quicquid hoc bello caperetur, exceptis Hieroſolymis,Græco
Auguſto cederet.Iuit Vgo Magnus.Græcus eã deditionẽ nõ accepit,ſiue cõ-
ſcius fœderis à ſe nõ ſeruati,& opis ſecundũ expugnationẽ Niceæ noſtris tot
inter miſerias oſtentatæ nõ latæ,ſiue ratus dolum ſubeſſe:quod vtrumq; ſcri-
ptores tradũt.Nos facilè adducimur,vt credamus Alexin gnarũ Bohemundi
in ea vrbe conſilio ipſius capta partes validiſſimas eſſe,Antiochia abſtinuiſſe.
ſimul ab eo Latini petebãt, vt ipſe per ſe hoc bellũ capeſſeret,nec antequam
debellatum eſſet,diſcederet. Auguſta maieſtate indignũ exiſtimare poterat,ſe
ſequi,nõ ducere videri, nec ſui arbitrii fieri ius ſuſcipiendi,deponendiq; belli,
nullum finem niſi nõ Turcis modò ſed & Aegyptiorum Caliphis Sultaniſq;
euerſis.Et Antiochiæ morbi ſæuiebãt.Victoria opulentiſſima ex ſumma ino-
pia, cunctarũ rerum incredibilẽ copiam omnis generis diuitiarum nõ ad ne-
ceſſitatem modò, ſed etiã ad delicias luxumq; attulerat. nemo egens,beati o-
mnes locupletesq; fruebãtur præſentibus bonis, priſtinum quoq; deſiderium
abunde affatimq; explentes. Ex hac repentina præcipitiq; in contrarias partes
mutatione cultus victusq;, ſiue alia cauſſa,coorta peſtilẽtia quinquaginta cir-

citèr mortaliũ millia abſũmpſit. Periit Anicienſis, non tam ea cõmuni lue,q̃ ægritudine ex labore laſſitudineq; contracta. Ante prælĩ in re diuina,placãdisq; ſuperis,in prælio cohortandis excitandisq; & cõſilio & exemplo virtutis militibus,ſecundum victoriam in ſupplicationibus habendis,gratiisq; numini agẽdis, purificandisq; luſtratione tẽplis, ſacrandisq; quæ barbari omni nefario ſcelere profanarãt,opera eius ſingularis,ac diuina extitit. Dum ſibi nulla in re ſancta parcit,exceſſit è vita,magno ſui deſiderio. Milites Ducesq; velut paréte orbati luxerunt & vita & morte fœlicẽ. Turcarum enim,in quorũ excidium conſpiratio ſacri belli facta fuerat,deletũ Imperiũ eo ſignifero credi poterat, Solymano opibus exuto, Caſſiano extincto,Corbana fuſo,fugato,plus centũ millibus Perſarum vno prælio cæſis,Antiochia Orientis arce capta,defenſaq;. Bellum integrũ illibatumq; aduerſus Aegyptios Sultanũ Caliphamq; gerendum erat,minoris molis futurũ, quòd Aegyptii viribus inferiores erãt Turca quẽ noſtri deuiciſſent. Sed Aegyptii iam arte cõſilioq; nitebantur. Cum eorũ oratoribus domũ redeuntibus miſſi, vt oſtẽdimus,fuerant noſtrorũ legati ad ſocietatẽ armorum in Turcas cõmunes hoſtes confirmandã. Hiq; primis vtiq; diebus neceſſariò manebãt apud barbaros,vt mandata cõficerent:deinde nõ inuiti morabantur,vt genus illud hominũ locaq; cognoſcerẽt. Poſtremo ſubinuiti retinebantur,nouas ſemper moræ cauſſas fruſtrationesq; innectentibus Aegyptiis, gente callida, & ad quãlibet auram famæ,viciſſitudinesq; fortunæ mobili. Belli euentũ expectabant,illũ in conſiliũ adhibituri:ex eoq; pendẽtes cum noſtris ſocietatẽ armorum in Turcas verbis iniuerant,nihil re mouerãt. Capta vero Antiochia,Corbana magna cæde victo,noſtris quidẽ acie victoribus,ſed tot caſibus ac peſtilẽtia tandẽ ſæua ad paucitatẽ redactis,velut ytriſq; cõfectis exanguibusq;, ipſi integris viribus belli alieni fructum opimũ percepturos ſe ſperabant: & armis conſilium addidere. Finibus ſuis terraq; mariq; egreſſi circunducebãt legatos noſtros,quos in poteſtate habebãt, illosq; earũ vrbium ciuibus præſidiisq; oſtentabant,quæ adhuc in ditione Turcarũ erant. Ita & oppidani religione noſtri,& Turcæ qui ſolis Latinis impares ſe experti fuerãt,vim ſimul noſtrorũ Aegyptiorumq; ſuſtinere ſe poſſe diffiſi, ſegniores ad vrbes arcesq; tutandas erant. Nec ignobilia modò oppida,ſed & ipſa Hieroſolyma iam in ditionẽ Aegyptiorum redierant, & Turcarũ Imperator Satrapæq;,qui rerum potentes pleni maieſtate venerationi terris fuerãt,è ſummo gradu deiecti,& ab alienis & à ſuis cõtemni cœperant. Latinis vero res lætæ, nouos amicos ſociosq; conciliabãt. Haſarchi oppidi Præfectus ab Halapiano tyranno defecerat. vterq; Turca erat. Non erat dubium,quin Halapianus Haſarchũ copias admoturus eſſet,ad contumaciã vindicandã. Præfectus Edeſſam ad Balduinum de amicitia ſocietateq; miſerat:filioq; obſide dato,cũ iam obſideretur,peruicerat vt Latini auxilio ſibi accurrerẽt,periculoq; eximerent. ac ne animo interea deficeret,quia itineribus intercluſis alii nuncii mitti nõ poſſent,eius oratores epiſtolã caudæ columbæ, quam cum in legationem proficiſcerentur,domo ſecũ attulerant,alligauerunt:illamq; ex cõpoſito remiſere. Ita Prẽfectus certior factus,egregie ſe tutatus eſt,quoad noſtri appropinquare dicerẽtur. Toloſas,Tarentinus,Bononienſisq; rogatu Balduini opem obſeſſo

ferebant,læti occaſionē oblatam militis exercendi;& ex lue Antiochenſis pe ſtilentiæ in aliud cælum educēdi.Soluit vltro tyrannus obſidionem, noſtriſq; inſidias idoneo loco tetendit:nec hæ fefellere.In iuſtam aciē deſcenſum.Triginta circitèr millia Latinorum erant,hoſtium quadraginta millia,quorū decem millia cecidere. Præfectus noſtris occurrit, victoriam gratulatus: gratiarumq; actione functus,munera magnifice dedit,ſeq; noſtrorum fidei cōmiſit. ſed ita Turcicæ fidei credendū erat,vt cauerent ſibi Latini,omniaq; in ſua poteſtate haberent,nec ſe opportunos dolis facerent,cū etiam ipſi Edeſſani religione noſtri iam ſuſpectos noſtris gererent animos.Offendebantur quòd Balduinus penes quē in ſe ius imperiumq; ipſorum beneficio foret,Belgarū tantum opera fideq; in republica priuataq; vteretur.grauabātur etiā multitudine noſtrorum,qui alii ſuper alios ex vrbe Antiochia Edeſſam ſe recipiebant,nec dimittebantur niſi ampliſſimis muneribus honoribusq; cumulati.Coniuratio â nobiliſſimis ciuibus facta,vt vel ipſi quacunq; ratione Balduinū tollerēt,vel Turcarum inſidiis opportunū præberent.Balas Turca,de quo Sororgiam receptam oſtendimus,dictitabat ſe ſuis inuiſum,quòd amicitiā Latinorum amplecteretur: periculūq; eſſe,ne populariū fraude vive interimeretur:id ſe vno modo vitare poſſe,ſi arcem quā reliquam haberet,fidei Latinorum cōmitteret, ipſe cū coniuge liberisq; Edeſſam traduceretur. Si videretur, veniret Balduinus ad arcem recipiendā, ſeq; ex inſidiis populariū eripiendum.Profectus Balduinus, cū ingreſſurus arcem inuictā eſſet, abſterrentibus amicis,ne inexpertæ ſe fidei crederet,duodecim ſuorū nobiles intromiſit.Cōprehenſi,ac cōtinuò in vincula coniecti.Tam prope pernicie Balduinus fuit.Negabat Balas ſe Belgas redditurum,niſi reſtituta ſibi Sororgia.Fremens mœrensq; Edeſſam reuertit Balduinus.Indicioq; delato,ac cōperta ciuium coniuratione, de ſontibus ſuppliciū ſumpſit,Philbertumq; Carnutē,quē Sororgiæ prefecerat,edocet quid facto ſit opus.Ille vt iuſſus erat,prædatum in fines Balæ arci propinquos cohortes duxit,poſitis haud procul inſidiis.Turca pecora ex oculis abigi conſpicatus, indignationeq; motus erupit,tractusq; eſt ſtudio certaminis in inſidias.Sex Turcarū nobiles capti,permutatioq; cum pari numero eorū quos Balas per ſimulationē deditionis cōprehenderat, facta. Cæteros ſex in cuſtodia barbarus retinuit.Ex his quatuor elapſi: qua ira incenſo Bala,duo reliqui ſecuri percuſſi.Iam Turcarū fide infami,de Balduco Turca,cuius antè mentionē fecimus, pœnæ expetitæ. Pactus & ipſe cū vxore liberisq; Edeſſam cōmigrare,nouas ſemper moras ludificationesq; intulerat. In poteſtatē redactus capite luit.Edeſſanis rebus cōpoſitis,defenſoq; Haſarchenſi,Duces Antiochiā vnde profecti erant,regreſſi,de re Antiochenſi ambigebāt.Tarentinus arcem inſederat.Toloſas regiā quæ Caſſiani fuerat,& portam quæ ad pontem ducit, præſidio tenebat. Reliqui Duces iudicium facere ſuperſedebant,quia eorum neutrum offenſum volebant, ſegniorémve reddi ad reliquias belli perſequēdas.nec idcirco virtutis periculū fieri deſitum. Toloſas ad Albariam oppidū celeberrimū alteris ab Antiochia caſtris peruenit, idq; terrore in poteſtatē redactum,ſui iuris arbitriiq; fecit,ac Epiſcopū Latinum illi dedit è comitatu ſuo Petrum Narbonenſem,eumq; in æquam ſecum partē dominatus Imperiiq; in

eam vrbem accepit. Iam Calendæ Nouembres appetebãt exæuiente peſtilentia. Placuit Marrham validam nobilemq; vrbem adoriri. Toloſas, Flãdrus, Euſtathius, Tancredus eam prouinciam ſuſcepere. Propugnantibus Marrhẽſibus aliquot dies virtus cũ peruicacia dimicauit. Res exitum nullum habebat. Superueniens Tarentinus operibus virtuteq; expugnauit oppidum. Id Toloſas Albarienſium finibus cõtribui volebat, quos ſuæ Narbonẽſisq; ditionis fecerat. Dum reliqui Duces conſiliũ hac de re cogunt, Tarentinus Antiochiã reuolat, deiectoq; Toloſatis præſidio, occupataq; regia, & porta pontis, totã Antiochiam obtinet: vtq; antea Tarẽtinus omnino princeps vocitatus fuerat, ita Antiochenſium deinde Princeps dictus, nullũ inuidioſius auguſtiúsve nomen agnoſcẽs. Sub idẽ tempus deceſſit Arauſienſis Pontifex, vita morteq; ſanctus. Mœſti milites, ac cõtentione Ducũ conſeneſcere ſacrũ bellũ indigne ferẽtes, Marrhã incẽderunt. Minitabãtur ex corpore ſuo creaturos ſe Ducẽ, qui non cupiditati ſuæ, ſed CHRISTO militet, debelletq;, vt domũ tandẽ redire fas ſit. Toloſas gnarus cauſſam Bohemundi iuſtiorẽ militibus videri, diſſimulato dolore in hoſticum decem milia militũ ſeſe vltro offerentium cum equitibus trecentis quadraginta duxit, prædamq; ingentẽ auertit. Continuò Tancredus Normanusq; affuere, petitaq; Phœnice, Hamatha ac Emiſa vrbes forum rerũ venalium prębuere vili admodũ annona, ne ipſarum vreretur ager. Equorum paucitate laborabatur. Empti plus mille. Exin mediterraneam regionẽ emẽſi, maritimã oram repetiuere. Inſidiis barbarorum in itinere tentati, cædẽ in hoſtes verterũt. Antaradum oppugnare adortos, nox oppreſſit. Continuò metus inſtantis mali oppidanos ſilẽtio exegit. Poſtridie vacua vrbe noſtri potiti plena omni opulẽtia. Nullum præſidium à noſtris in ea collocatum: idcirco aliquanto pòſt illã barbari recuperarunt, firmaruntq;. Ad Arcen oppidũ caſtra mota, quod in ditione tyrãni Tripolitani erat. iſq; ducẽtos ferme noſtrorũ in cõpedibus habebat, variis caſibus interceptos. Arcen, quia primo impetu expugnari nõ potuerat, circũſedit Toloſas. Ea obſidio diutius ſpe tenuit. Interea qui procerum ad Antiochiã reſtiterant, Tarentinum in ea vrbe reliquerũt: vt qua ſolertia id caput rerum orientaliũ pepererat, eadẽ tutaretur: caueretq; ne quid ea parte moueri poſſet. Ipſi ante Calendas Martias mouerũt. Seleuciam cõtinuò itum, viceſimo ab Antiochia lapide vrbẽ maritimã, quæ ſola ex tota Syria Græco Cæſari parebat, vbi in cuſtodia aſſeruabatur Vimerius Bononiẽſis, quem edocuimus Archipiratam extitiſſe, ſed in Cilicia ſacram militiã profeſſum. Is vt Latinorũ opes in Oriente validiores efficeret, Græcos pellere conatus fuerat. Captus à Græco Præfecto, tunc precãti Gotthofredo Duci cõdonatus eſt: iuſſuſq; claſſe orã eam legere, ac noſtros iuuare, hoſti obeſſe. Inde Gabulla petita. Vrbs ea abeſt duodecim à Laodicea paſſuũ millibus. maritima eſt, & illuſtris. Præfectus erat Aegyptius à Calipha ſuo Sultanoq; impoſitus. Is aduentu Ducum quibus Antiochia nõ reſtitiſſet, territus, illis certũ põdus auri paciſcebatur, ſi adiuti cõmeatu pacati abirent. Hoſtem à tergo relinquere nolebãt: nec eum aliquid mari poſſe paſſuri erant. Ad Toloſatem Aegyptius clàm miſit aurum, vt arte aliqua Duces re infecta reuocarentur. Ficti euulgatiq; ſunt rumores, Perſas, quantũ nunquã antè, exercitũ ab intactis bello

extremisq; Oriẽtis regionibus coëgiſſe,appropinquareq;:neceſſe videri omnes Latinos omiſſis paruis conatibus in vnũ coire,ac vndiq; vires cõtrahere.Itum in Toloſatis caſtra.Rumores falſi deprehenſi,arsq; cognita.Magis inuiſus Toloſas proceribus,militumq; vulgo.Quin Maſſilienſis author ſacroſanctæ lanceæ effodiendæ, quia comes Toloſatis erat, ad nouam inuidiã illi cõflandam incuſari cœpit falſæ religionis.Is vt ſe purgaret,ad iudiciũ flammæ deſcendit: & aderat dies paſſo domino ſanctus.Circunfuſo exercitu ſanctã lanceam nudato corpore manu geſtans,per coaceruatorũ latè lignorũ ſtruem ardentem mediosq; ignes illæſus euaſit. Mox ad id miraculum ruente turba oppreſſus periit.Apud multos mors magis ambiguum fecit quod igne decretũ videbatur.Obſidio noſtros ad Arcen diu tenuit. Aliquot leuia prælia cũ Tripolitano Prætore erũpente facta.Victores Latini cõditiones impoſuere,vt quindecim Byzantiorũ millia noſtris numerarentur,cõmeatusq; pręberetur,vniuerſæ Præfecturæ Tripolitanæ parceretur:cui tũc Arce Byblusq;,& ignobilia quædam oppida cõtribuebantur. Captiui recepti. Tandem & oratores Latini ex Aegypto reuertere, legationemq; renunciauere, ac cõditiones pacis,quas ipſi quoq; damnabãt,Calipham eius gentis Hieroſolymis recepturũ Latinos,non omnes quidẽ ſimul,ſed trecenos quadringenósve,vt loca ſacra inuiſerent,ſacraq; facerent.Hæc vix auribus audita, animo minime recipiebantur. Lætior nuncius fuit,ad oram propinqui maris appuliſſe claſſem Genuenſium,Venetorumq;,ac Vimerianã,ſimul Berỳti Prætorem cõmeatum ad ſatietatem prębere,ne quid hoſtile pateretur.Sidoni cũ appropinquarent,nemo legatus occurrebat.Ea vrbs priſcis tẽporibus Tripoli contributa fuerat. Tunc ſuũ prætorem habebat.Ager euaſtatus.Non magna manus erũpens intra mœnia cõpulſa. Obſidio magni diuturniq; operis futura videbatur, nec operæprecium oſtendebatur ad vniuerſi belli diſcrimẽ.Ea vrbs,& quædã præterea ignobiles arces omiſſæ.Ad Ptolemaidem caſtra poſita,quæ & Ace iam inde antiquitus dicebatur:vulgo varie,modò Acconẽ,modò Acrin vocitant.Prætor cõmeatum præbuit,ſpondens intra viceſimũ à captis Hieroſolymis diem deditionẽ ſe facturũ.Ea fides vana euadet.Ad Cæſaream Palæſtinæ quarto Calendas Iunias ſolennẽ Pentecoſten celebrarunt,triduo ſtatiuis habitis.Deinde Ramulã deſertã à ciuibus præſidioq;, intrauere,refertamq; iis quæ reficiendo alendoq; militi ſunt.Ab ea Nicopolin mota caſtra,in quæ Bethleemitæ oratores venere ſupplices, vt auxilio patriæ protinus iretur, antequã barbara religio ſæuire in ciues pios templaq; noſtra poſſet,à qua ſuã ſæpe ſalutẽ ædesq; ſacras,ne diruerentur,redemiſſent.Iuit Tancredus opem tam opportune ferẽs,vt paratos iam barbarorũ ignes à ſacris profaniſq; arcuerit.Ciues enim piarum vrbiũ ab Aegyptiis captiuorum numero aduenientibus Latinis habebantur. Præcipue Hieroſolymorũ circumiectorumq; oppidorum incolæ primùm pendẽre pro ſalute ſua quamplurimũ quiſq; poſſet auri cogebãtur: deinde quos vis animi corporisve ſuſpectos faciebat, eos Barbari fortunis exutos, mœnibus exigebant,interempturi,niſi veriti fuiſſent ne Latinorum ira in hoc bello aduerſus ipſos atrocior fieret.Reliquos tanquã publica mãcipia ad opera per obſidionis tẽpus facienda diligenter aſſeruabãt. Tancredus primus excurſiones Hie-

roſolyma vſq; fecit,aduentãtibusq; Ducibus obuius rediit.Noſtri ad primum ſanctæ vrbis cõſpectũ procubuere,numenq; venerati,terræ oſculũ impreſſere. Hieroſolyma Titus Veſpaſiani filius euertit, Aelius Hadrianus haud procul ab eorum ruinis reſtituit,ita vt mons domino cruci affixo ſanctus, vrbe cõtineatur,qui ſuburbanus extiterat.Aelia vocitari à reſtitutore iuſſa. Quadraginta circitèr millia Latinorũ in caſtris erant,dimidia omnino pars bello idonea. Ita imminutæ copiæ noſtrorũ erant.In vrbe ingens vis propugnatorũ. Cingi obſidione nõ videbãtur poſſe,quòd ab Oriente meridieq; pręcipites deiectus excipiant.A Septẽtrione caſtra obiecta.Propiorẽ locum inſederat Bononiẽſis,proximus illi Flandrus,ſecũdum hos Normanus,cõtinuò Tancredus metatus fuerat.Toloſas ita ſe illi cõiunxerat, vt è regione portæ quæ Occidentẽ ſpectat,vallũ perduceret.Vallis intercedebat inter ipſum vrbemq;,quæ conatus eius debilitaret:tranſtulit partẽ copiarum ſuarum in montem.Quinto ab aduentu die Latini vrbem aggreſſi,terrorem ingentẽ intulere,coactiq; barbari relictis exterioribus ſubſtructionibus,vbi pro muris ſe virtute defendebãt,intra mœnia cõcedere,tam trepide,vt ſi ſcalas præparaſſent noſtri,non dubium eſſet eo die finẽ laborum futurũ. Sub noctem ſe in caſtra recepere.Poſtridie, vt nõ ſcalæ modò fierent,ſed etiã vt machinarum vis ſuppeteret,materia cædenda erat.intra ſeptimum lapidẽ nulla copia:vltrà progreſſi certatim ſummi infimiq; cædebant,cõportabantq;:ac paucis pòſt diebus magno apparatu,ſcalis,tormentis,machinis,vrbẽ tentant,inſtant,premunt:nihil ocii dant obſeſſis, ſibíve ſumunt:vires arteſq; promuntur.Conſilio virtuteq; res geritur,& is conatus irritus.Extrema ex Europa vẽtum illuc erat,vt ea vrbs reciperetur:eius rei gratia tot labores deſudati,tot tam magna prẽlia atrociaq; facta,tantũ ſanguinis fuſum:omitteretur res in ipſo cardine rei conficiendæ?cum exitus ſub oculis poneretur,animo audacia,pectori cõſilium,dextræ vires,menti cõſtantia,vigorq; deeſſet?Siti laborabatur,& tempore anni feruentiſſimo,& cælo æſtuanti,& ſolo torrido, vno tantũ prope vrbẽ fonte Siloë, & eo nõ perenni, ac interdum inſuaui,cæteris longinquis,& ab hoſte corruptis obſtructísve:& qui pauci intra quintum lapidem indicio piorum incolarũ inueniebantur,ad eos ſitiens hiansq; vulgus imbelle bellicoſumq; pariter cõuolabat. Colluctatio tunc fœda hominum inter ſe ac equorum omnia miſcebat, inquinabatq;: Immergebãt ſe procumbentes limo,turbidã ore haurientes aquam,tendebãturq; præcordia, pallor deinde rigorq; ac torpor exoriebatur, ſequebatúrque animi defectus,vt vix in caſtra recipiendi ſe vires corpori ſuppeterent. Duces vtribus comportandam aquam ex liquidis fontibus vlterioribusq; locis curauere . Militum precibus Tancredus & Toloſas ſimultatem inter ſe gerentes, in mutuam gratiam rediere.Obſecrationes habitæ,ſancta loca ſuburbana nudatis pedibus reuerentiſſime ſupplicum habitu peragrata . Sacra facta: Diuinum auxilium imploratum, quo humanũ etiam oblatum eſt. Genuenſes appulerant claſſem Iopen portum nobilem propinquumq;.Præerat Gulielmus Ebriacus:acciditq;, vt ex incommodo commodum exoriretur.Claſſis Aegyptiorum quæ ad Aſcalonem ſtabat, ſoluit,Genuenſium naues nequaquã numero viribúsve pares aggreſſura . Illi neceſſaria re coacti, raptis ex claſſe quæ

vſui Hieroſolymitanæ obſidioni futura agi ferriq; poſſent, corruptis nauibus, in caſtra vniuerſi ſe cõtulere: periti erãt omnis generis tormentorũ machinarumq;, & apparatus vrbiũ oppugnandarũ. Ab his nihil omiſſum quod in rem foret. Præcipua cura fuit procul à cõſpectu hoſtiũ ingenti mole turris fabricãdæ, quæ plicatilis eſſet, ac ſoluta per partes noctu cõportari in caſtra poſſet, vt cũ diluceret, ſuis coagmentata cõpagibus vrbi admoueretur. & hoſtes cõfirmabantur ſpe auxilii, ſi aliquot dies ſuſtinerẽt obſidionẽ. Ita enim inter Satrapas Barbarorũ tyrannosq; conuenerat. & caſus tulit vt colũba ſupra caſtra Latinorum volitans, accipitre opprimente ſe demittens à noſtris exciperetur, ſub alis eius inuẽta eſt epiſtola Arabicis & verbis & literis exarata. Ea per interpretem recitata, ſignificabat parari auxilia quæ obſeſſis mitterẽtur. Idcirco magis impigre noſtri anteuertendũ cenſebant. Hoſtes antè tormentis machinisq; tentati, ſeſe omnibus rebus inſtruxerãt. Aduerſus ictus noſtrorum muris prætenderãt ſuſpẽſas ſtorias, velaq; ex centonibus ſubcoactisq; ad tela hoſtiũ ictusq; tormentorũ ſine graui iactura excipiendos ludificandosq; confecta: ſimul miſſilẽ ignẽ pararant, ac (quæ Põtificis Tyrii verba ſunt) ſaccos ſtramine refertos. Prima luce noſtri tertiũ muros oppugnare incipiunt. Clamor vtrinq; tollitur. Duces ſuos quiſq; regione deſtinata ducunt: adſunt, hortãtur, rem gerunt. cæteræ machinæ promouentur. Turris repente excitata, ac, ne igni corrumpi poſſet, à fronte coriis recentibus ac percrudis inducta agitur, vrbẽ deſpiciẽs multiplici tabulato, vnde tormẽtis tela ingeri poſſent. Certatur, oppugnatur, propugnatur. Agger iacitur, addenſaturq;, vt depreſſiora loca expleantur, munianturq;, quà turris tutò agatur. In meridianũ tẽpus dimicatio laborq; trahitur. Aeſtus diei, ſitisq;, ac ieiunii & laſſitudinis vulnerumq; ſenſus aberat. Par vtrinq; pertinacia, par virtus, par animus, eadem ſpes, ſimilis fiducia, æquæ vires, nullumdum fortunæ diſcrimen, Mars cõmunis, niſi quòd noſtri, niſi expugnarent, pro victis erant diſceſſuri. Hoſtis victoria erat, nõ capi. Ferro igneq; vtriq; certabãt: barbari, vt machinas & in primis turrim ſparſo igne cremarẽt: noſtri, vt eadẽ ratione ſtorias & cætera fruſtrandis ictibus Latinorum obiecta incenderent. & aqua vtrinq; parata ad extinguendũ incendium effundebatur. Forte coortus ventus terga oppugnãtium afflabat. in frontẽ oraq; barbarorũ atrociter ſpirans, noſtris animos addidit, vt faces certatim maioreq; fiducia iacularentur, intorquerentq;. Hæ adiuuante vento inferenteq; facilè adhæſere, ac quæ barbari muris prætenderãt, flamma concepta abſumebant: nec opem aqua cõportanda fundendaq; aliáve ratione hoſtes ferre poterãt, quòd vapor fumusq; aduerſus loco quẽq; ſuo ſtare non ſinebat. idem Latinis minime officiebat. Ita nudatis ea parte propugnatore muris, adæquato ſolo, ſubſtructionibusq; expugnatis, via turri propius admouendæ facta. Simul quæ hoſtes in peſtem noſtrorũ parauerant, factũ eſt vt iis ipſi caperentur. Aduerſus Genuenſiũ turrim malum in muro erexerant, trabemq; tranſuerſam ſuſpenderant, vt eius interiore capite reducto, ac mox magna vi remiſſo, exterius in appropinquãtem machinã velut aries incuteretur. Contrà Lygur ſe falcibus muralibus inſtruxerat, ac ex propinquitate retinaculũ trabis cũ horrendo ſonitu ingruentis abſcidit, & humi ſtratam in tabulatũ ſuſtulit, in murosq; hoſtium porrexit.

Sors,consiliũ,ars iuuit.Frons turris ita scite structa fuerat,vt superior eius pars paruo molimine inclinari, ac tanquã pons protẽdi, cũ res postularet,in hostẽ posset. Firmitudo trabis pondus illud superimpositũ facilẽ sustinuit, vt ausus fuerit primus Gotthofredus in muros hostiũ transcendere, miraculo virtutis etiã cæteris nostrorum attonitis.Insecutus eius frater Eustathius,ac deinde alii atq; alii.ita ea regione muri occupati,refractaq; porta,& omnes intromissæ copiæ.Cædes barbarorum tota vrbe facta.Ad templũ Solomonis eorum proceres refugêre,vbi paulisper prælium recrudescens tenuit.Ab Aegyptiorũ nullo temperatũ.Quarto Nonas Iulias vrbs sancta recepta.Postridie humãdis corporibus,purgandaq; vrbe opera insumpta.Templa etiã lustrata, Supplicationes habitæ,Gratulatio facta.Quos barbari exegerãt,reuocati ciues.Qui seruilibus in ministeriis habiti fuerant,libertati restituti. Hierosolymitani vniuersi Latinis Ducibus gratias egere,quòd sibi patriã,se patriæ restituissent.Compositissima oratione collaudarũt, quòd pro religione,pietate,orbis terrarum salute,rerum immortalitate, seculorũ omnium securitate res humanis maiores cõfeciſſent,numenq; in eis haud dubie eluceret, quorum diuina incredibiliq; virtute res sacræ incremẽta,Latinum nomen pristinũ decus,sancta terra cultũ ciuis regisq; sui CHRISTI recuperasset.Petrum Eremitam amplexabantur, laudibus haud immeritis cumulabant.Restitutorẽ parentemq; vocitabãt,fœlicem munere sanctæ legationis,& euentu belli, in cælum oratione ferebant. Diuelli nõ poterant,deducebant,reducebantq;.Ducibus antiquissima omniũ cura fuit,vt Rex Hierosolymorũ fortis piusq; eligeretur.Difficile erat virtutis nobilitatisq; ac meritorũ iudicium delectusq;.Regnum in medio positum est, omnes peræque summo nomine digni,maximo omnes animo.Nullũ discrimen cur alii aliis anteponantur. Vbi hac nostra ætate tanta modestia,tam incorruptũ cupiditate dominandi pectus,tam sancta,& vltro se in ordinem cogens ciuilitas,æquitasq; mentis? Nulla in sancta ciuitate ambitio,nulla prehẽsatio,nulla largitio. Ad Robertũ Normanorum Ducem vltro regnũ delatũ. Natus erat inuictissimo sapiẽtissimoq; Rege.Comitatũ addixerat,Ducatumq; opulentissimũ nobilissimumq; oppignerarat,vt CHRISTO militaret.Si domum redeat,nõ videtur aliquid sui liberũ solutumq; habiturus vbi consistat. Spes magna oblata rem illi abstulit.Accidit fama Gulielmũ Anglorum Regẽ eius fratrẽ sine liberis decessisse . Domũ spectare cœpit perfecto sacro bello, cũ iam & cæteri de recessu cogitarent. Gratias proceribus egit,ac tanto de se iudicio:esse alios tantæ maiestati ferendæ.Henricus eius frater minor rumorẽ domi emiserat, captis Hierosolymis Robertũ Regem creatum,sacrã terram patriæ prætulisse.atq; ita Rex Anglorum ab suis salutatus soliũ inuasit.Vtroq; regno Robertus caruit.Hierosolymis vero rursus coacto cõcilio,Gotthofredus Dux sanctæ terræ Rex designatur. Is non armis tantum,sed & cõsilio & religione ingẽs erat.Franci eum obseruabãt,quòd in Francia natus esset,patre in Regia gratiosissimo,patruo Pontifice Parisiorum,eodẽ in amplissimo magistratu.Germani suum ducebant,quòd sub Augustorũ signis meruisset.Itali colebant,quòd magnus eius auunculus Stephanus primùm Antistes Cassinatis tẽpli,cœnobiiq;,deinde Pontifex maximus prisca sanctitate sedisset,octauo

quidem menſe ſedis ſuæ defunctus,ſed ingenti gloria,quòd eccleſiam Mediolanenſem ad officium reuocaſſet,ducenteſimo anno ex quo ab Romana deceſſiſſet:& in Italia Gotthofredus militauerat auſpiciis Cæſarum,ſecunda virtutis modeſtiæq; ac clementiæ fama.Proinde trilinguis,ac veluti triplici patria ſacro bello cunctorũ animos in ſe vertẽs,eos inter ſe quoq; deuinciebat,alioqui ſolitos amaritie verborũ dictorumq;,vt inter diſſonas moribus oreq; gentes aſſolet,decertare.Non deerant Hieroſolymis qui regnum darent: deerant qui regnum acciperẽt,gererentq;. Negauit Bononienſis ſe in ea vrbe auream coronam ſumpturum, vbi dominus deusq; ſpineam geſtaſſet. Regia poteſtas ſine Regio nomine inſigniq; ei credita. Adiutorem depopoſcit Tancredum ſummum bello Ducẽ:eiq; attribuit Tiberiadem, ac vniuerſum Galileæ principatum.Bohemundus,Balduinusq;,quorũ alter Antiochiæ, alter Edeſſæ reſtiterat,quòd in Europa nomina in ſacrũ bellũm dederant,religione ſe adhuc teneri rati, nec ſolutũ quod coniurarant,non alibi quàm Hieroſolymis arma poſituros,in ſanctam vrbem venere.Nec Aegyptius animum deſpõderat.Ad Aſcalonem tantæ copiæ ex gentibus ditionis eius à ſociisq; & fœderatis cõuenerant,vt hoc bello ſacro maiores in vnum non coierint.Magnus apparatus,animi ſuſpenſi,expectationeq; euentus pendentes.Latini humanæ opis auxiliiq; nihil ſibi reliqui fecere.cæleſtis numinis præſidiũ ſumma religione implorarunt, memores in protegenda piorum cauſſa,paucitatis virtutem, fiduciamq; cæleſtis auxilii, de numero impiorum fidem excedente victoriam reportaſſe.Ac ſi vnquam,tunc maxime ſuperi à piis ſtetere.Barbari,cum noſtri appropinquarent,quos ne primum quidem conſpectum ſuum laturos crediderant,comperta eorum alacritate, velut Panicis acti,ac quaſi oculis animoq; eorum truci Latinorum ſpecie obuerſante,fuga formidine ac amenti cõſternatione affecti,ſtrage etiã oppreſſi ſunt. Tunc quoq; plus centum millia cæſa feruntur.Præda tanta parta,quanta nõ antè,ſi omnia huius belli prælia in vnũ conferantur. Reditum Hieroſolyma: Aedes ſacræ patefactæ:abſterſo cruore Duces militesq; ad aras procubuere,in numen hymnos cõcinentes, quòd victorias victoriis cumularet,nouosq; ſemper de Barbaris triumphos præberet. Literæ in Europam ad Pontificem Maxi.Regesq; datæ,ac miſſi qui gaudium ingens nunciarent,cõfectum Turcicum bellũ,Aegyptios cæſos,Orienti iugũ impoſitũ, ſummis noſtrorum Ducibus incolumibus ſacrũ Regnum recuperatum,ac CHRISTO redditum.Vrbs Roma & pia Regna dies feſtos egere: omne genus hominũ,omnis ætas,ordo,tẽpla reuerentiſſime circumiere:ſacra facta:nullũ lætitiæ religionisq; genus munũsve prętermiſſum.In Oriente vero Gotthofredus Tancredo adiutore vrbẽ ſanctam multis locis vi bellica dirutam,ac muros tormẽtis quaſſatos reſtituit.Ciues incolasq; ita inſtituit,vt quãmaxime fieri poterat,Latinis moribus rituiq; aſſueſcerent. Bohemundus Antiochiam in ſuum Principatum, Balduinus Edeſſam in Comitatum ſuum ſe recepere.Toloſas Seleuciam rediit,quòd ibi vxorem fidei Græci Prætoris cõmiſiſſet:ac reliquum vitæ perſequendis in Oriente impiis dicauit.Cæteri proceres domum reuertẽre pleni gloria, diuitiis, nobiliſſimo apud poſteros, ſi vt admirari,ita & imitari in animum induceremus,exemplo virtutis,religionisq;.



AETERI Duces receptis Hieroſolymis, Imperioq; trans Euphraten propagato, ſe perfunctos ſacro bello,ac prouinciam cõfectam arbitrabantur: Gotthofredus vero memor rerũ humanarũ, quæ barbaræ religionis Regna virtute noſtrorum procerum interiiſſe videri poterant, ea illorum diſceſſu ad priſtinam rerum potiendarum ſpem reuiuiſcere poſſe exiſtimabat: nec Latinorum opes,quanuis florentes,totq; ac tam magnis præliis victrices,diuturnas in Oriẽte futuras,nili ora quoque Syriæ in poteſtatem radacta,& maris poſſeſſione parta. Duo omnino peditũ millia,& trecentos equites reliquos ſub ſignis habebat, quantalibet virtute,paruam tamẽ pro tanta rerum mole manum.Proinde vt portum haberet Hieroſolymis propinquum, vnde auxiliis commeatibúsque ex Europa ſubuectis iuuari poſſet, ac reliqua expedire conſilia, Iopen duxit, vrbémque atque arcem ab hoſte dirutam,mira celeritate reſtituit,emuniuitq;: opus ſummo ſtudio impigréque facientibus iis Syris, qui tyrannidem barbaræ religionis ipſi pii experti, ſe deinceps metu liberare contendebant. Ea res tanti momenti fuit,vt & continuò Aſcalonitæ, & cum mediterranea repetẽs paulo longius procederet,etiam Damaſceni pacem demiſſiſſime peterent.Ea vtriſque conceſſa:non quòd digni forent qui impetrarent, ſanctéve eam culturi viderentur : ſed vt interea commercio vrbium opulentiſſimarum noſtri inopia omnium rerum laborantes, ſubleuari, demptóque hoſtili metu agri quorum cura bellicis malis intermiſſa erat, recoli poſſent. annuámque diem edicto præſcripſit,definiuitq;, intra quam quæ domini non coluiſſent, ea nouorum cultorum iuris fierent. Ad vrbana quoque prædia vſucapiẽda annum omnino & diem ſatis longum temporis ſpatium eſſe conſtituit.Peſtilentia inſequenti anno orta, qui fuit ſalutis milleſimus centeſimus, quintodecimo calendas Auguſti obiit,magno ſui apud noſtros deſiderio,& ſancta etiam apud hoſtes memoria:cum pauloante Latinis alterum incõmodum accidiſſet.Gabriel noſtrorum ſocius amicusq;,Melitenis (ea ad Euphraten vrbs eſt) imperitans, à Daſamano Satrape Turca armis premebatur. Balduinus à Samoſatis Edeſſaq; opem ferre poterat,ſed cunctabatur:Bohemundus profitenti ſe eius beneficiariũ futurum,copias auxilio ducebat.In itinere obuium habuit Turcam.Fortuna tunc virtutem (vt in rebus potiſſimũ bellicis iure ſuo vtitur) ac multitudo paucitatem vicit. Fuſi fugatiq; noſtri:Bohemundus cum præclara facinora manu, conſilioq;, circumq; ſe ſtragem edidiſſet,quòd viuum capere barbari conabãtur,non prius quàm vires diuturnitate pugnæ eum laſſitudine deficerent,tanta multitudine vnum premente,in poteſtatem venit.Balduinus tandem Gabrielem in fidem recepit: ac cum Turca eum recenti victoria ferox trepidum circunſederet, adueniens obſidione liberauit: allatáque morte fratris, Hieroſolyma proficiſcens, ne rem Edeſſanam Principe orbam relinqueret, quæ recenti Latinorũ imperio præſentem adminiſtratorẽ poſtulabat; alterũ Balduinum à Burgo ciuem Remenſem ſibi cognatione propinquum

Comitem Edeſſanorum creauit. Simultas interceſſerat inter Tancredum & Balduinum: Apulus in Gotthofredi verba iurarat: cū Comitatum Tiberienſem ab eo acciperet, tanti viri beneficiarium vocitari ſe, nō indignum virtute ſua ratus. Quod illī præſtiterat, fratri eius Balduino nouo Regi tribuere in animum inducere non ſuſtinuit. Comitatu illo ceſſit: ſeq; Antiochiam cōtulit: vt ſaluti rebus Antiochenſibus eſſet. Vgonem à Fano Odemari virum clariſſimum Balduinus Rex Comitem Tiberienſium creauit. Tancredum vt à numine miſſum Antiochenſes excepere: ac ſummam rerum eius fidei credidere: quoad Bohemundus de barbaris redimeretur. Gotthofredus Regio nomine in ſacra vrbe abſtinuerat: eáque religione apud animos mortalium ſanctior fuit, & ſupra Regum faſtigium gloria euectus. Balduinus primus Rex Hieroſolymorum numeratur. is in Arabiam duxit: quam à ſolitudine vindicabant incolæ vagi tabernacula circunferentes. Inde ingentem vim armentorum abegit, hominumq; promiſcue omnis generis, ætatisq;. In his erat cuiuſdam Phylarchi vxor grauida: quæ inter cæteros captiuos camelo à noſtris impoſita, cum in præpropero Latinorum reditu coortis maturitate partus doloribus deficere videretur, rex recurrens deponi eam, ex ſpoliisq; hoſtium ſubſterni laboranti veſtimenta iubet, amiculoq; ſuo illam operuit, abiitq;, remanere cum domina ſeruo iuſſo, ac quadam ex captiuarum grege, quæ obſtetricis munere fungeretur: ſimul camelo fœta ad infantem eo lacte alendum relicta, aquaq; in vtre, ac fructibus in ſportula agreſtibus ad puerperā ſuſtentandam, reliquum iter confecit. Phylarchus ad primum Latinorum in ſolitudinē impetū trepidus, vlteriora petierat: deinde recepto animo, contractisq; popularibus, prædones inſequebatur, & prædā cæteram, & vxorem recuperaturus. In medio itinere reperit vxorem, infantemq; natum, ac ancillam vtriq; miniſtrantem. Admiratione gaudioq; repentino ſubſtitit: tamq; grato animo factū Latini Regis Phylarchus accepit, vt clandeſtinum fœdus cum Rege noſtro percuſſerit; ſancteq; ſeruarit: cumulatiorem gratiā ſuo tempore relaturus. Nec occaſio diu defuit. Vgo Magnus præſtanti liberalitate in omnes, & ſplendore vitæ, cum in bello ante captam Antiochiam, tum in legationis munere apud Alexin obeundo, ad egeſtatem reciderat: auctus ex Francia re numaria cum nouis copiis adueniebat ipſe, Gotthofredusq; Comes Vindocinenſis, & Vgo Luſinianus frater Raimundi Toloſatium Comitis, ac Stephanus Bleſenſium Comes. Is ad eluendam virtute ignominiam, deſertorum ſociorum Ducum. Alter quoque Stephanus Burgundiæ Comes, & Guelfo Noricorum Dux: hi omnes Byzantium peruenere, tranſmiſſoq; Boſporo iter per Bithyniam faciebant. Alexis male audit: tragœdiæq; hac de re vt atroci cōſcriptæ ſunt. Ab eo enim noſtri hoſtibus proditi, ac barbarorum inſidiis circumuenti feruntur. Quinquaginta ferme millia deſiderata. Vgo virtute cautioneq; è telis hoſtiū perfidiaq; ſociorū elapſus, morbo deceſſit in Cilicia: Tarſi ſepultus eſt in æde Pauli, cuius in tutela vrbs ea eſt, illo ciue ſe iactans. Obiit & Burgūdio, incertum bello, an morbo. Reliquiæ tutius iter difficilioribus etiam tranſitu locis facere cœpere duce deinceps Toloſate, qui ad Græcum profectus fuerat, ſi ad euertenda barbarorum imperia eum impellere poſſet: ſed tantum abfuit

vt id consilii caperet Alexis, vt sint qui tradant illum tẽperare lingua non po tuisse, quin inter suos prædicaret se Latinorum Barbarorumq; inter se certamen magno gaudio spectare: vtri eorum caderent, se lucrum facturum. Satis constat, in Asia cis Taurum Turcarum opes quæ deploratæ fuerant, redintegrari cœpisse. Tolosas reliquos huius nouæ Latinorum manus Antiochiam notis insistens superioris exercitus vestigiis perduxit. Hi ab Antiochensibus culti, Hierosolyma proficiscuntur. Ab vrbibus piis adiuuabantur commeatu, hospitalitatisq; omni iure: ad Antaradum retenti sunt: quòd eam vrbem barbari repetiuerãt, firmarantq;. Aggressi armis operibusq;, multis tandem exhaustis laboribus expugnant. Eam non sine cæterorum querela Tolosas sui iuris fecit. Sed in forti ac bene merito de rebus Asiaticis viro multa ferenda dissimulandaq; ad distinendos barbaros, ne omni conatu incũbere in eos possent. Balduinus alia regione hostem premebat. Auxilio classis Genuensium Antipatrida aggressus, tantum terroris statim iniecit, vt oppidani perculsi, antequã vi caperentur, ne atrocia expugnatarum vrbium exempla paterentur, dederẽt se. Cæsarea Stratonis vi capta, direptáque. Præda maximi precii rerum extitit. Genuensibus cessit vas artis priscæ, nobilissimumq;: Smaragdum ipsi prædicãt: ostentantq;. Nondum tutũ iter nostris erat. Præter Ptolemaida, Tyrum, Sidonem, Berytũ, quas vrbes barbari præsidiis obtinebant, ducendus exercitus. Rex rerũ locorumq; peritus, nostris occurrit: nullaq; iactura ignominiáve Hierosolyma eos perduxit. Sanctis locis summa religione aditis cõspectisq; Lusinianus inopia adductus Iopen petiit, mariq; domum rediit. Duo Stephani tardius soluerunt: cumq; in altum progressi essent, aduerso vento reiecti, descensione facta se ad Regem recepere. Barbari qui Ascalonem obtinebãt, nouis ex Aegypto Arabiaq; auxiliis aucti, Rhamulensium fines ingressi, quòd ibi Latinos esse acceperant, potestatẽ pugnæ fecere. Atrox pugna fuit: diuq; tenuit: quamplurimi barbarorum cæsi: ex Latinis etiam magni viri occubuere: cæterorum fama obscurior: duo Stephani desiderati. Rex in vrbem sub noctem compulsus, eam postridie Aegyptiis victoribus aggressuris certa expugnandi spe. Phylarchus Arabs noctu fide clàm data acceptáque in vrbem receptus, memor Balduini temperantiæ humanitatisq;, salutem ei attulit: illumq;, paucis suorum tanti arcani conscii, in tutum reduxit. Rex pro mortuo deploratus fuerat Hierosolymis, Iopeq;, ac reliquis vrbibus ditionis suæ. Repente superueniens, mira lætitia omnes affecit: tantámque alacritatem indidit, vt congressus rursus cum hoste ingentem victoriam reportarit. Tolosatis memoria eo etiam est illustris, quòd Tripolim validissimã vrbem obsedit. Nihil intentatum vi artéve relinquebat. Vi inexpugnabilis visa. Classis Genuensium frustra eam mari oppugnarat. Ad eam terra frenandam, duobus ab illa millibus passuum locum Tolosas castello muniendo delegit: præsidióque ac omni re bellica firmauit. Id omnia Tripolitanis finitimísque infesta fecit. Tandem fessi malis ipsi, contributáque in eam Præfecturam oppida, vectigales Raimundi facti, legibus tamen suis vtebantur. Mortuo Raimundo Gulielmus Iordanes ei cognatione iunctus, in præsentia succedens, Tripolim ad veram deditionem perpellere conatus, eam arctissime obsidebat, magna sua spe, perculsis que

hoſtibus. Iam multa alia oppida terrore belli receperat, cum filius Raimundi Bertrannus claſſe ſeptuaginta longarū nauiū Genuenſium ſubnixus aduenit, patri in res Aſiaticas ſucceſſurus. Conuenit vt Arca & Antarabus Gulielmo cederent: isq; ſe beneficiarium principatus Antiochenſis profiteretur: Tripolis recepta & Byblus cum cōtributis Bertranno parerēt Hieroſolymitani regni beneficiario. Alphonſus alter Raimundi filius in Syria ſuſceptus, in Toloſatium Comitatum patri ſucceſſit. Dum bellum ſacrum in Aſia geritur, & in Europa ſummus Pontificatus cum Imperio Cæſaribusq; decertabat, quòd vetuſta iam conſuetudine Auguſti ſcipionem ſacrum annulumq; paſtoralē Epiſcopis cæterisq; patribus dabant, eamq; ſacrarum dignitatum veſtituram, iuraq; regia appellabant: contendebántque illa Carolo Magno à Pontifice maximo Adriano cum patriciatu, & à Leone cum imperio data, etiam penes ſe eſſe: Gregorius ſeptimus, ac Victor tertius, & Vrbanus ſecundus Pontifices maximi Henrico Cæſari, qui Conrado patri Cæſari ſucceſſerat, obſiſtere conati, eum etiam execrati fuerāt. Ille & alendo in ſummo Pontificatu ſchiſmate, & armis ſe texerat: Apulis ducibus Pontificē tutantibus: ac Mathilde alia in parte Italiæ Comite, fœmina dominatu opibusq; ac religione præſtantiſſima. Cœnobiorum opes profanis proceribus attributas in Francia oſtēdimus. Robertus Francus Rex eum morem ſoluit. Henricus Rex paternæ ſanctitatis ea in re fuit æmulus. Philippo Rege obiit Vrbanus ſacræ cauſſæ acerrimus vindex. ſucceſſor Paſchalis Pontifex in Franciam, paratum ſemper, præcipuūmque iam rei Romanæ ſubſidium, venit. Francus Rex filiusq; magnifice reuerentiſſiméque ſanctiſſimum orbis terrarum parentem excepere. Concilium in Tricaſſibus habitum: quò & Henrici oratores frequentes conuenere. Abſens Cæ
» ſar a Pōtifice graui oratione increpitus, quòd à quo mortalium genus exem-
» plum pietatis petere oporteret, diuinos ſibi honores aſſereret: ac quod iuris
» ne angelis quidem conceſſum ſit, id ſibi aſſumeret, vt ſacroſanctam eccleſiam
» pro qua ſeruator noſter ſanguinem volens vitámque profuderit, ipſe pigno-
» re nuptiarum deuinciri ſibi poſſe exiſtimet: ac qua enſem dextra ſtringat, bel-
» laq; gerat, eadem annulum ſacrum & cōtrectet, & arbitratu ſuo induat Pon-
» tificum Patrumq; digito ac manibus, quæ ſacroſanctum CHRISTI corpus
» tangant. Habere Auguſtos imperium maieſtatemq; apud humanum genus:
» ſacrarū clauiū ius ditionemq; iis relinquerent, quibus hæc diuinitus data ſint.

Summo cæterorum aſſenſu hæc egit Paſchalis. Henrici oratores re infecta dimiſſi. Pontifex in vrbem rediit. Aduerſus nobiles, qui fundos ſacerdotū velut diuturna poſſeſſione ſui iuris factos retinere perſeuerabant, nec vocati ab Rege in ius, ſubire periculum litis in animum inducebāt, Ludouicus Craſſus Regis filius res geſſit, tutelam templorum ~~à cœnobio diui~~ Dionyſii tegendo auſpicatus, cuius fundos poſſidere arguebatur Bochardus, vir Pariſienſiū nobiliſſimus: in cuius ditione propinquum oppidū erat, quod à Maurentio conditore Moſmorentianus dicitur, ~~vnde illi nobilitati~~ gentile cognomen. Nec magna mole ea prouincia cōfecta. Bochardus initio in animū nō inducebat cedere opulentiſſimis prædiis, quæ à patre auoq; ac cæteris maioribus relicta obtinebat: & ſperabat in ſimili cauſſa magnā procerum Francorū partē pari

dolore metúque adductam ſibi affuturam: quod veritus Craſſus, Robertum Flandrum vnum ê domitoribus Aſiæ ad ſe euocatum, huic bello præfecit. Ipſe antequam maior motus oriretur, in Drocum Montiacum Bellouacēſis eccleſiæ iuri infeſtum duxit. Morentiani milites ad famam Roberti Aſiatici aduerſus ſe delecti Ducis, abiectis armis alii aliò dilapſi ſunt. Bochardus tunc ſui in iudicio copia facta, legibus cauſſam ſuam diiudicandam cōmiſit. Montiacus antequam fama exemplúmque deſerti à ſuis Morentiani ad ſuos emanaret, pugnare conſtituit. Hortatus ſuos ne Craſſi nomine copiíſque terrerentur: parua manu à præclaris militibus ingentes copias profligari, cum ſæpe, tum recentiſſima memoria Aſiatico bello compertum: tantum ardorem virtuti addidit, vt collato pede vinci non potuerint. Sagittis obruti dare terga coacti: oppidum quoque Montiacum, cum muris expugnatis finem obſiſtendi pertinacia non faceret, incenſum. Sic etiam Droco neceſſariò ſupplici venia data: cauſſa eccleſiæ ad ſuos iudices reiecta. Elbo etiam Roſſiacus opibus gloriáque ingens, Remenſi Laudunenſiq; ſacerdotio, cuius fundos occupaſſe dicebatur, coactus eſt pacem obſidésque dare. Mox alia parte à Leoneti Magdunenſis vi agros Aurelianenſis Pontificis armis vindicauit. ita quadruplici expeditione victor, vt vis vndique legibus aſſueſceret, in Matthæum Bellomontanum copias duxit, qui gener Luſarchiam oppidum totum occupaſſet de Vgone ſocero, cuius dimidium omnino doti dari conueniſſet. id oppidum facilè receptum. Matthæus peruicacior in ſupplicis humilitatem demittere ſe, veniámque erroris furorísve petere nondum ſtatuebat: cúmque Cancelliacum ſe contuliſſet, egregie id oppidum defendebat. Exorta fœda tempeſtate, ſeu cæleſti ſeu hoſtium igne conflagrare cœpere quædam tabernacula, flammáque latius fundi. Caſtra incenſa, mouendi ſignum eſſe conſueuerant. Igitur velut iuſſu Craſſi, numinísve ira id factum eſſet, vaſa cōclamata, militésque dilapſi, antequam ille retinere morarive poſſet. Non dubium erat eum cum nouis copiis rediturum; nec diuturno bello toleranda fore Bellomontanum. Amicis deprecatoribúsque apud Philippum Regem non caruit: & eo facilius veniam tandem ſupplex impetrauit, quòd dies læti feſtíque inciderant. Bohemundus magno auri pondere à Tancredo Antiochenſibúsque redemptus, à priſtina indole animi non degenerauit, caſuum bellicorum non ignarus: fortunæ vires ingentes eſſe: eam rerum temporumq; communium inclinationem afferre: ac pro libidine quem viſum fuerit extollere, premeréque: mentem hominis, vimq; animi, ſuæ ſpontis eſſe: ſummos viros neque frangi aduerſis, neque tumeſcere ſecundis. & quo plura maioráque experimenta virtutis in vtraque fortuna dederat, eo admirabilior ſenſibus mortalium erat. Tancredi fidei perſpectiſſimæ cuſtodia Antiochiæ demandata, in Franciam venit, quacunque ibat, concurſu omnis generis ordinísque hominum facto. Francus Rex comiter amantérque excepit: eiq; filiam Conſtantiam ex vxore ſuſceptam in matrimonium dedit: ſimul Tancredo abſenti Cæciliam ex Bertrada Comite genitam deſpondit. Bohemūdus annum in Francia apud ſocerum manſit. Exin in Italiam ad Gulielmum fratris iam defuncti filium Apuliæ Ducem ſalutatum cum reuertiſſet, Alexin Aſiaticis

Latinorum conatibus hoſtem terrere propiore bello ſtatuit: cum iuuentute quæ ex Francia Italiáque eum ſequebatur, Dyrrhachium tranſmiſit: Epirumq; ferro ignéque miſcere cœpit. Græcus ab alienis appetendis ad ſua tutanda reuocatus, caſtra caſtris contulit. Authoritate Francorum effectum eſt, ne arma ſemel CHRISTO dicata, debitáque, cruore piorum maderent: néve quam mentem in mutuam cædem noſtris Barbara religio imprecaretur, eam Latini Græcíque inter ſe gererent. Aequis conditionibus, fidéque vtrinque iureiurando data, diſceſſum ab armis, dextræq; interiunctæ. Summa rerum geſtarum gloria, morbo deceſſit Bohemũdus, ſuſcepto ex Conſtantia filio item Bohemundo. Canuſii eodem quo frater compoſitus fuerat tumulo conditus eſt. Cum viuo bellũ initio geſſerat: ac mox reconciliata ſumma fide gratia, concors & omni poſtea tempore vixit, & mortuus conquieſcere mixtis cineribus voluit. Cæcilia ad Tancredum ducta: is tutelam infantis Bohemundi caſte integréque geſſit. Aliquanto pòſt æger, cum ſupremum ſibi adeſſe diem ſentiret, eiq; aſſideret Pontius Bertranni Comitis Tripolitani filius adoleſcẽs florentiſſimus, ab eo per amicitiam petiit, vti poſt obitum ſuum Cæciliam duceret, Franci Regis filiam, matre Comite nobiliſſima procreatam: eandem per patrem Craſſi Francorum Regis futuri, per matrem Fulconis Comitis Andium, Turonum, Cœnomanorum ſororem: hoc & illi priuatim amplum, magnificúmque: & in commune rebus Latinorum Aſiaticis maximo vſui fore. Fidem in id & moriẽti dedit, & mortuo ſeruauit. quo ex matrimonio edetur Raimundus Comes. Gulielmus Apuliæ Dux non fœdus modò cum Græcis, ſed etiam affinitatem iungere cõſtituit. Deceſſerat Alexis: filius Iohannes ſucceſſerat. Huius ſororem in matrimonium ducturũ ſe ſperans, Apuliam Pontifici maximo velut fiduciariam dedit: commiſitq;, vt ea ſibi ex Græcia reduci reſtitueretur. Ita Byzantium profectus, vtrobique offendit. nam nec ſoror Auguſti ei deſpõdetur: & Rogerius Rogerii filius Comes Siciliæ illi ſuccenſens, quòd cum Græcis, gente Normano nomini infenſiſſima, ſe nõ conſulto, amicitia neceſſitudinéque iungi vellet, Apuliam eo abſente occupauit. Gulielmus & à Græcis affinis repudiatus, & à conſanguineo paternis opibus deiectus, ad Salernitanum Principem ſe priuatus recepit: ibíque mœrore contabuit. Balduinus interea Rex Ptolemaida in ditionem redegit, & virtute ſuorum, & auxilio Genuenſium claſſis: ob quod meritũ magni honores illis habiti: decretúmque, vti ea in vrbe ſuum forum, Prætorem, templum haberent: tertia pars portoriorum, publicorúmque ex mari fructuum, illorum eſſet. Mox & Berytus accurſu Venetæ claſſis recepta. Ex Dania Noruegiáque claſſis aduenit, tantum maris tanto circuitu emenſa, ſacrámque militiam profeſſa. eius virtute Sidon vrbs nobiliſſima recepta. Hæc in Aſia. Nec Craſſus domi deſidebat. Vgo Pomponenſis oppidum Gornacum ad Matronam fluuium obtinens, nauibus vltro citróque commeantibus tranſitum nõ dabat, niſi magna exoratus mercede, qua milites aduerſus Craſſum aleret: eximiósque interceperat equos, qui ad eum ducebantur. Itum in hominem. Nauigia quoque pro natura fluminis inſtructa ornataq;, Vgonianis pro ripa vlteriore propugnãtibus, nube miſſilium fugatis, ad ſubiectam oppido crepidinem appulſa. Nec à flu-

mine tantum premebantur hoſtes,ſed à terra operibus machiníſque.Aduerſus ligneam mobilémque turrim & ipſi propugnacula pari celſitudine ſtatuerant:ac ſi ea quoque imparia audaciæ Craſſi forent, tabulas verſatiles vbi commodum erat collocarant, in quas ſuperatis muris deſilientes oppugnatores leui momento impulſi præcipitarent in præacutas ſudes, ſubiectóſque ſtimulos.Ita aliquot induti interiere.Recreauit animos Gornacenſium diſceſſus Craſſi aduerſus nouos hoſtes.Vido à Rupeforti erat procerum nobiliſſimus, magnis clientelis,opibúſque:ac tantæ maieſtatis, vt eius filiam Craſſus vxorem primùm duceret:deinde cauſſatus propinquam cognationem, dirimente in Tricaſſibus concilio,dimiſit: vxorémque duxit Adelam Vmberti Comitis Mauritianæ filiam.Quo dolore adductus Vido,Vgonem iuuit, author Stephano Campano Comiti cõſiliorum ſocio,vt obſeſſis ſubſidia mitterentur.Craſſus parte copiarum ad continuandam obſidionem relicta,cum cæteris Campano Vidoníque occurrit.His fuſis fugatíſque, obſeſſi deſtituti omni ſpe,in fidem venientes,veniam amentiæ impetrauere. Nulla quies dabatur. Vmbaldus ex fano Seueræ excurſiones in Biturigum agros faciebat. Adueniens Craſſus conſpicatus eum in vlteriore ripa ſedentem tranſitu arcere ſe ſtatuiſſe, ripâmque ac alueum fluminis acutiſſimis ſudibus muniſſe, ſuperiore parte vado traiecit:hoſtémque prælio captum,in cuſtodiam tradidit:oppidum recepit:Bituriges metu liberauit. Hæc agens, ſummum ocium ſecuritatémque patri Regi præbebat reuerentiſſimus filius. Henricus vero Cæſar filium Henricum Cæſarem deſignarat: inſignia nondum tradiderat. Erat longum mortem patris expectare à Pontifice Maximo communione fidelium ſubmoti.Ex profeſſo à patre defecit ſpecie religionis, quòd ab impietatis ignominia vindicare nomen Auguſtum,ac illud cum ſacroſancta poteſtate ſummóque Pontificatu in gratiam reuocare velle ſe diceret.Pater arbitrio rerum deiectus, propè priuati hominis cultu comitatúque in Eburones ſe contulit.Leodienſes eum regio apparatu vt Cæſarem excepere. Tunc ad Francum Regem literas dedit,opem eius expoſcens,híſq; verbis ſcribens:

SI PER maieſtatem Imperii liceret,Regiis genibus aduoluerer,fidem tuã « implorans aduerſus filium,qui contra religionem militaris ſacramenti,natu- « ræque leges,ac diuina & humana iura,me in ordinem coëgit,Natalíque do- « mini ſacra cõmunione arcuit,inſigniáque Imperii à me vi extorſit, crucem, « lanceam,orbem,ſceptrum,coronam. Nihil mouit Philippus Rex,difficili « exiſtimatione & patris in ſacras cauſſas,& filii in patrem impii.Henricus pater in Eburonibus obiit.corpus in patriam relatum,ac Cæſareo cultu ſepultum.Rex Frãcus Meleduni deceſſit,anno ſalutis milleſimo centeſimo nono: propter Ligerim ad Benedicti ~~ſepultus eſt, vt iuſſerat~~, indignum ſe dictitans qui ad Dionyſii inter ſanctiſſimorum Regum monumenta mortuus iaceret. Continuo CRASSVS Aurelian~~i~~ ~~inungitur~~ à Gilberto Senonum Archiepiſcopo,adſtantibus eius Prouinciæ Pontificibus, Pariſiorum, Meldorum, Aurelianenſium,Carnutum,Niuernenſium,Altiſſiodorenſium. Cauſſabatur temporum vitia nouis remediis indigere:Remenſia ſacra expectari nimis lõgum:ſe hoſtes coërcuiſſe,non perdomuiſſe.ſed vera cauſſa animis hominum

obuerſabatur. Rhodulphus Viridis Craſſo non aſſentiéte approbantéve electus Remorum Pontifex fuerat: cui qui ſtudebant, in ſpem veniebant, neceſſe futurum nouo Regi Craſſo, aut cum eo gratiam reconciliare, penes quem ſacrandi Regis ius eſſe, rumore ferebatur; aut omnino ſolénibus ineundi Regni ceremoniis arceri. Rex rerum ſuarum primordiis præſcribi ſibi, ac inuiſi hominis dextera ſacrari, alienum ab Regia magnitudine, ac inauſpicatū exiſtimare poterat. Extat Iuonis Carnutum Pontificis apologia id factum vendicantis ab incuſatione ſanctæ Remenſis eccleſiæ, defendentíſque veterum Regum exemplo, qui neque benedicente, neque coronante Remenſi Pontifice, ab aliarum Ciuitatum Pontificibus ſacrati, Regnúmque auſpicati fuiſſent. contendítque vnius ciuitatis Belgicæ anguſtiis ius coronādi Regis non cōtineri, qui Celtis etiam Aquitaníſque iura daret. Addit tamen, ne vllus locus crimini detur: id quod tempus ferebat, tunc Remorum ciuitati ſacrificiis interdictum: necdum qui eius ciuitatis lectus Pontifex eſſet, in ſedem ſuam receptum: nec eo loco potuiſſe Craſſum Regiis ſacris initiari, niſi rerum perturbatione, magnáque cæde inſecutura. In præſentia Remorum expoſtulatio, Regiis iam ſacris peractis, & re cōfecta, parum valuit. Apud poſteros ſanctior ea demum inunctio viſa, quæ primi Clodouei religionis apud Francos authoris veſtigiis inſiſteret, Remis diuo Remigio operante ſacrati. Vido Creciacenſis, qui bello Gornacenſi Craſſo aduerſatus fuerat, Odonem Comitem Coruoliēſem Regis ſtudioſiſſimum, venatum in propinqua loca digreſſum, repente inuadens intercepit: oppidóque occupato, ac præſidio ſuæ factionis militum firmato, ad ſolicitandum in arma Campanum pergit. Rex celeritate aliquid effecturum ſe confidens, Anſelmum Garlandenſem cum aliquot expeditis equitibus præmittit, ſi celeritate opprimere incautos poſſet. Is ſera nocte adueniens, furtímque ingredi oppidum conatus, non fefellit vigiles cuſtodéſque. Eo comprehenſo nihil iccirco territus Craſſus in conſpectu hoſtium poſuit caſtra. Vido vt interea ſuorum animos ad tolerandam obſidionem confirmaret, ex Campania regreſſus: quia nullum aliud iter, nulla alia oſtendebatur ratio, mutato habitu, ſi magna in multitudine Regiorum, cum non omnes inter ſe noſcerentur, euadere in oppidum poſſet, caſtra ingreſſus non fefellit. Dum cognitus refugit, in Gulielmum Garlandenſis fratrem incidit. Bellum finitum deditione Coruolii, reſtitutione Anſelmi Odoníſque, antequam Campanus occurreret. ſegnior factus ſecundum Gornacenſem fugam Odo in poſſeſſione Coruolii rurſus collocatur. Idque non multo pòſt Craſſo ceſſit alieni belli præmium, quod ipſius non contigerat. Vgo Puteaci Comes Carnutum fines populatus, etiam Iuonem ciuitatis Pontificem comprehenderat: nec niſi grandi pecunia redemptum dimiſerat. Id oppidū Craſſus expugnauit: Comitem in cuſtodiā tradidit: nec prius dimiſit, quàm Odone mortuo iure propinquitatis Vgo ad hæreditatem legibus vocatus, Coruolium Craſſo tradere coactus eſt. Ita etiā hæreditate multatus, infeſtior hoſtis factus, ſuum tempus expectabat. Interea omiſſa aduerſus mediocrem nobilitatem oppidulorum controuerſia, inter ſummos Reges bellum geſtum inimicitiis redintegratis. Robertus Normanorum Dux (vt oſtendimus) Nor-

 maniam

maniam oppignerauerat fratri Gulielmo Regi Anglorum:quo mortuo, ſpe fraterni regni repudiato Hieroſolymitano regno,domum regreſſus Normaniam facilè recuperarat. In Angliam tranſgreſſus,antequam ſigna canerent, cum omnis Normanica nobilitas partim in hac, partim in illa ſtaret acie: vltro citróque commeantibus amicis communibus, ne funeſtum inter fratres prælium fieret:in conditiones deſcendit:vt Henrico fratri, qui patre natus Rege fuiſſet, regnum Anglicum, ac quem Conſtantienſem Comitatum illi addixerat,relinqueret, reliqua Normania contentus, eodem patre,ſed omnino Duce creatus.Regreſſo in continentem fratre,Henricus bona procerum ſuæ ditionis qui cum Roberto ſenſerãt,in fiſcum ſuum redegit.Hi ſpoliati facultatibus,ad Normanum tranſmiſerunt,cuius cauſſa inopes erant:adduxerũntque eum,vt ad eorum ſumptum cultúmque ſuſtentandum, Conſtantienſem Comitatum à fratre ad ſe reuocatũ,illis attribueret. Ita vtrinque animis rurſus iritatis,Anglus in Normaniam traiecit:fratrémque in armis occurrentem, non virtute victum, ſed quibuſdam ex intima familiaritate Anglico auro corruptis,prodentibúſque,in poteſtatem redegit, in perpetuámque coniecit cuſtodiam:Normaniáque omni potitus, ſe Franci Regis beneficiarium profeſſus, in verba eius iurauit, ſpondens ſe Giſortianam arcem â Gulielmo Rege exædificatam demoliturum vbi primum à Pagano nobiliſſimo viro qui eam obtinebat,recepiſſet. Receptam ille retinere integrã perſeuerabat, firmabâtque. In extremis Normaniæ finibus caſtra caſtris collata ſunt. Et à Franco Robertus Comes Flãdriæ ad Anglum miſſus,cauſſam fœderis egit, poſtulauítque vt arx euerteretur,ad alendum bellum, pacémque turbandam extructa.Giſortium ad Heptam flumen poſitum eſt,velut quoddam diuortium liméſque imperiorum. Quod Vellocaſſium finium cis amnẽ eſt,Francicum Vellocaſſinum dicitur:quod vltra iacet,Normanum.id oppidum vtramque ripam contingens,ancipitem cauſſam facit, hinc Francis, illinc Normanis ſibi vendicantibus.Arx in vlteriore parte cõdita fluuium frenabat,ac oppidum citerius continenti metu terrebat.Reſpondit Henricus ſe pacem non repudiare:Giſortii arcem ſe diruturum, cum id fieri,Normanorum, Francorũmve intereſſet:nunc cauſſam nullam eſſe cur bello cogendus ſit. Si ipſe arma vltro inferret, ſuſpectum Giſortium ſtans integrúmque eſſe poſſe.Cum ipſe moleſtus nemini,bello vexetur:non veteres modò munitiones ſeruandas,ſed nouas inſtituendas.Fidem meam Regi Franco iureiurando obſtrinxi.Mutua eſt religio,vt Regem Francum Dux Normanus colam:ille neque me,neque mea violet:ac ſi quis oppugnet,tegat. Quis Franciæ vſus futurus ſit ex Giſortii ruinis,non video. Pace, non bello opus eſt vt fides præſtetur. Re infecta cum rediuiſſet Flandrus, ad Giſortium pugna commiſſa:victus Anglus in oppidum ſe recepit. Gulielmus Hẽrici filius fidem Franci ſecutus,arcem ſeruandam ab eo impetrauit. Guidonis Rupes Sequanam frenat,opportuna rebus in Normania gerendis.Guido eam obtinebat, Franco fidus.Eius ſocer tanta in Francos rabie Anglo cupiebat, vt nihil tale metuentem generum intromiſſus interemerit: Rupémque cum ſuis occuparit. Finitimi nullum facinus atrox in hunc hominem rati, cum magna pars data

fide eum elicuiſſent ad colloquium,ipſi manu ſua non violarunt, ſed trucidandum reliquere iis quos ſuorum ad id iniuratos reliquerãt. Corpora quoque & eius & comitum lacera, cratibúſque impoſita,ſecundo flumine demiſere:vt Rotomagenſibus,ac quicunque Anglorum ſtudioſi Sequanam accolunt,ſpectaculo forẽt. Craſſus omiſſa Normania in Meldorum fines exercitum duxit: quòd Campanorum Comitum familia Regiæ Anglicæ affinitate iuncta, cõſilia conatúſque cum Henrico coniunxerat,in eorũmque fide Carnutes,Bleſenſes,Campani,Meldíque forẽt.Robertus Flandrus cũ erumpentes Meldos in vrbem compellere conaretur, pro porta ſuffoſſo equo lapſus oppreſſũſque interiit.Craſſus exin cautius Latiniaci præſidiũ erumpens, intercluſo à tergo reditu,magna cæde caſtigauit.Anguſtiæ pontis cladem auxere. Conſilium inierant hoſtes, vt Pariſiorum fines infeſtos facerent. Rex longius ſubmouere bellum contendebat. Id in Belſiam tranſlatum, ibique conſtitit.Vgo Puteacenſis cum Carnutibus gratia reconciliata, Puteacum à Craſſo dirutum reſtituit,firmauítque Anglicis auxiliis.Leuia prælia permulta facta:quædam etiam Vgoni proſpera.vtrinque augentur copiæ. Craſſo Balduinus Roberti Hieroſolymitani filius Flandriæ Comes, & Rhodulphus Viromanduus patruelis opem tulere: Vgoni Campani proceres Theobaldus Stephanúſque. Hi repente in caſtra Francorum, qua parte Viromandui tetenderant,irrumpentes, terrorem intulere. Vix ad arma capienda ſpatium temporis Rhodulphus habuit: peditatus obiectus hoſti, dum ſternerentur frenarentúrque equi. Tunc fulgentibus armis equites peditéſque repulſo à caſtris hoſte,in patentem campum deſcenderunt.hoſtes aciem ita inter ſe diuiſere,vt Theobaldus dextrum cornu obtineret,læuum Stephanus,Vgo mediam aciem. In altera parte Rhodulphus Theobaldo, Balduinus Stephano, Craſſus Vgoni aduerſi conſtitere.Vtrinque acriter pugnatum eſt.multitudine ſuperior hoſtis,dignitate Craſſus. Peditum Regiorum virtus ingens extitit.Nec tulit Theobaldus impreſſionem Rhodulphi. Eo in fugam verſo,tota acies inclinauit. Puteacum propinquũ ſaluti quamplurimis fuit: quò propè cuncti hoſtium proceres ſe contulere:pactíque vt ſine fraude noxáve abire liceret,Carnotum ſe recepere.Puteacum rurſus dirutum. Vgo Anſelmũ ex prouocatione vt vir viro congrederetur, interemit:ac in Aſiam ſibi conſciuit exilium. Lancellinus Caſtri Martini Comes,Bellouacenſis dominatus iure, quam hæreditatem ſibi legibus venire defendebat: Paganus Libriato, Milo Leterico multati ſunt.Ludouicus Philippi regis ex Bertrada filius infidelitatis ſuſpectus fuit,quòd euocatus ad Craſſum non iuiſſet.Magdunum à patre Rege attributum ei aſſentiente Craſſo fuerat: obſeſſus expugnatúſque oppidum amiſit:vitam impetrauit,commendatrice patris memoria.Thomas Marlenſis magnis opibus clientelíſque vir, nouo ſuóque bello coẽrcendus erat. Eius factio partéſque prævalidæ in Remis Ambianíſq; erant:& Laduni tantum poterant, vt iura templorum religioníſque tutantem Galdericum ciuitatis Epiſcopum manu facta interemerint. Cuius parricidii expiãdi cauſſa Conon Prænestinus Epiſcopus à Pontifice maximo legatus, concilio in Bellouacis habito,Thomam,cum die dicta non adeſſet, communione piorum

rum mouet, Regiæque coërctioni tradit. Craſſus abſentem, vt adumbratione præſentem, baltheo militari exuit: hoſtêmque iudicatum, Ducibus ſuis bello perſequendum mandat. Ille Laudunum occupat: Creciacum, Noningentúmque in poteſtatem redacta, præſidiis firmat. Regii Laudunum fide virtutéque optimatium ciuitatis recipiunt. Marlenſes arcem annum obtinuere: fame coacti deditionem fecere: ſimul Creciacum Noningentúmque vi expugnata. Capti capite luerunt. Thomas variis ludificationibus erroribúſque Regios fatigauit. Tandem à Viromanduo coactus pugnare, vulnus accepit, ex quo aliquot poſt dies obiit. Mirum ſit vel ſingulos Francos proceres Regi ſuo infenſos infeſtóſque extitiſſe, ac æquo propè marte pugnaſſe. Anglus Rex eos ſolicitabat, iuuabat, armabat. Ac vt vndique Craſſum premeret, cum Henrico Cæſare fœdus icit: eíque vnicam filiam Mathildem in ſpem Regni deſpondet. Cæteri enim eius liberi, Gulielmus, Henricus, Sibylla, cum tranquillo mari ex Normania ſoluiſſent, in medio curſu atroci exorta tempeſtate, naufragio periere: triſti ſuis, ſed ſalutari ad poſteros exemplo, ſpem regiæ ſimul vniuerſam, fortunæ diſcrimini, ventorúmque ludibrio credendam non eſſe. Ingentes ſpiritus gerebat Cæſar. cum triginta millibus equitum, duplici numero peditum in Italiam tranſgreſſus, Nouariam pontificis partes auſam profiteri, expugnauit, incendítque. In Apennini tranſitu Pontem Tremulum Germanos vlteriore progreſſu arcere conantem vi cepit, diripuítque. In Hetruria Aretium ſolo æquauit. Romam petebat: extorſerat à patre inſignia Imperii. Paſchalis pontifex maximus, ſi liberum ei ſit, illum non coronet, ſacras oppugnantem cauſſas. Vltro citróque mittuntur legati, qui de conditionibus agerent. Res confecta videbatur. Adeſt excipiente ad Petri Paſchale Henricus: recitantur quæ conueniſſe videbantur: vti ea præſentibus authoribus data fide acceptáque confirmarentur. Tumultus continuo exoritur: cuius cauſſam, qui ſcriptores gloriæ Cæſarum fauent, in Romanos: cæteri reiiciunt in Germanos. Comprehenditur Pontifex, Henrico illud ex ſacris literis dicente, Non dimittam te, niſi bene mihi dixeris. Non pauci Romanorum cæſi. Paſchali neceſſe fuit caput hoſtis ſui corona exornare, ac ius ſacrarum veſtiturarum fando illi permittere. Diſceſſu Cæſaris Pontifex habita ſynodo decretum vi factum induxit. in Paſchalis defuncti locum ſuffectus Gelaſius, Remos indicto cócilio in Franciam venit, Francorum fidem implorans aduerſus impiam Henrici vim. Morbo correptus Cluniaci obiit vixdum circumacto Pontificatus anno: ſuffectus eſt Viennenſium Epiſcopus Vido, Gulielmi Burgundionum Comitis filius, idem frater Stephani quem Hieroſolymitano bello cecidiſſe aduerſus Barbaros pugnantem oſtendimus: ac Clementiæ, quæ Roberto Comiti Flandro nupſit: quo ex matrimonio Balduinus Comes procreatus. Nocte cui creationis dies illuxit, ſpecies ei dormienti oblata eſt adoleſcentis diuina maieſtate Lunam gremio ipſius reponentis. Caliſtus vocitatus, à conatu conſilióque ac magnitudine ſuperiorum Pontificum non diſceſſit. Remis Cæſarem eccleſiæ hoſtem iudicauit. Ea ignominia iritatus

potius quàm fractus Cæſar, omnem propè Germanorum nobilitatem è finibus educit, Franciam ferro ignéque vaſtaturus. Excidium Remis minitatur, quòd in ea vrbe ſummo Francorum patrum aſſenſu à Pontifice maximo grege piorum ſubmotus eſſet. Faces addebat ſocer Anglus. Bellum Franci hinc cum Cæſare, illinc aduerſus Anglum Regem geſturi erant. Animus conſiliúmque adhibendum, & vires colligendæ. Craſſus gnarus bellum ad eam diem ab ſe cum proceribus ſuis geſtum, ludum propè iocúmque fuiſſe præ eo quod aduerſus duos ſummos viros immineret: nihil ad virtutem ſibi ſuíſve reliqui fecit. Almericum à Monteforti Normaniæ oppoſuit, ſiquid Anglus inde moueret. Alanus Dux Britanniæ omnem nobilitatem ſuorum auxilio Francis duxit. Craſſus non armis tantum, telis, equis, vìris bellum inſtruxit: ſed cæleſtium fidem, opémque Dionyſii reuerentiſſime implorauit: vt is martyr Franciæ tutelam votis ſibi obſecratiónéque Francorum creditam gereret: eius diui vim in Francici nominis hoſtes antè perſpectam, tunc quoque tanto in ſummæ rei diſcrimine elucere, perſpicuámque eſſe miſeris ſupplicibúſque vellet, quorum patres maioréſque humana ope ſæpe deſtitutos diuinitus incolumes præſtiterit. Mirum eſt. Tanto ardore Rex Francíque flagrare cœpere, tantámque ſpem concepere, vt Cæſar alacritate fidéque ac virtute Francorum, quos ab Rege ſuo Craſſo alieniores ſperarat, comperta, ſuorum procerum authoritati ceſſerit, per mortales immortaléſque rogantium ne Imperium Germanorum cum Regno Francorum committeret, tot ætatibus tam fida vtrinque pace. Iam appropinquarat Remorum finibus. Inde reditum: & Angli parati vbi primum Germanos vrere Franciam audiſſent, omnia & ipſi miſcere: diſceſſu ſociorum allato, minas armáque vltro poſuere: quæ continuò rurſus induent inuiti. Germanus Auguſtus ſuorum hortatu permotus, in gratiam cum Pontifice rediit. In Vangionibus conuentus procerum habitus: quò & legati Pontificis maximi occurrêre. Sua vtrique cauſſæ, hinc ſanctitas, illinc maieſtas ſeruata eſt. Veſtituræ ecclesiaſticæ, baculíque ſacri, ac annuli dandi iure ceſſit Auguſtus. Et legatus Romanus Cæſarem in gratiam conſortionémque piorum recepit: & ius litui dandi ea ratione reſtituit, vt id priuilegium foret, ac homini datum, ad poſteros non valeret, nec exemplo haberetur: & Craſſus ad Anglum Cæſaris ſocerum bello vexandum rediit: ac quod genus belli à feroci Rege Franco ille miníme expectabat, furto perculit. Diuerſis enim itineribus aliquot milites mutato habitu, tectíſque veſte gladiis Nicaſianum (id oppidi ad Heptam fluuium, vt de Giſortio diximus, impoſiti nomen eſt) præmittit: ac quid fieri velit, edocet. Dolus proceſſit: Oppidum occupatum: Rex ex propinquo aduolauit: locúmque opere inſuper nouo communiuit. Anglus continuò collem propinquum capit: in eóque caſtellum ædificatum delectis militibus tutandum tradit: ad maioréſque cogendas copias diſceſſit. Id tunc Craſſus vi expugnat: Andeliúmque tradentibus oppidanis recepit: ac vt vndique terror hoſtem inceſſeret, Gulielmum Roberti Ducis filium Normaniæ Ducem appellat, Balduinúmque

Flandrum à comitatu Pontiuo, Fulconem eundem Andegauorum Turonúmque ac Cœnomanorum Comitem ex Cœnomanorum finibus inſtare iubet: ipſe medius vrgebat. Anglus oppidis partim fraude hoſtili, partim proditione popularium amiſſis, omni parte circumuentus, æmulúmque Ducatus fratris filium horrens, ſuis rebus diffidere cœpit. Sed nihil æque terruit eum, atque Vgonis cubicularii ſui ſcelus: quem occultum fœdus cum hoſte iciſſe compertum habuit. Eo ad ſupplicium tradito, ne interiorem quidem vitam ſibi tutam poterat arbitrari: omnia æque metuere: nemini mortalium fidem habere: nulli rei ſe credere: inſidias menſæ timere: ſilentium hominum inimicum, vocem infidam exiſtimare: celebritatem horrendam: ſolitudinem inſidioſam. Recreauit ægram mentem mors Flandri acerrimi hoſtis. Balduinus enim dum Augen oppidum tentat, in aduerſum pectus ſaxo coniecto, ſemianimis in caſtra relatus, paucis pòſt diebus obiit. Craſſus dedecoris impatiens, in Carnutas, qui Theobaldo ex familia Bleſenſium Comiti dicto audientes erant, Anglicarum partium viro, ignem ferrúmque fert. vrbem per impotentem iram abſumpturus omni exemplo belli erat. Ciues ſacerdotéſque cum velamentis ſupplicum occurrentes, immitem animum placauere. Rem Flandricam ſuſcepit Carolus Canuti Danorum Regis filius ex ſorore Roberti Comitis ſuſceptus. Balduinus Hieroſolymorum Rex anno eius ſeculi duodeuiceſimo deceſſit. Succeſſor ei delectus eſt Balduinus ſecundus Edeſſæ Comes. Is que Ioſcellinum virum fortiſſimum Comitatu Edeſſæ donat: quo & ipſe donatus fuerat ab vtriuſque cognato Balduino. ita Belgarum nomen perpetua gloria illuſtre. Cum ad famam primi Balduini defuncti Euſtathius eius reliquus frater Comes Bononienſis, vt in regnum fratri ſuccederet, iter ingreſſus, Brunduſium iam perueniſſet, inde in Orientem ſoluturus: vbi Remenſem virum fortiſſimum in defuncti locum ſuffectum Regem accepit, authoribus amicis, vt ire pergeret: illum enim neque viribus neque cauſſa parem futurum: Deus meliorem, inquit, mentem mihi det, quàm vt regnum cruore meorum CHRISTO redditum, per me domeſticis bellis antè quàm coaleſcat euertatur.

Remenſis multiplici de Barbaris victoria parta, celebre nomen ſuũ Orienti initio effecit: Anno vero eius ſeculi quinto & viceſimo à Balacho Parthorum principe nobiliſſimo, in acie fortiter impigréque dimicans, fortuna numeróque multo inferior, nec ſociorum auxiliis expectatis, capitur, minore iactura militum, quòd & pauciores erant, & Rege in ſe hoſtem vertente, tutior fuga data. Mox Turcæ terra, Aegyptii mari noſtros in Syria premunt. Nec Latinorum nomen ſuos deſeruit, ex Francia ſemper milite affluente, & Venetis continuò Syriæ oram claſſe ingenti tenentibus, rêſque partim amiſſas recuperantibus, partim periclitantes tuentibus. Nec Guliel-
mus Burrus magiſter equitum Regni Hieroſolymitani, ſolidum gaudium Regis capti Barbaris diuturnúmve relinquebat: Tyrum antè fruſtra oppugnatam, ipſe à terra, Veneti à mari adorti ſunt. Hîque, quò ille maiori animo foret, ſcirétque ab ſociis ſe deſertum non iri, ſiqua vis terra in-

grueret, claſſem propius terram appulere: gubernaculáque nauium ad eum in caſtra detulere. Diutius ſpe tenuit obſidio. Cum aſſidetur mœnibus, ſunt authores columbam aduolaſſe: eam cum noſtri vſu docti tabellariam eſſe cognoſcerent, clamorem tantum â terreſtribus naualibúſque Latinorum copiis ſublatum, vt ales tanquam turbine moti cœli acta in terram delaberetur. demptam epiſtolam Barbarorum literis ad Tyrios exaratam, Breui
» auxilia occurſura: bono animo eſſent: paucos dies obſidionem tolerarent. Noſtros contrà alteram epiſtolam curaſſe ſcribendam manu linguáque eorum Barbarorum quos in fide habebant: quibuſdam etiam Latinorum longinquitate temporis, commercióque mutui per interualla bellorum vſus, Barbarorum ſermonis non ignaris: volucrémque cum ſubditicis fallaci-
» búſque literis remiſſam, Sibi ex vſu præſenti obſeſſi conſulerent: virtutem
» eorum fidémque ſatis perſpectam: fortunam deeſſe: ſpem propinquam au-
» xilii nullam oſtendi poſſe, intercluſis ab hoſte itineribus. Dolo ceſſere Tyrii. Veneto nomini ſummi honores habiti, & tunc à Magiſtro equitum, Patriarchâque, & ab Rege poſtea Balduino reduce: immunitatéſque de-
» cretæ magnifica præfatione: Quandò Dominicus Michaël Venetorum
» Dux, cum innumera vi nauium militúmque in Syriam delatus, ad Aſca-
» lonem Barbaræ religionis claſſem edita grauiſſima ſtrage fudit, fugauítque:
» Veneti in vrbibus Regni Hieroſolymitani ſuum vicum, forum, templum,
» conuentum, ſuos iudices habento, ſoluti Regio imperio. Ciui Veneto, ſi
» iactum, ſi naufragium fecerit, ſuarum rerum auferendarum ius eſto. Siue
» teſtatus, ſiue inteſtatus deceſſerit, eius bonorum poſſeſſionem Magiſtratus
» Venetorum legibus patriis dato. Genti Venetæ quotannis fiſcus Regius nu-
» meret trecenos Byzantios Saracenates. His enim verbis Pontifex Tyriorum vtitur. Cætera longiore conſcripta carmine referre non eſt operæprecium. Additum his, vt tertia parte Tyri & Aſcalonis, vbi primùm eorum ope recepta fuerit, potirentur eo iure quo qui optimo. Barbari vero vbi ſenſere capto Rege propè nihilo meliores res ſuas factas, nec Latinum nomen iccirco communem religionis cauſſam deſerere: precio accepto eum comiter dimiſere. Hæc in Aſia aduerſus veros hoſtes. Carolus Flandriæ Comes ſeptem annis rerum potitus eſt, aduerſa ſemper nobilitate, commodis voluntatíque plebis omni popularitate inſeruiens: & caſus temporáque tulere, vt parens à plebe diceretur, haberetúrque. Anguſtiſſime frumenta prouenerant. Quendam è gratioſiſſimis aulicis Tamardum alendis è fiſco egentibus præfecerat: ipſe cum loculis in vulgus prodibat, templáque circumibat, ſtipem manu ſua mendicis promens. Externo importatóque frumento vtebantur: diuites de frumētariis alienigenis peregrinum coëmebant, ſibi ſuíſque abunde in longam diem proſpicientes: tenuiores ferè in diem, aut in non multum deinceps temporis mercati victitabant: omnino egentes Tamardi Eleemonis miniſterio ſuſtentabantur. Is aliena munificentia repente ingens, conſpicuus, ſpiritibus plenus, atque eam ob rem veteri nobilitati magis in dies inuiſus: ſed iam partis recentibúſque opibus

pollens potẽnſque,ac caſtellorum vicorũmque dominatu nobilis. veteribus relictiſque diuitiis anteibat Lambertus Stratenſis frater Bertolfi Præfecti ædis Donatiani. ea ſacra Præfectura tanta dignatione præſtabat,vt Robertus Comes eum iuri dicundo præficeret, qui præfectus eius fani erat: eíque, dum ipſe ad ſacrum bellum procul abeſſet, ſummam omnium rerum crederet, ac Comitatus annulum, quo publica monumenta ſignarentur. Lambertus, & quia opulentiſſimus, & quòd fratre Præfecto viro clariſſimo permultorum templorum decimas in multos annos redemerat, plena horrea habebat. Nunc in fame inopiáque, ac agrorum ſterilitate ab Eleemone egentibúſque inſimulabatur vt author communium miſeriarum, quòd ſuppreſſo frumento, clauſisque horreis, populares ante oculos ſuos perire ſineret. Ea iuſſu Comitis refracta, triticique vim ingentem egentibus gratis menſus eſt Tamardus: qui vero ſoluendo forent, certum precium numerantibus: illáque pecunia, cum eam Lambertus,vt indigne habitus, oblatam continuò à Tamardo velut iniquo ac propè hoſte accipere noluiſſet,inopibus diuiſa: quæ res Comitem Eleemonémque plebi gratiorem iucundiorémque effecit, & Stratenſem Decumanum noua indignatione incendit. Acceſſit quod magis inflammaret, quòd die Epiphaniæ feſto, dum Comes conuiuium frequens habet, ac, vt Gallica fert eius celebrandi diei conſuetudo, Rex per luſum creatus,in omnem lætitiam hilaritatémque effuſus accumbere parat, ac officia magiſtratúſque per ludum iocúmque diſtribuere: Abba fani Bertini magno natu repentinus ſuperueniens menſæ benedixit: mirantíque Carolo,cur id ætatis vir,ſæua hyeme(quæ eo anno atrociſſima ingruerat) relictis Cœnobitis iniuſſus veniſſet, reſpondit ſe neceſſitate coactum adeſſe, quòd Lambertus decumarum nomine nihil hoc triennio diſſoluiſſet: ſibi ſuíſque nihil reliqui eſſe quo vel vitam tolerarent. Comes motus, continuò non ipſum Decumanum, qui abſens inſimulabatur, ſed eius fratrem Præfectum accerſi iubet. Ille ab euocatoribus appellatus, tanquam ad conuiuium ſe in aulam contulit. tantum abfuit vt cum multo inferiores dignitate nominéque epularentur, ipſe ad lætitiam menſæ inuitaretur, vt iurgio conuitióque exciperetur, iuberetúrque noxam fratris luere: niſi Bertinianis eodem illo die ſatisfieret, non leui defuncturum pœna: & beneficia, ſacráque, atque adeo profana munera ei abrogatum iri. Inter vinum ſuccenſenti Comiti, reſponſum nullum reddi poterat: nulla ſatiſfactio accipi: nec exinanitis expilatíſque horreis erat vnde decumæ Bertinianis ſoluerentur. Decumanus cauſſam ſuam, cui tempus mederi fortaſſe potuiſſet, atroci conſilio maxime nefariam ſceleſtiorémque effecit. Ex profeſſo propalámque Comiti obeſſe protinus minime poterat,vir priuatus. Tutius interea viſum Eleemonis res agere ferréque. Finitimos agros, caſtellá-que inter ſe vicina habebant:atque ea ex re(vt aſſolet) controuerſia de finibus,expoſtulatióque exorta.Stratenſis terminos reuellit, ac propius intráque Tamardi poſſeſſiones promotos figit. Id initium iurgii: mox rixa,pulſatió-

que nata: strictis tandem ensibus cædes vtrinque facta. Stratenses manu coacta, duce Bochardo Lamberti filio iuuene impigro, in castellum Tamardi impetum faciunt: claustra portarum refringunt: fores disiiciunt: muri partem diruunt: si quis vim vi arcebat, occidunt: bona diripiunt. Priuatum odium etiámnum credit illud esse Comes, nihildum lateri suo præmetuens. Tantum iubet, cædis caussa dissimulata, lapides finales quo steterant loco reponi: castelli ruinas restitui: si quid ablatum foret, duplex reddi. Nec hoc decreto res composita. Nouo semper dolore ira accenditur. Quærunt Stratenses, qua ratione caput rerum authorémque (vt sibi persuaserant) iniuriæ tollerent: cæso Eleemone Comitem iam sibi iniquum, iniquiorem implacabiliorémque fore: sublato Comite Dano, nulladum sobole, nullo rectore aulæ, neminem vindicem futurum: gratiam etiam à vetere nobilitate, cui ille inuisus sit, percussores inituros. Sacrorum Cinerum die, prima luce religionis plenus Comes incomitatus templum Donatiani ingressus, rei diuinæ totum se dedebat: iam hostia sacerdos faciebat, cum manus coniuratorum circunstantes ante aram maximam Comitem velut victimam mactant. Cruore humano sacra respersa. Forte muliercula stipem mendicans adstiterat: ea hoc diro spectaculo percita, è templi valuis se proripit, vociferánsque, ac fidem popularium implorans, vrbem conciuit. Cognita re Tamardus, Decurionésque vrbis accurrunt. vt in re repentina, iis telis correptis, quæ cuique festinanti casus obtulit: semiermes aduersus egregie armatos, inopinato malo attoniti contra præparatos animis, & iam parricidio feroces, ac nullum scelus non ausuros feruntur. In templo altera expetita victima Tamardus cadit: fugantur cæteri. Mentem consiliúmque Superi, furórque, ac parricidium, sacráque violata Stratensibus ademerant: nefarium scelus noua indignitate cumulant: ædes Comitis diripiunt: neque ad libertatem vsurpandam ciues inuitant: neque nobilitatem ad decus repetendum: neque cuiusquam nomen subiiciunt, qui vel legibus ad succedendum vocetur, vel ex vsu réque publica instituatur. Simul proceres parricidium perpetratum, sacráque contaminata, iuráque diuina & humana sublata, quocunque animo in Danum fuissent, persequenda ferro censebant: & plebs velut parente per scelus amisso, eius mortem vltura ad arma conclamauit: Lambertus consciorum clientiúmque perditissimorum manu stipatus, Donatiani ædem ac turrim in modum arcis emunit, firmátque: eóque commeatum in longam diem importat, signum tandem tollens, siqui dulcedine rerum nouarum capti, se ad eum recipiant. Iam à plebe nobilitatéque consentientibus animis Rector Flandriæ salutatur Gulielmus Hyprensis Philippi filius, primi Roberti nepos, sed materno genere impar: vir magni animi, consiliíque. Is se Ducem volentibus ad expetendas à parricidis pœnas præbet. Multitudo ipsa tunc Dani corpus, vt sanctas reliquias, venerabatur: contingere osculo contendebant: aliquid capilli, barbæque, atque adeo vnguium præcidere, vt do-

 mestica

mestica religione præsegmina asseruarent colerentque. Nec vestimentis, vt quæ sanctum corpus operuissent, parcebatur. Lambertus hæc ex edito loco contemplatus, iam certus sibi perniciem instare, cum fratre Præfecto, filióque, antequam circumsideretur, nondum dispositis custodiis elabitur. fuga comperta, missi passim sunt qui eos persecuti comprehensos retraherent. Et Rex Francus certior factus, ne ea prouincia Anglo in omnem occasionem intento iungeretur, simul ne exemplum beneficiariorum Francicæ Regiæ Principum coniuratione suorum occidendorum inultum sineret; cum copiis affuit. Stratenses obsidionem oppugnationémque per aliquot dies sustinuere. Nulla res eos æque terruit, atque quòd cum omnis generis salsamenta commeatúmque intulissent, omnia vitiata tetrum odorem spirare cœpere. Id velut miraculo, ac haud dubia superûm ira perculsos compulit ad deditionem. Ad ducentos è turri in templum, quò iam irruperant Regii, inermes descenderunt: procumbentésque ad Regis pedes, eius fidei se tradebant. Is iussit eos vnde descenderant vniuersos se recipere, ac binos deinde in aream fani reuerti. Dicto, ignari quodnam se fatum maneret, paruere. Ita bini ad supplicium traditi: & retracti ex fuga, pœnas pependere summis cruciatibus, alii rotarum radiis districti, alii palis induti, alii nouo & inaudito antè supplicii genere absumpti: maxima pars lenta grauíque morte: cæteri ex editioribus locis præcipitati, atque ita laceris corporibus resti sunt suspensi. Nulli coniuratorum temperatum. Nec noxiorum modò morte piacula cæsi Comitis expetita, sed quicunque aliqua necessitudine eos contingebant, atque adeo paulo notiores, aut ferro pulsi, aut metu voluntarium sibi exilium longinquúmque consciuere, finitimis eos detestantibus, execrantibúsque. Hunc exitum habuit fera nefariáque coniuratio. Dadus nouus Comes genti erat. Gulielmus Roberti Ducis Normaniæ filius Comes Flandriæ ab Rege creatus, in eius verba se iureiurando adegit. Auia eius materna fuerat Mathildis, filia Balduini Pii Comitis: ipse apud Francos in honore summo fuerat, ac dux Normaniæ (vt edocuimus) declaratus. pater in custodia apud Regem Anglum asseruabatur: quo dolore velut piis conceptis inimicitiis Anglos infensissime oderat, Francicarum partium fidelissimus ac acerrimus propugnator: & quòd Ducatu Normaniæ potiri patruo hoste præualido non potuerat: ne priuatam omnino vitam summi Ducis filius ageret, Comes Flandriæ designatus, ab Rege domum regresso in possessionem eius dominatus missus, Regiis copiis stipatus iuit: Hyprensémque, quem Rectorem Flandriæ populares crearant, captum semel dulcedine summæ rerum administrandæ, primásque semper sibi partes arrogantem, Hypras compulit. Eo oppido Francis oppugnationem minitantibus territo, ac deditionem faciente, coactus est Hyprensis se fidei Francorum permittere, ac Rectoris nomen munúsque deponere: venia vitáque donatus, in verba noui Comitis se iureiurando adegit. Danum Comitem popularitas perdiderat: offensio omnium ordinum hunc Comitem euertet. Magistratus venum dabat, nulla ratione virtutis, nobilitatis, merito-

rúmve aut communis ſalutis habita : dignitates officiáque quæſtui habebat. Decuriones, Vergobretos, Conſules(nam & hæc honorum nomina etiam Flandria vſurpabat) precio creabat : cuncta illi pecunia viliora erant. Quod illi peſti fuit, ingentem vim auri congeſſerat,ſi auro ad comparandum alendúmque exercitum pollens poténſque vlciſci caſum paternum , & adiutore quoque Franco patruum perſequi bello poſſet, pœníſque expetitis Normaniam recuperare . Dolor iuſtus cauſſáque Comitis Flandros non æque afficiebat . Statum rerum præſentem oderant , nouarum cupidiſſimi . Huius habitus animorum gnarus Theodoricus Alſatiæ Comes,Roberti Comitis ex filia nepos,gradu ſpéque propior , cum exercitu in Flandriam ſe contulit. Gandauum , Hypræ , Brugæ'que eum mœnibus admiſere: accurrentíque Normano portas claudunt : cauſſámque repentini tumultus conſternationíſque percontanti reſpondent, faceſſeret procul: neminẽ ſibi niſi Theodoricum iura daturum : ſibi principe parentéque , non expilatore opus eſſe . Tunc aurum (quæ mali cauſſa fuerat) promit : vndique milites ad ſe cogit : & Francus Rex auxilia parabat , quæ mitteret Comiti ab ſe inſtituto , aduerſus Alſatienſem , qui armis Flandriam peteret , cauſſámque bello perſequeretur,cuius cognitio iudiciúmque ac arbitrium ad Regiam Francorum (cuius ſummum Imperium in Flandricas res foret) pertineret : nec ſimplici cauſſa , nec ſimplex fortuna rem decreuit . Alter præterea atque adeo tertius Comitatus æmulus oblatus eſt Normano . Arnoldus filius ſororis Caroli Dani Comitis , ſe potiorem eſſe & Alſatienſi,& Normano,qui auunculo Comiti ſuccederet , contendens,Danorum iuuentutem claſſe adducebat: & Hyprenſis nuper perturbata re Flandrica, ſe Ducem rurſus præbebat , ſi quis patriæ opem ferre ſtuderet , quæ tot exterarum gentium armis terra marique expoſita erat: ac damnata cupiditate illorum , qui de ſuo tantum dominatu ſoliciti , in eius perniciem incendiis ruiníſque , ac omni vaſtitate decertarent , antequam omnia perirent , in commune conſultum vellet : ita honeſta præſcriptione quamplurimorum ſibi animos conciliarat : párque bello ſuſtinendo repellendóque erat. Odomarenſes Danum receperant : ſed aduenientibus Francis metu excidii perculſi , ſibi conſuluere. pacti ſibi fraudi minime futurum , quòd Danos admiſiſſent , iuuiſſentque, portas Regiis patefecere : Danus in ædem Bertini refugit : Sanctitati loci condonatus, quum iureiurando fidem dediſſet, ſe arbitrio Franci Regis ſtaturum,nec bello ius illud deinceps perſecuturum : incolumis dimiſſus, claſſe qua venerat domum reuertit.Ita cum hoc hoſte ſtrictus enſis non eſt, cum Alſatienſi Normanus milite Franco conflixit . Fuſus acie fugatúſque Theodoricus in oppidum Aluſtum ex fuga ſe recepit . Nihil rebus bellicis incertius.Victor Normanus dum recenti decore ferox , ac nihil ſibi non proſpere ceſſurum ſperans , mœnia tentat , & incautius ſubit , ex muro telo ictus interiit . Ita Franci, cum non ſupereſſet pro cuius cauſſa pugnarent, precibus Theodorici in verba Franci Regis iurantis, æquiores ſe præbuere: quo conſenſu motus Hyprenſis arma poſuit : ac res Flandrica rurſus in

vnum coiit. Theodorici nomen illuſtre erit,plebi pergratum ; nobilitati acceptiſſimum . Theodoricus igitur ſalutatus Comes , Francum Regem per materteram propinqua cognatione contingebat . Ei Fulco Comes ſecundum Regem Francorum procerum opulentiſſimus, filiam Sibyllam collocauit : vnde natus Philippus patri ſucceſſurus in Comitatum Flandricum. Fulconem vero ſummum Ducem ſacrum bellum in Syriam duxit . Aſper Comes Andegauorum , idem & Turonum , eum ex Bertrada vxore ſuſceperat . Dux Aquitaniæ ab Aſpero beneficiario ſuo indignis modis vexatus fuerat : illóque mortuo Fulconem eius filium admodum puerum acerrimo bello perſequebatur: euerſurúſque videbatur . Mater Bertrada quanuis ſanguine nobiliſſima , pellicatus tamen infamiam fœditatémque non abnuit; dum filio paternas opes incolumes præſtaret.Philippum Regem forma blãditiíſque in ſui amorem pellexit.Nec modò patrimonium tutum puero fuit, ſed & incrementa fortunarum euenere.Helias Comes Cœnomanus Vibergam vnicam filiam ei collocauit : vnde geniti quatuor liberi : quorum nobiliſſimus fama fuit Gotthofredus , quia gener fuit Angli Regis , patérque Henrici item Anglorum Regis. Fulco mortua priore vxore, in Orientem tranſmiſerat religionis cauſſa : & centum equitum cataphractorum comitatu aduerſus impios præclara facinora ediderat: tantúmque virtutis ſpecimen præ ſe tulit,vt noſtros Barbaróſque in ſui admirationem adduceret.Domum regreſſum Balduinus Rex ſenex de ſucceſſore ſolicitus,ſuaſu amicorum virum hunc fortiſſimum toto ex orbe terrarum delegit , cui maiorem filiam Meliſcendam in ſpem ſucceſſionis collocaret . Eliſa minor Bohemundo iuniori deſponſa fuit . Conſilium prudens , fidúmque , ac fœlix . Iuit Andegauenſis : ſoceri ſenectutem pie texit : in Barbaros res ſumma virtute geſſit: ſuperauítque ſpem quæ de illo concepta erat . Anno eius ſeculi triceſimo primo deceſſit Balduinus Rex:ſucceſſit Andegauenſis . ſimul in Antiochenſi principatu bello Barbarorum occiſo Bohemundo iuniore , eius vnicæ filiæ Conſtantiæ vir , qui rem Antiochenſem capeſſeret , deligendus erat: cuius optionis arbitrium ad Fulconem Regem reiectum eſt . Affectuum ſuorum rationem non habuit : Raimundum ſui paterníque inimici Gulielmi Aquitanorum Ducis filium minorem (maior in Ducatum patri ſucceſſerat) digniſſimum eo munere nuptiarum cenſuit : cuius fidei virtutíque ipſe principatum Antiochenſium , beneficium ſuum , ſecundáſque in Oriente partes committeret . Ita opes Aſiaticæ Latinorum virtuti nobilitatíque dotales erant : & Francorum nomen tam illuſtre , vt omnes Latinos Francorum nomine barbara religio cenſeret . Omnes quidem piæ gentes publice , ac ſummi viri pro virili quiſque parte aliquid in commune contulerant , cauſsámque CHRISTI tutati fuerant : quamplurimi arma ceperant:res ipſi in Oriente geſſerant : qui domi manſerant , obſecrationibus; votis , pecuniis , commeatu bellum iuuerant : nemo ferè laudis expers fuerat . Cæterum Francorum virtus , pietas ; perſeuerantia præcipuam gloriam ſibi dextra pepererat. Græci vero Latinorum nomen, opes , imperium in Oriente inueteraſcere,nec Europa cõtentum,ac iis etiam in Oriente gen-

tibus imperare, quæ veteris Romæ iam immemores, Imperium Græcorum venerari didicerant, ægre ferebant. In primis Antiochenſem Tetrarchiam appetebat Iohannes Cæſar, non minoris animi conſiliique ac cupiditatis, quàm pater Alexis fuiſſet. Ita dum inter duas gentes nominis Chriſtiani nobiliſſimas parum conuenit, Sanguinus filius Aſſungurii, idem Noradini magnæ apud Barbaros ſpei adoleſcentis pater, Halapianus Satrapes, noſtrorum diſſenſiones, ſuſpiciones, ſimultates, occaſionem ſuam fecit: ac cum rem Antiochenſem Græci tentaturi eſſent, ſi eam ſuo adiicere poſſent Imperio, ipſe Regem Fulconem bello ſæuo adoritur. Halapia Syriæ vrbs eſt, ſecundæ ab Antiochia dignationis, Heliopolis antea dicta. Græcus quàm maximis fieri potuit copiis vrbes quas reliquas Latini in Cilicia Tancredi virtute partas, ac Antiochiæ tunc principatui contributas habebant, occupat. Ita Latini Aſiatici & Barbarorum & Græcorum armis ſimul impares laborabant. Fulco veteranus Imperator inuictus manſit: Raimundus iuuenis minus irarum geſſit: minúſque virtutis præſtitit aduerſus Auguſtum, non religionis odio, ſed æmulatione imperitandi bellum gerentem. Fœdus ictum, vt Auguſtus Ciliciam redderet: darétque operam, vt Halapia expugnaretur, Tetrarchiæ'que Antiochenſi contribueretur: Raimundus beneficiarium Græcorum ſe profiteretur, ac in Auguſti verba iuraret: eúmque, Græcorúmque præſidium in vrbem arcémque reciperet. Græcus intra mœnia admiſſus, rerum Syriacarum ſe potentem exiſtimabat: vniuerſúmque Græcorum exercitus robur intromitti iubebat: ac præſidium ex ſuis arci imponi: Se ex Græcia Græcorúmque prouinciis omnem pubem exciturum: ſacrúmque bellum ita geſturum, vt Barbara ſuperſtitio euertatur, Turcarum Saracenorúmque opes, Imperia tollantur, nomen extinguatur. Antiochenſes recidere in Græcorum ius ditionémque, gentis lingua quàm dextra melioris, nolebant: Latinos recepiſſe Antiochiam, quam Græci tueri non potuiſſent. Syriam maxima ex parte, Phœnicénque, ac ſacrum Regnum recuperaſſe, quod illi amiſiſſent. Igitur ad arma diſcurrunt, ſiqua vis à Iohanne Cæſare fiat. Is verò oratione tumultum ſedat: Se adeſſe, vt rem Antiochenſem ſeruet, tutetúrque à Saracenorum Turcarúmque metu. ſin vrbs arx'que per ſe ſatis virium habeat, lætari ſe non diſtringi copias Græcorum, vt vniuerſæ in Barbaram religionem, communéſque Græcorum cum Latino nomine hoſtes duci queant. Ita deduxit in præſens exercitum. Biennio pòſt maioribus copiis in maritimam Pamphiliæ oram ad vrbem Attaliam claſſe rediit: emenſus'que itinere terreſtri Iſauriam, Ciliciam repetit: inde aliò quàm quis expectaſſet itinere, non in Tetrarchiam Antiochenſem, ſed Edeſſanum Comitatum raptim fertur: ac Turbaſſellum quatuor & viginti millibus paſſuum ab Euphrate ſitum occupat: Comitémque Ioſcellinum coëgit ſibi obſides, & in his filiam, dare: ita tutius faciliúſque futurum vt Antiochenſes & ipſi obſides dent, & dicto audientes ſint. ad quos præmiſit, qui eorum animos cognoſcerent, fidémque fœderis exigerent. Non perculſi erant metu: non conſilium, non animus defuit. Reſponderunt, rata publice ſibi non eſſe, quæ Raimundus iniuſſu cæterorum Procerum populive egiſſet de Antiochéſi Prin-

 cipatu,

cipatu, quem non ſuum, paternúm ve, ſed dotalem ac vxorium haberet. Miſit & ad Regem Fulconem Auguſtus, religionis obſecrationiſque gratia peruelle ſe ſacra inuiſere loca: & aduerſus eorum hoſtes arma ferre. Senſit Fulco artem: Renunciari iuſſit, pergratam eſſe Latinis Græcorum pietatem: eam regionem non eſſe alendo colendóque tanto exercitui quantum Auguſtus duceret: Sin cum decem omnino millibus militum veniret, Regem regio apparatu excepturum, proſecuturúmque Græcam maieſtatem. Ita vtrinque excluſus, in Ciliciam ſe Tarſum recepit. mox cum venatione corpus exercens, animum curis ſoluit: in aprum ſagittam venenatam deſtinat: ſed parum ſcienter tendens, læuæ vulnus inflixit: de ſupremis ſuis rebus agit: Certam alioqui mortem auerti poſſe medici teſtantur, ſi manus præcidatur antè quã peſtis reliquũ corpus peruadat. Auguſtus negauit vnimano Cæſare terras recte regi poſſe. Is exitus eius Cæſaris, qui orbis terrarũ Imperium vera maieſtate viribúſque obtinere contendebat. In Francia verò quies à magnorum bellorum mole erat: Parua expeditio in Borbonium facta, quòd Hanno eum dominatum ſolus totum inuaſerat, expulſo Ercembaldo adoleſcentulo fratris maioris filio, vt in magnis Imperiis iure controuerſo, vtrum nepos ex maiore filio antea defuncto ad auitam hæreditatem, an minor filius legibus vocetur. Hanno coactus eſt poſitis armis iudicio procerũ ſtare: adoleſcenti idem ius datum, quod patri, ſi viueret, adiudicaretur: Pars tantùm bonorum patruo ſeruata. Exin Aruerni petiti, quòd Aruernorum Comes Epiſcopum Claromontanum ciuitate ſubmouerat. In vrbis conſpectu Craſſus poſuit caſtra: oppidani crebras eruptiones, omniáque circà infeſta faciebant. Almericus Comes à Monteforti poſitis inſidiis aliquot eorum captos licentia belli potius quàm humanitatis iure præciſis dextris in vrbem remiſit. Oppidani tam triſti ſpectaculo pauidi, adduxerunt Comitem ſuum, vt leges Epiſcopúmque à Craſſo acciperet. Digreſſo Rege, ad furorem rediit: Francus reuerſus arcem Ferranam, quæ è regione in conſpectúque vrbis eſt, virtute ſuorum occupauit. Gulielmus Dux Aquitaniæ in Aruerniam copias duxit, quòd eam Aquitanici Ducatus iuris eſſe contenderet. Propinquum caſtris Francorum locum cepit. Cæterum conſpectu Regiorum territus, in conditiones deſcendit, vt Aruerni Aquitanis, Aquitani Regi Franco dicto audientes forent. Pax tota Francia parta, anno eius ſeculi triceſimo: cum Honorius Pon. max. deceſſiſſet. Innocentius ſuffectus mouit in Rogerium Rogerii Comitis Siciliæ filium, qui mortuo Gulielmo Apuliæ Duce, non Apulia modò, ſed Calabria, Lucania, Campaniáque potitus, ſe Italiæ Regem dictitabat, ac ita ſalutari volebat. Animos faciebant illi opes, réſque lætæ, ac maiorum gloria, qui priuata nobilitate orti, audendo agendóque ad maxima quæque peruenisſent: ſibi tantum Regium nomen deeſſe, cum nulli Regum viribus Imperióque conferendus non ſit. Nimis magnam ſpem concipere animo videbatur. Romani cum eo conflixere: ac primum victoriam retulere: deinde cum illi Gulielmus filius cum nouis copiis auxilio veniſſet, commiſſo ad Fanum Germani prælio, Innocentius Pont. max. cum non paucis Cardinalium patrum, qui

in eius comitatu erant,in poteſtatem Siculi venit.Nominis ſanctitas non mo dò tutum à periculo indignitatéque Pontificem præſtitit,ſed effecit vt reuerentiſſime officioſiſſiméque haberetur, dimitteretúrque. Illinc religio , hinc gratus animus valuit.Innocentius Siculo cuncta quæ petiit conceſſit, præter Regium nomen,inſigniáque.Hoſtis iuſtus Pōtificem coluit: ſui tollere contenderunt. Etenim ad eius capti famam,in vrbe Petrus Leonis ciuis Romani ditiſſimi filius, Aegidio Cardinale Tuſculanorum Epiſcopo adnitente,Pontifex maximus ſalutatur,adoratúrque à ſuæ factionis hominibus , ac iis quos largitione corruperat:ſéque Anacletum vocitari iubet. Impar viribus Innocentius in Franciam venit.Siculus vtrinque auctior fuit. Ab Innocentio cætera impetrarat:eo profugo ſe cauſſæ Anacleti coniunxit.ab eo Rex Siciliæ, contributis etiam cis fretum Brutiis,Lucanis, Apulis , Calabris , ſalutatus.In Galliam factiones etiã hac de re peruenere.Gulielmus Dux Aquitaniæ ſuaſu Engoliſmenſium Epiſcopi Anacleto ſtudebat, indigne ferentis non potuiſſe ſe ab Innocentio Aquitaniæ Legationem impetrare. Innocentius concilium Claromonte habuit,Anacletíque cauſſam damnauit.Inde Aurelianum perrexit:ibíque parens generis humani à Craſſo ſalutatur.In Carnutibus eadem veneratione obuium habuit Henricum Anglum Regem.Remis etiam concilium habitum,multáque ſancte decreta,ſi poſteri ſeruaremus. Patres, Franci,Germani,Angli, Hiſpani, ac maxima ex parte Italiæ conuenere . Aquitanus quoque cum cæteris tandem piis ſentire cœpit . Francus Rex acerrimus propugnator piarum cauſſarum ad eam fuerat diem , & Innocentio totum orbem terrarū conciliarat,in ſuæ ditionis patres omni antè tēpore pius:tunc primùm eorū facultates ~~intuadebat~~:Epiſcopóſque ~~deprecantes~~ à genibus ſuis repulerat . cui impotentiæ Bernardus Abba iram cæleſtem vindicem inſtare denunciaſſe fertur.Extant epiſtolæ ſancti viri in hunc Regem liberæ,grauéſque.Conſtat Philippum eius filium , quem pauloante coronatum , Regem ſalutandum curauerat,dum in ſuburbano Lutetiæ equitat, occurſu fœminæ ſuis pauefacto equo effuſum,ac tam graui ruina ſtratum,vt paucis pòſt horis expirarit.Innocētius eius fratrem LVDOVICVM,ab aliis cognomine Lenem,ab aliis Iuniorem dictū,rogatu patris Remis Regiis ſacris initiauit.quanta nullus Rex celebritate ſacratus fuit,quòd ad tollendum ſchiſma, conciliū toti orbi terrarum indictum fuerat,necdum dimiſſum. Nullius externæ gētis fidei tam ſæpe Pontifices maximi ſeſe venientes commiſere quoties in Galliam profecti,Francorum opem implorarunt: nec vlla ætas tot peregre conſpexit,quàm multos Craſſus vidit,Vrbanū,Paſchalem,Gelaſium,ac vt omittatur Caliſtus,quia Gallus in Gallia creatus fuit,Innocentium. Sub dimiſſum Remis concilium Pontifex in Eburones profectus,cum Lotario Cæſare egit de ſede Petri à ſchiſmate aſſerenda . Germanus omnia benigniſſime pollicitus,ſedem ſuam Pontifici, ac Pontificem ſedi,Italiam cum exercitu ingreſſus reſtituit. Exactus Anacletus non multo pòſt obiit . In Francia duobus Regibus,patre iam ſene, ac morbis inualido, nec ſatis ſacerdotibus probato: filio adoleſcente , ac rerum imperito , Theobaldus Campanus Comes è familia Bleſenſiū Comitū veteranus Dux, nec minus vulgo quàm nobilitati charus

39. LVDOVIC. CRASS. 40. LVDO. IVNIOR. acce-

acceptúsque,minus Reges reuereri videbatur. Indignatio Craſſum incendit, vt ſupra vires corporis viuidum pectus conniteretur, ne in ordinem cogeretur ipſe,filiúsque. In oppidum Comitis nobiliſſimum Bonamuallem primus impetus belli ingruit:vi captum eſt:omnia,præter ſacra loca,ferro,igne,ruinis mixta.Ad humile obſequium profitendum venit hoſtis nobiliſſimus.Exin ad alterius viri nequaquam cõferendæ dignitatis impotentiã edomandam itum. Briconetum erat oppidũ ad Ligerim ſitum: quo qui potiebatur,omnia circà infeſta flumine terráque commeantibus faciebat, grauiaq; portoria exigebat. Oppidum exciſum:Tyrannus fuga ſibi conſuluit.Iam à magnis paruisq; motibus bellicis quies erat.Philippo primùm,ac deinde Craſſo Regibus,mirum eſt quantum incrementi res ſacræ ceperint. In primis abrogatum eſt ius Cæſaribus locupletiſſima ſacerdotia quibus videretur dandi:quæ res multum virium illorum maieſtati detraxit in animis popularium. Cauſſa imperatorum victa,indignatio tamẽ manebat,& querela.Illud haud ambigua omnium approbatione factum:Triplex ordo Hieroſolymis inſtitutus: Hoſpitalium diui Iohannis:Templariũm:Teutonũm:initia exigua magnis opibus ſecutis.Antequam noſtri terram ſanctam bello de Barbaris reciperent,initio à mercatoribus Italis facto, qui Latinorum Orientem petebant, ius templi diuæ Virgini ædificandi ab imperatoribus Satrapisq; impiorum impetrarunt, vbi ſacra Latino ritu fierent: quòd Syri Græcis operarentur ceremoniis.Duo ſtructa ſunt templa,duóque cœnobia,virorum,mulierũmque:quò ſanctius vterque ſexus ſeparatim coleretur. Victitabant conferentibus per pietatem eleemoſynamq; Latinis. Res ſancta hoſpitalitásque hæc in dies magis cordi mortalibus immortalibusq; fuit.Additum Xenodochium,valetudinariumq;,ac ædicula diuo Iohanni ſacra:inuentiq; qui caſtitatem obedientiámque profeſſi,reliquis muneribus ſoluti,peregrinos ægrósque curarent.Hiq; à Patriarcha cruce alba ad dextram amiculi inſigniebantur, Hoſpitalarii vocitati. Primus hic ordo.Receptis de Barbaris Hieroſolymis, nouem numero Latinorum proceres,principibus duobus,Vgone Pagano,ac Gotthofredo à Fano Odemari, frequenti clientium comitatu,& ipſi caſtitate ac obediẽtia apud Patriarcham vota,iuſſi ſunt piis peregre illuc euntibus iter tutum à latrociniis impiorum præſtare. His area attributa pro templo domini ad ædes ſtruendas, quò ſe reciperent, vbi arma caperent.Hi Templarii dicti.Nihil his aduerſus incurſus Barbarorũ ferocius: nihil magis inuictum. Aut victoriam exuuiásque hoſtium reportabant, aut in veſtigio non inulti cadebant. Poſitis armis nihil illis humanius, nihil moribus ſuauius.In Francia concilio patrum in Tricaſſibus habito,Epiſcopo Albano præſide,Honorii Pontificis maximi legato,anno ſalutis milleſimo centeſimo viceſimooctauo,toga candida puraq; ſine cruce amiciri iuſſi: Eugenio continuò Pontifice cruces rubras veſtibus inſigne addidere. Vterq; hic ordo breui locuples beatúsque factus,contribuentibus certatim toto terrarum orbe Regibus Ducibusq; agros oppidáque.Teutoni ſuæ genti præcipuè conſultum voluere: ædem diuæ Virgini Hieroſolymis dicarunt: Xenodochium valetudinariúmque ſtruxere. Primum voluntaria paupertate,deinde & diuitiis nobiles, pulla cruce in veſtimentis item albis vtebantur. Hi tres

ordines ſancti,ac ferro accincti:illi ſanctitate tantùm vitæ interioris,& mortalium rerum curis ſoluti, orti ſunt, in primis Cartuſienſes anno ſalutis milleſimo octogeſimo quarto. Conditor eorum extitit Bruno ciuis Agrippinenſis, Remorum Canonicus:idem & ſcholarum rector.In finibus Gratianopolitanorum eremus ad incolendum delecta, Vgone eius ciuitatis Pontifice viro ſancto.Tertiodecimo pòſt anno Nobertus è Lotaringia,nobilitate,diuitiis,ac familiaritate Regum Ducúmque inclytus,tædio vani vitæ ſplendoris,opes aſpernatus,Præmonſtrati (id loco nomen eſt) cœnobium condidit nouæ ſanctitatis: Præmonſtratenſes dicuntur. Robertus Abba Moliſmenſis in finibus Lingonum,cum diuitiæ iam illius cœnobii laſciuiam ſuperbiâmque afferrẽt, degenerarentúrque à conditorum integritate, cum vno & viginti cœnobitis ſanctis viris in fines Cauillonenſium,deuiâmque maxime ſolitudinem Ciſtertium ſe ſurripuit:ibiq; Valtero ciuitatis Epiſcopo aſſentiente,authoreq; Vgone Lugdunenſium Archiepiſcopo, ſimul annitente Odone Burgundiæ Duce,nouum religionis ſpecimen inſtituit. Quintodecimo pòſt anno Bernardus Caſtellione Burgundiæ oppido ortus, Ciſtertienſem pietatem profeſſus,eum ordinem velut ipſe potior parens illuſtrauit. Pace ſanctitateq; florebat Craſſi regnum.Hoſtes habuerat iuuenis paternos,ſuósque: virtus,experientiáque,ac ſecundum numen eius opes ſeruauit,auxitq;:fœlicitas amicos incrementâque attulit.Gulielmus Pictonum Comes,idem Aquitaniæ Dux,prole virili orbus, filiam ſuam maiorem Leonoram,neque publico neq; priuato commodo bonoq; maiore cuiquã quàm Ludouico Craſſi filio Regi ſalutato collocare poterat:neq; Craſſus opulentius,& magis è re Francica matrimonium filio conciliare.Quod res ipſa & tempora poſtulabant,id etiam hominum conſilium attulit. Gulielmus Dux religionis cauſſa in Hiſpaniam ad diui Iacobi profectus,in itinere morbo correptus,obteſtatus eſt proceres comitatus ſui,ſecundum obitũ ſuum ſumma ope contenderẽt,vti Leonora filia Ludouico Regi Craſſi Regis filio nuberet. Mortuo fidem officiumq; proceres præſtiterunt. Illis euocantibus Burdegalã à patre miſſus iuuenis Rex ſibi matrimonio puellam iunxit,maximo vtriuſq; gentis gaudio: futuroq; immortali,ſi quod ſenex Dux moriens ſenſerat, id filia generq; pio ſanctóque connubio præſtitiſſent. Aliter fortuna,parumq; ſana mens mortalium feret.Nullum auſpicatius coniugium initio viſum:nullum diuortium infelicius cecidit. Interea omnia læta viſa.Cuncta gratulatione feſtiuitateq; plena: fœlixq; Craſſus morte hoc tempore obita,liberis ſuis popularibusq; nihil non ſecũdum ſperans.Triginta regnauit annis:& ne quid fortunato deceſſui deeſſet:cum fatalem ſibi diem appetere ſentiret,reuocauit filium Regem è Vaſconia:coramq; hortatus eſt,obteſtatusq;,vt magis pie regnaret,quàm ipſe feciſſet:religionem coleret:egentibus conſuleret: orbis pupillisq; proſpiceret: paci communiq; dignitati ac ſaluti inſeruiret:Regnum nihil aliud quàm procurationem munusq; publicum exiſtimaret: cuius in vita adminiſtrati reddendam exacte rationem continuò poſt fata ſciret,ſedente in ſe immortali iudice,ſua cuique facinori parata præſenti ſempiternaq; mercede.Reliquit Craſſus hos liberos:Ludouicum Regẽ: Henricum Bellouacorũ Pontificem: Philippum Pariſiorum Archidiaconũ:

39. LVDO. CRAS. 40. LVDO. IVNIOR. Petrum

Petrum generum,eundem hæredem Reginaldi Cornacenſis:Conſtantiã vxorem Raimundi Toloſatium Comitis:& Robertum Druidum Comitem.Eodem anno decedens Henricus Anglus Rex nullis ex ſe liberis virilis ſexus relictis,bellorũ atrocium cauſſam præbuit: quòd duæ florentiſſimæ inter Francos familiæ, regni eius ius legibus ſibi obuenire dicebant. Mathildis Henrici filia,quæ Gotthofredo Comiti Andegauenſi nupſerat, ex eoq; Henricum & Gulielmum procrearat,patri ſuccedere ſe æquum cenſebat:vt rem Anglicam maior filius Henricus nondum pueritiæ annos ſupergreſſus,cum pubeſceret, regendam ſuſciperet,ſe interea tutrice. Contrà tendebat Stephanus Stephani Bleſenſium Comitis filius,ex ſorore eiuſdem Henrici Regis ſuſceptus,opibus conſilioq; præſtans:vxorem duxerat vnicam filiam Euſtathii Comitis Bononienſis:eóque defuncto,nobiliſſima vrbe dotali potiebatur:vnde in Angliam (nullo tunc Caliſii oppidi nomine) breuis cõmodusq; eſt traiectus:vt fortuna illum in Regni velut vacãtis poſſeſſionem excire videretur:ac vt ſocero ſucceſſerat,ita opibus auunculi paruo ex interuallo augeretur antequã Mathildis mulier Henricúsve puer aliquid moueret. Nec externa illi auxilia quæſita. Duos fratres impigros viros habebat:Theobaldum Francorum procerũ gratioſiſſimum:ac Henricũ Anglis acceptiſſimum,maximeq; venerabilem,quòd Pontifex Vintonienſis eſſet,ſanctus vita exiſtimatus. Is author fuit,vt cũ Angliæ tempora ſummum virum Regem poſtularent,Stephanus exploratæ virtutis princeps,magni Gulielmi ex filia nepos,ex continente cum tranſmiſiſſet, Rex ſalutaretur: ipſeq; eum inſignibus regiis decorauit.Mathildis initio muliebribus ſpiritibus inflata, & quòd priore toro Cæſaris vxor extitiſſet,ac deinceps Auguſta vocitata eſſet, æmulum regni paterni neminem expectabat: illudq; ad ſe filiúmque vltro delatum iri ſperabat. Vbi vero ſenſit celeritatem vimq; animi cunctatione potiorem ad maximarum rerum molimina eſſe, ac amitæ filium in ſolio collocatum iura reddere : nullo tamen metu perculſa, cum ſuis opibus aduerſus certum iam poſſeſſorem diffideret, quæ re integra ambiguam fortunam feciſſent,ſibi auxilia conciliare conſtituit.Solus Francus Rex occurrebat.Socer Fulco in Aſia regnabat,opem ex Europa potius expectans,quàm vt bello Anglico iuuare ſuos poſſet:nulla ſibi peregrina fœdera: ex Frãcia Stephano auxilia à fratre ſuppeditari diſſimulante ad eam diẽ Rege Ludouico : qui ſi ſe iuſtiori cauſſæ fauere præ ſe ferat, non parum virium dignitatisq; hoſtibus demptum iri.& apud Francum mulier Auguſtæ maieſtatis ſupplex valuit,ne Andegauenſis nobilitas,cuius & in rem Francicam,& erga nomen Chriſtianum quamplurima merita commemorari vere poſſent, indignior regio nomine videretur Bleſenſibus Comitibus,qui virtute Franci militis priuato conſilio,non edicto regio res gerentis in Anglia regnare contendant,nihil Regi Franco acceptum ferre debere ſe rati.Quin beneficii muneris q; ſui faceret Ludouicus Rex rem Anglicam:ac quem puerum iura ad Regnum eius gentis vocarent,ipſe Regem diceret:viduamq; ac pupillum in fidẽ ſuſceptos tegeret ab impotenti Bleſenſium iniuria.In humiles preces demiſit ſe Auguſta.Theobaldus Bleſenſis amplitudinis ſuæ nimis ſtudioſus,cum Rex in Pictones ac vlteriorem Aquitaniam recentis ditionis, quòd dotalis eſſet,&

nondū imperio aſſueta,euocatis proceribus proficiſceretur,ipſe ſe domi continuit.Id ſuperbum cōtumaxq; viſum,Regis animum offendit:nec addubitatum quin Henricus Andegauenſis Auguſtæ filius Dux Normaniæ ab Rege, cuius id ius eſſet, crearetur:ac beneficiarium ſe profeſſus,in verbaq; eius iureiurando adactus,in poſſeſſionem Ducatus cum cōpiis mitteretur: quod erat ingens de iure Anglici Regni præiudicium. Iam opes Auguſtæ validæ, paresq; Anglico bello gerendo. Sed cupiditas Regni & pariendi,& ſemel parti retinendi,nihil non excogitat: nulla re non ſe armat:Obiectum eſt Mathildi matri Henrici pueri, quòd Auguſta vocitari velle perſeueraret, profecto viuere adhuc Auguſtum priorem maritum:& forte oblatus eſt,qui ſpecie corporis,orisq; lineamētis,ac vultus maieſtate Henrico Cæſari,cui illa virgo nupſerat,ſimillimus,ſe Hēricum Cæſarem profiteretur,multosq; in ſpem rerum nouarum excitaret. Audacia comperta, homo in cœnobium relegatus, tam leui pro tanta noxa pœna,vt ſuſpicio maior exoriretur verū Henricum Cæſarem eum eſſe, nec legitimum fuiſſe alterum Mathildis matrimonium, nec Henricum Andegauenſem iuſtam ſobolem. Hæc erant rumorum vulgo ludibria. Sed & veris viribus in Anglia dimicatum.Auguſta cum Andegauenſi Turonenſiq; ac Cœnomana ſimul & Normanica iuuentute cum tranſmiſiſſet,multa prælia,in quibus aliquot ſecūda,fecit:Stephanum ſignis collatis cepit:nec idcirco cauſſa fortunáve decreta.Gulielmus Stephani filius refecto exercitu diſcrimen ſummæ rerum redintegrabat; impigro patre nihil ſegnior. Vltro citroq; amicis propinquisq; commeantibus,fœdus ictum his legibus,vt Stephanus dimitteretur, ac omni deinceps vita regnaret:defuncto ſuccederet Henricus:Gulielmus vero Stephani filius certis in Anglia Normaniaq; oppidis ipſe ſobolésque potiretur. Antequam illæ res in Anglia componerentur, etiam in continente animi contrariis inter ſe ſtudiis exardeſcebant.Et res eccleſiaſtica ſuo morbo laborabat. Petrus Abelardus Britannus ~~coetus~~ diſcipulorum frequentiſſimos habebat,qui omnium liberalium artium ſtudia æmulabantur.Ad eum vndique concurſus fiebat:nec ipſe contentus erat ſui ſeculi gloria,eruditionéque.De deo religioneq; Chriſtiana differens,à cæteris ſcholis ſenſibusq; deſciſcebat. Id in primis offendebat, quòd in definitione ſanctæ Fidei,cōtrà ac ſancti patres tradidiſſent,aſſeuerabat eam eſſe exiſtimationem: ita vt videretur falſam perſuaſionē, opinionemq; ancipitem fide Theologica contineri cenſere:quod ſi reciperetur,de firmitate,certáque ac inexpugnabili ſententia pietatis noſtræ actum foret. Vim vocum, quam diſciplinam nominum vocitabat,ea ratione theologicis ſtudiis coniungebat,vt cōceptione verborum Deum optimum maximum trinum, eundem & vnum prædicans, re oppugnare,refellereq; videretur.In Senonibus cōuentus Gallicorum patrum aduerſus eius placita habitus.Coactus eſt ſcripta ſua coràm igni dare.Nec idcirco iuuētus ſtudia æmulans ab eo defecit.Die rurſus dicta,cum quæſtio repeteretur,condemnareturq;, Pontificem maximū appellauit.Is & ſectam illā damnauit, & ſilentium homini indixit. Maior vir de religione poſtulatus eſt Gilbertus Pictonū Pontifex,indidem ortus,cognomento Poretanus,duobus cum ſuis Archidiaconis,qui mos temporū erat,doctiſſimis,inſectantibus:ſub-

scriptore primum, deinde & principe accusatore Bernardo. Sub idem tẽpus obiit Iohannes à Stampis, quem, per errorem, à temporibus multi vocitãt ob diuturnam vitam. Plus trecentis sexaginta vixisse annis eum faciunt: sub Carolo Magno meruisse: Ludouico Crassi filio decessisse: cũ interea nulla in tot motibus mentio eius facta fuerit: nec latere ignorarive potuisset virtus, quæ specimen sui iam inde à clarissimi Imperatoris ætate præbuisset, libentius crediderim eum militasse sub Carolo Simplicis nepote: quem Regnum paternum auitumq; petentem, & in Carolum Magnum originem suam referentẽ, Capetus Regni æmulus cepit, speq; rerum potiendarum exuit: nec trecentorum sexaginta, sed centum circitèr & sexaginta annorum vitam ei contigisse: id quod etiam consenescente mundo magnum & memorabile sit. Innocentius pontifex maximus in defuncti Alberici Biturigum Pontificis locum Petrum quendam suffecerat: consecratumq; in eam sacram sedem Franco multum aduersante mittebat. Ea ex re Francica ecclesia (vt Gotthofredus temporũ scriptor tradit) turbabatur. Theobaldus Comes caussam Petri Pontificisq; maximi tutabatur, multum succensente Rege. Accessit quod iram exacerbaret: Rhodulphus Virómanduorum Comes iusta vxore repudiata, Petronillã sororem Reginæ Leonoræ auspicibus aliquot Episcopis matrimonii nomine ducebat. Prioris vxoris caussam vnus rursus Campanus defendere audebat: eoq; agente Pontifex maximus in Franciam legatum misit. Episcopis diuortii authoribus, sacrificiis: & Rhodulpho simul & Petronillæ, aqua & igni interdictum. Rex igitur magis inflammatus, incendente insuper Regina, & molestissime ferente, quòd ea ignominia sorori inureretur, in Theobaldum velut omnibus eius conatibus oppositũ, exercitum duxit. Comes nomine ingẽs, sed armis impar, ne bello euerteretur, iniquas (vt diuus Bernardus coarguere ausus est) conditiones accepit: ac vt pacẽ ab irato prementeq; Rege impetraret, demississimis supplicibusq; literis Pontificem maximum exorauit vt interdictum induceretur, pollicitus Viromanduum iustam vxorem reducturũ. Non reducebat. In contumacem à Pontifice interdictum renouatum, & Regium bellum in Theobaldum redintegratũ. Rex magna & ira & manu illatus, Victoriacum, quod oppidũ sub ditione Blesensis erat, captum diripuit. Profana sacraq; loca sine discrimine incendit: in æde principe ad mille quingentos puberes impuberesq; promiscue combusti: qui sanctitate templi salutem tecturi, ad ararum tutelam supplices confugerant. Mox se colligens Rex, ingenti dolore atq; inde mœrore correptus, se afflictabat: neq; solatiis vllis subleuari poterat: cum diuus Bernardus ad illum venit, euocatus, quòd in eo multum diuinitatis eluceret: ac iam antea Rege Crasso quercuum (vt prædicabatur) secessuumq; discipulus, & nullo præterea præceptore doctissimus, è solitudine in celebritatem, ex vmbra in Solem, sanctitatem, eruditionemq; importarat. Is tunc intromissus, ac reuerentissime ab Rege exceptus, cum eius fletum cõspiceret, caussamq; doloris didicisset: hæ, inquit, lacrymæ nisi cito exaresçant, extinguere possunt Victoriacensis incendii memoriã. Tantum adde illis constantiam, robúrque, & ne sit velut muliebris ploratus: viriles ac vere Regios animos gere. Antequam læsi numinis memor ira in te se armet: quas templo

» arisq; intulisti faces, in templorum hostes; barbaramq; religionem verte. Nec
» diffidas placabilem Deum optimum maximum, ac auerti posse antequam in-
» torqueantur tela cælestia: si non tuis, quæ vtique nulla sunt, sed quæ eius apud
» te sunt, iis è re dignitatéque illius vtaris, summa etiam tua gentisq; tuæ gloria.
» Te creauit: vtq; clarissimo, fortissimo, inuictissimo patre nascereris, voluit: non
» ob tuum aliquod erga se meritum: quid enim tibi vsquam est? quid præstare
» potes, quod vel nascens, vel iam in lucem editus non acceperis? non arbitrio
» tuo, sed illius commodo, vicaria curatione, & fiduciaria opera vsurus: & cum
» reposcet, incūctanter, ac si queas, etiam cumulatius, & multiplici fœnore red-
» diturus. Arma, tela, viros, equos, aurum, nomen, maiestatem, Regnum opulen-
» tissimum sanctissimumq; tibi tradidit. Et tibi vlla sunt potiora tandem, quàm
» quæ pro religione geruntur arma? tibi vlla belli iustior causa, quàm quæ &
» sanctior? Nullusdum Regum (id quod vel fando turpe ignominiosumq; sit)
» contra CHRISTI hostes in Asiam transmisit: & cum tot priuatæ nobilita-
» tis proceres, tot Comites, tot Duces per tot continenter annos traiecerint,
» propè factum est vt Regio nomine Comitum Ducumq; maiestas sanctior sit
» generi humano, ac propius ad superos accedat, seq; cælo æquet. Nō maximus
» ac longe primus Regum signum cæteris tollis, vt eos non sequi pudeat tuo
» classico vocante? Non CHRISTI bellum, Regis tandem nobilissimi ductu
» imperioq; geretur? nō Francicum bellum tandem erit idem quod & sacrum?
» Memineris summos Duces Regesq; ac Imperatores peccata illustria nobilis-
» simo aliquo & terris salutari facto expiasse. Gotthofredus Bononiensis, vt ho
» mo natus, & ipse deliquit: sed in noxa non obduruit animus eius: non percal-
» luit mens. peccatum cruore Turcarum, cæde Saracenorum eluit: ea felicitate,
» vt fraudis memoria sit obscura, virtutis laus sempiterna in ore omnium ver-
» setur. Henrico Cæsari militans, Pontificiæ potestati infesto, vrbis Romæ mœ-
» nia armatus primus conscendit, signū captæ expugnatæq; ab se vrbis reliquis
» tollens. In sacrosanctam potestatem iniqua causa pugnare nefarium scelus
» visum, & iram cælestem promeriturum, nisi præuertisset: nec Henrici exitum
» sibi expectandum statuit, ignotum etiamnum qualis futurus esset. Tria am-
» plissima patrimonia, & suum, & fratris, & matris, partim oppignerauit, partim
» distraxit, vt copias piorum plusquam pro virili aleret. Ita qui corruerat, maior
» excitatus est: Regnumq; cæleste merendo inter nos etiam in terris nactus est.
» Nuper Fulco Comes Andegauēsis nimis infestus diui Martini prædiis, sacrisq;
» facultatibus, pœnas ipse ab se exegit: nec reliquam modò impunitatem à Deo
» impetrauit, sed & Rex Hierosolymorum effectus est, summa gloria: quandò
» magnificentius est virtute sacraq; peregrinatione acquiri parua Regna, q̄ ex
» Regum Regibus nasci. Nec te pudeat horum procerū virtutem pietate imi-
» tari. Tibi illi præluxerunt: tu magnis Regibus Imperatoribūsque prælucebis.

Salutaria præcepta dabat sanctus vir Bernardus: ex peccato Regis captabat, vt rei Christianæ consuleretur. Theobaldus vero Blesensis domestici dolo-
» ris memor, Regem apud proceres incusabat, Eum primùm cum hominibus
» bellum gessisse, deinde in templa numenque tela facésque impias vertisse.
» Illum Regem iustum Francis habendum non esse, cui Deus optimus maxi-

mus ſanctus non ſit. Regni iure deceſſiſſe videri, cum ſe ſuósque in aras ara- "
rúmque ſupplices armarit: quas tanta religione ſuperiores Reges condendas "
curarint, conditasq; locupletarint,ac inuiolatas inſpoliatásque eſſe voluerint. "
Qui ſexui ætatíque imbelli, omnem exuens humanitatem, non pepercerit, "
eum nefas eſſe apud Francos Regium nomen obtinere, qui pro cauſſis piis, "
tegendisq; ab impotẽtium iniuria infirmis inualidisq; bella gerant.ſe illi dicto "
audientem non futurum, cuius animus cæcus præcepsq; feratur: quiq; coër- "
cendus magis ſit,quàm regere alios didicerit.Francos,aut eius,aut cæli,cui ille "
bellum in templa inſontésque ſæuiens indixerit,hoſtes eſſe oportere. Non "
auerſis auribus audiebatur vir nobiliſſimus, ſummæq; apud proceres autho-
ritatis,& quem plebs etiam obſeruabat,parentémque egentium vocitabat,ob
popularitatem liberalitatemq; ac comitatem.Defectio futura videbatur:con-
tinuoq; exorta fuiſſet,ſi caput rei,æmulusq; Regni in Francia vt in Anglia ex-
titiſſet.Simul mortuo Innocẽtio Põtifice maximo ſucceſſit Cæleſtinus quinq;
menſium Pontifex. Lucius in defuncti locum ſuffectus, eccleſiæ Gallicæ iura
inſtitutáque non imminuit: & ſanctiſſimis literis Regem procerésque Fran-
cos ſacrum bellum vt capeſſerẽt, cohortabatur. Aſiaticos Latinos,niſi primo
quoque tempore auxilio iretur, barbarorum vi perituros. Bernardus, quod
ſui maxime muneris exiſtimabat,inſtabat vt in hoſtes religionis armaretur:ea
vna ratione verecundiam imponi proceribus, quorum fides ſuſpecta eſſet, vt
non modò à Rege non deſciſcant, ſed vel religione vel pudore exiſtimatio-
neq; adducti,parentũ exemplo pia induant arma,Regemq; officioſiſſime ob-
ſequentiſſimeq; comitentur. Ad hoc Theobaldum per gloriã maiorum ora-
uit,monuitq;,vt Franciæ communi matri memoriam ſimultatum cõdonaret.
ſi vocẽ mittere poſſet,petiturã eam vt pax domi feſta ageretur: cædes,cruor, "
omnia bellorum exempla in CHRISTI hoſtes verterentur. Quod tacens "
flagitaret,ipſi vt pii ciues præſtarent. Reges,vt homines natos, peccare grauí- "
ter poſſe, ac in homines ſuperósque multa impie nefariéque edere facinora. "
Quem vero pœnitentia ſcelerũ ſubeat, qui pietate corrigere ſecus facta con- "
tendat,eum velut tabulas naufragii ſui colligentem,non obruendum,cum e- "
mergat fluctibus,ſed ſubleuandũ eſſe. Ita agente Bernardo Rex proceresq; "
obliuionem præteritorum ſanxere:ac cõſilia in Aſiam verſa.Lucius Pontifex
maximus nõdum circumacto anno Pontificatus ſui deceſſit.Eugenius in de-
mortui locum ſuffectus, in Franciam venit, Ludouico Rege iam ſacram mi-
litiam profeſſo.Bernardus in Germaniam profectus,ſacras habuit conciones.
Ad eius aduentus famam magnus cõcurſus omnis ordinis mortalium fiebat.
Prædicabat iam Francos publice ſacram profeſſos militiam.Ludouicum Re- "
gem ſacram peram & ſcipionem ſumpſiſſe: totam pubem Francicam arma, "
equos parare:ſe inſtruere, ornaréque. Pulchrum Germanis,apud quos ſit in- "
gens nomen,cũ Francis religione,virtute,ſpe diuina,ſpe humana certare.Cæ- "
ſarem vt auguſtiſſimæ maieſtatis virum,Principẽ generi humano defendenda "
ſacra ab Turcis cauſſa ſe præbere. Iniecta igitur æmulatione inter duas for- "
tiſſimas nobiliſſimásque gentes,certatum vtri maius decus ſacro bello ſibi pa
rarent: & opportune noui oratores ex Oriente aduenerant,opem, fidémque

Cæſaris Regisq; implorantes,& rerum Aſiaticarum ſtatum miſerãtes:impios recentibus victoriis, rebusq; ſecundis feroces, certiori in dies, niſi auxilio occurratur,exitio ſacri Regni,& Tetrarchiæ Antiochenſis imminere. Igitur incaleſcentia iam numine pectora facile fuit Bernardo incendere. Franci ſumma in laude erant,quòd priores nomina dederãt in ſacrum bellum. Germani, ne vndique gloria vincerentur, celeritate mouendi belli palmam quæſiuere. Pontifex interea maximus Eugenius primùm Lutetiæ,deinde Remis cõuentum egit. Multa ſancte decreta. Quædam Poretani de ſancta Triade placita damnata: ipſe omni crimine liberatus:nec vlla ignominia notatus:quòd & dũ dies ei diceretur, ſenſus ſuos iudicio arbitrióque concilii Pontificisq; moderaturum ſe teſtatus fuerat,quorum id ius poteſtásque foret:& decretum pronunciatum reuerentiſſime officioſiſſimeq; agnouit:ſuosq; accuſatores Archidiaconos in gratiam recepit. Dum ea in cauſſa diuus Bernardus ſcripturus calamum ſumpſiſſet,illũ dixiſſe Otho tradit,Scribat licet ſtylo ferreo,vel vngue adamantino in plumbea lamina incidat. Triſtiorem exitũ Abelardus ei denunciarat, dũ in Senonibus de ſe quæſtio haberetur. Carmine quoq; luſerat, Aeneæ rem agi dum proximus arderet Vcalegon:eodem incendio illũ mox arſurum,quo ipſe conflagraſſet. In Petrum diuus Bernardus acerrime ſcripſit: monumẽta extant. De Gilberto Otho:Sed is ſcriptor diuo Bernardo aliquãto iniquior fertur extitiſſe,ac in morte palàm ea de re confeſſus. Hæc hiſtoriæ vſui nihil conferunt, niſi id, quod tamen vel maximum duco,habendum eſſe etiam in ſacra ſapientia modum. Pridie nonas Februarias ſigna mouit Cæſar: ſexaginta millia equitum loricatorum ſequebantur, ac innumerabilis alia omnis generis multitudo. Per Hungariam iter in prouincias Græci Auguſti fecit,ſibi fœdere ac affinitate iuncti,quòd duæ ſorores illis nupſerant,filiæ Berengarii Sulcebacenſium Comitis. Francus Rex idibus Maiis profectus, iter per Germaniam, atq; inde quà præceſſerat Auguſtus,faciebat cum Franciæ delecta iuuentute,in comitatu habẽs Leonoram vxorem, & quòd à viro Rege diuelli nolle ſe diceret, & videre optabat patruum Raimundum Antiochenſium Principem,à quo venerant oratores cum muneribus precibusq;, vt maturaretur antè quàm res Latinorum in Syria peſſum irent. Qui proficiſcebantur, ad eam pubem quæ domi ſedebat, colum velut mulierculis penſumq; mittebant:quo pudore quamplurimi præterea moti, arma ſacra capiebant. Claſſis etiam in Prouinciæ portubus parata,vt præterecta Italiæ oram, in Orientem tranſmitteret:ac cum Rex terreſtri itinere Byzantium peruenisſet,ipſa quocunq; ille iuſſiſſet,adeſſet. Scribunt nonnulli Hungarorum hiſtorici Francum Regem per Hungariam copias ducentem, humanitate ac liberalitate cum ea gente ipſum quidẽ certaſſe: ſed Borichum, qui ſe regiã apud Hungaros ſobolem diceret, aduerſarii adulterio conceptum contendebant: quiq; cum Geiſa de Regno antè certaſſet,fugatusq; fuerat:Francorum comitatui ſe tunc per fallaciam intermiſcuiſſe, ſi forte rurſus res mouere in Hungaria poſſet. Geiſam Regem,cum id comperiſſet,miſiſſe ad Francos qui dicerent beneficium maleficio minime remunerandum: apud Ludouicum Regẽ eſſe hoſtem capitis ſui,regniq; æmulum:eum cõprehendendum,dedendumq;,

ſi memores gratiq; eſſe diciq; Franci vellent. Borichus ad Ludouici pedes ſupplex procubuerat: reſpõſum ~~Geiſæ oratoribus~~, Regiam, templum: pedes vero Regum, aram videri, vnde ſupplices abſtrahi ~~ad ſupplicium~~ nefas ſit. Tunc Hungarus, Adulterinam, inquit, prolem, quæ aris (quandò aras Reges dici placet) bellum intulerit: quum ſancta eccleſia nec agnoſcat, nec ſanctam habeat, Regem Francum tutari quî conuenit? Borichum, imminens vt euitaret exitium, dum de eius capite altercatio tenet, equo velociſſimo arrepto ſibi prærapida fuga gnarum locorum conſuluiſſe. Latinus Auguſtus ab Auguſto Græco ample magnificéque exceptus, tot bellatorum agmine ſubnixus, moræq; impatiens in Aſiam Boſporo Thracio tranſiit. Res Aſiaticæ alio in ſtatu tunc erant, quàm ſpe præceperat. Crediderat ad primum ſuorum cõſpectum Turcas terga daturos: nec magis vim Latinorũ laturos, quàm Vgone Magno Gotthofredóque & Bohemundo Ducibus tuliſſent. Sed alia indoles, roburq; animi & conſilii, alia vis religionis, numinisq; fauor fuerat priore bello ſacro, vbi nullus Rex, nemo Cæſar imperabat: quàm hoc, cum potentiſſimus Auguſtus, & nobiliſſimus Rex ſummis viribus freti, nihil inexpugnabile inuictumq; ſibi exiſtimabant. Simul in Syria progenies eorum procerum, qui Imperium Turcarũ propè euerterant, ipſi tunc Turcis impares erant: non pietate modò religionéque animi, ſed armis virtutéque ac conſilio à parentibus degenerabat. Ioſcellinus Comes Edeſſanus ſummus bello Dux, veteranúsque Imperator, cum æger in cubili iaceret, immenſasq; barbarorum copias appropinquare haberet exploratum, iuſſit filium eodem nomine Ioſcellinum in eos ducere. iuuenis tergiuerſabatur, multitudinem hoſtium horrens. Pater ſenex ægerq; lectica latus aciem inſtruxit tanta arte, ac ita milites acuit, vt de victoria non dubitaretur. Hoſtis ſenem ipſum imperare, ac inter tela verſari vbi primũ accepit, quem ætate valetudineq; infirma militaribus Imperatoriisq; muneribus abſceſſiſſe crediderat, & de iuuene ſibi certam victoriam ſpopondiſſet: ſigna conferre non auſus, diſceſſit. Mortuo ſeni filius ſucceſſit. Fulco Rex Hieroſolymitanorum dum in equo leporem fugientem ~~inſtans~~ premẽnsque inſequitur, præceps in terram latus, graui ruina & in præſens ſopitus, & inter manus in Regiam delatus paulopoſt obiit, relicto ~~filio~~ Balduino tertiumdecimum agente annum, & Almerico ſex annis minore. Mater Meliſcendis ~~tu~~telam gerebat, ſexus quem neque hoſtes ~~formidarent~~, ~~neque noſtri~~ admirarentur: ſimul caſus ita ferebat, vt Comitatus Principatúsque eius regionis maxima ex parte in ditione aut nouorum ſemper, aut iuuenum Latinorũ eſſent, partim parẽtibus defunctis, partim dotalibus dominatibus: vt facillimum fuerit Sanguino Halapiano Satrapæ, qui ægrè antea ſua tutatus fuerat, noſtra vltro inuadere, Edeſſamque in poteſtatem redigere. Iconium etiam Satrapen ſuum habebat longe latéque imperitantem, ac noſtris hoſtem infeſtiſſimum: tantísque opibus, vt Sultanus ſalutaretur. Prætores habebat nobilitatis Turcicæ delectiſſimos: quorum maxime fuit memorabilis Paramunis. Quarum rerum nihil animo agitans Auguſtus Latinus, tanquam impetu tantùm animi res bellicæ adminiſtrentur, opportunum hoſtium fraudi ſe ſuósque præbuit. Ferro, fame, errore viarum, miſeriáque tentati. Vix decimus

quiſque ſuperfuit. Cum multorum dierum iter improuide feciſſent, ſemperq; noua calamitas cladésque exciperet, coactus eſt Auguſtus miſeras reliquias ex hoſtico deducere. Iam Francus Conſtantinopolin peruenerat, ſummis honoribus à Græco Auguſto affectus. vbi Francicam claſſem Corcyram tenuiſſe comperit, miſit qui Rhodum eam curſum dirigere iuberent: ac ipſe in Aſiam tranſcendit, eo maturius, maioréque fiducia, quòd fama falſo diſſipata fuerat Germanos cæde impiorum aperuiſſe in omnem Orientem viam. Paucorum dierum Francus viam emenſus erat, cũ Fœdericus, qui poſtea Cæſar fuit, à patruo Conrado adoleſcens mira indole miſſus occulta cum Rege habuit colloquia: quæ in vulgus edita non ſunt. Eius Comités apud multitudinẽ Francorũ in hanc ſentẽtiam verba fecere. » Non ſerus, Franci, veſter in Aſiam ad- » uentus eſt: ſed noſter fuit præmaturus. Duces itinerum nobis à Græcis proce- » ribus dati, authores fuere ne rei frumentariæ proſpiceremus, ipſi à ſe omnia » polliciti. Non expedire Chriſtianis Chriſtianos fallere exiſtimabamus, animo- » rum harum gentium ignari. Sed illi nos in ſolitudines, ac manus propè hoſtiũ » perduxere, locorum imperitos. Exin non minus ipſi malefaciendo, quàm nos » indigna patiendo, feſſi, occulta fuga ſe ex caſtris, vtpote qui latebras compen- » diaq; viarum cognoſcerent, ſubduxere. Vnum ſolatium malorum fuit, quòd » ſuperuenit armatus hoſtis, vt virtutem experti, ferro manuq; hominum homi- » nes periremus, non fame. Fœlices, qui noſtrorum in acie cecidere, nec magis » cruciatum hoſtium, quàm perfidiam harum gentium martyrio effugere. Nos » infœlices, fortiſſimis cõmilitonibus orbati: etiam vt quod belli reliquum eſt, » proſperum cedat: id quod, dum vos intuemur, ſperare incipimus: quorũ virtus » tutior erit caſu noſtro edocta. Exemplo vos docuimus: voce monemus Latini » Latinos: Si quid in nobis reliquum opis eſt, id vobis pollicemur. Nonnulli ſcribũt farinæ Græcos gypſum pertritum immiſcuiſſe: quo cum pernicie neceſſariò ignari Latini veſcerentur. Quod conſtat, primum Fœdericus, deinde Conradus etiam ſe Francis iunxere: caſtráque vltrà mota: & vnà iter per aliquot dies factum. Tandem Germanus Auguſtus Epheſum ſeceſſit, Græcorúmque nauibus Conſtantinopolin nauigauit, ſeu permotus quòd multarum rerum egens cum exercitu lacero confectoq; Francorum animos nondũ aduerſam fortunam expertorum ferre ipſe Auguſtus nõ poſſet: ſeu Græco Cæſare comiter liberaliterq; reuocante: ac apud Græcum Auguſtum per aliquot menſes manſit, maiore humanitate res Germanorum acciſas proſequentem, quàm integras coluiſſet. Franci ad Mæandrum fluuium peruenere: pro ſinuoſiq; ac multiplici errore fallacis amnis traiectu cum Turcis vlteriorem ripam ſeruantibus congreſſi, prælio vicere. Inde cum motum eſſet, duas in partes copiæ diuiſæ: vna præcedebat ad occupandum montem, qui non procul aberat: vt in eo ſummo caſtris locus caperetur. Cæteri ſatis magno interuallo ſequebantur. Aſcenſus erat aditus anguſtioris. Prius agmen ducebat Gotthofredus Remacinus Pictauenſis: qui quo arctior via erectiórque erat, eo rapidius celeriusq; ſigna ferri iubebat: ac multo ante Solis occaſum peruenit ad ſummum verticem, vbi metari caſtra iuſſus erat. Excipiebat via in deſcenſu faſtigii leniter demiſſi: ſuberátque planities. Ea viſa ſignis ſtatuendis caſtrísque ponendis

magis idonea. Igitur illuc deſcenſum, opúsque fieri cœptum. Alterum verò agmen quod Rex ipſe ducebat, cum tantum diei ſupereſſet, ſegnius incedebat: haud dubium quin priores iam iugum tenerent, ibique conſiſterent: iſq; finis iuſtus propoſitúsque eius diei itineri foret. Turcis in omnem occaſionem intentis, conſilium ex re natum eſt, diuinâque opportunitas viſa exercitus Francorum delendi, aut ſaltem inſigni clade afficiendi. Eos procul abeſſe Francus credebat: nec fortunæ ſe commiſſuros poſtquam à Męandro eos fugarat. Illi ex vno leui prælio temeritatem incutiámque hoſtium auctam arbitrati locum ſibi bene gerendæ rei daturam, occultis itineribus aderãt: & tunc repente montis iugo occupato, præſidium ibi relinquunt, ne intercluſum primum agmen ferre opem Regi poſſit. Cæteris cõpiis ex loco ſuperiore in Regium agmen, itineri, non prælio præparatum, cum impetu decurrunt. Repentina res Regios perculit: Rex arma expedire, ſtringere ferrum iubebat: Nihil « trepidatione opus eſſe: animi præſentiam in repentinis periculis vnicum eſſe « remedium, ſalutémque: locorum anguſtias pro Francis eſſe, quæ circunfudi « hoſtes, circumueniréque prohibeant, cogántque corpus corpori comminus « opponi: virum cum viro congredi: metum ponerent, cum cauſſa formidinis « nulla iuſta ſit. Ita pugna anceps cõmiſſa circa Regem: aliis in agminis partibus, vbi comitatus imbellis, & impedimẽta, mulierésque (nam & ipſam Reginam ſecutam oſtendimus) intermixtæ viris fortibus, omnia interturbabant: clamore vlulatúque cuncta perſtrepebant. Rex dum in confertiſſimam atrociſſimámque pugnam ad ſuos tegendos ſe confert, in periculo ſummo fuit: in noctem tamen res extracta: ei hoſtes ceſſere. omnes circà ſpecus, cauáque collium valliúmque, ſimul omnes latebræ abditiq; receſſus pleni timidorum & imbellis ſexus erant, quò refugérant, dum viri fortes barbarorum impetum ſuſtinerent. Receſſu hoſtium in iugum perrectum, ex ignibusq; ſubiectorum caſtrorum cognitum eſt prius agmen incolume integrumq; eſſe, ac ab hoſte intactum. Huc ſe Rex cum infœlicibus reliquiis contulit: circummiſſiq; qui ſparſos fuga colligerent. Poſtridie placuit Regi deſiſtere ab itinere ea parte hoſtium conſiliis opportuna faciendo. Maritima ora petita, Attaliámque peruentum: ad cuius rei famam claſſis Francica Rhodo ſoluit, ad Regemq; contendit. Is mari ſe deinde commiſit: Syriámque circumuectus tenuit. Cum ad Orontis oſtia ventum eſſet, Raimundus princeps Antiochenſium occurrit, Regémque ac Francos Antiochiam duxit magnificentiſſime, benigniſſimeq;, cum ob affinitatem, Francicúmque nomen, tum quòd in ſpem venerat barbarorum Imperii copiis Francorum euertendi. Sanguinus Satrapes poſt res præclare geſtas, redactámque in ditionem Edeſſam, omni præterea Meſopotamia recuperata, deceſſerat. Succeſſerant ei duo filii, Mirmiranus in Meſopotamiã, Norradinus in Halapianam Satrapiam: qua florente, tutus Antiochenſium principatus futurus non erat. Inde belli initium faciẽdum cenſebat Raimundus: ſuadendo, monẽdo, orando agebat apud Regem Ludouicum, vt cum in Syriam veniſſet ſacram cauſſam religionémque defenſurus, eum hoſtem adoriretur, qui maxime piis offuiſſet, offuturúsque eſſet, niſi dum Francus exercitus Franci Regis ductu auſpiciísque res in Oriente gerat, aut euertatur, aut

viribus ad nocendum imminutis, exanguis affectúsque relinquatur. cum tunc Francis imparem esse; illorum discessu spiritus paternos spemq; sumpturum. Haud falsa iactabantur: sed Rex Hierosolymitanus impubes, materq; oratores misere, quorum Princeps Patriarcha sanctæ ciuitatis erat: qui peteret vt Francus maturaret, ac Halapianis rebus omissis, Hierosolyma religionis arcem primo quoque tempore peteret: necesse esse aduersus Damascenorum Regem bellum gerere, Hierosolymitano Regno assiduum infestissimúmque hostem, qui Francorum viribus facilè tolli possit: & nisi tollatur, euersurus sacrum sit Regnum. Iam ver appetebat: & Conradus Augustus classe Augusti Græci in Phœnicen delatus, ad Ptolemaidem copias exposuerat. Quibus rebus permotus Ludouicus Rex statuit Hierosolyma proficisci. Accessit quod domestico dolore vrere Regem posset. Dum desedit Leonora Regina inter delicias luxuriámque Antiochensem, mulier iam castris ferroq; ac proceribus militaribus assueta, parum pudica videri cœpit. Sed nec locus apud patruum, nec tempus tanta in rerum mole criminis discutiendi. Iam enim longinquiora nostros vocabãt: quanuis enixe retinẽte Antiochensi repente discessit Rex: ac vix valere iusso, nec prosequente Raimundo, nec indignationem dissimulante, Terrestri itinere ductæ copiæ: vbi emensæ Phœnicen sanctam terram attigere, non vt milites, sed vt sacerdotes progredi cœpere. Summa religione occurrente Rege adolescentulo, proceribusq; Asiaticis, ac Sacerdotibus cum insignibus suis, sanctam vrbem venerabundi iniere. Nullo vnquam loco plus maiestatis Latinæ fuit. Religionis sacrorúmque muneribus peractis, cõcilium habitum, vt communi animo consilióque constitueretur quid ac qua ratione capessendum agendúmque pro sacra causa esset. Galliæ Germaniæq; principes Regem Augustumq; comitati, conuenere, & præter Raimundum Latini omnes Asiatici proceres patrésque. Ex Italia duo legati Pontificis maximi, alter Regem, alter Cæsarem secuti: simul Hermanus Veronensium, & Amedeus Taurinorum, Gulielmusq; Montisferrati Marchiones. Feracem mallem dici vulgo placuisset, quandò mira est eius regionis vbertas. Ferratensis habebat in matrimonio Iuditham Conradi Augusti sororem. Fulcerio Hierosolymitano Patriarchæ omnes assensere, vt Damascum adorirentur. Anno eius seculi septimo & quadragesimo ante septimum Calendas Iunias signa mota. Monte Libano superato, in planitiem descenderunt, vbi Damascus sita. Acies structæ, copiáque pugnandi hosti facta. Mœnibus se continuit. Vrbs munitissima, instructáque viris, equis, armis, commeatu, Ducibus, cõsilio, hortos pomariaq; coniuncta muris habebat, quæ propugnaculorum loco essent, quod aggeribus fossisq; munirentur, turriculisque horrerent, & viis angustis anfractibúsque inter se dirimerentur, vt ad singulos hortos tanquam ad obiectas munitiones consistendum bellandúmque esset, ac nouus semper exoriretur labor, præcipue à monte Libano quinque millium passuum in longitudinem: hæ locorum difficultates hostem in se vertebant, antequam vrbs ipsa adiri posset. Erant propugnatores impigri acerrimíque, qui nostros eluderent. Multi temere subeuntes cecidere: nec æquo loco dimicabatur. Multiplicibus implicatarum viarum ambagibus irretitos Barbari repentini male multabant.

multabãt. Auguſtus Rexq; edixere ne rari infrequentesq; noſtri ignotis ſe cõmitterent itineribus. Prius foſſas explerent, aggeres æquarent, vias munirent, latos limites agerent: à ſagittis quæ è turriculis mittebantur, obiecta teſtudine tegerent eos qui opus facerent. Equites omiſſis equis, armis fulgẽtibus, micantibusq; telis adſunt, ſi qua parte barbari opus impedire, aut ſemiermẽ peditem adoriri conabantur. Iam opus proceſſerat, expugnatiq; maxima ex parte horti pomariaq;. qui barbarorũ tutanda ſuburbana ſuſceperant, diffiſi locis quæ inexpugnabilia exiſtimarant; prope fluuium ea regione mœnia præterfluentem ſigna conſtituunt, vt eo noſtros arcerent. Ibi Regii primũ egregie pugnarunt: deinde miſſis ab Auguſto auxilio Germanis, intra mœnia hoſtem cõpulere: obſidereq; vrbem in animo habebant. Et iam parabãt quæ ad oppugnandam vſui eſſe poterant. Damaſcenos omni nobilitate Latinorum aſſidente deſperatio cepit, faciliorem expugnationem vrbis, q̃ ſuburbanarum munitionum fuiſſet, ratos. De fuga conſilium inibant, viasq; intra mœnia interſepſerant ea parte quæ noſtrorum caſtra ſpectabat. Latini vrbem pro capta habebant. De imperio eius ambigebatur. Theodoricus Flãdriæ Comes vt illa ſibi attribueretur orabat: Franci, Germani, Italiq; eam illi propalam deſtinabant. Id ægerrime ferebant qui Latinorum in Aſia bellando cõſenuerant, præmia veteranorum Ducum nobili quidem domi ac forti, ſed nouo in Syria homini dari: ſatius eſſe in præſentia non recipi Damaſcum, q̃ Latinos hos recentes, qui religionis ſpecie cum Barbaris breui temporis ſpatio bella gerãt, fructum percipere rerum multis annis geſtarum. Hæc tacitis ſenſibus agitabant: & poſtea fuit ſuſpicio, quoſdam eorum ingentem vim auri à barbaris clàm accepiſſe, vt re abiretur infecta. Fuerũt authores, vt ab ea parte quæ in ſeptentrionem vergit, in aduerſam meridieiq; obiectam caſtra tranſferrentur, quòd ea oppugnationem faciliorem dicerent: ac muri ex crudis lateribus, humilioresq; forent: habita fides regionis peritis. Tranſlata illuc caſtra. Longius à flumine aberant; ac à comportandis commeatibus, quòd vrbs intercedebat: nec ſuſpecta fraus fuit, niſi fame ſitiq; iam homines equosq; cõficiente, nec libero iam in locum priorum caſtrorum regreſſu, quòd barbari eum recuperarant, validioribusq; firmarant munimentis: diſcordesq; noſtrorum animi diſtinebantur. Germanus ora maritima petita claſſem conſcendit, Byzantiumq; reuectus, inde domum rediit. Francus quod reliquum æſtatis erat, ac totam hyemem in Syria egit. Sumpta palma, quod erat ſacræ peregrinationis conſummatæ ſignũ, Vere appetente claſſem Iope ſoluit. Cum mari ferretur, Græcorum claſſis repentino ac velut ex inſidiis occurſu cogebatur Conſtantinopolim flectere. Fœlicior Græcus tanto furto, quàm barbari virtute videri poterat: ſed diuturnum periculum non fuit. Latinis Regium nomen ſanctum extitit. Georgius Prætor Rogerii Siculi Regis maiori numero nauium ſuperueniens, in Prætoriam Conſtantinopolitani nauem ſagittas ~~aureis ſpiculis præfixas~~ coniecit: atque ſe & ad bellum & ad pacem paratum oſtendit. Huius virtute fidéque liberatus Ludouicus, in Siciliam, atque inde in Prouinciam nauigauit. Reuerſus in Franciam, nihil antiquius habuit, quàm vt Leonoræ matrimonium dirimeret. Baugentiaci cõcilium ~~habitum~~. Remorum, Senonum, Rotomagenſium;

Burdegalenſiũm Archiepiſcopi conſedere. Interrogati teſtes fides propinquitatis facta: conſtitutum, conſtare coniugium pie non poſſe. Ita non ſine admiratione terrarũ dimiſſa Leonora, quam per tot annos vxorem habuerat, vnde duas filias procrearat. Nec diu Regis torus cælebs fuit. Conſtantiã Adelphõſi Galecorum Regis filiam vxorem duxit. Simul & religionis gratia, & vt ſocerum viſeret, in Hiſpaniam profectus, Auguſtiſſimum diui Iacobi templum ſumma veneratione iniit, obſecrationesq; habuit. Leonoram dimiſſam Henricus Andegauenſis vxorem duxit: iſq; mortuo Stephano Regi, vt conuenerat, in Angliæ regnum ſucceſſit: materno iure idem Rex Anglorum, Duxq; Normanorum: paterno Comes Andium, Turonum, Cœnomanorum: Vxorio Comes Pictonum, & Dux Aquitaniæ. Nec pax diuturna eſſe poterat inter duas opulentiſſimas Regias, finitimáque Imperia: quorum ab altero Leonora tam diues fœmina repudiata eſſet, ab altero excepta cultáque in deliciis haberetur. Quin ex profeſſo bellum Henricus ſuſcepit. vxoris nomine Toloſatium Comitatum repetebat. Robertus Abba hiſtoricus Henrici Regis familiaris cauſſam eius agit: ac ſcribit, Raimundum Comitem, quem magnas in Aſia res geſſiſſe docuimus, fratrem (nomen non edit) habuiſſe: hunc Comitem Toloſatium extitiſſe: eiusq; defuncti vnicam hæredémque filiam nupſiſſe Gulielmo Duci Aquitanorum, Leonoræ auo paterno. hunc cum ſacrã militiam profeſſus eſſet, illum Comitatum oppigneraſſe Raimundo vxoris patruo, Comiti tunc Fani Aegidii: qui deinceps etiam Toloſatium Comes dictus ſit: & tunc Henricum ius vxoris auitum perſecutum. Contrà Monachus Andreas eius temporis æqualis author eſt, non iure, ſed viribus fretum Henricum arma intuliſſe. Hercle mirum ſit, ſi, vt Abba tradit, id pignus fuerit, & non addictio, aut iuris ambigui tranſactio, ipſum patrem Leonoræ, atq; adeo ipſum Regem Francum tunc in pari cauſſa id pignus non luiſſe: cum Leonoram in ſumma flagrantiſſimáque gratia, & velut nunquam dimiſſurus haberet, coleretq;, ac rem præſenti pecunia redimere potuiſſet, gaza ſuperãte: niſi forte quòd Toloſas filiã Craſſi in matrimonio habebat, idcirco Frãci æquiores illi erant. Quod cõſtat, Henricus Cadurcos de Toloſate cepit: eosq; in fide cõtinendos Thomæ iuris præfecto viro ſancto attribuit. Toloſam cũ obſideret eius Comitatus principem vrbem, Francus Rex nihilo ſegnius quàm ſi media Francia vreretur, auxilio accurrit Cõmiti Raimundo ſororis viro: illumq; exemit obſidione. Poſt id tempus nunquã fida inter eos pax iungi potuit: ſæpe arma poſita, ſæpe repetita: oppida vtrinq; capta: vaſtati agri: leuia prælia facta: dextræ interiunctæ, mox rurſus enſes ſtricti. Franci Regis frater Philippus eccleſiæ Pariſienſis Archidiaconus, cum ſacra ea vacante ſede Pontifex eligeretur, Petro ciui Nouarienſi cognomine Lõgobardo Theologorũ facilè principi ceſſit: iſq; Epiſcopus ab Rege ſalutatus. Hoc animi tantùm religione: illud etiam dextra pie geſtum cùm quies ab armis Anglicis intercederet, duo Gulielmi Anicienſis Cauillonenſisq; Comites, eccleſiis ſuis infeſti, armísque inerme ſacerdotium oppugnantes, Regiis armis coërciti ſunt. Anicienſi primo terrore domito venia data, patrimoniũmque reſtitutum. Cauillonenſis pertinacioris amentiæ vir Cluniacenſes monachos cum cruce ac velamentis

ſupplicum ad mouendam miſericordiam eius occurrentes, indignis affecerat modis. fractus armis ab Rege potius quàm domitus, vitam quidē impetrauit, ſed Comitatu ſpoliatus. Fama celebris eſt, Cauillonenſem Comitem dum frequenti procerū conuiuio epularetur, ab ignoto quodam in equo pro foribus ſedente euocatum exiſſe: coactumq; ē veſtigio conſcendere, è conſpectu procul raptum, nec deinceps vſquam comparuiſſe. Et Niuernenſium Comitem immunitatis eccleſiarum hoſtem, obtorquente ſponte ſe in terga vultu obiuiſſe. Ea in eccleſias à proceribus ſuſcepta pugna, totum orbem terrarum nō circumiuit modò, ſed tranſgreſſa eſt: hinc Pontifice Romano, illinc Cantuarienſi exagitato. Sub mortē Adriani duodeuiginti Cardinales Rolandum elegerunt, patria Senenſem: iſq; fuit Alexander tertius. Quatuor reliqui Cardinales interceſſere: Eorum tres quartū Pontificem ſalutauere. Is Octauianus ciuis Romanus erat: Victor vocitari voluit. Fœdo in vrbe ſchiſmate exorto, Fœdericus Aenobarbus Cæſar magnis in Italia rebus geſtis Cremam obſidens, Alexandrum Victorémque ad ſe euocauit, vt concilio ab ſe Papiam indicto pro imperio de controuerſia cognoſceret, ſtatueretq;. Alexander imperiū detrectauit. Victor iturū ſe quò Auguſtus iuberet, profeſſus eſt. Cæſaris hortatu Francus & Anglus oratores miſere: cauſſaq; adhuc ambigua neutrum Pontificem maximū agnoſcebant. Alexander à duodeuiginti Cardinalibus electus prior fuerat: ſed in concilio Papienſi deerant qui ſine pręuaricatione cauſſam eius agerent. Victoriani paucitatem ſuā alia ratione armabant: multitudinemq; aduerſariorum, vt quos iuſtus numerus deficit, aſſolent, coniurationem fuiſſe perditorum dicebant: &, quo maxime Auguſtum moueri ſentiebant, coitionem nefariam factam cōtendebant, vt hoſtis Cæſareæ maieſtatis Pontifex fieret: eosq; qui Alexandrum deſignaſſent, ſemper ſacroſancti (his enim verbis vtebantur) Imperii Cæſarūmque iura oppugnaſſe: Gulielmi Siciliæ Regis amantiſſimos extitiſſe: vt non immeritò Alexander eiúsque ſtudioſi patres Papienſi concilio, poteſtatiq; Auguſti credere ſe, qui rei maieſtatis agerentur, nō auſi fuerint, eodem & hoſte acerrimo, & iudice prius capitis ſui quàm honoris vſuri. Fœdericus verò rem ſuam ſummam agi arbitrabatur. Frācus cognita eius cupiditate, Alexandro animum adiecit: eíque author fuit vt in Franciam confugeret. altero ſedis ſuæ anno claſſe Sicilienſi in Prouinciā venit: atq; inde Claromontē profectus, ibi concilium, deinde in Turonibus alterum habuit. Authoritate Franci Regis adducti Hiſpani, Hungari, atq; adeo Angli legatos miſere. Papienſis cōcilii, ac Fœderici, qui Victorē ad ſe profectū adorarat, acta damnata: Alexander Pontifex ſalutatus. Pius in Alexandrū Anglus: vt etiā extra terrarū orbē procella eccleſiam inceſſeret, in Thomā ſanctum virum tūc Pontificem Cantuarienſium ſæuiit: qui exagitatus, exulq; in Franciam ad Alexandrum ſe cōtulit: ediditq; cōplura capita perditiſſimorū inſtitutorum: quæ quia nō ſeruaſſet, præceps è ſede Angliaq; exactus eſſet ab Rege ſuo Hērico: Pontifex virum ſanctū in honore gratiaq; habuit: & Francus Rex obſeruauit: ac per oratores de eo reducēdo egit. Aegre id impetratū. Septimo q̄ exulare cœperat anno, Philippo Flādriæ Comite, qui defuncto Theodorico patri ſuc ceſſerat, proſequēte in patriā reſtitutus, martyrii laureā cruēta morte nactus eſt:

XL. LVDOVICVS IVNIOR.

Defuncti memoriam ſacrauit Alexander in Italiam regreſſus: araeq; nomini illius iam diuinitatis ſignis elucentis dicatæ. Rex Francus ad eius mortui conditorium venerandum in Angliam tranſmiſit, quem modò extorrem miſeratus, ope ſubleuarat. Rex Henricus inſons videri voluit: miſſisq; ex vrbe ampliſſimi ordinis legatis ad quæſtionem habendam, ſe purgauit, perſancte iurans neque iubente neq; ſciente ſe occiſum ſanctum virum. Cum viuo ſimultatem exercuerat: ſede exturbarat: in exilium egerat. Iuſſus eſt ad id expiandum ducentos equites continuò ad ſacrum bellum armare: ac operam dare, vt ipſe quoque ſacra indueret arma, cum barbaraq; pugnaret religione. Sed ſic quoq; mortuo pœnas dedit, non modò alienos, ſed filios hoſtes expertus. Henricum filium pubeſcentem coronandum, Regémque ſalutandum curauerat. Re, nō nudo nomine imperare regnaréque volebat, & æquas cum patre partes ſibi arrogabat. Pater contrà & Regio nomine, & ſpe Regni contentum eum eſſe oportere cenſebat. ſin contumacius ageret: cum quatuor eſſent fratres, proximum illi ætate Ricardum obiiciebat: fœdúsque cum Rege Franco iniit, atque affinitatē inter Regias. Margarita immatura virgo filia Franci Regis ſeni Henrico Regi data eſt, vti ea ſeruaretur quoad matura viro foret. tunc cui Angli Regis filio iuncta matrimonio foret, is patri in ſummam rerum ſuccederet. Diuus Thomas pœnas ab Henricis Regibus patre filióque exegit. Puella nimis diu ab Henrico ſene ſeruabatur, nec eius, vbi maturuit, copia cupido & Regni & ſplēdidiſſimi coniugii iuueni Henrico à patre fiebat: adeo vt atrox fœdaq; ſuſpicio exoriretur, nuptias filii patrem ipſum inceſtum ſuum feciſſe. Conuenerat etiam inter Francos, Anglósque, vt Giſortium neutris pareret: id Templariorum aliquis velut ſequeſter fiduciariúsve haberet, quoad de controuerſia diligentius caueretur, ſtatueretúrque. Henricus Rex Templariorum ornatu ſuſcepto Giſortium ingreſſus, ſeq; Templarium ferēs, præfectum præſidiúmque oppido impoſuiſſe à quibuſdam traditur. Filius à patre defecit ad Francum Regem: ab eo gener beneficiariusq;, ac adeo Normaniæ Dux ſalutatur. Hinc auctus ad patrem redit: ab eóque Margaritam extorquet, eámque ſibi matrimonio iungit, exprimítque à patre, vt Angliæ proceres in verba ſua iureiurando adigantur. Pater filium Ricardum ſuis incremētis auget. Ducem Aquitaniæ dicit: ac in eam poſſeſſionem mittit. Is cum Comite Toloſatium tranſigit, vt ſe ipſius beneficiarium profiteretur: ipſe in Regis Franci verba iurauit. Simultas inter patrem filiúmque recrudeſcit. Stat ſententia patri, omne imperium ac ſummam rerum filio, dum vita ſupereſſet, non tradere. Conuenit, vt certum pondus auri filio erogaretur in ſumptum ſplendorémque vitæ, ac maieſtatem nominis tuendam. Longa patris vita filio, & maturus Imperio filius patri ſeni grauis etat. Anglo multitudo floſq; ætatis filiorum ſolicitudinem attulit. Francus multò ætate prouectior, ex vno atque altero matrimonio binas filias procrearat, nullosdum filios, quorum erat appetentiſſimus: tertium coniugium exacta propè ætate velut diuinitus voti eum compotem fecit. Ex vna Leonora Henricus ſuſtulit Henricum, Ricardum, Gotthofredum, Iohannem, hos quatuor: ac totidem puellas. Prima Caſtulonenſi Regi, vnde Blancha diui Regis mater edita: Secūda Siculo: Tertia Saxoniæ Duci, vnde Otho

Auguſtus: Quarta Toloſatium Comiti Raimundo Raimundi filio,nupſere. Francus ex Leonora genuit Mariam & Aliſam. Illa Henrico Tricaſſiũ,hæc Theobaldo Carnutum Comitibus nupſere. Ex Conſtantia Hiſpana ſuſcepta eſt Margarita, quam oſtendimus iuueni Henrico nupſiſſe:ac Adela, quæ Ricardo eiuſdem Henrici fratri deſpondebitur, vtroque hoc matrimonio infœlici. Ex partu deceſſit Conſtantia, nondum circumacto altero matrimonii anno. Tertia vxor ducta Adela filia Theobaldi Comitis Campani: Publicíſque obſecrationibus ac votis tandem proles virilis nata, Philippus cognomento Auguſtus:ſub cuius ortum per quietem viſus eſt Rex videre filium ex ſe natum calicem humano ſanguine proceribus miſcere. Ex eadem Campana procreata Hagne Auguſta Græcorũ futura. Anno eius ſeculi tertio & ſeptuageſimo Stephanum Sacri cæſaris Comitem in Aſiam Ludouicus Rex cũ ſacro auro,quod populares, vt cuiuſque animus religióque ferebat, contulerant,miſit,vt ſenex Latinos Aſiaticos eo ſubleuaret,quibus ipſe ætate florens, armis ac longinqua militia opem tulerat.Secũdum eius ex Syria diſceſſum ferox Norradinus Halapianorum Sultanus Raimundũ Antiochenſium Principẽ,ſuſcepto ex Conſtantia Bohemundo tertio,fines Antiochenſium tutari virtute conantem,prælio interemit. Conſtantia viduitatis diuturnæ impatiens, Caſtellionẽſi Reginaldo nupſit,qui adoleſcẽtulum Principem regeret,réſque adminiſtraret. Vir erat bello egregius:nec vlli ignauo eſſe licebat. Non agri modò infeſti ab hoſte erant,ſed & in vrbibus inſidiæ proceribus ſtruebãtur:nec vllus locus tutus,nullum tempus metu vacuum. Nec tam magni Reges imperatoréſque formidoloſi erant,quàm Aſſaſſini gens obſcura. Decem omnino incolunt oppida circitèr ſexaginta virorum millia. Phœnicibus tunc contribuebantur. Eadem ferè in regione fuere Heſſeni,quos, vt Plinius tradit,nocentes fugerent:quique ſine pecunia & fœmina, duabus generis humani peſtibus,degerent. Sed Aſſaſſini ex Perſide profecti creduntur: receptáque Mahumethis perſuaſione,ſanctiſſimi omniũ à Barbaris exiſtimabantur:nec qua cæteri mortales cupiditate honorum ducuntur: ipſi inter ſe maxime vnanimes:nulla de Imperio magiſtratúque ambitio: ſummam arbitriúmque rerum non nobilitati ſanguiníque cõmittunt. Quem virum optimum iudicarint, eum ſibi præficiunt, ſeniorémque ac Arſacidam vocitant: eóque nomine contentum, cæterorum curam gerere iubent: & vt illum in commune conſulere volunt,ita ipſi ea opinione imbuti ſunt, vt ſibi perſuadeant,in rebus humanis nihil antiquius eſſe,quàm pro publica ſalute,cũ tempora poſtulent,mortẽ oppetere. Eorum alii alias linguas à pueris edocentur: omnes ita animo affecti, vt cæleſtem immortalitatem adepturos ſe munere numinis confidant,ſi ſectæ ſuæ hoſtes occiderint. Cui prouincia euenerit alicuius è noſtris proceribus interimendi:is vt vnus è noſtris ſe noſtrorum turbæ immiſcens,per fallaciam cædem facit,ſibi minime parcens,gnarúſque ſibi ſtatim occumbendum eſſe. Sic Raimundus Comes Tripolitanus, quòd eis infeſtus eſſet,Tripoli à duobus Aſſaſſinis confoſſus,cæterorum curam acuit, vt cuſtodes corporibus ſuis adhiberent. Balduinus Rex vbi primum recepta tutela ſui potens fuit,res gerere cœpit. Aſcalonem obſedit. Auxilia mari ab

Aegyptiis obſeſſis ferebantur. Terra Norradinus opem ferre quacunque ratione contẽdebat. Eius incrementa ſuſpecta fuerãt ſuæ ſuperſtitionis proceribus,& maxime omniũ Ainardino procuratori Regni Damaſceni,viro acerrimo: quo mortuo ignauus imbelliſque illius gentis Rex vilior popularibus eſſe cœpit:aduenientíque Norradino,quem dignũ ſumma rerum ducebant, ciues portas patefecere,ſuúmque eum Regem ſalutauere:fuga ſibi cum paucis ignauo Rege conſulente. iudicium Regiæ vrbis,cæteræ vrbes in illud cõtributæ Regnum ſecutæ,deditionem fecere. Impiger experiénſque vir,ac recentis Imperii acceſſione ingens, nondum virtuti fœlicitatíque ſuæ modum ſtatuit:vtque noſtros ab Aſcalonis obſidione auerteret,vrbem Paneadem piã oppugnat:ita propiore metu noſtros ad ſua tutanda redituros. id conſilium robore Latini nominis victum. Noſtri quòd turpem ab infecta re diſceſſum, & moram periculoſam arbitrabantur, ſumptis veluti nullo reliquo conſilio animis,tanto impetu admotis operibus vrbem aggreſſi ſunt, vt oppidani & ipſi abſciſſa omni alia ſpe eruptionẽ magna manu fecerint,ac propè ſit æquo prælio dimicatum. Tandem cunctis ferè qui eruperant,cæſis:qui ſuperfuere, de conditionibus dedendæ vrbis agere cœpere. Conuenit, vt ſublatis rebus ſuis in Aegyptum migrarent. ciues incolæque ac præſidium ignari fuerant obſeſſæ Paneadis ad noſtros reuocandos: & noſtri omnia per exploratores comperta habebant:eámque ob rem & celeritatem adhibuerant,& Aſcalonitis vltima captarum vrbium exempla ſibi ſuíſque ab irato hoſte expectantibus æquiores leges dedere. Patria extorres à Latinis tuti fuere:à Turcis in itinere ſpoliati ſunt omnibus fortunis,quibus hoſtis pepercerat: miſerabiliq; agmine diſpalati,quò quenque caſus tulit, conceſſere. Exin Paneadem mota caſtra. Cum Norradino Latini atrox prælium iniere. Templariorum virtus excellens fuit. Gloriam hoſte fuſo,fugato,caſtris exuto,ſibi peperere. Inclytũ Balduìni Regnum fuit:tantóque terrori Aegyptiis,vt Alexandrinos coẽgerit annuum vectigal paciſci,penſitaréque. Obiítque ſumma in gloria anno eius ſeculi tertio & ſexageſimo. Succeſſit frater Almericus:in cuius recentis Regni rudimento Aegyptii ſuſtulere animos:ac domeſtico bello,quia externus hoſtis aberat,laborare cœpere. Sultanus Habeis Noſedorinum filium Antiſtitem Aegyptiacæ ſuperſtitionis efficere contendens, coniuratione perditiſſimorum hominum facta Calipham interemit: Regiáque occupata, gazam inuadit,ratus ſe rerum diuinarum humanarúmque dominum:cum qui à nefariis conſiliis integri erant, indignitate ſcelerêque permoti, armis correptis Regiam circunſiſtunt,ac irrumpere conantur. Ille nummos magníque precii res in furentem turbam ſpargit:ad quas rapiendas cum poſitis armis vndique certatímque ruitur,parricidæ locum tempúſque nacti euaſere. Cum in tuto ſibi eſſe viderentur, inſidiis Templariorum nunquam conquieſcentium excepti: cæteri occiſi: Noſedorinus viuus cum magna gemmarum margaritarúmque vi captus: quem paulopoſt Aegyptii ingenti auri pondere de Templariis redemere,ac exquiſitiſſima ſupplicia de eo ſumpſere:aduerſo apud noſtros Templariorum rumore,quòd is iuuenis ſe iam catechumenum profeſſus diceretur. Mox maior rerũ moles in Aegypto inſecuta. Darganus nouus

Sultanus vectigal Almerico Regi pendere abnuebat, quod Balduino Regi ſpoponderant Alexandrini. Rex contemptu ſui id accidere arbitratus, ſummos Duces, ac vtriuſque militiæ magiſtros (nam Teutonum nomen adhuc obſcurius erat) ſecum duxit, vt nihil niſi eis authoribus ageret moliretúrve. Conſilium prudẽs fortuna ſecuta eſt. Victus eſt tanta Aegyptius clade, vt deplorata ſpe armis Latinorum obſiſtendi, in ſuperiorem Aegyptum refugeret. Inſequi trepidos, & victoria vti ardebat Rex, caſtráque promouerat, cum hoſtis locorum beneficio ſe texit. Aggeres Nili interrupit, campóſque aqua immiſſa operuit. Non cedebat tamen animus Regis neceſſitati: ſuorum voluntati ceſſit: eorúmque hortatu domũ rediit: nec multo pòſt fortuna tulit, quod vires conſiliúmque ferre non potuerat. Sauar Dargano exortus eſt æmulus, Sultanúmque ſe dictitabat: acie victus, ſe ad Norradinum contulit, vt eius ope bellum redintegraret. Ille Syraconum genere Medum militum ſuorum magiſtrum miſit. Quo nouo ſummóque metu perculſus Darganus, quod antea cum de ea vna re ageretur, nullo terrore permotus expugnari potuerat vt nõ denegaret, tunc alterius cauſſæ reſpectu vltro Regi obtulit Almerico: vectigaliſque exigendi iure reſtituto, pacẽ exorauit, vt'que ſibi Latini auxilia mitterent. Eorum ope fretus, ſigna cum Medo, qui iam in Aegyptum cum Sauare deſcenderat, contulit, vicítque. Dum Almericus altero Regni ſui anno, qui fuit eius ſeculi quintus & ſexageſimus, in Aegypto res bene ac fœliciter gerit, in Tetrarchia Antiochenſi clades accepta. Norradinus cum noſtris ſigna contulit. Dum eorum vim non ſuſtinet, arte vicit. Ceſſit, ac in loca iniqua noſtros temere inſequentes pertraxit. Capti ſummi viri fuere, Bohemundus tertius Antiochenſium Princeps: Raimundus Comes Tripolitanus Raimundi filius: Ioſcellinus tertius Ioſcellini Comitis Edeſſani filius. In Aegypto Darganus virtute noſtrorũ victor, mox à quodam ſuorum occiſus eſt. Tunc Sauar, qui latebris vitam texerat, in lucem reuocatus, vrbem Regiam ingreditur, à ciuibus mutatione temporum mutatis animis receptus. Ea vrbs orbis terrarum maxima eſt. Chaere ab incolis vocitatur: qua voce victrix ſignificatur. Anno Maumethicæ ſuperſtitionis trecenteſimo & duodeſeptuageſimo eam Ioar Sultanus multiplici victoria inclytus condidit, decem millibus paſſuum à vetuſtiſſimæ nobiliſſimæ'que vrbis Mẽphis veſtigiis: vt indigenas tradere author eſt Tyriorum Pontifex. Latini Chairũ vocitamus. Ditiores beatioréſque quàm fortiores ſunt Aegyptii. Syraconus ſummus bello Dux, qui cum Sauare in Aegyptum deſcenderat, quíque fratris nomine Negemendi filium Saladinum ſecum haberet, adoleſcentem miræ magis quàm ſanctæ indolis, & quantælibet fortunæ capacem, ſuum illud ſuorúmque Regnum facere cõtendebat. Aduerſus tantum hoſpitem, ſed iam hoſtem coactus eſt Sauar Almerici opem implorare, vectigálque paciſci, quod cum Dargano cõuenerat. Virtute noſtrorum pulſus Aegypto Medus. ſub quod tempus Norradinus cladem accepit. Eum Gotthofredus Comitis Engoliſmenſis frater, & Vgo cognomine Brunus Luſinianus in Tripolitanorum finibus fuderũt, fugarúntque: ac ne Aegyptum reſpicere poſſet, ad ſua tutanda totum auerterunt. Nec iccirco Syraconus conquieuit: multum animo conſilióque valuit.

Calipham Baldacensem adit, adorat, hortatur vt meminerit se vnum iustum legitimúmque Maumethis successorem esse, quem oporteat iura orbi terrarum dare, Aegyptiorúmque nefariam audaciam in ordinem cogere, qui Calipham Antistitémque suum domi habeant. Effœminatissimam gentem à viris edomari facilè posse. His lætus ille, talémque virum sibi diuinitus datum ratus, militum eum etiam suorum Magistrum creat: ac velut sacro eius superstitionis edicto iubet, quibuscunque Maumethis nomen cordi veneratióque sit, Medo Duce res gerere. Id bellum ingens, memorabileque. Latini arma in Orientem tulerant: nunc Oriens ad meridianum imperium euertendum armatur. Omnium mortalium animi in expectationem erecti. Barbara religio, quæ totum propè terrarum orbem vanitate occuparat, implerátque, duas in partes diuisa inter se decertabat. Caliphæ de principatu rerúmque summa armis contendebant. Pii spectatores alieni belli esse poterant, magno suo ex mutuis illorum incommodis bono. Almericus ex fœdere Sauari Caliphæque Aegyptio præter ipsorum spem auxilio iuit, vectigales suos defensurus à Medi vi, quem non dubitabat Imperii cupiditate agi: ac Latinis magis si vinceret, quàm Aegyptiis formidolosum fore. Ausus est etiam, vt vniuersam eam regionem in fide officióque contineret, ad vrbem vsque regiam ducere, claustra Nili, emissariáque nihil veritus, quòd Caliphæ filium Sauarémque ad se profectos in potestate haberet. Affuit cõtinuo Medus. Pugnatum: victi magna cæde hostes ea parte cui Syraconus præfuit. Saladinus parte sua parua cæde facta, aliquot nostrorum proceres circunuentos cepit. Ad hoc Alexandrini ægre ferentes se Latinorum vectigales diei, regressum Saladinum mœnibus cum præsidio recepere. Præclarius erat antiquiúsque talem iuuenem, quàm patruum quãuis magnum virũ vincere. Obsidebatur igitur oppugnabatúrque à nostris Alexãdria. Saladini animus inexpugnabilis. Ciues primùm feroces, deinde animis corporibúsque deficiebant. Patruus in superioribus Aegypti partibus restiterat ad distringendos hostes, si ab obsidione Alexandriæ absterrere nostros posset. Vbi id non procedit, ne præsidium egregiúsque iuuenis periclitaretur, leges accepit. Captiuos reddidit, deduxítque exercitum. Almericus cum gloria domum redit. Nec diuturna pax mansit. Accidit fama, Sauarem occultum fœdus cum Medo aduersus nostros iciisse. Almericus in Aegyptum redit. Pelusium vi capit, diripítque. Chairo copias admouere audet. Perculso Calipha Sultanóque, nec vllas leges abnuente, conuenit, vt vicies centena millia nummũm aureorum penderentur. Ducenta millia præsentia numerata: continuò reliqua solui ex fœdere oportebat. Aegyptius datis ad fidem faciendam obsidibus, tempus terebat, pecuniam tam grandem breui cogi non posse dictitans. Consilium erat, vt nostros tempore interposito incautos opprimeret. Iam Medus appropinquabat. Almericus antequam duobus exercitibus circunueniretur, Aegypto decessit. Syraconus velut vindex ab Aegyptiis excipitur, Sauarémque, vbi primum opportunum fuit, occidit: à Caliphaque Sultanus salutatus, ante circumactum annum obit. Succedens Saladinus per simulationem adorandi Chairẽsis Antistitis introductus,

eum manu ſua claua quam veſte abdiderat, ſtratum interemit. Id orientalibus Barbarorum regionibus, Antiſtitíque Baldacenſi mire lætum gratúmque accidit: ac viam Saladino muniuit ad Imperium in immenſum propagandũ. Is die luſtrico, cum infans ex ritu Barbaræ religionis circunciderétur, Ioſephus vocitatus fuit, nomine Iudaico etiam à Saracenæ ſuperſtitionis hominibus plerunque vſurpato: poſtea Saladinus dictus, hoc eſt latina interpretatione corrector legis. Nec occidentales Latini, quanuis domeſticis rebus occupati, immemores orientalium procerum erant: eos Francus Rex Angluſq; certatim pecunia ſupplementóque iuuabant, illis rebus ruituris, niſi aliunde ſubleuarentur. Hi quoque proceres quos in Tetrarchia Antiochenſium captos à Norradino oſtendimus, domum reuertêre, partim magno redempti, partim obſidibus de reliqua pecunia tãtiſper datis. Rex Almericus anno eius ſeculi tertio & ſeptuageſimo deceſſit: eius filius Balduinus ſucceſſit, tertiumdecimum annum agens, & elephantia laborans. Authoribus proceribus procuratio Regni demãdatur Raimundo Comiti Tripolitano ſoboli Raimundi, qui principio belli ſacri præclara edidit facinora ipſi ſummo Duci: ſimul Balduinus maiorem ſororem Sibyllam, Gulielmo Gulielmi Montisferrati Marchionis filio, è familia Germanos Auguſtos, Francorúmque regiam propinqua cognatione contingente, in ſpem ſacri Regni accito collocauit. Iuuenis tertio pòſt menſe obiit, vxore grauida relicta, vnde ortus Balduinus. Mortuo Norradino, Saladinus Regno Damaſceno, ac iis oppidis vbi aſſeruabantur qui Latinorum obſides apud Norradinum fuerant, potitur. Ad hoc aliquot Arabiæ vrbes vltro ſe ei dedidere. Ardebat cupiditate Imperii, gloriæ'que: nec ei fortuna, nec ipſe fortunæ deerat. acer, impiger, ſolers, audax, liberalitate mira, in acie ferox, in victoria mitis: nulla cordi voluptas, niſi dominatus augendi: animo verius magno quàm pio. In primis Orienti vniuerſo iura vt daret, id contendebat, id elaborabat. Meleſala Norradini filius Halapiæ degebat, longe latéque imperitans: quem euerti, ac Orientis opes Aegyptiis Saladinóque iungi, haudquaquam è re noſtra erat. Tripolitanus opem iuueni ferre parabat: Saladinus per oratores, Quid me, inquit, in hoſtes meos « arma ferentem, in te vnum vertere ſtatuis? Tendere me quò animus meus fert, « patere. Sin ex alieno bello præmium appetis, habe quod maxime concupí- « ſcere potes. Reddo tibi nobiliſſimos viros, quos de reliqua pecunia obſi- « des, ac potius capitis tui vades habeo, in quos te hoſte ſæuire iure belli poſ- « ſem: vt ſcias me non modò tecum pacem ſanctam velle, ſed quas Martis vi « paſſi fueratis calamitates, eas eo loco collocare, vt nunquam accidiſſe videan- « tur. Placuit incruenta merces Tripolitano. Ea initio læta fuit noſtris, quòd fortiſſimi viri obſides rediere. Saladinus Meleſalam reliquo Imperio exuit. Halapiam tantum illi, ac Arethuſam reliquit: ac ita ſupplicem, nec vllas conditiones pacis aſpernatum, in ſocietatem armorum aduerſus Latinos adſciuit. Anno quarto regni Balduini Philippus Comes Flandriæ in Syriam profectus, Ptolemaidem claſſe tenuit. aderant etiam nobiliſſimi græcorum Auguſti oratores: agitaríque cœpta conſilia, vt bellum Aegypto inferretur. Nec id hoſtem fefellit. eò ſe recepit, copiaſq; vndiq; coëgit. Noſtri cogitationem

Aegypti depoſuere, ac propius bellum ſuſcepere. Flandrus ſacris locis conſpectis, ne peregrinatio ea nulli vſui religioni foret, iunctus Tripolitano, ac Magiſtro Hoſpitalariorum,& magnæ parti militum Templariorum,Antiochenſium fines ingreſſus,Bohemũdóque aſſumpto Arethuſam obſedit. Regni Hieroſolymitani, ac recentium ex Europa Latinorum vires oppido illi aſſidebant. Diuina occaſio viſa Saladino vacuum milite Hieroſolymitanum regnum occupandi. Numen mentem fœlicitatémque in præſens adoleſcentulo Regi dedit,qui ante plenam pubertatem repudiatis ætatis rectoribus,tutelam recepit: obſecrationes habitæ: conſtitutum,vt ea ſacroſanctæ Crucis pars,quæ in ſancta vrbe reuerẽtiſſime aſſeruabatur,in hoſtem ferretur.Aſcalonem itum:quò non dubitabant Barbarum copias ducturum:ſi vrbem bellicis rebus opportunã recipere poſſet.Saladinus ex Aegypto mouit:per Arabiam iter fecit:ac ad vrbem Larin,quod grauiſſimum impedimẽtorum erat, reliquit: vigintiſex millia equitum ſecum duxit.vbi ventum in hoſticum eſt, agros populatur:pecora abigit:agreſtium cædem facit:villas vicóſque incendit:nulli omnium rerum parcit, in quam ferrum igníſve ſæuire poſſet. relictis à tergo duabus vrbibus Gaza & Darrhis,in Aſcalonitarum fines eandem fœditatem infert.Rex ante vrbem Aſcalonem caſtris in aperto poſitis, non audebat longius progredi, ac omnibus viribus agros populationibus incendiíſque prohibere, cum omnis atrocitas indignitáſque ab hoſte oculis obiiceretur. leuibus certaminibus procurſationibúſque certabatur. Sub noctem etiam in vrbem ſe recepit,nõ dubius obſeſſurum eam Barbarum. Qui quòd noſtri pugnam detrectarent,ferocior factus,multas paſſim manus ad campeſtria omnia euaſtanda dimiſit.Ea fuit ingens clades: nihil in planitie tuti erat. ad montanos etiam terror perueniebat:ac qui Hieroſolymis erant,quòd nullum ineſſet præſidium,de fuga,ſi qua euadere poſſent,cogitabant.Balduinus vt repentinus Saladinum nihil tale expectantem opprimeret, Aſcalone copias eduxit: per maritimámque oram itinere facto,quod ſpe præceperat, diſpalatos hoſtes inuenit. Saladinus ſignum dedit,vt omnes vndique concurrerent. Latinorum equites trecenti ſeptuagintaquinque omnino erant: in quibus Odo à Fano Odemari magiſter Templariorum cum octoginta ſui ordinis equitibus. Peditum certus numerus non traditur: ~~non magnam~~ manum fuiſſe authores ſignificant,quòd res fœliciter geſta miraculo eis fuerit, ac ſacroſanctæ Cruci quæ ſub ſignis ferebatur,accepta feratur.Recurrebant ad ſigna hoſtes:pugnabatúrque iam æquo certamine. Tandem ad Latinos inclinauit victoria.Cædes Barbarorum in acie ingens facta: in fuga etiam cecidere non pauci:omnes armis exuti.Saladinus ipſe incolumis euaſit: reliqui ferè omnes fame,ferro, frigore(brumæ tempus erat)abſumpti. Mamaluchorum (id militantium ſeruorum apud eos nomen eſt) iactura luctuoſiſſima Barbaro extitit. Author eſt Tyriorum Pontifex eius belli æqualis, Turcarum Satrapas,ac nobiliſſimos quoſque,qui lingua Arabica Emiri vocitentur, ſeruos ſiue bello captos, ſiue emptitios, ſiue vernas aſſuefacere diſciplinæ militari: ac vt cuiuſque profectus animi indoliſve fuerit,ita eos honoribus,ſtipendiiſque ac fortunis augere.Horum Volonum delectiſſimis cuſtodiam corporis

ſui credebat Saladinus. hoc erat eius in prælio corporis præſidium. Nec hi niſi reliqua omni acie fuſa ceſſere: nec Saladinus niſi nudatus fortiſſimo fideliſſimóque præſidio finem pugnandi fecit. Ab Arethuſa vero robur Latinorum veterum nouorúmque re infecta diſceſſere. Anno inſequẽti Odo Templariorum magiſter ab hoſte captus coniicitur in atrocem cuſtodiam: ibíque enectus. Rex ægre fuga ſe in tutum recepit: maiore alioqui ignominia quàm clade. Sæpe bellum intermiſſum, repetitúmque. Fuſus fugatúſque à noſtris Saladinus: ne victus omnino diceretur, in Meſopotamiam duxit. Exegit Norradini fratrem: nec Edeſſam modò, ſed & Carras Parthiámque recepit. Ad Indos vſque propagaſſe Imperium dicitur, vt facilis de noſtris poſtea victoria illi extiterit. Dum ab hoſte tanto quies erat, Balduinus ſororem viduam Vidoni Luſiniano è ſumma Pictonum nobilitate collocauit: ſub quod tempus Ludouicus Rex Francorum cum in Franciã ad id veniſſent nobiliſſimi Græcorum proceres, filiam Hagnen octo annos natam Byzantium miſit ad Emmanuelem Auguſtum, vt eius filius Alexis tertiumdecimum annum agens, vbi primum per ætatem liceret, illam ſibi matrimonio iungeret: interea ſponſalia celebrata. Regia vrbs dies feſtos egit quàm magnificẽtiſſime lætiſſimeq; potuit, gens ea tempeſtate & opulentiſſima, & ſcientiſſima. Puer Alexis Hagnéque puella diademate exornantur, Regéſque authore Auguſto ſalutãtur. Maria filia Auguſti iam nubilis tanto in rerũ ſplendore negat patri ſe vlli niſi Regi Regíſve filio nupturam. Lætus ſenex Raineriũ Gulielmi Montiſſerrati Marchionis filiũ, cuius frater paterno nomine Gulielmus filiam Almerici Regis Hieroſolymitani in matrimonio (vt oſtẽdimus) habuerat, generum deſtinatum, Theſſaliæ Regem deſignauit, eúmque ac filiam corona deuinxit. Francorum quoque Rex Ludouicus PHILIPPVM filium coronandum curauit maximo procerum conuentu Francorum Anglorúmque, quòd iuuenis Henricus Rex, idem Dux Normaniæ, beneficiarius Regiæ Francicæ, affuit Regio comitatu. Ludouicus Rex anno inſequenti, qui fuit eius ſeculi octogeſimus, deceſſit: nec multo pòſt ſenex Auguſtus Græcus moriens impuberi filio tutorem reliquit Alexin fratris filium. Regia vrbs plena Latinorum conſpiciebatur, quòd Emmanuel eorum amantiſſimus fuerat: illorum virtutem, fidémque egregiam & ciuilibus & bellicis precipue rebus expertus, eis ſummos honores habuerat: commodis eos auxerat. Francicæ nobilitatis non contemnenda manus cum Hagne venerat: ex Italia cum Rainerio iuuentutis flos profectus fuerat: aderant & ſuorum quiſque negotiorũ mercaturæ'que cauſſa multa millia. In aula apud vtrumque Alexin pupillum tutorémque plus Latini quàm Græci poterant: ciues ægerrime ferebant alienigenas ſibi præferri. Andronicum quem Emmanuel Auguſtus, quòd patruelis eſſet, multis ſceleribus obrutum venia donarat, Pontóque præfecerat, ad res capeſſendas euocant. Cum copiis Barbarorum affuit. Alexin tutorem captum, ne vir deinceps foret, exectum, luminibus priuat: pupillum Auguſtum in propinquum mare præcipitat. Latinorum cædes tota vrbe fieri. Viri fortes armis correptis, cum occupare tenerẽque vrbem piarum maximam non poſſent, triremes ad vigintiquinque inuadunt, quæ in portu ſtabant, híſque po-

titi,per Boſporum, Propontidem, atque inde Helleſpontum,continuóque Aegæum mare inuecti, quicquid oræ maritimæ legebant, vrebant:nulli rei, nulli mortalium per iram parcentes: & Regiæ vrbis ciues in eos Latinorum qui reliqui Byzantii erant, nec ſibi conſulere poterant, ſæuierant:ac tantum Rainerio deprecatrice Maria pepercerant: ſimul Hagnen iam Auguſtam ſalutatam Andronicus,qui eueſtigio purpuram induerat,colebat:vt vbi adulta eſſet,eam matrimonio ſibi iungeret, nec Francos aſſumeret ex profeſſo hoſtes. Sed ab ſuis euerſus eſt. Eius ſuperbiæ crudelitatíſque continuò Græcos tædere cœpit. Iſacium ſtirpis Cæſareæ virum ex Peloponeſſo ad nomen ingens capeſſendum vocãt.Ab hoc Andronicus purpura vitáque exutus.Hieroſolymis vero Rex Balduinus minorem ſororem Eliſam octo annos natam Hemfredo Toronienſi(Phœnicum id oppidum eſt)vxorem deſtinat,fide nuptiarum interea data. Huius adoleſcentis pater Magiſter equitum ſacri Regni fuerat,ſummus bello Dux:nec ipſe indole degenerabat: ſed procurationem Regni Luſiniano Rex dedit:& non magno interiecto temporis ſpatio, adminiſtratione rerum illum ſubmouet:Balduinúmque admodum puerum ſororis maioris filium coronandũ curat:aliquótque prælia vario euentu ipſe cum Saladino conſerit:re ſumma nunquam in diſcrimen adducta. Barbarus aliunde creuerat.Mortuo Norradini filio Halapiam obtinuit: ac ne quid virium illi deeſſet, fortuna etiam fœlicitatem attulit. Noſtri domeſticis malis laborabant.Raimundus Tripolitanus Regi iniquus erat,nec ad edictum cõueniebat.Secundæ ab Regio genere maieſtatis erat. Tripolitanus Comitatus ei vetus patrimonium erat:iure vxoris Tiberienſem Comitatum Galilæamq; obtinebat: ac fuit cum Saladinus pactis ſanctéque ſeruatis cum illo induciis, bellum cũ Rege gereret. Rex nihilo ſecius anno eius ſeculi quinto & octogeſimo moriens, Balduino ſororis filio Regi ſalutato rectorem procuratorémque rerum Tripolitanum dedit,memor nobilitatis magnitudiníſque viri. Sed fata Hieroſolyma appetebant.Paucis menſibus ſuperſtes Balduinus auunculo fuit.eo defuncto Sibylla redditam ſibi à Templariis Regni coronã, quam filius eius fratérque ac pater auũſque geſtaſſent, marito ſuo Luſiniano impoſuit.Continuò renata ſimultas inter nouum Regem omnia ad ſe reuocantem,ac Tripolitanum maximam rerum partem capeſſere ſolitum.Quam rem vbi primum Latini occidentales accepere, res orientales pro deploratis habuere.Nec vanus metus. Apertum odium minus offuit. Simulatio gratiæ reconciliatæ res euertit.Barbarus obſidebat Tiberiaden. Ne vrbs nobilis ſocia amicáque amitteretur, auxilio eundum erat. Tripolitanus ſe Regi coniunxit,vultu(ſi eo animus æſtimetur)amiciſſimo.Mille quingẽti circitẽr equites, quindecim millia peditum cenſebantur. Hoſtes non minoribus quàm quantis ad Aſcalonem pugnauerant copiis aderant. Sacroſancta Crux velut fatale pignus ſacri Regni iam manibus minus ſanctis tractabatur. Extant illius temporis æquales authores,ſacerdotes fuiſſe flagitiis ſceleribúſque obrutos: atque adeo ipſum Patriarcham neque caſte neque integre vitam egiſſe: cladem imminentem crebris horrendíſque terræ tremoribus denunciatam: atroces ventos vndique exortos:ſolem defeciſſe: grandinem frequentem in-

ſtar oui anſerini ~~cœlo cecidiſſe~~ : mare maiore ſolito æſtu redundaſſe : Regis cubicularium viſum ſibi per quietem videre pergrãdem Aquilam ſeptem iacula vnguibus vncis geſtántem copias Latinorum circunuolare : ac vocem huiuſmodi humanam emittere, VAE H HIEROSOLYMIS, Facilis fuit Barbaro de noſtris victoria, quos vinci numini cordi erat. Annus eius ſeculi ſeptimus & octogeſimus agebatur. Ante quartum nonas Iulii Regii profecti ad fontem Sophorianum caſtra poſuere. Poſtridie Ethin vicum opportunum aquationi petebant. In itinere mox obuium hoſtem habuere. Pugna ſæua tenuit ad occaſum vſque ſolis: nec capere locum deſtinatum caſtris potuere, quòd eum hoſtis occupauerat. In ſitiente iniquóque noctem ſolicitam egere: nec facultas fuit aqua intercluſis ſe equóſque reficiẽdi. Antequam affectæ iam vires totæ deficerent, repetito prælio poſtridie decernẽdum erat: ac virtute ſalus tegenda. Inter multas ſententias vna maximo aſſenſu audiebatur, vt in eam partem aciei, vbi Saladinus cum Volonibus ſtabat, id quod ex ſigno cognoſci poterat, omnibus viribus cuneo facto irruerent: ea vna aut ſublata aut fugata diſſipatáve, de reliquis facilem futuram victoriam. Tripolitanus hoc conſilium aſpernatus, peruicit vt dilataretur acies, ne circumiri poſſent: quæ res & illi liberã fugam præbuit, & vt noſtri raris ordinibus ſub ſignis ſtantes hoſti penetrabiliores eſſent, effecit. Eductis igitur militibus, ſtructáque acie, antè quàm prælium vndique conſereretur, Tripolitanus in fugam ſe ſuóſque furripuit: reliqui pugnarunt egregie. Die procedente, laſſitudo, vulnera, ieiunium, æſtus, ſol (quod in primis captarat Barbarus) noſtris aduerſus: ſimul paucitas, ſi quidem hoſti conferatur, noſtros à ſummo Duce deſertos confecit antè quàm editiora loca tenere poſſent. Bonifacius Marchio Montiſferrati frater Rainerii Gulielmíque ei prælio interfuit, & captus eſt. Profectus fuerat vt mortui fratris filium tegeret, ac eius tutelam ſuſciperet. Mortuum puerum inuenit, ac Vidonem Regem dictum. Pudori erat nobiliſſimo viro, nulla memorabili re geſta domum redire: & is, & nobiliſſimus quiſque cum Rege Vidone à Saladino capti. Capta ſacroſancta Crux. Sic quoque diuinitas vires ſuas oſtendit, vt ipſi capti capi animo non potuerint. Cum Saladinus continuò Templarios omnes præter Magiſtrum iuſſiſſet occidi, certatim ſe quiſque ~~noſtrorum Templarium~~ profitebatur: & martyrii gloria de hoſte triumphabat. Tripolitanus Ducum ſolus effugit, haud dubio poſtea rumore illum cum Barbaris clandeſtinum fœdus iciſſe. Omnes vires noſtrorum concidêre: cæterâque omnia Saladino prona extitere. Vacuas propè vrbes in poteſtatem redegit. Tripolin cum Comes tradere conatur, noctu mortuus in cubili inuentus eſt. Veſpillones dicuntur circunciſum eum reperiſſe, certo ſigno defectionis non modo à Rege inuiſo Vidone, ſed etiam à ſeruatore CHRISTO. Sancta vrbs vndenonageſimo quàm de Barbaris recepta fuerat anno, ſexto nonas Octobris victori Saladino, cum non ſupereſſent qui propugnarent, circunſideretúrque, cõditionibus reddita eſt, vt noſtris incolumibus abire liceret. Latini emigrauere, in quibus Regina fuit: reliqui Chriſtiani nominis remãſere: Græci, Syri, Armenii: Iacobitæ, Georgiani, Neſtoriani. Terna nomina, illa gẽtium, hæc ſectarũ. Heraclius Cæſar de

XLI. PHILIPPVS AVGVSTVS:

Perſis Cóſdroéque Crucem recuperauerat. Tunc Heraclio Patriarcha rurſus amiſſa eſt. Vrbano ſecundo Pontifice maximo ſancta vrbs recepta. Vrbano tertio recidit in ſeruitutem. Exin Aſcalonem petiit Barbarus, vacuã & ipſam milite: ſed credebatur valido munita præſidio. Ea fuit cauſſa cur dummodo eam reciperet, nihil petentibus noſtris denegaret. Conuenit vt Rex Magiſtérque Templariorum dimitterentur. Recepta vrbe velut fraude captus, fidem fefellit: nec eis ad noſtros redeundi poteſtatem fecit niſi anno propè circumacto, adactóque iureiurando Rege, ſe ius Regni armis vltrà non perſecuturum: quam ſponſionem ſanctam non eſſe, ratam ve habendam, orientales patres ſanxere, quòd hoſtis ipſe protinus Regem, vt pactus fuerat, Aſcalonitis non reddidiſſet: nec violatori fidem ſeruandam, præcipue in communi terrarum religioníſque cauſſa: alioqui in dedititios mitis liberaliſque victor erat: nec religionis noſtræ præter Latinos quenquam emigrare cogebat, fortuníſve ſpoliabat, qui æquo cum cæteris iure viuere, ac tributum conferre in animum induceret: breuíque effecit, vt noſtri tres tantum nobiles vrbes obtinerent, Tripolim, Tyrũ, Antiochiam. Fama rerum in Oriẽte aduerſarum, animos Pontificis maximi, Auguſtíque Germani, ac Regum optimatiũmq; mœrore impleuit. Heraclius Patriarcha Hieroſolymitanus Regias circũibat: in Franciámque venit Philippo Auguſto iam ſeptimum annũ regnante. is enim Rex ſextumdecimum annum agebat cum pater deceſſit. Adoleſcentia primum recta eſt ab auunculo Gulielmo Archiepiſcopo Remenſi, eóque facilior venia fuit alteri auunculo Stephano Sacricæſaris Comiti, & Odoni Burgundiæ Duci, qui noui Regis rudimentum contemnentes, res nouas molie-bantur. Caſtillione ad Ligerim, ſimul & Flauia Eduorum, Belnáque à Regio milite captis, Regis poteſtati ſe permiſere. Mox diuerſa regione Comites Raſtellæ, Roſeti, Cocii, idem auſi, eundem exitum habuere. Ad hoc Iudæi Francia pulſi, deprehenſis eorum nõnullis exemplum crucis, dominíque ludibria in quodam ex noſtris repetiſſe. Præterea partim diſiecti, partim cæſi fuere in finibus Biturigum ad ſeptem millia perditorum qui in ſacerdotes ſæuiebant: ac myſteria altaris damnabant. Hæc initio Regni acta. Aliquanto pòſt Flandricum bellum exortum.

XLI. PHILIPPVS AVGVSTVS.



PHILIPPVS COMES APVD REGEM Ludouicum in flagrantiſſima gratia fuerat: eius filium Auguſtum ſacro lauacro imbuerat: nomẽque illi ſuum impoſuerat. Frequentior in Regia quàm domi apud ſuos verſabatur, quãuis opibus domeſticis ingens: ſororem Margaritam Balduino Annoni Comiti collocarat: vnde multi liberi: ex quibus Eliſam idem auũculus admodum puellam euocatam apud ſe educarat, loco filiæ habiturus, quòd ex vxore Rhodulphi Viromandui Comitis filia hæredéque nullos liberos haberet, ſperarétve, longinquo & inſanabili morbo implicita. Eliſam igitur ſibi hæredem verborum iactatione deſtinabat; perpulítque Philippum Regem eam in matrimonium ducere. Mortua tandem vxore, Flandrus Viromanduos, quos dotales ſemel poſſederat, retinere perſeuerabat. Eos Francus Rex morte Viromanduæ ſuos factos eſſe iure Regiæ propinquitatis contendebat: ille iuſſus cedere, dicto audiens non erat. Rex in dies alienior ab eo fiebat, ſtimulante in primis eorum procerum factione, qui æmulatione potentiæ aulicæque gratiæ infenſi Comiti erant. eóque proceſſum contentionis eſt, vt Eliſam repudiare dimitteréque Rex conſtitueret, per cauſſam propinquitatis. Acerrimus aduerſarius Flandri erat Comes Claromontenſis. Exercitus vtrinque conſcribitur. Prior Flandrus mouit: in interiorémque Franciam excurſiones fecit: ac Syluanetum vſque populabundus peruenit. Occurrente Regio milite ceſſit. In Ambianorum finibus caſtra caſtris collata. Mutuus conſpectus iras mitigauit. Incruente diſceſſum. Flandro datum, vt in fidem rediret, reciperetúrque: Viromanduis in vita vteretur, frueretúrque: eius morte ad Regem venirent. Hunc Comitem ſui miris efferunt laudibus: eum mortua vxore Viromãdua in Syriam contendiſſe: congreſſum cum Ducibus Barbarorum opima ſpolia retuliſſe: eáque inſignia de hoſte illo cepiſſe, quibus deinceps ipſe vteretur, ac poſteris vtenda traderet. cum mari confecta ſacra expeditione rediret, in Luſitaniam delatum, Mathildem, quæ florente ætate mulier maritum eius gentis Regem mortuum lugeret, ipſum etiam cœlibem ſibi matrimonio iunxiſſe: eum domum præceſſiſſe: illam viginti nauium claſſe ſubſecutam, cum oram Normaniæ maritimam legeret, à Francorum claſſe circumuentam, ægre cum quinque nauibus ad virum euaſiſſe: reliquas refertas omni opulentia publica priuatáque à Francis interceptas, & Cæſaroburgum ductas: prædam inter Regios diuiſam: Comitem, vt iniuriam indignitatémque vlciſceretur, coacta claſſe aduenientem Francorum naues in altum procul regreſſas expugnaſſe: nautas, propugnatoréſque necaſſe: eiſdemque Francorum nauibus, ac Francicis inſignibus ornatúque Cæſaroburgum curſum direxiſſe: oppidanos eam ſuorum claſſem victricem ratos, ſe fraudi Comitis præbuiſſe opportunos: vrbem captam priuſquam error aperiretur: prædam

recuperatam Normanicis opibus cumulatam: deprehenſos ibi Duces Piratarum pœnas capite dediſſe: Francum eam ob rem bellum Flandro intuliſſe: Germanorum auxiliis adiutum Comitem præclara in Regem facinora edidiſſe. Sed conſtat ea tempeſtate Normaniæ oram, maréque illud, ac vrbes, oppida, vicos, in Angli Regis ditione fuiſſe. Francos multum terra, nihil mari potuiſſe. Conſtat Flandrum ſummum Ducem extitiſſe: in Syria bellum ſacrum geſſiſſe: ei Luſitanam nupſiſſe: ac inter Comitem & Regem bellum renatum. Nec Angli deerant, æquiores Flandro quàm Franco, quòd Anglus conſobrinus Comitis erat: & ei (vt Robertus eius temporis æqualis tradit) Luſitanas nuptias conciliarat. Materia belli Anglici perpetua erat Vellocaſſinum, quòd eius regionis pars citerior Margaritæ ſorori Auguſti Regis paciſcendis cum Henrico filio nuptiis doti profectitiæ dicta fuerat: iſque iuuenis patre Rege ſuperſtite deceſſerat: non magno apud populares ſui deſiderio: quòd eum authorem Thomæ viri ſancti mactandi arguerent. Vidua mulier ad fratrem reuertit: continuóque lugubribus in flameum verſis, data eſt oratoribus eius rei gratia miſſis ducenda in Hungariam ad Belam Regem illam ſibi in matrimonium depoſcentem. Vellocaſſinum Anglus repoſcenti Franco non reddebat. Giſortium, munitiſſimam vtriuſque Vellocaſſini arcem retinebat. Comminatio apparatúſque potius belli quàm bellum tenuit: ídque ſublatum antequam motum, renouata inter Regias affinitate. Adela ſoror & ipſa Franci Regis Ricardo Duci Aquitaniæ filio ſenis Henrici Regis in Regnum patri ſucceſſuro pacta, in Angliámque ducta eſt. Sponſus ad Regem Francum venit: in eiúſque verba iurauit. Frater eius Gotthofredus, qui Conſtantia Conani Britanniæ Ducis filia in matrimonium ducta, mortuo ſocero in illius opes ſucceſſerat, Lutetiæ mortuus, magnificentiſſime, ſummóque ſui deſiderio ad Virginis ſepelitur, vxore grauida relicta, vnde Arcturus editus. Interea ne res piorum in Syria, quà cœperant ire, præcipites continuò ferrentur, periréntque, effecit Gulielmi Siciliæ Regis Prætor Margaritus: qui iam inde ex quo acceperat ſimultatem Tripolitani Vidoníſque Regis, cum claſſe quadraginta nauium profectus, poſt infœlicem pugnam neceſſario maxime tempore Tyrum tenuit: & velut ex compoſito Conradus Ferratenſis Bonifacii Marchionis filius Græcorum nauibus eodem peruenit: orantibúſque, ac in eius verba iurantibus Tyriis, eam vrbem à Barbaris defendendã ſuſcepit: vt interim Margaritus obire oram maritimam, & purgare latrociniis, pacatúmque præſtare mare illud poſſet Latinis: quos ſubinde ex Occidente venturos ſpes erat: ſed ea lentior fuit. Hoc ſtatu rerum ex Syria oratores venere ad opem reliquiis Chriſtiani in Oriente nominis implorandam. Henricus ad luendam diui Thomæ mactati noxam, ſi religione ſe exoluere, ac Romanorum legatorum decretis parere in animum induceret, neceſſe habebat primo quoque tempore ſacrum bellum per ſe capeſſere, ductu imperióque ſuo gerendum. Heraclio Patriarchæ Hieroſolymitano ad ſe venienti promi iubebat ingens pondus auri ad res Orientis recuperandas. Ille, Non pecunia, inquit,

ſed Imperatore nobis opus eſt. Eo verbo permoueri viſus ne vltrà differret. In Velocaſſibus cum Rege Franco de ſacra cauſſa collocutus eſt. non dextras modò, ſed & animos coniungere viſi: vnúm atque idem vterque ſentire. Vterque Rex ſuos armare, in impios cœperat. Lutetiæ concilium patrum procerúmque habitum: decretum in Saladinum bellum: at qui domi manerent, ſiue profani, ſiue ſacri viri, decimas penſitarent: hæque Saladinides dictæ. Dum omnia parantur quæ ad longinquum maximúmque bellum vſui ſunt, ſeptem millia ex Anglis promiſcue Francíſque ductu Iacobi in Siciliam mari delati ſunt, vt in Syriam curſum dirigerent. Iacobus Auenis Antoniæ oppido ortus, Brabantiæ Ducis militiæ magiſter erat. Dani etiam, Friſii, Hollandi coniunctis claſſibus freto Internum mare inuecti, Barbariæ Africanæ bellum intulere, quòd non contenta finibus ſuis, Hiſpaniam tentaret, vrerétque. Syluinam eorum vrbem expoſitis copiis quadraginta continenter dies obſederunt: vi captam cæde facta diripuere, euerteréque. Inde in Siciliam profecti, ac Meſſana petita, ſe Auenienſi coniunxere: eúmque ſibi Ducem delegere: auctíque copiis Imperatoréque, Syriam tenuere. Cum Rex Vido iam ſubnixus valido piorum exercitu, qui alii ſuper alios ex Europa quotidie affluebant, Ptolemaidem obſideret, Piſani Venetíque magnam nobilitatis Italicæ partem claſſe inſtructiſſima ornatiſſimáque comportarant. Anglus nondum proficiſcebatur: diuturniore mora conſilia ſacri belli apud eum conſeneſcebant: & idem propè malorum orbis repetebatur. Ricardus enim morte fratris certa iam ſpe paterni regni, Raimundo Toloſatium Comiti bellum redintegrauit: nec pauca oppida de illo cepit, in quibus Moſacum. Hæc rés Fancum armauit velut iam ſuo neceſſarióque bello. Tanto impetu támque diſtantibus locis arma circuntulit Rex Auguſtus, vt Caſtrum Rhodulphi, Buſantalum, Argentonium, Leporoſum, Montricardum, Paluellum, Monteſorium, Vindocinum occuparit. Iam in Normaniam impetus belli ſe illaturus erat: cum Henricus Rex ex Normania mouens, propinqua oppida incédit: in quibus Druydes. Inde refugere coactus eſt, aduentante victore vndique ferocíque hoſte. Res aduerſæ vilem etiam filio, à quo initium belli ortum erat, ſenem Regem effecere. Ricardus omiſſis Toloſatibus per cauſſam (vt ferunt) quòd pater ſibi copiam ſponſæ iam adultæ non faceret, ac illam eadem, qua priorem nurum apud ſe habuiſſet, ſuſpicione aſſeruaret: ad virginis fratrem Regem Francum tranſit ſub ſignis adhuc ſtantem: Ita Henricus, neſcio pater an Rex miſerior, vndique premebatur. Ignobilia oppida amiſerat: nobilibus exui cœpit. Cœnomanos in poteſtatem redégit Auguſtus, ſubrutis quadam ex vrbis parte muris, turríſque validiſſimi propugnaculi fundamentis conuulſis. Exin Turones dedére ſe coacti, cum Auguſtus Ligerim vado reperto tranſiſſet, oppugnationémque atque excidium minaretur, ſi cunctarentur in fidem redire: per quos dies Chinone Henricus ex mœrore (vt creditur) obiit. Ricardus Rex ſalutatus, cum Franco fœdus icit: & quæ bello amiſſa erant, pace recepit. Raimundum Anglo affinitas contracta cóiunxit. Filius paterno nomine Raimundus in matrimonio habuit Iohannam Ricardi ſororem: ſed neceſſe erat

arma Anglica Francicâque non conquieſcere,ac vel domi vel foris exerceri. Aſiaticum bellum non modò ſanctius,ſed,quocunque res caderent, minori damno futurum erat. Neceſſaria maxime videbatur horum duorũ Regum profectio:quòd obiuerat tempore alieno Gulielmus Siciliæ Rex,certiſſimũ fidúmque piorum in Syria præſidium,qui Ptolemaidem in noſtrorum caſtra commeatus mari mittere non parce ſolitus fuerat.ac Ptolemaidis obſidio alterum iam annum trahebatur, hoſte acerrimo impigróque Saladino totam Orientis Barbariam in noſtros armante. Henricus Comes Campaniæ cum gentis ſuæ nobilitate adueniens,ne animũ noſtri deſponderent effecit. & Cãpani gloria rei militaris præſtabãt.Sed fame laborabatur: & belli mala omnia ſæuiebant.Dyſenteria in caſtris ab hoſte duplici & foſſa & aggere tutis Latinos populabatur,maiori clade quàm quanta timeri acie vlla potuiſſet. Obiit Sibylla Regina,ac quatuor Vidonis Regis ex ea liberi. Huius mulieris ſororem minorem Eliſam etiamnum virginem Toronienſi (vt oſtendimus) pactam,tradente matre,quæ eam Tyri aſſeruabat,ſibi matrimonio iunxit Conradus Ferratenſis:vt eius iure dotali Rex Hieroſolymorũ ſalutaretur:id quod Vido ægerrime tulit,quòd ſemel iuſtus Rex totius terrarum orbis conſenſu dictus eſſet, nec à ſe commiſſum contenderet cur Regiis inſignibus exui deberet. Permulti proceres eius cauſſæ virtutíque taciti aderant:propalam offenſum nobiliſſimum virum Regni æmulum nolebant, in cuius manu Tyrus eſſet, vrbs ad huius belli vſus opportuna, & vnde reliqua cõmeatus ſpes ſuſtentabatur.Maximi viri expectabantur,qui controuerſiam componerent. Fœdericus Cæſar nobiliſſimo validiſſimóque cũ exercitu ex Germania profectus,Pannoniámque emẽſus,ad Græcos peruenerat:ad vrbẽmque Regiam Boſporo trãſmiſſo longe latéque nominis ſui terrorem iniecerat: iam in Armeniam copias perduxerat: colebatúrque à gentis proceribus à ſancta cauſſa non alienis.Dum Selephium fluuium tranſmittit, equo offendente iam grauis ætate lapſus ita affectus eſt, vt inter manus ſublatus paulo pòſt expirarit. Hoc & ab authore illius temporis Tyrio traditur,& propius fidẽ eſt, quàm quod à nonnullis fertur, ſed ab ætate iam ingraueſcente, & grauitate hominis abhorret,eum dum poſitis armis veſtéque ad æſtum leuandum natat, extinctum Continuò dilapſus maxima ex parte Cæſarianus exercitus.Henricus tamen filius Auguſti cum reliquis Antiochiam peruenit: híque ibi morbis tentati,inſolentia credo cæli,& ſibi minime parcentes, aſſuetíque victu liberiore largioréque vti,ad extremam propè paucitatem redacti:inde ora maris petita,nauibus in caſtra ad Ptolemaidem poſita delati ſunt, vix mille octingenti iuſtis armis ornati.Filius patris corpus Tyri ſepeliuit,nulla præterea memorabili re geſta.Spes reliqua in Regibus Franco Angloq; erat. Anno eius ſeculi nonageſimo Francus procuratione regni,filióque Ludouico bimulo (vxor Eliſa deceſſerat)commiſſo fidei Adelæ matris,ac auũculi Archiepiſcopi,ab eóque ad Dionyſii ſuſceptis inſignibus ſacræ peregrinationis, baculo, peráque, terreſtri itinere ipſe Genuam, Ricardus Maſſiliam diuerſi petiere. Dum ventum expectat Francus, vno eodémque die quinquies fulmen cælo cecidit.Cum ſoluiſſet,aliquandiu proſperum curſum tenuit.Cum in conſpe-

ctu Siciliam haberet,atroci tempeſtate coorta naues diſiectæ ſunt:aliæ fractæ, aliæ obrutæ fluctibus,aliæ armamentis nudatæ,laceratæque.Virorum equorúmque multi naufragio extincti: machinarum tormentorúmque iactura facta.ad reliquam claſſem onere leuandam,miſerabilis ſpecies. Ricardus nullo incommodo vſus Siciliam tenuit:ſéque Franco quaſſatam claſſem reficienti, ſupplementúmque domo expectanti coniunxit. Ibi hyems neceſſariò acta. Ex diuturna conſuetudine, crebróque inter Reges colloquio, quod ſedare iras debuiſſet,ſimultates renatæ,altius animis,quàm antè,inſedere. In arcano congreſſu Ricardus Frãco,Soror tua,inquit,à me integra,virgóque eſt.Sponſalia tantum cum illa cõtraxeram. Gengaria Nauarrorũ Regis filia vxor mea eſt.Sororem tuam,qui tibi cordi fuerit:& ipſa res ſuas ſibi habeat. Non diſſimulauit Auguſtus id ſe ægre ferre hoc demum loco, temporéque,ac tam magnarum rerum mole patefactum. Acceſſit quòd Ricardi ſoror nupſerat Gulielmo Siciliæ Regi:quo nullis liberis mortuo, dotem(quod erat ingens auri pondus) Ricardus à Tancredo Siciliæ Rege repetebat,ad vſus belli fortaſſis neceſſarium,ſed his rebus difficili ſolutione repentina,præſentiq;. Quarum contentionum cõiectura motus, numinéve afflatus Ioachinus Abba ex continenti Italia Meſſanam ad Reges euentum belli prænoſcendi cupidos productus,ituros eos,ſed parum profecturos reſpondit, quòd nõdum diram beluam ſua fata appeterent,nec terræ ſanctæ recipiendæ dies illuxiſſet.Nimis verus vates Ioachinus extitit.Nec Tancredus hoc bellum iuuit.Rogerius Siciliæ Rex eum ex pellice procrearat:ius illius Regni Romanus Põtifex morte legitimi Regis redire ad ſummam ſedem contendebat.Tancredus opibus & ſtudiis domeſticæ nobilitatis plus poterat.Rogerius Siculus treis & viginti regnauit annos.procrearat Gulielmum, Conſtantiámque: hos iuſtos liberos:& Tancredum nothum. Gulielmus & patri ſucceſſit: & rerum duodecim potitus eſt annis.Vnicus eius filius eodem nomine Gulielmus, idem gener Angli Regis,quinque & viginti regnauit.Sine liberis deceſſit.Tancredus Regnum inuaſit.Conſtantia Rogerii filia nupſerat Henrico Aenobarbi Cæſaris filio.Eam ſcio à pleriſque tradi ac vulgò credi in ſacro Parthenone educatam votiua virginitate,quòd Ioachinus fatidicus vir ceciniſſet,ex ea, ſi nupſiſſet, funeſtam Italiæ facem exorituram:eandem plus quinquaginta annos natam auſpice Põtifice max.ne Regnum Siciliæ ad nothum recideret,Henrico Cæſari nupſiſſe.exin cum prægnans eſſet, ſuſpicióque exoriretur eam vterum mentitam,partum ſibi ſuppoſituram: medio in Meſſanæ foro tabernaculum illi virum iuſſiſſe ſtatui:vbi ventre cuſtodito, nulla matronarũ excluſa pareret.Ita editum Fœdericum ſecundum Cæſarem futurum.Hanc omnem fabulam vanitatis arguunt Germani: Aenobardo Cæſare viuo filium Henricum Conſtantiam ætate florentem collocante Gulielmo duxiſſe conſtanti ore affirmant:atque ita res in ſuos quamque annos digerunt, vt pudeat pigeátque tantæ aſſeuerationi diligentiæque fidem abrogare. Henricus Cæſar vxoris nomine Regnum cis tranſque fretum Siculum repetebat. & Romanus, quandò ipſe ſibi vendicare Siciliæ Imperium nequibat, Conſtantiæ Henricíque iam Cæſaris ſalutati, quàm Tancredi cauſſæ,ſtudioſior erat:

XLI. PHILIPPVS AVGVSTVS.

Et nulla ex re maiora quàm ex controuerſia ſemper de Siculo Regno contributíſque regionibus renaſcente,rei Chriſtianæ incommoda orta ſunt.Qui Latinorum Ptolemaidi aſſidebant,ſpe magis quàm viribus ſuſtẽtabantur.Saladinus ex Aſſyria,Media, Perſide, Arabia , Aegypto , pubem exciuerat:nec procul à noſtris caſtra poſuerat.Leuibus præliis experiebatur quid viriũ,quid animi ſui haberent.Soliti fuerant ſinguli propè ex Europa Latini denos Barbaros fugare,ac vel ſolo aſpectu terrere . Latinos Aſiæ incolas vicerat : nunc aſſuefaciebat militem ſuum nõ vultum modò noſtrorum ex Europa recentium,ſed collatum pedem perferre , ſibíque fidere . Maxima etiam exercitus parte congreſſus,primum impetum hoſtium ſuſtinuit:procedente certamine inferior,antequam clades acciperetur,quæ propè oculis animóque obuerſabatur,caſtra & ipſe reſpiciebat , & miles repetebat : cum quidam noſtrorum eques ante ſigna res gerens,in pedes ſe excepit : equúſque ſe circumagens refugiebat in caſtra,ſublato à circunſtantibus clamore, vt prehenſis habenis ſiſteretur.qui rem ignorabant,dé anteſignanis actum,& primam aciem cæſam rati,cedere cœpere:ac reliquam inclinarunt aciem:nec Saladinus præbenti ſe fortunæ defuit . Reuocatis ſuis in noſtros fertur : & præſidium vrbis magno tumultu erupit.Girardus Ridefordienſis Templariorum Magiſter , quæ virtus eius ordinis erat,vt emori mallent in veſtigio,quàm vlli procellæ hoſtíve cedere:dum retinere partam iam victoriam contendit,pióſque ad decus exẽplo acuit,egregie pugnans,nec inultus interiit . Alia parte Andreas Brænnæ Comes erumpẽtes excepit:& confoſſus vulneribus corruit:ac ſublatus, inter manúſque in caſtra relatus expirauit . Horum duorum in ſe hoſtem vertentium virtus ferocem hoſtem ſuſtinuit,quoad Gotthofredus Comes Luſinianus Vidonis Regis frater cuſtodiæ caſtrorum præfectus,cum præſidio aduenit:Barbaróſque maiorem victoriæ fructum percipere prohibuit . Saladinus omnia prius expertus,tandem ſe recepit:& qui eruperant,in vrbem compulſi.Circitèr duo millia noſtrorum cecidere.Fames minus ferri poterat . Milites coitione facta omnia tentanda inter ſe fremunt : nihil inexpertum relinquendum:ad extremam deſcendendum ſpem:ac,id quod hoſtes minime expectent,eorum caſtra oppugnanda: futurum in re inopinata aliquod operæprecium:nihil durius accidere poſſe,quàm(quod & optabilius)vt potius ferro quàm fame,miſerrimo genere mortis,occumbant:multas arces loco præſidióque propè inuictas,audendo conandóque in poteſtatem virorum fortiũ veniſſe:nullum acrius telum homini neceſſitate deſperationêque ac peruicacia datum.Hoc præceps erat conſilium:nec Duces inhibere impetum poterant:& quandò ad id locorum vẽtum erat,faces ardori militari oratione addunt:conſilium probant:animum admirantur: nihil tanto pectorum robori inexpugnabile futurum: omnia tantæ conſenſioni alacritatíque ceſſura . Ad triginta millia hominum conglobati erant.Ibant vt rabidi,vt furore perciti: nihil medium:vel in conatu emori , vel victoria ingredi caſtra hoſtiũ in animum inducũt:id certum,id deſtinatum habent:id cæteris abſciſſis vnum ſibi proponunt.Feræ,non homines videri poterãt:nec Barbarus auſus ita affectos ruentéſque opperiri, munimentísve fidere . Per auerſam à noſtris caſtrorum portam

portam ſuos educit,relictis tẽtoriis,ſtantibus tabernaculis omnibus plenis publica priuatáque opulentia, &,quod maxime peti ſciebat,commeatu. vnum venenum ad obruendum capiendúmque improuidos deerat,vinum,quia Saraceni eo non vtuntur. Vacua & aperta ingreſſi noſtri,hoſtium ignauiam increpitant:cibo auide & in præteritum,& in præſens,& in futurum replentur: vociferantibus Ducibus cauendas callidiſſimi hoſtis inſidias,ne repẽte ſuperueniens incautos opprimat. Vera,ſolitáque fieri dicebantur: nec tamen auelli potuere niſi præda onuſti: quidam etiam ſarcinariis camelis impliciti: omnes incompoſiti. Nihil optatius vſuuenire Barbaro potuit. Saladinus id quod accidit,ſuſpicione aſſecutus, longò,vt falleret, circuitu exercitum compoſitiſſimum inſtructiſſimumq; duxit in eum locum vnde in regredientes in ſua caſtra hoſtes repente impetum facere poſſet,ac intercluſos excipere. nec vanum conſilium cecidit. Reuertuntur graues victíque iam cibo,qui ieiuni famẽque propè enecti inuicti fuiſſent. Redeunt onuſti præda, non continenti agmine, ſed diſſipati:nec Ducibus ad ſigna reuocantibus parẽt,niſi qui vel generis vel factorum nobilitate turpe ſibi exiſtimabant temeritati multitudinis imperitæ potius quàm authoritati ſummorum virorum obtemperare. Cæteros Barbarus frequẽtibus ſignis adortus,cædem edere cœpit: & quia diſpalati erant,nec ſimul omnes inuadere poterat,minor clades accepta. Pugna propè nulla fuit. Latinorum militum vulgus non facilè ſe & onere leuabat, & arma expediebat: nec Barbarus coire patiebatur. Nobilitas cum certam peſtem cerneret: antequam cæde recenti calens feroxq; victor caſtra aggredi poſſet,ſeſe recepit. Cecidere hoſtium ferro qui procerum ſuorum præceptis parere noluerant. Exempta tunc fuiſſet Ptolemais obſidione, niſi ex Tyro affuiſſent continuò nouæ Latinorum copiæ. Rex Francus Vere appetente ex Sicilia in Syriam ſecũda nauigatione delatus,velut cælo miſſus exceptus eſt ab exercitu qui Ptolemaidi aſſidebat iam viceſimumtertium menſem. Refectus vetus miles commeatu,auxiliis,Imperatoribus auctus:caſtra firmiore munimento circumuallata:obſeſſiq; arctius premi cœpti:machinæ tormentáque delata nauibus fuerant:noua quoque inſtituebantur:omnia ad oppugnationem parabantur:miles ad virtutem acuebatur. Anglus ſerius Meſſana ſoluit:& tempeſtate in Cyprum compulſus,cum littoribus arceretur,virtute terram tenuit: inſulæq; tyrannum, qui ne Græco quidẽ Auguſto ſuo niſi malo coactus paruerat, bello cepit. Totam inſulã ſui iuris fecit:præſidia arcibus impoſuit. Dum Ptolemaidem curſum dirigit,naui maximæ occurrit, quæ ex Aegypto commeatus telaque ad obſeſſos comportabat. Erant in ea,frumẽti vis magna:ducenti quinquaginta ſcorpiones:quamplurima vaſcula igne Græco plena. alii ferũt fuiſſe etiam in caueolis venenatas ſerpentes, quæ in noſtros in prælio emitterentur. eam ſuppreſſit Anglus:& deſcẽſione facta ſe Francis coniunxit. Franci prope Tyrum pari magnitudine apparatúque nauem Barbarorum ceperant. Ricardum Auguſtus ampliſſime benigniſſiméque ſuſcepit:partemq; caſtrorum firmiſſimam,vbi ſi videretur,tenderet,attribuit:in qua caſtellũ arcis inſtar emunitum erat. Oſtenditq; opera ab ſe partim inſtituta,partim etiam perfecta:noluiſſe ſe Ptolemaidem antequam ipſe perueniſſet,oppugnare,& quia ita con-

uenerat,& vt in communi cauſſa cõmunis victoriæ fructus foret. Erant in caſtris Galli, Angli, Itali. Erant etiam Germani, non Cæſaris quidem exercitus reliquiæ (nam illæ partim domũ rediuerant, partim interierant) ſed noui ſemper proceres ſacram profeſſi militiam. Nulla pia regio expers illius militiæ fuit. Omnes Auguſto Regi Ricardoq; in armis ſe oſtendebant, vltroq; offerebant: dicto audientes erant. Tunc vniuerſis viribus Latini vrbẽ oppugnare cœpere. In præſidio vrbis ſummi viri erant: in tertium annum tracta re obſidentibus oppugnantibusq; cæteris reſtiterant. Oppugnante Franco Angloq; quarto q̃ Francus aduenerat menſe, cum Saladinus opem ferre nõ auderet: nihil tamen committebant quod indignum ſe, perſpectaq; virtute foret. Vndiq; terror eos circunſtabat, circunſtrepebátque. Saxorum molarium ictu, quæ tollenonibus mittebantur, tecta domorũ in vrbe ſuperne perfringebantur, magna incolentium peſte. Non in publico, nõ in priuato cuiquam cõſiſtere impune licebat. Turres promouebantur: murorum fundamenta conuellebantur: vt ſumma imaq; infeſta obſeſſis eſſent. Tantum non capta vrbs erat, certa internecione ſi expugnaretur. Caſtra Regum promoto aggere firmisq; munitionibus propè mœnia contingebant: & vrbs obiecta vrbi ac propè cõmiſſa videbatur. Conditiones neceſſarias obſeſſi accepere, vt vrbẽ dederent, ſacroſanctam Crucem redderẽt, & quicquid Chriſtianorum in ſeruitute vinculisve apud Saladinum foret, dimitteretur. ciues præſidiumq; ſine fraude ad Saladinum Regum præſidio, ne quis eos violaret, ducerentur. Vrbs his legibus portas aperuit. Auſtrii ingreſſi, ſigna in muris poſuere, gloriam captæ vrbis ſibi vendicantes. Angli ea deiecere, ſuáque impoſuere ipſi, Francíque: quòd ea obſidione, hárum duárum gentium decus præcipuum extitiſſet. Reſpectus Crucis maxime noſtros mouerat: ſed ea cum à Barbaris quæreretur, nuſquam comparuit: nuſquam inuenta. Id non numine, ſed fraude factum Anglus interpretatus, qui Barbarorum ei obuenerant vt ad Sultanum ſuum reducerentur, productos, præter nobiliſſimum ac ditiſſimum quemque, omnes interemit: ad ſeptem millia fuiſſe feruntur. Francus quoſcunque in poteſtate habebat, aſſeruari iuſſit. Inter eos erat quidam Characux nomine, prudentiæ fama nobiliſſimus: cuius conſilio vſus Saladinus ad tantas opes peruenisse dicebatur. qui ê Francica nobilitate cuſtodiæ illorum præpoſitus ab Auguſto Rege fuerat, eum ad ſe accerſitum productúmque primo ſtatim aſpectu contempſit, quòd ſpecie deformis erat, vultu illiberali, corpore puſillo. Admonitus deinde vim mentis in ea miram eſſe, ſubmotis arbitris per interpretem obteſtari obſecraréque cœpit vt induceret in animum fidele conſilium dare ea de re ſuper qua illum conſulturus eſſet. tunc ille, Nulla, inquit, obteſtatione opus erat: cõſultoris nomen ſanctum eſt, vt eum magis fidem quàm prudentiam præſtare coleréque conueniat. Cæterum antè quàm referas qua de re expromere me quid cenſeam velis: vt omnia pie riteq; fiant, ſinas me, oro, operari. cumq; aqua petita ſeſe purificaſſet, procumbensq; cælum veneratus eſſet: tunc Francus, Pro ſapientia menteq; pectori tuo data, edoce quanam ratione Latini parare tueriq; perpetuò ſacrũ Regnũ poſſimus. Ille continuò velut inopinata re perculſus, ſublatiore voce, Proh dolor, inquit, hic dies exeidium afferet genti noſtræ. petebatq;

batq; vt cõsilii dandi religione solueretur.Francus nihil remittebat.Ille iussus
sententiã dicere,Quandò,inquit,plus fatum quàm mortale ingenium humanaq;
sapientia potest,polletq;:& sacrata semel fide, his vinculis animũ meum
numini hominiq; obstrinxi, vt in caput meũ de gentis meæ excidio sine dissimulatione
verba facere necesse mihi sit: terram quæ vobis sancta est,etiam vt
nunc omnem in potestatem redigatis, murisq; ferreis & adamantinis propugnaculis,si
fieri possit,sepiatis, & præsidio summorum Ducum delectissimorumq; militum firmetis:eam nunquam iure vestram vocitari posse denuncio,
auguror,prædico,nisi Aegypti Imperio euerso:id quod,si viri estis,facile factu
est. Mari Latini potimini:classe quamplurimum valetis:ac rei naualis scientia
præstatis.Nili beneficium Aegyptus est:eadem mari alluitur.Memoria nostra
Hierosolymitani Reges paruis copiis Alexandriam vectigalem sibi fecere:Pelusium
cepere. quod si vt vincere, ita vti victoria didicissent, ac illis validam
classem auxiliaq; Latini Latinis misissetis:non me nunc cõsuleres de quærẽdis
tutandisq; Hierosolymis,sed de nomine nostro actum foret. Quod si nõ impetu,sed
assiduitate res gerere tutius videbitur,mare flumẽq; Aegyptiis infesta
faciẽda erunt excursionibus,nouoq; semper terrore, ne mutuo vsu iuuentur,
sed etiam mercaturis arceantur, quibus maxima ex parte Chairum constat.
Summa consilii mei est,Aegyptiorũ spiritus ferociamq; coërceatis:Nilum frenetis:nec
in equitatu peditatúve (vt hactenus) omnẽ virtutis spem reponatis:
naualis gloria terrestribus copiis addita,victoriam incruẽtam dabit. Damiata
Orientalibus bellis terra mariq; maxime opportuna arx est domanda in primis:vt
Hierosolymitanum regnum, quandò id maxime vobis cordi est,quærere
tueriq; possitis. Hæc Characux:quæ tũc ab hoste dicta contẽpta fuere.
Francus Rex eorum Saracenorum quos sortitus erat, permutationem fecit
cum totidem numero nostrorũ quos barbari ceperãt. Bonifacius Ferratensis
Conradi qui Tyrum ab impiis tutandã susceperat,pater recuperatus de Barbaris
filii pietate est. Per quos dies sacrosancta Crux Ptolemaide anxie conquisita
nusquam comparuit: ne quid de religione animorum deperiret, alia
passi domini monumenta mirãculo mortalibus extitere.Lutetiæ Ludouicum
filium Augusti Regis trimulum tanta vis inuasit morbi, vt animam agere, ac
tantum non expirare videretur.Sacræ spineæ coronæ particulam eam quæ ad
ædem diui Dionysii asseruabatur, ac sacrum clauum obsecrationibus factis
Lutetiam reuerentissime attulit Mauricius Parisiorum Pontifex vir sanctus,
ac corpori pueri admouit:Morbus depulsus,valetudo restituta.Pestilentia in
Syria apud nostros intra paucos dies plus quinquaginta Pontifices Comitesq;
absumpsit: in quibus Philippum Flandrum, qui sacrum bellum repetiuerat.
Tunc Augustus affectus, in conuentu procerum, assidenteq; Ricardo, Inclementiam
huius,inquit,cæli hoc tempore anni sustinere vltrà nequeo.Si mors
mea profutura religioni,vllíve vestrum,aut communi saluti esset,nulla ægritudo
me à vobis auelleret. Maiori vsui erit absentis vita, quàm præsentis funus.Robur
militum Francorum bello defungi permanentes iubeo,quingentos
delectos equites,& decem millia peditum.Præerit Odo Burgundiæ Dux:
simul suppeditabo stipendium,& quicquid bellum iuuat. Eam excusationẽ

Auguſti Ricardus non accipiebat, decedere illum ex Syria increpans, vt vacuam milite Normaniã Aquitaniamq; occuparet. Nec antè ſatiſſacere Anglo potuit Francus, quàm fide iureiurando data, ſe nulli rei quæ in eius ditione foret, vi fraudéve offuturum intra quinquageſimũ quàm ille domum rediuiſſet diem. Ita Francus relictis ad ſacrum bellum quot ſuorũ profeſſus fuerat, cæteros in naues Gallicas impoſuit: & è Genuenſium claſſe ſocia amicaq; tres naues ſibi, ac nauarchum Ruffinũ Voltam coniunxit: Aſiæq; oram legit. Aegæo deinde Ionioq; mari tranſmittens, atq; ad inferiorẽ Italiæ oram circumuectus, oſtia Tyberina petit: Romæq; Cæleſtinum Pontificem religionis cauſſa inuiſit: ſacras ædes circumit: mari repetito domum reuertit. In Syria, quod ſalũtare in primis rei militari eſt, vni omnia parebãt. Summa rerum ad Ricardum deferebatur. Saladinus amiſſa Ptolemaide diffidere rebus ſuis cœpit. Quamplurimum maieſtatis eius nomini detractũ erat, quòd in eius oculis fuiſſet capta Ptolemais, deditumq; præſidium, ac ex parte cæſum: expreſſaq; eſſet illi détrectando cum Auguſto Ricardoq; certamine confeſſio, eum nobiliſſimis Regibus nequaquam parem, cum Regulis Comitibusq; ac collectitio milite tumultuarioq; exercitu pugnare ſolitum, magnum ſibi nomen feciſſe: adeo fortunam libidine omnia regere: ac tenebras, lucémve, ſimul nobilitatem humilitatemq; non è cuiuſque dignitate, ſed per mortalium ludificationem afferre. Barbarus ſuis potius manibus euerti quæ retinere non poterat, quàm aut integra capi ſeruariq;, aut deleri ab hoſte, malebat. Quæcunq; oppida in ora maritima Syriæ in poteſtate habebat, muris exuit, arcesq; diruit: Characucis conſilio ea in re vſus: qui id quoq; ſuadebat, vt etiam in Aegypto Damiata tunc Alexandriæ nobilitate magnitudineq; non cedens tranſferretur paulo longius â maritimis periculis: ne conſiliũ quod Latinis temporum ſuorum cõditione coactus dederat, ſi eo vti ſtatuerẽt, procedere è ſententia poſſet. id tunc minime neceſſarium viſum. Ricardus in primis Ptolemaidis muros à noſtris quaſſatos, & Aſcalonis Porphyriæq; à Saladino dirutos reſtituit. Gazam Templarii rurſus muniuere. Iopen reficiebat Anglus: cum Barbarus crebris ex Hieroſolymis excurſionibus præliisq; Latinos opere prohibere conabatur. Cæterum non modò munita Iope, ſed & Latinorum colonia frequens ab Anglo deducta eſt. Claſſes Italicæ feſſæ exhauſtæq; plus duorum annorum militia, maxima ex parte domum rediere. Conradum Ferratenſem Tyri ocioſe in foro inambulantem duo Aſſaſſini occiderunt: retractiq; ex fuga, velut egregio edito facinore alacres gaudio, ad ſupplicium traditi ſunt. Alii eam Aſſaſſinorum famam falſam arguunt. occiſum à Toronienſi percuſſoribus dolore ſponſæ abductæ ſubmiſſis credunt. Eliſa cæſi Ferratenſis Anglo conciliante nupſit Henrico Campaniæ Comiti: Cuius mater duorum Regum per patrẽ Auguſti, per matrem Ricardi ſoror eſſet: ac ne vlla reliqua foret irarum ſimultatumq; materia, Vidoni Regi ſemel ſalutato Anglus perſuaſit vt regnum Cypri à ſe capeſſeret: Templariisq;, quibus ipſe illud oppignerarat, rem creditam ſolueret, cederetq; iure quod ſibi eſſe in Regnum Hieroſolymitanum cæteramq; Syriam cõtenderet. Vido in Cyprum tranſmiſit, ſublatis ſecum rebus ſuis: quo Regno Luſinianorum familia ad memoriam vſq; noſtram potita eſt.

tita eſt. Ad has res conficiendas Ptolemaida regreſſus fuerat Anglus: exin cõſilium cepit Hieroſolymorum tentandorum: quod vnum huius belli operæ precium reſtabat. Odo Dux Burgundiæ, idem Prætor Franci Regis ſe illi cõiunxit, vt communiter res gererent. Antipatrida peruenerant, oppidum inter Cæſaream Iopenq; ſitum. Præcedebat Ricardus: ſequebantur impedimenta: mox Franci Duce Burgundione incedebant: claudebat agmen Auenienſis: cum Saladinus affuit, tergáque adortus eſt. Conuerſis ſignis Auenienſis impetum præſtanter excepit, ſuſtinuítque quoad Franci, qui proximi ſteterant, ſubſidio accurrerent. ſimul ad primum clamorem Anglus ſuos in prælium circumacto equo rapit. Pugnatum eſt egregie, quòd Barbarus peti Hieroſolyma, eáque vna ſpei noſtrorum propoſita ſciebat: qui ea haberet, victorem vniuerſi belli viſum iri: ad illaq; propẽ peruentum. Franci Angliq; inter ſe certabant vtri plus virtutis eo prælio præſtarent. Auenienſis ſummis genere proceribus, factis non cedere in animum induxerat. Eum tunc Brabantini Annonesq; ſequebantur, ac qui Flandrorum mortuo, Comite reliqui erant. In eum primum irruerat Barbarus. Ille Brabantinorum in primis pube ſtipatus, optimi militis & clariſſimi Ducis officium præſtitit: Suos hortabatur, ne perturbarentur: impetũ hoſtis leuis armaturæ, concurſatorisq; forti animo ſuſtinerent: eum nunquam vera virtute viciſſe: aut incredibili multitudine paucitatem ſuperaſſe, aut fraude victoriæ nomen reportaſſe: nunc iuſtum Latinorum exercitũ Ducibus clariſſimis, militibus delectiſſimis, qui nec virtute vinci, nec dolo capi Barbarorũ poſſint, iuſto prælio, æquo loco, aperta pugnare acie. Ita concionabundus circumibat ordines: continuò & exemplo incendebat: Robore corporis manuq; fortiſſimus, nec inferior viribus animi, quacunque impetum dabat, ſuos trahebat, hoſtium cædem edebat. Ricardus ſibi turpe arbitratus, ſi Auenienſi priuatæ nobilitatis viro non præſtaret, ſi Angli Brabantinorum, Annonum, Flandrorum virtutem ſaltem non æquarẽt, ipſe manu ſua pugnare, hoſtẽ petere, voce ſuos acuere: ex Anglia, ex Aquitania, ex Normania profectos eſſe, vt cum Saladino ſigna conferrent, ſibi patriæq; decus pararent. pro religione, pro fœlicitate animorũ, pro ſacra cauſſa pugnarent: in oculis propè eſſe Hieroſolyma. Victis nihil tuti, nihil fidi, nullum receptum. victoribus gloriam, imperium, totius Orientis ſpolia parata: ea in medio poſita, victorem ſecutura: in quorum ſpem, in fœminas viri, in eunuchos integri, in ſeruos liberi, in volones iuſti nobilesq; milites, in Barbaros impiosq; Latini, Chriſtiani, numinis vindices magno animo atrocíque vt in execrabiles hoſtes, quibus nihil ſancti ſit, ira pugnarent. Vndiq; eo die virtus cõſtitit. Franci, qui Anglos domi viciſſent, gloria ſacri belli his cedere, morte miſerius ducebant. Numero pauciores erant: Rex aberat: ipſi quo pauciores in acie ſtabant, eo plus æmulandi decoris ardore flagrabant. ſummam virtutem præſtiterunt. Non cum cæteris modò, ſed & inter ſe mutua decoris religionisq; æmulatione certabant: & eorum Dux Odo Ricardi Regis virtutem adæquare, aut etiam, ſi fieri poſſit, ſuperare contendit. Meridiano tẽpore cœpit pugna: ad Solem in occaſum precipitem tracta eſt: recruduítque, quòd Ricardus ſagitta ſaucius efferatior factus, oblitúsque ſe Regem eſſe, militis veſani furentisq; partibus fungebatur:

ruebat vbicunque cõſpexerat frequentiſſima hoſtium ſigna:& Angli eius vicem ſoliciti,vt illum protegerẽt,in ferrum, in hoſtem,ſibi minime parcentes, impetum dabant.Odo Franciq; alia parte Barbaro inſtabant:circunductáque ala premebant ab aperto latere.Auenienſis nihil ex animi robore remittebat. Fortitudinis palma illi eo die opinione hominum data,eaq; illi morte empta. Cecidit ſumma ſuorum hoſtiumq; admiratione: nec inultus occubuit, multumq; ad victoriam cõtulit.Interempta feruntur tot hoſtium millia,quot illa patrũmque memoria vno prælio cæſa non fuerant. Vim numinis cognoſci ſuperis placuit:cordi non fuit,victoriæ fructum percipere noſtros, ac Hieroſolyma adire nobiliſſima victoria parta.Ex proceribus Latinis Auenienſis interemptus dolori fuit:in cæteris apud noſtros neque magna numero iactura, neque claritate virorum inſignis. Poſtridie ad Betlemitidem vicum æquo ab Iope & Hieroſolymis ſpatio diſtantẽ caſtra metati ſunt. Propè in oculis erat vrbs ſancta: quæ accendere animum debuiſſet: quæ vna tot conatibus petebatur.At eius propinquitas mentem Ricardo,in quem vnum omnes ora vertebant,ademit vltrà procedendi.Cauſſatus hyemẽ inſtare:nec Iopen portum, ſi ſæuierit mare,excipiendo commeatui,alendóque exercitui fore: Ptolemaidem reuertit. Franci Tyri hyemarunt: quòd ea vrbs dotalis Campani eſſet. Tunc quicquid Italicæ claſſis reliquum erat, conſeneſcere Syriacum bellum cernens,domum reuertit. Ricardus Vere ineunte ad Betlemitidem cũ copiis rediit:ingentem vim commeatus,qui Camelis Hieroſolyma ad Saladinum ex Aegypto portabatur,circunductis furtim copiis intercepit.Hactenus Ricardi virtus enituit. Tunc eum cupido inceſſit deducendi exercitus, patriæq; repetendæ.Concionem apud ſuos habuit,ſibi nunciari Iohannem fratrem conſilia Regii nominis arripiendi agitare, vt primo ſacro bello Gulielmus ſolium regium inſederat,Roberto maiore fratre reliquias eius belli perſequente:prę-terea vereri ſe ne Francus Normaniam inuaderet.In quinque annos inducia-rum conditiones ab Saladino accepit, vt cõtinuò muros Latini diruerent vrbium quaſcunque poſt receptam Ptolemaidem muniuiſſent. Id erat,vt tanto duorum Regum conatu nihil actum videretur:vtq; in Syria Phœniceq; nihil integri præter Tyrum Ptolemaidem Antiochiam noſtri obtinerent.Henrico Campano Syriæ prætore Ricardus copias deduxit: cumq; procul à barbaræ religionis periculis abeſſet,Adriaticumq; mare cum ſuis teneret, exorta fœda tempeſtate,diſiectaq; claſſe,alii aliò delati ſalutem ſibi peperere:ac qua quiſq; potuit ratione in patriam reuertẽre.Ipſe fluctibus in Illyrici oram eiectus,depoſita maieſtate,perpaucis comitibus,ſumpto Templarii habitu,Germaniam, quà proximum erat,petit,Francum,à quo maxime inſidias vimq; timebat,vitaturum ſe ratus.Aliunde malum ei cõflatum. ~~Facies orbi terrarũ nota~~,ignorari non potuit:& conſpectus in digito Regius annulus ab hoſpite,illum indicauit,prodiditq;.Cognitum igitur Ricardum Lupoldus Auſtriæ Dux,cuius populares in Aſia res geſſerant,ſimultatémque cum Anglis exercuerant,diuinitus ſibi oblatum de quo pœnas expeteret ratus, ad Henricum Auguſtum

» duxit: atque ita verba fecit· Hic eſt,Auguſte, Ricardus, qui in Sicilia res per-
» turbauit,vbi ſubleuatus cultúsque ipſe ac miles fuerat.Turcis bellũ ſe inferre

iactans,cum Christianis gessit:.Nullum locum Christianum nisi hostili animo «
adiit. Cyprum Christianum Regnum armis euastauit, prædaq; totum dedit. «
In Asia cum Philippo Franco Rege optimo, tibiq; ac tuis amicissimo simul- «
tatem gessit. Ne Christianos à Turcis captos permutatione reciperet, dediti- «
tios illorum ad Ptolemaidem propè omnes interemit: Reliquos ditissimum «
quemq; quæstui habens,pecunia vendidit. Hierosolymitanum iter ingressus, «
medio ex itinere nulla noua re adactus rediit. A Saladino munera literásque «
nullo non die accepit:ac iam propè fœdere iungebatur.Germanos ciues no- «
stros,quicunque in Asia res gerebant,adeo impotenter habuit,vt atrociorem «
hostem Ricardum quàm Saladinum experti sint. Hæc tibi Auguste,orbíque «
terrarum nota sunt literis,nunciis,celebri terrarum fama.Sin quid eorum ne- «
gat, paratus sum armis fidem facere, ac virtute iudice, hacq; dextra id decer- «
nere.Hæc Dux. Rex ita· Neque ego,Auguste,in Sicilia res turbaui,neque «
turbatas lætor.Sororem meam viduam dote sua fraudari,ac ludibrio esse qui- «
bus minime æquum erat,pati tacitus non debui:& sic quoq; quàm mitissime «
potui rem transegi,nullo grauiore motu per me facto.Cyprum procellis im- «
pulsus impactusq;,cum quassata laceratáq; classe appulsu littorum prohiberer, «
necessaria sumpsi arma:Latinorum hostes lacessitus edomui. Ingẽtem de illis «
prædam parare quî poteram,quos Græcorum Imperium,& Turcica amicitia «
exhausérat? In eos cæde nõ sæuii.Eis Regem Latinum dedi,qui abs te mutari «
possit,si forte eius te Auguste pœnitet.Cum Philippo Rege simultatem ges- «
sisse insimulor,qui cõqueri iustius possum,quàm accusari debeo.Ille,dum re- «
ligioni milito,fertur Ducatui Normaniæ ditionis meæ imminere.Quos Bar- «
barorum occidi, Saladini iniuria perfidiaq; adductus occidi: quandoquidem «
neque sanctam Crucem reddebat, neque pacta Satraparum suorum rata vo- «
lebat.De hostibus hostis supplicium sumpsi:optarem de Saladino sumere li- «
cuisset. Quod ab dimissis aurũ accepi,id diuisi militibus Latinis. Aspice quas «
excepto hoc annulo mecum diuitias nudus inopsq; referam. Neque deserui, «
vltimus procerum,ac post accusatores redeo.Ab Saladino fœdus,literas,mu- «
nera quo pacto accepi, qui ne suorum quidem Ducum fidem persoluit? Eo- «
dem animo ab Saladino munera, quo famem, pestem, diras, pœnas, inferos «
acciperem.Germanos cur superbe in Asia tractassem?Satis negocii mihi An- «
gli reliquiq; mei dabant. Famæ Asiaticæ Cæsar ne credas: falsa insidiosaq; est, «
à Saladino Turcisq;,vt inter nos bella serant,conflata,& ad nos emissa. Fama «
percrebruerat,me percussores Franco Regi parauisse.Hæc initio credidit Phi «
lippus,latusq; suum munierat:nec quenquam nisi excussum admittebat.Con- «
uicta mendacii fama,animum suspicione, latus custodibus, suos metu libera- «
uit:testatúsque est Asiaticæ famæ nullam fidem habendam.In Asia nullam de «
nobis nisi nobis pestiferam famam nasci puta: A Turcis gignitur, ab nostris «
imperitis excipitur,educaturq;: Illa magnis vltro gaudens incrementis, fanda «
nefandaq; affingit. Nos oracula credimus,in vulnera nostra quàm in salutem «
proniores.Si quis Germanus miles à me auare superbeq; habitum se queritur: «
quicunque infecta re ex Asia redimus,fortunæ, hominibus, terrisq; omnibus, «
& nobismet ipsis irati redimus: omnia accusamus: Nihil à quoquam in nos «

» niſi hoſtiliter profectum arbitramur: & ipſe fortaſſis niſi accuſarer, accuſarē.
» Quod autem ad Martis iudicium vocor, ſuſcepera crucem pro religione tu-
» tanda: ſi quis eam oppugnat, dimico. Pro capite meo niſi regreſſus domum
» nō dimicabo. Satis in Saladinum pugnaui. Tot millia hoſtium religionis acie
» occidi, quot ſecundum magni Gotthofredi victorias nullus: coëgiq; hoſtem
» inducias in quinq; annos piis dare. Deſertæ proditæq; rei Chriſtianæ inſimu-
» lor tantiſper, dum & Iohannes frater minor Regium nomen inuadere dici-
» tur, & Philippus Rex Normaniam tentare. At tu Auguſte patriæ me, mihi pa
» triam reſtitue: vt ex qua mouit me ſtudiū religionis defendendæ, in eam man-
» ſuetudine tua reuehar: & vt pro nomine decoréque Chriſtiano arma indui,
» ex Angliaq; profectus, extremum propè Orientem petens, in Saladinum pu-
» gnaui: ita pro te Imperioq; tuo, & maieſtate nominis tui, meo meorumq; ſan
» guine, vbicunq; iuſſeris, pugnem: ac ſi res ferat, vitam profundam. Nihil his
motus Germanus, duodeuiginti menſes Anglum in cuſtodia habuit: nec di-
miſit niſi centum millibus ac quingentis pondo argenti redemptū. Continuò
auro Anglico auctus in Italiam exercitum duxit: mortuoq; Tancredo Rege
ipſo, ac filio Rogerio, Campaniam, Lucaniam, Apuliam, Brutios, Siciliam in
ius ditionemq; redegit. Panormi reperit Irenam Iſacii Græci Auguſti filiam,
quæ deſponſa fuerat Rogerio. Eam Philippo fratri nuptum dedit: illúmque
Tuſciæ Ducem creauit. Hortante inſtantéque Cæleſtino Pontifice maximo,
vt tam ſecundis lætisq; rebus ſacrum Auguſtus bellum capeſſeret: domeſticas
occupationes, ac nōdum firmatas opes ſuas cauſſatus, Duces cum exercitu in
Aſiam miſit, Conradum Archiepiſcopum Maguntinum, ac Henricum Ducē
Saxoniæ. Nouæ enim ſemper res in Aſia exoriebantur. Henricus Campanus
Ptolemaide, dum ſuperiorem partem ædium incautius circumit, præceps de-
latus expirauit. Eadem in vrbe diem ſuum obiit Margarita ſoror Franci Re-
gis: quæ mortuo marito Rege Bela, religionis cauſſa Orientem petierat. Eliſa
nupſit Almerico Vidonis Luſiniani fratri. Isq; mortuo fratre, Cypri Hieroſo-
lymorumq; Rex ſalutatus, idē Tyro Ptolemaidiq; imperitare cœpit. Deceſſit
& noſtrorum terror Saladinus. In eius, vt iuſſerat, funere, qui ſignifer in præliis
ei eſſe conſueuerat, prætulit lancea ſublimem interiorem illius tunicam, cla-
mitans illud vnum ex domitore Orientis reſtare. Nouem filios reliquit. eos Sa
phadinus patruus omnes necauit præter vnum & ipſum nomine Saphadinū
Halapiæ Sultanum, fide virtuteq; paternorum amicorum tutum à patrui in-
ſidiis. Ex Saphadino patruo nati filii Meledinus Aegyptiorum, ac Coradinus
idem Damaſci & Hieroſolymorum Sultani. Interea Afri, Numidæ, Mauri
indigne ferentes Syluinam vrbem captam, Africæ oram euaſtatam à noſtris
(vt edocuimus) in Orientē nauigantibus, in Hiſpaniam tranſmiſere: congreſ-
ſiq; cum Alphonſo Caſtulonenſium Rege pugnauere: tantámque vaſtitatem
victores edidere, vt etiam Gallos metus inceſſeret, ne illi Pyrenæum ſaltū ſibi
tranſcendendum putarent. Auguſtus Rex nouis ſemper occupationibus ex-
cipiebatur. Philippo Flandriæ Comite ad Ptolemaidem ſine liberis defuncto,
hæredē ſoror Margarita ſe nuncuparat. Huius mulieris filius Balduinus ſtirpis
maximus, indole præſtanti adoleſcens, futurus Græcorum Auguſtus, erat in

 poſſeſſione

possessione Annoniæ, qui erat illi paternus dominatus: simul nomine materno totam occupat Flandriam, Atrebatesq; à Francis Regibus nuper Flandriæ Comitibus beneficii nomine attributos: Viromãduos præterea inuadit, quòd in eius auunculi ditione fuissent. Augustus Rex vbi primum domum ex Asia peruenit, in Balduinum duxit. Viromandui aduenientem Francum libentissimis animis mœnibus recepere, imperataq; fecere. In Atrebatibus aliquid certaminis fuit. Tandem coacto Annone cedere, & ipsi & Odemarenses, qui citeriori Flandriæ contribuuntur, deditionem fecere. Id ægerrime hostis tulit: suum tempus præstolabatur. Francus Anglico bello distineri cœpit. Fidem Ricardo in Asia dederat temperaturum se oppidis finibúsque qui Anglo parerent, quoad fortuna eum reducem domum sisteret. Is in custodia apud Germanos asseruabatur. Testabantur Angli proceres conuenta. Francus se fide iurisiurandi non decessurum affirmabat, temperaturúmque à quibus ius fasq; foret: sed se nulla religione vetari, quo minus qui sororẽ ipsius repudiassent, ab iis eius dotem ad se iure redeuntem reciperet: nec æquum esse, mulierem nobilissimam reddi bonis retentis. Ad Gisortium bellum hoc cõstiterat: cum Balduinus Fanum Odemari recipit. Gisortio tandem Rex potitur, & oppidanis Francorum caussæ studiosissimis, & militibus, qui erant in præsidio, perseuerantia viq; hostium territis. Adela Franci soror ex Anglia regressa Comiti Pontiuensi collocata est. Rotomagũ haud dubie iuris Anglici erat; illud non magna vi tentatum: req; infecta deductæ copiæ. Ricardus Franciæ finibus cõmittere se non ausus, domum ex Germania mari transmisit: melioreq; in statu res inuenit, quàm animo præceperat. Eum Iohannes frater Regem salutauit, bellúmque cum eo aduersus Francos gessit. Augustus Eburouices, & Nouumburgum, ac Ruelliuallem recepit. Exin multo maiore quàm antè conatu repetitum Flandricum bellum: quod tamen nõ præliorum fortuna decreuit; sed memoria propinquitatis finiuit. Balduinus in matrimonio habebat Theobaldi Comitis filiam ex sorore Augusti susceptam. Hæc ad auunculum Regem armatum venit. Fœdus ea deprecãte ictum hac (vt author est Gulielmus Pontifex Tornacensium) lege, vt Annonia in fide Balduini remaneret: quod Flãdriæ à Nouafossa in Orientẽ spectat, id Balduini ditionis foret. Atrebates, Odemarenses, Lendenses, Essedinenses, ac quod in Occidentẽ vergit, Augusti dicto pareret. Hæc regio Comitatus institutus est, Atrebatiúmque Comitatus dictus: ac primus Atrebatium Comes creatus Ludouicus Regis filius. Balduinus in aulam Francicam venit: ac honoris virtutisq; caussa in familiaris amicitiæ iura receptus ab Rege, baltheoq; equestris militiæ insigni donatus, animo maiora concepit. Sacram militiam professus, proficiscens, in primis sobolem suam Iohannam & Margaritam fidei Regis commendauit. Nec multo pòst Iohannam Augustus Ferdinando Lusitano Regiæ nobilitatis adolescenti de sententia Mathildis Lusitanæ viduæ in Franciam venienti collocauit. Eum in possessionem opum soceri cõtendentem Flandri initio recipere nolebant: deinde authoritate Franci Regis adducti, apparatissime excepere, coluereq;. Et alterum splendidum matrimonium iunctum: Gulielmus Regis Eustathii filius, Bononiæ Belgicæ, idem & Moritonii Normanici Comes decesserat:

XLI. PHILIPPVS AVGVSTVS.

Conciliante Auguſto eius filia in opes ſuccedens nupſit Reginaldo florentiſ-
ſimo adoleſcenti Caſtrimartini Comitis filio. Simul Rex mortua Eliſa vxore
cælebs Dani Regis ſororem Gelbergam vxorem duxit. eadem intra tertium
menſem per cauſſam propinquitatis dimiſſa, Mariam Ducis Morauiæ filiam
ſuperinduxit. Dano Rege per oratores apud Pontificem maximum agente,
duo ampliſſimi ordinis patres in Galliam legati venere, Regiq; denunciaue-
re, vt à conſuetudine Mariæ temperaret. Dicto non parebat. Diuione Concilium patrum habitum. Decretum, vt Franciæ ſacrificiis interdiceretur. Orator Regis Pontificem maximum appellabat: nihilo ſecius illo ſummoto, ſanctiore arcanóque conuentu Romanus Franciæ ſacris de ſententia patrum interdicere ſe pronunciauit. Cæterum vetuit id decretum in vulgus edi ante vigeſimum à natali domini diem, quo tẽpore procul ipſe abiſſet, ne timere ſibi à Rege poſſet. Ei ſuccenſere tantũ animo potuit Rex. Patres, qui & tunc aſſenſerant, & poſtea interdictum euulgarant, ſedibus primum ab Rege exacti: deinde miteſcente Regis ira, nouus legatus ex vrbe Octauianus Cardinalis affuit. Sueſſiones Rex & Patres Franci conuenere. Nul'usdum prodire audebat qui Regem accuſaret. erant nimis multi qui diſertiſſime compoſitiſſimeq; eius cauſſam agerent: hi ſummo ſilentio ac propè aſſenſu audiebantur. Perorarant etiam, cum nemo vocem contrà mittebat. Quis tanta ceruice foret, qui præſentem Regem Auguſtum tanta in re oratione diſtringeret? Perdiu expectatione ſuſpenſi animi tenebãtur. Tandem ex humili multitudine adoleſcens ignotus, quis, vnde veniret, venia dicendi demiſſiſſime & ab Rege, & à Romano, & à cætero conſeſſu petita, externæ repudiatæq; mulieris deſertam ab omnibus cauſſam tam ornate dilucideq; defendit, tam reuerenter de Rege verba faciens, vt in ſui admirationem omnes conuerteret. Fine dicendi facto ſe ſurripiens, nuſquam deinceps comparuit. Sunt qui numini id attribuant: ſed conſilio & arte Dana fieri potuit. Nihil ea conſtitutum actione: ampliatione facta patres expectabant vt vltro Rex Danam vxorem agnoſceret. Conſuetudine Mariæ tenebatur, nec ab ea ſecubabat. Labebatur longior dies, temporiſque ſpatium illi dabatur, ſi à pertinacia deſiſteret. Sed publico Conuentu toties coacto neceſſe erat iudicium aliquando facere. Rurſus coguntur Patres: adeſt & Rex: iam liberior dolor voxq; hominũ, & magis apertus ſenſus erat: & præ ſe ferebãt patres quidnam ipſis neceſſè foret decernere. Tunc demum Rex neceſſitatẽ in virtutem vertit: relictoq; conſeſſu, in equum cum inſiluiſſet, poſt ſe receptã Gelbergam in Regiam reduxit. Romanus lætus, id quod captarat, nullo iudicio facto Conciliũ dimiſit. Paulo pòſt deceſſit Maria. Philippum ex ea ſuſceptũ, iuſtam Augũſti ſobolem eſſe Pontifex Maximus decreuit, non ſine multorũ tunc admiratione. Bonam matris nobiliſſimæ fidẽ auxilio liberis non eſſe, indignũ credo viſum: & nonnullis Epiſcopis authoribus auſpicibusq; Morauianæ nuptiæ iunctæ fuerãt. Dana Regiæ Francicæ vtiq; iuncta cognatione erat. Primi Philippi Regis Franci filia nupſerat Dano regi: vnde Gelbergam aliquot ætatum ſerie progenitam fides ſit. Indignius merito viſum, quòd Rex Iudæos in Franciã redeũtes admiſit, peruicax, ſed ditiſſimum hominũ genus. Et bellum ſacrũ aurum efflagitare videbatur.

XLI. PHILIPPVS AVGVSTVS. In Syria

In Syria Phœniceq; Germani, quos ſub ſignis Conradi Pontificis Maguntini, & Henrici Ducis Saxoniæ in Orientem profectos edocuimus, Berytũ occupauere, muniuereq;. Toronium obſedere: & cum iam aut cõditionibus recepturi, aut virtute in mœnia euaſuri eſſent, occurrentibus auxilio Barbaris coacti ſunt cœpto deſiſtere qui noſtrorum ibi res gerebant: qui vero Beryti in præſidio remanſerant, aduentu hoſtium oppido exceſſere. Coniunctis rurſus copiis Iopen perrectum. Vrbs erat euaſtata. eam munitionibus firmarũt. Saracenos magna fiducia aduenientes repulere. Conſilia tandem Hieroſolymorũ petendorũ agitabantur: quòd Simo Montiſſortis Comes ſummus bello Dux cum Francicis copiis iam Syriam tenuerat. Mors Henrici Cæſaris nunciata omnia mutauit. Archiepiſcopus, Duxq;, quorũ in deligendo nouo Imperatore authoritas præcipua futura erat, nulla obſecratione Francorũ retineri potuere, adducíve, vt religionis cauſſam antiquiorem cæterarum rerum ſtudiis exiſtimarent. Eorum diſceſſu Iopen Barbari expugnatã euerterunt: qui noſtrorũ ibi reliqui erant, ad vnum omnes cæſi. Ita feroces hoſtes reliquias belli perſequebantur, ne quid noſtri in Syria obtinerent. Franci Duce Simone impetum cohibuere. Induciæ in longã ſatis diem factæ: cautumq; ne Tyro Ptolemaidiq; arma Barbari inferrent: qui fuit annus eius ſeculi duodecenteſimus. Ita rebus ê præſenti vſu compoſitis, Simo ſuos è Syria deduxit. Germanorum res contrariis ſtudiis agitabantur, ſeditionibus ægræ: noménque Imperii diſtractum. Alii Philippum Henrici Cæſaris defuncti fratrem Hetruriæ Ducem, Francorum amantiſſimum, Auguſtum ſalutabant. Alii Othonem Henrici Saxoniæ Ducis fratrem ſorore Ricardi Angli Regis genitum, & qui tũc etiam in Anglia degebat. is continuò ab auunculo in Germaniam ad ingens nomen capeſſendum cum egregio comitatu, ingentíque vi auri miſſus eſt: contrà Philippus amicitia fidéque Francorum ſubnixus animum non deiecit. Maieſtatem nominis ſemel ſuſceptam præſtanter tutatus eſt. Ricardus Rex nihilo ſecius Francico bello inſiſtebat. Eburouices, ipſis ſe dedentibus, nec vllam vim expertis, recuperat. Obſidebat tunc Vernolium Auguſtus. Ira incenſus eo conatu omiſſo in illos redit. Non expectauit hoſtis ruentem. Deſerta ab Anglo vrbe Auguſtus ſine cõtentione potitur. muri diruti. Ruelli quoq; arcẽ, diffiſus voluntati oppidanorũ, ſolo adæquat. Albammalam primo impetu expugnare nequit. Quinquaginta dies ea obſidio tenuit Francum. Tandem tormentis parte muri deiecta, oppidum in poteſtatem venit. arx exciſa. Hoſtis alia parte Lochias de Francis cepit. Milionem in Biturigum finibus & cepit, & euertit: Nouam corrẽ corruptis pecunia cuſtodibus recepit. adueniente Franco ceſſit, pugna cõminus congredi non auſus. Terrores cæleſtes mentem mortaliũ angebant. Lapidibus pluiſſe ferunt: horrendæ tẽpeſtates in Laudunenſium finibus. Caluuſmons nobile oppidũ fulmine conflagrauit. Carnutum vrbs incendio fortuito maxima ex parte fœdata. Aedes virginis cremata, & ſeptum: in eoq; quamplurimi mortales abſumpti. In Bellouacorum finibus coruos roſtro carbones candentes tectis intuliſſe, incendiúmque conflaſſe creditum. Anno inſequenti, qui eius ſeculi vndecenteſimus fuit, Ricardus deceſſit. Exhauſtus erat omni propè Anglico auro partim ad ſe redimendum, partim ad

Othonem ſubleuandum deprompto:ad hoc belli Francici neceſſitatibus exinanitus. Ad Calacum oppidum in Lemouicum finibus ingentẽ vim auri reconditam fama ferebat. Lemouices ipſius beneficiarii erant,& Aquitanis cõtribuebantur,ſed à Franco ſtabant. Dum ergo Calacum tentat, è muro ictus ſcorpione,in caſtra inter manus relatus paulopoſt expirauit. Iohannes in Regnum cæterasq; opes ſucceſſit,non abſq; contentione. Arcturus Dux Britanniæ ſe potiorem hæredem cõtendebat,ac iure ſuperiorem,quòd ex Gotthofredo natus eſſet,qui Iohannem fratrem ætate anteceſſiſſet. Eius cauſſæ Auguſtus ſuffragabatur: Iohannes vero pacem ab Auguſto redemit,redditis tribus oppidis in finibus Biturigum,Caſtro Rhodulphi,Iſſoduno,Craſſeiano. Cautumq; ne ius Anglo foret Vellocaſſium citeriorum repetundorum,Eburouicúmve,ac quicquid Normaniæ Francus nuper recepiſſet. Publico fœderi priuata neceſſitudo addita . Auguſti filius Ludouicus vxorem duxit Blancham filiam Adelphonſi Regis Caſtulonenſis,ſorore Angli ortam . ſanctũ hoc erit connubium. Iohannes filiam Gulielmi Comitis Claudioceſtriæ,quam in matrimonio habebat,repudiauit,propinquitatem tũc demum cauſſatus:filiamq; vnicam Comitis Engoliſmenſis deſponſam iam Vgoni Comiti Marchiæ,patriq; in opes ſucceſſuram,ſibi iunxit. Vgo dolore ſpõſæ interceptæ adductus, vir ampliſſimæ ac opulentiſſimæ cognationis, coniurationem nobilitatis Pictonum fecit,ſeq; Arcturo coniunxit. Leonora Iohannis mater:ne Aquitania amitteretur, in eius poſſeſſionẽ rediit:ſeq; iureiurãdo Franco Regi vt beneficiaria obſtrinxit:nec idcirco Arcturus cœpto abſiſtit. Turones occupat ſumma Franci Regis voluntate: ab eóque beneficiarius Comes eius ciuitatis Andiumq; & Cœnomanorum nuncupatur eodem iure, quo Gotthofredus pater,ſi viueret,vocitaretur. Multiplicíq; mox bello implicatur. Leonora ex Pictonibus in Andes ſe confert: ſimul Mirabellum occupat. Eò Arcturus eueſtigio ducit:idq; oppidum defendẽte auia oppugnat. Magno natu mulierem ferox adoleſcens vicit:oppidum captum:ipſa in poteſtatem venit nepotis. Ita omnia violat ſacra cupiditas imperandi. Iohannes niſi primordiis malorũ,antequam incrementa maiora Arcturus caperet,occurreret,res ſuas euerſum iri ratus,cum expeditiſſimo milite profectus,prius illum oppreſſit, quàm Franci auxilio venire poſſent:nec Mirabellum modò,matremq;, ſed & Turones recuperauit. Francus in Normania Arcas obſedit. Iohannes, quoad vixit mater Leonora,nihil durius in Arcturum conſtituit,ea pro illo deprecatrice, à quo & obſeſſa, & comprehenſa fuerat. Vixdum circumacto anno defuncta adoleſcentem necauit,cum iam Arcas Auguſtus recepiſſet, id parricidium matre Conſtantia Duce Britanna perſequente. Francus Anglo diem dixit:ad quam cum neq; adeſſet,neq; excuſaretur, infidelitatis ſcelerisq; damnatur,quòd immemor ſacramenti Francis dicti,filium maioris fratris,beneficiarium Francorum, in finibus qui iuris Francorum eſſent, neque legibus quæſtione habita, neque cognoſcentibus iis quorum hæ partes forent,patruus occidiſſet. Hoſtis igitur Francorum iudicatur:conſtitutumq;, eum videri excidiſſe iure vrbium finiumq; quos beneficii nomine à Francis accepiſſet: eaq; omnia in priſtinam cauſſam reſtituta:& ad ius ſolidum Regis reuertiſſe:in eorumq; poſſeſſionem,

si quis prohibeat,armis eundum. Pictones Britanníque iuuentutem suam armarunt,Francóque affuere,odio Iohannis incensi,& desiderio Arcturi. Butauentum,Gensselinum,Gorneium oppida capta. odiis hominum, armisq; Augusti Iohannes impar, fidem Innocentii Pontificis Maximi per oratores implorat, fœdus, inducias pactas, iusiurandum à Franco Rege violari dictitans. Extat epistola eius Pontificis ad patres Francos, in libros iuris Pontificii relata,caussam iurisiurandi non seruati ad cognitionem suam pertinere cõtendentis. Legati etiam Innocentii velut in rem præsentem cum venissent,vtriq; Regi denunciauere vt arma deponerent, pacémque templis darent, quæ pleraque belli malis partim euersa,partim ad inopiam redacta, suis sacerdotibus alendis non erant:vter dicta aspernaretur,eius Regno sacris interdici. Anglus lætus Imperio, se in authoritate sacrosanctæ potestatis fore affirmabat. Francus certam sibi victoriam de manibus eripi indignum ratus, Pontificem Maximum appellauit:interea se jus suum persecuturum.Falesiam,& Danfrõtem cepit. Galliardum obsessum sex cõtinuos menses:eoq; fames clausorum processit,vt cum à præsidio imbellis multitudo ex oppido eiecta à Frãcis nec reciperetur,nec cibo iuuaretur,mulier grauida in conspectu omnium enixa sit; fœtúsque statim absumptus. Hoc oppido dedito Cadomus imperata fecit. Gaii domum veteres vocitabant. Rotomagum duobus obsessum mensibus. Cum permissu Francorũ ciues mississent ad Anglum oratores,relato responso,præsenti ope iuuari non posse:quid agendum esset,consultabant:Optimates prædicabant se à prima origine Francos esse:quæ nunc Normania diceretur,Neustriam fuisse,nobilissimam opulentissimámque Franciæ partem. Ducatum illum esse beneficium Francorum Regum,summúmque dominatum penes eosdem esse:caussam belli diutius tolerandi nullam videri:multas conjunctionis necessitudinisq; veteris agnoscendæ. In authoritate principum fuit multitudo. Missi in castra oratores,ac benigne excepti auditíque sunt:liberaliter etiam responsum:concessum vt vrbs illa pristinis legibus ac institutis veteretur:nihil de eius cõmodis mutatum. Ita libẽtibus animis deditio facta:eiusq; exemplum reliquæ vrbes secutæ. Tota Normania in fidem rediit Francorum ducentesimo & septuagesimo anno quàm attributa Rholloni fuerat. Duodecim deinceps duces eius numerantur:ex iis sex iidem Anglorum Reges. Exin bellum Græcum ortum . Isacius Græcus Cæsar fratrem Alexin à Turcis captum magno redemerat: omnibusq; in rebus eius opera consilioq; vtebatur: maxima quæq; eius fidei credebat:tantũ nomen iusq; Imperii non cõsociarat: & ille simulatione leuandi grauioribus curis fratris de se optime meriti,munia publica priuataq; diligenter industrieq; obibat: in se ciuium ora vertebat:milites præcipue liberalitate comitateq; sibi conciliabat. Cæsar gaudere sibi ociũ cũ maiestate datũ: omne onus tantæ molis Imperii administrandi,fratris fideĩ incubuisse:se Augustũ illius virtute tutũ tectumq;:eum pietati suæ gratiã parẽ referre,è seruitute Barbarorũ à se in aulã restitutum,tranquillitatẽ quietemq; à rerum turbine tẽporumq; tumultu præbere. Hæc illi lætitia pernicie attulit: Alexis nec fraterno nec grato,sed impio nefarioq; animo egit:nõ cõtẽtus præsenti fortunæ fœlicitatisq; munere,quòd secũdus à fratre Augusto diceretur:

XLI. PHILIPPVS AVGVSTVS.

quod vnum explendæ cupiditati animi semper maiora cupientis deerat, titulum insigniaq; Augusta inuasit: fratremq; nihil minus expectantem comprehensum luminibus priuat, arctamq; in custodiam coniicit. Alexis Isacii filius admodum adolescens, antequam comprehendi à patruo posset, elapsus: ac ab aliquot suorum proceribus ad latinos ductus: in primis Philippum Cæsarem, quòd ei soror ipsius Irena nupsisset, adiit. Augusta fratrem extorrem pie benignéque excepit: orauítque virum Augustum, ne comprehendendorum à quibus minime deceret Augustorum exoriens exemplum licentiámque inultam sineret: patrem suum, quod miserum indignúmque esset, à fratre, cuius beneficio vitam, lucem, libertatem recuperasset, ac propè in cõsortionem rerum potiendarum receptus esset, sole, Imperio, mortalium colloquio congressuq; priuatum. adolescentulum in spem Imperii educatum, iniuria patrui extorrem, egentem vagari. Huius indignitatis partem in se, quæ filia Isacii, quæ soror adolescentuli sit, redundare: atq; adeo ad ipsum Philippum Augustum, qui gener Isacii Augusti sit, pertinere. Parricidam Alexin nunquam tantum tamq; nefarium scelus conscisturum fuisse, nisi ei vilis maiestas Philippi, ac parum sancta extitisset. Hæc ac talia mulier Græca iusto dolore incensa, & magna necessariáque precandi caussa apud virum indulgentissimum. Ipse suo bello certamineq; aduersus Othonem æmulum Imperii occupabatur. Apud Francum authoritate valebat, fœdere, societatéque armorum iunctus. Francia pace, viris, equis, nobilitate, opibus, nomine florebat. Iam Balduinus sacra induerat arma: tota Frãcia sacrum aurum cogebatur: eius rei caussa & ab Rege & Pontifice maximo vicesima omni generi ordiniq; hominum indicta. Proceres iuuentutis Francicæ certatim nomina dabãt Theobaldo Comiti Campano: quòd Campani gloria nobilitatis virtutisq; præstabant. Hoc bello Iohannis etiam ~~Comitis Brennæ~~ & Henrici Comitis Fani Pauli nomen illustre fuit. His se coniunxere duo Pontifices Suessionum & Tricassium. Tanta erat armatorum multitudo, tantaq; sui fiducia, vt antequam mouerent, constituerent cum ad hostem omnes peruenissent, tunc duas in partes copias diuidere, vt alteri in Syria subsisterẽt, alteri Damiatam tentarẽt: ne ex Aegypto mouere Sultanus posset, tutiusq;, ac minori contentione nostri sacrum Regnum recuperarent, firmaréntque. Per Pannonias Thraciamq; Byzantium petere, atque inde traiicere in Bithyniam consiliũ non erat: quòd Græci iam propè ex professo nostrorũ hostes erant. Præstare videbatur ex Italia soluere, & mari transuehi. Iam in Subalpinos peruenerant, cum Campanus decessit, ingenti omniũ luctu. Francus Rex per literas egit cum Bonifacio Ferratensi rerum Orientalium peritissimo, qui & in Græcia & in Syria res gessisset, quiq; nobilissimis totius orbis terrarum Regiis propinquitate iunctus esset, vt Ducem se huic militiæ præberet. Dicto paruit, præfuitq; tanta modestia, vt parẽtem eum omnes prædicarent. Consultari cœptum quibus portubus soluendum, & quæ, & vnde, ac qua ratione classis paranda. Tres erant in Italia præpotentes maritimis rebus vrbes, Pisæ, Genua, Venetiæ. Venetum nomẽ Orientalibus rebus capessendis gerendisq; opportunius videbatur. Vtrinque fœliciter eueniebat, quòd vt Franco classe opus erat, ita Veneto egregiis militibus: quòd Istri Liburniq; & Illyrici

& Illyrici piraticam factitantes,mare Adriaticum infestum reddebant: & Iadera à Veneto Imperio ad Hungarorum Regem defecerat: hostésque maris possessione pulsi,in cõtinentem bello traducto, terrestribus viribus reliquam spem tutaturi erant,terrestria bella maritimis,terrestribus maritima eludentes. Diuina occasio Venetis visa:& peropportune Francica auxilia oblata. Ingens auri pondus Franci pactiscebantur mercedem transuehendarum in Orientem classe copiarum. Dum res trahitur,maiorésque ex Gallia copiæ expectantur, Duces consumpto auro quod secum domo attulerãt,non modò spe ceciderant pactæ mercedis cum transmississent dissoluẽdæ, sed ad egestatem redacti, mutuari coacti sunt non paruam vim auri à Venetis. Virtute æs illud alienum luent. Istri,Liburni,Iadertini domiti leges accepere. Dum cõpositis illius oræ rebus in Syriam cursum dirigere parant,consilia in Græcos versa. Qui Byzantiorum Alexin adolescentulum comitati fuerant, diuersi omne nomen Latinum circumiuerant miserantes Isacii casum,qui nominis Latini amantissimus extitisset, & eorum Proceribus hospitio iunctus. Exilium filii deflebant,mores paternos, & instituta colendorum Francorum, Germanorum, Italorum edocti.opem Principum, Regum, Ducum implorarant, Pontificisq; maximi fidem aduersus nefarium virum. Francus Rex Philippi Cæsaris Germani studium magni ponderis existimabat, quòd ei fœdere ac omnium consiliorum consociatione iunctus erat: quem sciebat ardere cupiditate fratris vxoris domum reducẽdi:simul meminerat Græcos semper in nostros male pacato animo extitisse:virum sororis suæ Hagnes Augustum Imperio & vita deiectum: Francos indignis vexatos modis:posse Duce adolescentulo pœnas de Græcis vrbéque arce rerum Græcarum exigi: ne quis quanuis longo interuallo proculq; à Francia situs, speret impune se posse in Francos ferrum stringere, statuendum esse in nobilissima terrarũ vrbe,illustrissimum documentũ nominis Francici toto orbe terrarũ sancti existimandi:quod non violari posse,nisi cõtinuò noxiam suo supplicio insecuturò, genus humanum cognoscat. Et Veneti suo dolore mouebãtur,quòd aliquot antè annis Emmanuel Cæsar Græcus indigne ferens eos negasse se,cum id peteret,Gulielmo Siciliæ Regi Græcorum hosti bellum illaturos,quo cũ fœdus iciissent,Venetos mercatores vno eodémq; omnes die tota Græcia Græcorũmque prouinciis vno edicto comprehendendos curarat: missosq; ad expostulandum oratores contra ius gentium in custodiam tradiderat, in quibus Henricum Dandulum : nec dimisit nisi indignis habitos modis. Tunc forte idem Henricus Dandulus Dux classi præerat, publica ira priuatáque incensus, vltionem, quoniam ab Emmanuele non potuisset, à quo Augusto liceret, petiturus . Humanis stimulis religio addita . Innocentius Pontifex Maximus admonebat per oratores per literas Proceres nostros, pietatis caussa susceptum gestúmque sacrum ad eam diem bellum : sed prius Græcos ad officium reuocandos fuisse,vt cum Latinorum ecclesia iungerentur,ac Romanæ sedi dicto audientes essent:si res Græca cum Latinis initio sensisset, Turcas Saracenósque tolli facilè potuisse. Bellum Barbarorum hactenus tenuisse,nec finem habiturum Imperio Græcorum impiis finitimo à nostris dissentiente . Alexis adolescentulus ad Francos Proceres

ſacrum bellum profeſſos à Pontifice Maximo Philippoq; Auguſto & Frãco Rege miſſus, ad Iaderam inuenit eos ſedentes, ſed mox in Syriam claſſe tranſmiſſuros. Exceptus eſt vt Auguſti filius, & à ſummis & illuſtris maieſtatis viris enixe commendatus: nec ipſe ſibi deerat, & Græcus, & extorris, & egens, & ingenio & ætate blandus, & ab ſuis edoctus. In primis, quòd maxima viriũ pars ſpésque in Francis reponebatur; nomen Francorum ſuum æs alienum efficiebat: agnoſcebátque ſe Veneto appenſurum quicquid illi deberent: eiſdem ſatiſfacturum de iis iniuriis damnisq; quæ Conſtantinopolitano tumultu ſecũdum Emmanuelis mortem Græci illis intuliſſent. & quandò Veneti ſuas iuſtas querelas expoſtulationesq; habeant, ſe hanc quoque noxam pecunia luere paratum fore, vbi primum reſtitutus beneficio Francorum Venetorumq; in patriam fuerit. In primis eccleſiam Græcam Romanis Pontificibus dicto audientem futuram, fidem iureiurando ipſe, quiq; procerum Græcorum cum eo erant, dedere: ingentia omnia, quibus ſecus facta redimi poſſent, omniumq; iniuriarum memoria expiari. Omiſſis igitur Syriacarum rerum conſiliis, hoc bellum ſuſcepere. Placuit nulli prius vrbi vim inferre, quàm ad Alexin tyrannum, caputq; rerum Byzantium peruueniretur: tótque in oppida quæ præſidiis Græcis inſeſſa, & tormentis miſſilibúsque in noſtros inſtructa prætereunda erant, famam euulgarãt, nullum cum gente nobiliſſima ſe bellũ gerere, quondam ſocia amicáque: ſed iuſtum legitimumq; Cæſarem reſtituere in priſtinam maieſtatem velle: Singulas veteris Græciæ ciuitates præmia tyrannicidis, ac diuinos propè honores decreuiſſe: Quanto maiori ſtudio excipiendos eſſe, qui vniuerſis libertatem decúsque reddant? Ex Ionio in Aegæum mare circumacta claſſis. In Helleſpontũ perrectum, nullis anguſtiis curſum remorantibus. Propontis etiam liberius patuit: nec fauces Thracii Boſporĩ, ac propè concurrens exiguo dirimente freto cum Europa Aſia, alacritatem noſtrorum remorata. Excipit modicus ſinus ab Oriente in Occidentẽ ſeſe pandens. Huius initio in Promontorio quod opima ſignificatione Chryſoceras appellatur, à meridie Byzantium occurrit: ab Septentrione Pera oppidum è regione oppoſitum eſt, breui tranſitu, vnde illi græce vulgo nomẽ inditum. Et turris opportuno loco aſſurgebat: catenáque prætendebatur ad arcendos libero ingreſſu hoſtes. Ibi noſtri hærentes expectabant, ſi forte ad conſpectum claſſis ſignorumq; Francicorũ, ac famam redeuntis domum adoleſcẽtuli, motus aliquis in vrbe fieret. Metu tyranni coërciti tenebantur. Auxere animos noſtrorum legati Cretum, qui dũabus aduecti triremibus deditionem ciuitatum ſuarum fecere adoleſcentulo Græco. Is continuò Ferratenſem ea inſula donauit: propinquum quidem, ſed & munificentiæ illuſtri exemplo cæteros Duces incitans: vt ſuæ quiſque virtuti meritisq; ampliſſima præmia propoſita cognoſcerent. Tandem vehementi vento à puppi coorto, noſtri nauium maximam, cuius ſummæ celeritati mobilitatiq; Aquilæ nomen impoſuerant, immittunt. ea impetu illata viam toti deinceps claſſi fecit. Reſtabat terreſtre certamen. Stabat in littore Theodorus Lascaris, tyranni gener, cum iuuẽtute domeſtica, vt naues Latinas appulſu arceret, aut deſcenſionem tentantes, impeditosq;, antequam in ordines irent, firmiterq; conſiſterent, liber expeditusq; ac cõpoſitus

 adoriretur.

adoriretur.Sed & eo impetu naues ſe inuexere,ac tanto animi ardore Franci deſiluere,ſignáque in hoſtem tanta celeritate tulere,vt vno propè eodémque tempore ſimul & deſcendere,& ſic in ſicco cõſiſtere,conglobaríque,ac aciẽ ſtruere dirigeréque viderentur.Prælium diutius tenuit, quòd peditatus tantũ Francicus pugnam capeſſebat:nec equi tam facilè pontibus exponi poterãt. Græci egregium equitatum habebant. viginti millia peditũ noſtrorum erãt: equitum octo millia:naues ducentæ quinquaginta: earum triremes ſexaginta:onerariæ ſeptuaginta: hippagines cẽtum viginti . Dum Byzantiorum animos oculóſque Franci ac terreſtre prælium in ſe vertunt: Veneti circumacta claſſe interiorem hoſtium portum aggreſſi , obicibus ibi quoque perruptis, viginti triremes Græcas inanes occupauere , deſertas fuga nautarum propugnatorúmque,qui magna fiducia artéque eas inſtruxerant, ornarántque : ſed territi virtute claſſis Venetæ omnia perfringentis,antequam circumuenirentur,ſibi trepide conſuluere.Sexaginta millia ex Græca iuuentute armatorum difficilioré fecere Francis pugnam.Exitus tandem is fuit, vt fuſus fugatúſque ſit magna cæde Græcus.Numerus cæſorum initus non fuit: ſed ingentẽ fuiſſe neceſſe eſt:quòd nocte quæ diem prælii eius inſecuta eſt,Alexis ſenex magnam vim auri clàm apud alteram filiarum Irenen ſacrarum virginum maximam loco ſacro defodit : ſilentióque noctis , quò ciues hoſtémque falleret,cum pauciſſimis,vt aduerſa re aſſolet , amicorum,Theodoróque genero vrbe exceſſit. Prima luce vulgata tyranni fuga, Conſtantinopolitani Iſacium e cuſtodia eductum adorant:ei vitam victoriámque acclamant: portas patefaciunt:noſtros Græcæ maieſtatis vindices ſeruatoréſque ſalutãt.Alexin adoleſcentulum ſibi adorandũ exhiberi daríque à Francis ſuppliciter expoſcunt. Ita cæde direptionéque opulentiſſimæ vrbis temperatum . Liberatus Iſacius: filius reſtitutus:nouúmque Francis ſociíſque decus partum. Senex Auguſtus quãtas maximas potuit gratias egit noſtris,quòd eorum fide virtutéque vniuerſa Græcia tyrannidis iugo exempta eſſet:Sibi,cum lux non poſſet, vitá,libertas,patria,Imperium,filius reſtitutus eſſet,ac ipſe filio.quòd arma in Maumethem ſumpta pro ſe geſſiſſent , cauſſamque ſuam,cauſſam religionis eſſe voluiſſent:nullam gratiam referri , nulla præmia excogitari , nullos honores haberi tantis in ſe ſuóſque meritis pares poſſe. Tam pii filii pacta ſibi rata ſanctâque eſſe:quicquid ille noſtris domeſticæ maieſtatis gratia recuperãdæ ſpopondiſſet,id pactum receptúmque velle:ac ſi quid addi poſſet, omnia ſe cumulatius præſtaturum , Cæſar memor gratúſque in primis agitabat conſilià, quanam ratione perſolui fides poſſet:vt que ciues libentius dicto parerẽt,pecuniámque conferrent,quæ fœdere filii debebatur,Franci in caſtra ante vrbẽ locata,Veneti ad naues ſe recepere.Collatio ingentis pecuniæ grauis ingratáque Græcis erat,ſolitis exigere,non pendẽre . Iſacius creditur ex arcta tetraq; cuſtodia perpetuáque mortis expectatione in Solium reuocatus,repentinam vitæ mutationem non tuliſſe:hac an occultiore cauſſa deceſſit: nec diu patri ſuperſtes erit filius . Fremebant ciues indignum facinus eſſe,Græcorum Imperium oppigneratum , ac potius addictum eſſe à puero auaræ ſuperbæque genti.Græciam auro ſpoliari.Iam Cretam tantã inſulam in medio mari ſitam

Latinis dono datam. Constantinopolin Græcámq; ecclesiam à pontifice Romano sacra iura petere iussam, subesse seruiréque veteri vrbi Romæ, vnde semel fœlicibus auspiciis emigratum sit, insigniáq; ac ius imperii à magno Cõstantino translata. Hæc pro se quisque: hæc in circulis: hæc plebs, optimates, principes conquerebantur. Tumultus exoritur: ad arma discurritur: ad ædes Regias multitudinis consternatæ impetus fit, manibus minime temperaturæ: pestem adolescenti Cæsari minitabantur. Subitus ei casus necessitásque in re trepida consilium attulisse visa: Se è superiore ædium parte ostendit: testatur se in suorum ciuium potestate fore: nihil nisi illis authoribus acturũ: eos ætatis pectoríq; sui moderatores futuros. Conticuit in præsentia tumultus: mox æstuare Cæsar cœpit, ac anceps ferri. vtrisque satisfacere non poterat: alteris fides seruanda: alteri offendendi: medium tertiúmque consilium nullum. Fidem quam Latinis dederat, sanctiorem ac potiorem duxit. Misit ad Ferratensem, vt proxima nocte de tertia vigilia copias in vrbem inducat. Portam quæ Regiis ædibus proxima sit, per fidos sibi homines illi reseratum iri. Id clàm non fuit. Sensit consilium Alexis cognomine Myrtilus, quem Murtzuphlum alii appellant, Cæsareæ stirpis vir, & imperii cupidus. Nocte iam imminente, par priori tumultus exoritur, submissis dispositísque à Myrtilo, qui eum motum concirent: mox ipse in vulgus prodit, concionémque habuit miseratus publicam Græcorum fortunam, qui regerentur arbitrio infirmæ ætatis: quæ quò Latinorum cupiditas ferret, præceps ageretur. oportere Regiam vrbem, quandoquidem à quibus minime deceret proderetur, venúmque daretur, ac pessum iret, ipsam sibi consulere. Viro patriæ suorúmque amantissimo opus esse, antequam quicquid Græci nominis reliquum esset, occideret. Tunc diuersis clamoribus sublatis, alii eum Ducem reipublicæ constituendæ, alii rei militaris magistrum, alii Cæsarem salutabant. Hæc acclamatio superauit: in eámque sententiam itum tandem vndique est. Ita Cæsar salutatus, consilium cepit classis Venetæ improuisõ absumendæ, vt spem commeatus salutisque Francis demeret. Sedecim suarum naues plenas teda, sulphure, stupa, picéque & omni genere rerum quibus flamma alitur excitatúrque, vento forte ad id ferente, repente subiecto igne immisit. Veneti altum celerrime petiuere: & turpe fuisset tot maritimis præliis exercitos non præparasse animos, instruxissèque iis artibus classem quibus incendia possent arceri. Græcorum igitur conatus vanus cecidit: & quia initia parum fœliciter euenirent, subsecuti sunt à Myrtilo legati, qui eum dicerent huius fraudis participem non esse: culpam omnem penes imperitam multitudinem: se amicitiam societatémque petere: Latinósque pecunia, commeatu, copiis adiuturum bello in Saracenos Turcásque gerendo. Reiecti sunt à Francis ad Venetos. Dandulus respondit, tunc crediturum se vana non afferri, cum Alexis Isacii filius, quem nostri restituissent, fidem daret, ac pro multitudine in quam crimen intenderent, deprecaretur. Id magis incitauit Myrtilum ad tollendum adolescentulum, ne vulgus impetrãdæ pacis spe illum è periculo eximeret, rursúsque adoraret. iam enim efferebantur voces, rem duriorem quàm fuisset, factam: remediáque malorum qualiacunque quærenda. Ei igitur manu sua in latebris, quò se receperat, spiritum

ritum oppreſſis faucibus intercluſit: famámque emiſit, eum ſibi mortem laqueo conſciuiſſe. Veneti fruſtra dolo petiti fuerant. Francos ſimul religione armíſque aggredi placuit. Robur totius vrbis, & proceres iuuentutis armat, orationéque acuit: tutarentur patriam, vniuerſam Græciam, monumenta parentum, maiorum gloriam, decus præſens, futurorum ſpem: habentes in conſpectu mœnia, intra quæ geniti natíque in expectationem maximarum rerũ fuiſſent: templa: vxores: liberos: horum omnium miſererentur, ne reciderent in tam fœdam ſeruitutem, vt millies mori præſtaret. Ita incẽſis militibus, Virginis ſignum præferre ſacerdotes inſignibus ſuis velatos iuſſit: ſubſequi armatas copias, & in hoſtes ruere. Impetus eos tulit in ſtationes quæ pro caſtris erant, qua parte Balduinus tetenderat. Fuit initio certamen anceps. deinde cũ omni parte caſtrorum conclamatum ad arma eſſet, ac vndique concurſus in hoſtem factus, Græci fuſi, fugati, in vrbem compulſi: Virgo in poteſtatem venit. Signo quaſi fatali imperii capto, ac velut euocata diua Regiæ vrbis præſide, mœnibus ſe Myrtilus continuit. Noſtrorum animis noua ira accenſis, arctiore ac ſanctiore fœdere Veneti Francíque iunguntur, vt communi animo conſilióque bellum gereretur: cum debellatum eſſet, quæ in poteſtatem veniſſent, vt inter fortes fidóſque ſocios diuiderẽtur. Duodeſeptuaginta dies vrbs acriter oppugnata eſt. Non interdiu, non noctu quies dabatur: alii aliis in orbem ſuccedebant. Franci à terra, Veneti à mari premunt: hi binas naues, in quibus turres propugnaculis vrbis excelſiores excitarant, iungebant, demptis interioribus remorum ordinibus: vt ſuperſtantes perſpectæ virtutis milites tela ignéſque in muros propugnaculáque hoſtium coniicerent. Dandulus miram virtutem præſtitit: igne miſſili tecta vrbis aliquot incendit: eáque parte inſanam trepidationem iniecit. In turrim quoque propinquam, iam propugnatoribus obrutis telorum vi, euaſurus videbatur, cum Myrtilus ſubſidio accurrit: rurſuſque ancipiti marte ibi dimicabatur. Francus à terra rem fortiſſime geſſit: prius cum foſſis, cum aggeribus, cum ſubſtructionibus, quàm cum muris pugnandum ei fuit: omnia aſpera ei obiecta: ingens labor deſudandus. Ea pars, quòd ad ædes Regias, ac ædem almæ Sophiæ ſpectat, & aditus à continenti ſuſpectior, ac hoſtibus opportunior, magíſque expoſitus videbatur, maximis munitionibus ſepta erat. ferrum, vires, audacia, animi obſtinatio perrupit, perfregit omnia, euaſit. Iam turrim occuparat Francus, quæ Angeli dicebatur, quòd ibi nuncii cæleſtis ſignum ſitum erat. ferunt Myrtilo datam dictionem, Byzantium non poſſe niſi per angelum capi. Vbi igitur accepit Angeli turri potitos Francos, de ſe actum ratus: cum nox immineret, Francis in vnam portam verſis, per auerſiſſimam elapſus eſt: ac vtrique hoſti via data. Eueſtigio ſacerdotes omnes cum ſacris Crucibus, ſacríſque amictibus ſupplices victoribus occurrêre: ad militúmque & maxime Ducum pedes procubuere, obſecrantes vt meminiſſent rerum humanarum: victoriam, gloriam, imperium, nominis immortalitatẽ peterẽt, haberent: cæde, incendiis, direptione temperarent: homines, hominibus, viri fortes nequaquam paribus, ſed viris tamen parcerent. ſtantem, integrámque quàm euerſam inanémque vrbem mallent. Eam fuiſſe Græcorum Regiam: nunc eſſe Latino-

rum:Ei iam non alienæ,ſed ſuæ conſulturos illos. Authores amentiæ Alexin ſenem Myrtilúmque furoris pœnas fuga exilióque dare: innoxiæ infœlicíſque multitudinis alia ſuper aliam parricidarum tyrannide oppreſſæ miſericordia eos caperet:id ſe per paſſum dominum deúmque,per mactatum, per ſepultum,per reſurgentem:per eundem virorum fortiſſimorum victoria clementiſſime vtentium manſuetudini opima multipliciáque præmia,& cumulatiſſimam gratiam relaturum orare,obſecrare,obteſtari,ignoſcerent, parcerent,veniam darent:mitiſſimorum dominorum,patronorum,parentum animos induerent,gererent:ex lacrymis cognoſcerent animorum habitum.Hæc Regia:hæc auguſtiſſima templa:hæ ſanctorum reliquiæ vobis ſupplicant:pedibus veſtris aduoluuntur. Duces voce præconis pronunciauerunt, captis opportunis vrbis locis placere continuò templa peti:deóque optimo maximo gratias agi velut victoria de tanta vrbe diuinitus data. Hoc temporis ſpacium, & nox opprimens miſeris plus quàm miſericordia precéſque profuere.Anno ſalutis milleſimo ducenteſimoquarto pridie Idus Aprilis Byzantiũ receptum.Duces de ſumma rerum conſultabant.Victoria nobiliſſima parta, non euertenda vrbs nobiliſſima viſa,quæ fœliciſſimo loco opportuniſſimóque coërcere Barbaras gentes poſſet. Imperio potius legibúſque noſtris firmanda, ac aſſuefacienda Romanum pontificem agnoſcere parentem generis humani.Erant qui ſuaderent vnum oportere eſſe nominis Chriſtiani Imperium,vt vnum pontificatum maximum.Id ius temporáque poſtulare. Iſacii iuſti legitimíque Græcorum Auguſti filiam Irenen Auguſtam Latinorũ eſſe:ad quam leges paternam hæreditatem,ſummámque rei Græcæ deferrẽt, quòd vna reliqua illius ſoboles foret.Philippum Auguſtum virum eius fuiſſe huius belli authorem:eundem Francici nominis amantiſſimum:nec â Venetis alienum.Maiori Ducum parti viſa eſt res Græca præſenti Auguſtæ maieſtatis moderatore indigere:qui ex propinquo ferre opem Latinis ſacro bello poſſet.Hæc vicit ſententia. Quin ex Syriacis etiam patribus, qui in caſtra Latinorum frequentes peruenerant,vt eos ad ſacrum Regnũ repetendum incitarent, duo Pontifices Betlemita Ptolemaitáque in ſanctius conſilium deſignandi Cæſaris admiſſi ſunt:his ac duobus Francis Põtificibus Sueſſionum & Tricaſſium additus Abba Lucedii. Ducum nobiliſſimi fuere Balduinus Flandriæ idem & Annoniæ,Ludouicus Bleſenſium,Vido Fani Pauli,Iohannes Brennæ Comites: Bonifacius Ferratenſium Marchio, è Venetorum nobilitate quinque,numerum quindecim virorum expleuere. Hi re diuina facta,afflationéque almi ſpiritus implorata,conſedere. Conſenſu Imperium ad Balduinum delatum eſt. Auunculus erat Ludouici Auguſto Regi patri in Regnum Francorum ſucceſſuri: opulentiſſimus: & bello egregius:hócque ipſo Græco bello præclara ediderat facinora. Ferratenſis accepta ingenti vi auri Venetis Creta ceſſit,Theſſaliáque donatus eſt,ac Rex Theſſalorum ſalutatus:cum tanto antè Emmanuel Auguſtus Regnum Theſſaliæ familiæ Ferratenſiũ deſtinaſſet.Venetis præterea datæ maris Aegæi inſulæ.Gotthofredus è Tricaſſium nobilitate,impiger, ac ſummæ virtutis vir, Dux Athenarum, idem & Achaiæ princeps declaratus. Et hi,& ſi qui alii donabantur vrbium

regionûmve ditione, iuſſi ſunt quartam partem publicorum vectigalium fiſco Balduini Cæſaris inferre, ac ei ſe deuincire ſanctiſſima religione, Panagióque iureiurando: quo Græco vocabulo etiã vulgo poſtea Franci vſi ſunt. Byzantiis datus Patriarcha ex Veneta nobilitate Thomas Maurocenus, Balduinum Cæſarem inſignibus Auguſtalibus exornauit. Ita eccleſia Græca in vnum cũ Latina coiit, Pontificíſque Romani dicto parere cœpit. Qui Græcorum nulla ratione ferre Latinorum Imperium poterant, Adrianopolin ſe conferebant. Ea vrbs Thraciæ trium dierum itinere Byzantio abeſt: opportuna Barbarorum auxiliis intrò recipiendis. Ad eam obſidendam Balduinus vixdum circumacto Imperii ſui anno profectus, Barbarorum Græcorúmque exulum inſidiis exceptus, ac à noſtris pro mortuo deploratus eſt. Eius frater Henricus continuò Græcorum Auguſtus ſalutatur. Iohannes vero Brennus accitu Syriacorum Latinorum in orietem profectus eſt. Almericus Rex Cypri animo minime Regio videbatur: iure tamen vxoris ſe Regem etiã Hieroſolymorum dictitabat. Brenno, vbi primum Ptolemaida attigit, collocata eſt Almerici Cyprii Regis priuigna, filia Conradi Ferratenſis, eadem Almerici Hieroſolymitani Regis ex Eliſa filia neptis. Hæc Regum Hieroſolymitanorum ſoboles Regina ſalutata nuptiis ſuis toróque effecit vt Brennus maritus Rex ſalutaretur. Nec Saraceni cõquieuere. Africanæ Barbariæ Rex nouum exercitum in Hiſpaniam tranſportauit. Franci & religionis cauſſa, & metu propinqui belli delectum habebant, vt Hiſpanis opem ferrent: illi, vt ſui belli ſuum etiam decus facerent, occupauere manus cum hoſte conſerere. Ingentem cladem accepere: longe latéque ferro ignique ſæuiit Barbarorum furor, quoad ex Francia, ex Germania, ex Italia auxilia aduenere. Tunc hoſtes acie victi ſunt, non ita tamen afflictis rebus, vt pelli finibus potuerint: in Betica conſedere: quam ad memoriam vſque noſtram eorum progenies incoluit. Per idem tempus ordines duo ſacri exorti ſunt, Prædicatorum, Minorúmque: duóque abrogati: Humilium, ita ſe vocitabant: & Pauperum à Lugduno, conditore huius ſuperſtitionis Valdone Lugdunenſi. Illi humilitatis nomine munia quibus curatores animorum ſacerdotes iure funguntur, ſibi arrogabant: confeſſiones arcanas audiebant: ac velut ipſi expiandi ius haberent, noxa ſoluebant: à liberalibus artibus cum abhorrerent, concionabantur tamen: regimen animorum ſibi vendicabant. Pauperes à Lugduno (ita enim vocitabantur) neque fundos ſui iuris, neque certas ſedes habere volebant: errabant: mulieres idem profeſſas ſecum circunducebant: nec ſecubare dicebantur. Lucius Pontifex Maximus vtranque ſectam damnauerat: Tolli tamen non poterant. Recepti Prædicatores fratres, qui literis ſe excolerent, concionibus edocerent, ius alienum minime vſurparent. Dominicus author extitit, & doctus, & ſanctus vir, & acerrimus hæreſum inſectator. Minores fratres conditore ordinis diuo Franciſco paupertatem profeſſi ſunt. Pauperes Minores vocitari cœptos Auſpergenſis temporum cõditor author eſt: poſtea ſanctius viſum omnino Minores dici. Hi ſaniores ordines viſi: illi priores hoc remedio ſublati. Dominici in tollenda Albiorum hæreſi virtus enituit. Sederat ea peſtis in Comitatu Toloſatium, cui Albii contribuebantur: & ſi-

nitimas polluerant ciuitates: & Humilium & Pauperum Lugdunenſium ſectæ affingebant & ipſi præcipuam impietatem. Pontifices noſtros Epiſcopos ſceleratorum, Eccleſiam noſtram cœtum infernorum vocitabant: matrimonia damnabant: promiſcuos concubitus, eóſque nefarios, ſanctos ducebant. Hi hoſtes piorum iudicati. Innocentius Pontifex belli aduerſus eos ſacri ſuſcipiendi author fuit: legatóſque circummiſit ad excitandos in nefariam ſectam animos. Ad eos ſanandos, ſi reſipiſcere poſſent, miſſus diuus Dominicus. Neque vitæ, neque orationis ſanctitate permoti ſunt. Armis etiam pertinacia ſe tutabatur: necdum indoles illa Gotthica ferociáque vtique exoleuerat. Sacræ militiæ inſignia, Crúxque in eos ſuſcepta, & in militum ſtipendium pecuniam pro pietate quiſque animi cõferebat: illíque bello Dux Simo Comes à Mõteforti, conſenſu legatorum Romanorũ, procerúmque qui ex Italia Galliáque ac Germania religionis cauſſa ceperant arma, datus eſt. Is Biteras primùm copias duxit: præmiſitque authoribus Legatis Romanis in vrbẽ, qui ederent nomina ~~eorum qui impietatis~~ conuicti erant: vti cæteri vel eos vrbe exigerent, vel ipſi exirent. ~~Neutrum præſtiterunt.~~ Vrbs capta: cædes promiſcue facta. Carcaſſo recepta: oppidani cum ſingulis veſtimentis abire iuſſi. In caſtro Mineruæ expugnãdo ingens labor inſumptus: vbi ſunt inuẽti quinquaginta qui igni cremari viui, quàm pie ſentire, maluere. Anno eius ſeculi decimo Albii, antequam vis fieret, Simoni portas aperuere. Nihil hoſtile tũc paſſi, poſtea defecere: nec id impune tulere: capite authores noxæ luere. Vaurum & ipſum vi captum: ibi quoque impii igni traditi, cum in amentia perſtarent. Præfectus præſidii Almericus magnæ nobilitatis vir reſti ſuſpenſus: octoginta præterea minoris nobilitatis ſecuri percuſſi. Ne mulieribus quidem temperatum. Girarda eius oppidi princeps fœmina in patentem puteum cõiecta, & ſaxis inſuper obruta. Fœde in hos ſæuitum: quòd & ipſi paulo antè quoſdam noſtrorum paruo comitatu in caſtra ad Simonem iter faciẽtes circumuentos occiderant. Careum expugnatum: de ſexaginta impiis ſuppliciũ ſumptum. Exin Apiſtagnum, Galliacum, Cauſatum, Fanum Marcelli, Fanum Antonii recepta. Cadurci aduenienti Simoni deditionem authore Pontifice ciuitatis fecere. Non eos tantum qui capti furore hæreſis erant, ſed omnem Comitatum Simo occupare conabatur, ſpe credo id virtutis præmium fore. Moſacum noſtros diu tenuit. Captum tandem, cædéſque amentium edita. Anno eius ſeculi tertiodecimo in ſummũ diſcrimen res adducta. Franci alio bello occupabantur, nec eis vacabat Toloſates perſequi. Illi vero animos ſuſtulerant. Alphonſus Rex Tarraconenſium iuuentutem domeſticam armarat, vt Raimundo Comiti Toloſatium opem ferret, ſocio amicóque, ac propinquo. cis Pyrenæum duxit. iam ad Mirellum ſuper Garumnam peruenerat: protinus Fluſſatium Cõuenarúmque Comites cum ſuorum quiſque nobilitate affuere: quòd & conſanguinei, & beneficiarii Toloſatis forent: & Toloſates omnem ciuitatis pubem ſub ſignis habuere. Circiter cẽtum millia armatorum in acie aduerſus Simonem ne decima quidem parte hoſti parem conſtitiſſe ferunt. & Dux & milites confeſſione prius ac ſacra communione operati, ſe cœleſti ope muniuere. Pontifices Toloſatium, Agatenſium, Lodo-

 uenſium,

uensium,Conuenarum,quos populares ſedibus exegerant, in noſtrorum exercitu erant cum Dominico ſancto viro. Hi non arma gerebant: non ſtringebant enſes. Dum committitur,dum trahitur prælium,deum opt. max. precãtur,pro cauſſa ſua ſtet: Ducem ſe ſuis militibus præſtet: Crucem quam pro militiæ inſigni accepiſſent,inuictã velit: Qui hoſtes viribus,ope omni humana ſuperiores ſint,eos ne ſineret etiam de his triumphare, qui omnem ſpem ſuam in numine collocaſſent. Moueretur cauſſa, precibus, obſecrationibus, votis. Valuerunt lacrymæ: vicit religio: fuſa fugata multitudo à paucitate: furor à religione. Comites effugere, Rex Tarraconenſium cecidit. Toloſates maxime cladem ſenſere, nulla propè domo cladis experte. Gladio multi, flumine plures, dum omnia minus quàm hoſtem timent, dum per medios gurgites euadere conantur, abſumpti. Plus viginti millia deſiderata: cæteri armis exuti. E nobilitate noſtra vnus omnino interiit, cum paucis admodum, atque his neque ſanguine neque virtute inclytis. Vtque præclare vicerat Simo, ita nõ ſegniter victoria vſus, bellum circumtulit: oppida circumiecta cepit. præcipue in Agenenſium & Rutenorum finibus non parua nec pauca in ditionẽ redegit: non quòd omnia illa impie ſentirent, ſed ne iuuare impios poſſent. & Simo magnam ſpem animo conceperat: paruas opes pro virtute ſua nobilitatéque generis habere ſe arbitratus: & filios habebat fortiſſimos florentéſque iuuenes, Almericum, Simonémque. In Germania anno qui receptum Byzantium inſecutus eſt, Philippus Auguſtus Francorum amantiſſimus ab Ancherauio Comite Palatino occiſus eſt, ad eum velut ſalutandi cauſſa intromiſſo. Othóque Anglorum ſtudioſiſſimus, ſorore Iohannis Regis (vt edocuimus) genitus, ab Innocentio Pontifice Maximo coronatus eſt anno eius ſeculi nono: vir maiori animo, cupiditatéque, quàm conſilio, religionéve. Radicofanum Faliſcóſque per ſe, per Prætores ſuos omnem propè Flaminiam de Pontifice occupauit: ipſe in Apuliam tranſiit, vt eam à Siculi Regis ditione ad ſe auerteret. totius Italiæ Imperium appetere præ ſe ferebat. Ingentem exercitum ex Anglia ſuppeditato ſumptu alebat: nec diſſimulabat ſe compoſitis ex ſententia rebus Italicis in Francos ducturum, vt eius auunculus Normaniam per tot ſecula à maioribus poſſeſſam recuperaret, antequam Francorum in ea Imperium inueteraſceret. Non fefellere minæ Regem Frãcum: eiúſque authoritate ac fiducia Pontifex Maximus adductus Othonem ſanctæ eccleſiæ hoſtem iudicauit, eíque ius Imperii abrogauit: & Germani proceres Fœdericum Siciliæ Regem, Rege Franco ſuadente, ac vt id fieret, per Oratores omníque ope contendente, Auguſtum delegerunt, viceſimum ætatis annum agentem, familia Cæſarea procreatum, & iam bello laceſſitum ab Othone Siciliæ quoque Regnum ſibi vendicare conante. Bellum in Germaniam tranſit. Siculus illuc profectus Aquiſgrani coronatur. Exin in Mediomatricibus cum Ludouico filio Frãci collocutus eſt, fœdúſque renouatum, quod Franci cum iuſtis Imperatoribus icere ſeruaréque ſoliti erant: nec ab armis quies erat. Conſtantia Dux Britanna mortuo priore viro Gotthofredo nupſerat Vidoni Vicecomitis Toarſenſis minori filio: ex eóque duas filias procrearat, Adelam, & Margaritã. Vido mortuo priuigno Arcturo vxo-

ris opes, filiáſque communes, ac rem Britannicam egregie tutatus eſt. Qui Anglorum rebus fauent, Britanniam beneficium Normanorum primùm Ducum, deinde Anglorum fuiſſe Regum prædicant: cæteri nihil tale tradunt. Britanni pernegant. Recepta Normania Francus Rex aliò bellum Anglicum transfert. Lochias ab Anglo & dirutas & reſtitutas expugnat: nec eius vim Chino ferre potuit. Contrà Iohannes cum ex Anglia Rupellam tranſmiſiſſet, Andegauum recipit, ac per iram muris nudat: nec multo pòſt memor maiorum ſuorum nataliúmque reſtituit, iam fretus & ſuis viribus, & reconciliata gratia ſocietatéque cum Vicecomite Toarſenſi, Sauaróque Malleonenſi, & Almerico Luſiniano, proceribus magnæ virtutis, magnarúmque opum. Sed iis, dum prædam ex hoſtico abigunt, inſidiis Francorum exceptis, ſpiritus Anglus rurſus demiſit, fractus animo etiam ea re, quòd ſpes Britanniæ ſibi aſſociandæ repente illum fruſtrata eſt. Nonnulli enim Britannorum præſenti rerum ſtatu parum læti, promontorium quò ſe recipere Anglorum præſidia mari tranſmiſſa conſueuerant, occupant, ibíque arcem muniunt. Comes Fani Pauli miſſus ab Rege Franco, reiectis Anglis qui locum recuperare contendebant, ipſe receptus arcem eam tenuit. In hanc expeditionem iuſſi duo Pontifices Altiſſiodorenſium & Aurelianenſium militem ex formula dare, negauere ſe eo munere fungi oportere, niſi ipſo vtique Rege ad bellum eunte: alioqui vacationem ſacroſanctam ſe habere. Iniecto metu, ne oppidis beneficiariis ob eam rem ab Rege exuerentur, dicto paruere. Non eadem obſeruantia fuit Pontificum Anglorum erga Regem ſuum, neque Regis illius in Pontifices eadem reconciliationis facilitas, indulgentiáque. Ad extremas anguſtias, tot bellis, tot irritis conatibus redactus erat rei pecuniariæ. Sextum iam annum ſacrorum beneficiorum, & Epiſcoporum, & patrum monachorum vectigalia ipſe ſibi per coactores ſuos exigebat, iíſque militem alebat. Nobiliſſimos ac ſanctiſſimos quoſque ſacerdotes, Pontifices, Patres exegit, per cauſſam, quòd cum ſacra Cantuarenſium ſede vacante, Stephanum opinione hominum ſanctum, electum à ſuis, à Pontifice Maximo ſacratum non reciperet, Angliæ ſacris interdictum foret. Extorres ſedibus ſuis Angli patres inopéſque ad Francum ſe contulere. Auguſtus conuentum in Sueſſionibus habet. Proceres in eam ſententiam ibant, vt Anglia claſſe peteretur, quandò Angli in continentem Galliam quotidiano traiectu venirent. Piam accedere cauſſam, Patrum è ſedibus ſuis deturbatorum domum reſtituendorum. Omnes ſe ituros ingenti aſſenſu profitebãtur, præter Ferdinandum Flandriæ Comitem. Is prius in Francia ſuum cuique reſtituendum, iuſtitiâmque colẽdam, quàm peregre leges pietatis dandas dictitabat. Flandriæ Comitibus iniuria vique citeriorem Flandriã ademptam. Hæc expoſtulatio Ferdinandi iactabatur: & Reginaldus Bononiæ Comes cum hoſtibus ſentiebat. is filiam quam ex Gulielmi & Bononiæ & Moritonii Comitis filia procrearat, deſponderat Philippo Auguſti filio ex Morauia Maria prognato. Sed certior fiebat Rex commeare nuncios inter Anglos Moritonienſéſque. id inficiabatur Reginaldus. iubenti Regi vt ſi ſe ſuſpicionibus purgatum vellet, præſidium Francorum in oppidum reciperet, ſe ſuo

milite defenſurum ſuas res reſpondit. Auguſtus Moritonium expugnauit: Bononiam ciuium voluntate recepit. Hoc dolore ille ad hoſtes tranſiit, & Flandricum bellum Anglico anteuertit. Claſſis Regia Bononiam conuenit: inde in Ferdinandum & nauigatum, & terreſtris exercitus ductus. Caſleto & Hypris receptis, claſſis Dammum tenuit: Brugæ in fidem rediere, Dum Rex terreſtribus copiis Gandauum obſidet, Reginaldus ex Anglia, quò ſe contulerat, & Gulielmus Comes Saleberienſis frater Angli Regis, ſed ex concubina procreatus, Francorum naues ad Dammum de improuiſo adorti, quicquid earum extra portum erat, partim cepere, partim depreſſere: quæ vero in portu ſtabant, parum ſibi fidentibus nauarchis, ab iis vltro incenſæ ſunt, ne hoſtes potirentur. Tunc maritimæ copiæ cum Rege iunctæ terrorem circuntulere. Gandauum, Brugæ, & quæ circunſtant oppida, obſides dedere. Veluti ea confecta prouincia, Rex domum rediit: obteſtantibúſque Flandris vt ſibi obſides redderentur, ingenti vi auri accepta reddidit. Vbi dimiſſum Regium exercitum accepere: Ferdinandum ex Annonia, quò conceſſerat, redeuntem cum nouis copiis recepere. Is & amiſſum Imperium recuperat, & Tornacum de Francis captum ſuæ ditionis facit. Vere appetente Auguſtus in Flandrum redit. Inſulam nobile oppidum diruit: Caſletum muris exuit: in Aduaticis præſidium imponit. Sed iam bello omnia ardebant: Iohannes Rex in Aquitaniam tranſmiſit: gratiámque cum Marchienſi Comite reconciliauit longe principe Aquitanicæ nobilitatis. Andegauum nouis munitionibus firmauit. Pictones obliterata priſtinæ ſimultatis memoria, ei affuere. Britannos res nouas ſpectantes Vidò Dux in fide officióque erga Francos continuit: aduenientémque Anglum à mœnibus Nanetum repulit: mortuáque vxore Conſtantia, filiam Adelam ex ea prognatam conſenſu gentis vniuerſæ deſpondit Petro Roberti Druydum Comitis minori filio, Regiæ Francorum ſoboli: qui adoleſcens à patre Lutetiam ſacrarum literarum cauſſa miſſus fuerat, eo conſilio, vt etiam ſacris initiaretur: quandò maior in opes paternas ſucceſſurus erat, ac rebus gerendis deſtinabatur. Nunc oblato ſplendidiſſimo ditiſſimóque connubio, ſtudia literarum omiſit, ſacerdotii mentionem aſpernatus. Egregie tutatus eſt rem Britannicam: & eius maior frater nomine paterno Robertus auxilio illi affuit. Is'que redeuntem Anglum, excurſionéſque in Nanetum fines facientem, initio fudit, fugauítque: ſed dum ſtudio perſequendi improuide rapitur, in poteſtatem hoſtium venit. Tantus vir captus conſternauit animos Britannicæ iuuentutis. Recreauit eoſdem nouum ſubſidium. Vicecomes Toarſii, patruus Adelæ Ducis, à Iohanne Rege ad Ludouicum Auguſti Regis filium tranſit, in Pictones aduerſus hoſtem miſſum. Tunc Iohannes Monachirupem (id arcis nomen eſt) Francorum præſidio inſeſſam obſidebat: non tam potiundi ſpe, quàm vt Auguſti Regis vires diſtineret, à Flandriáque auerteret, vbi ſumma rerum verſabatur. Cæſar Otho inexpiabili in Francos odio flagrabat. Anglis ardentiſſime ſtudebat. Quàm maximas potuerat copias coëgerat. Saxones in primis ei in armis aderant. Fœderici æmuli Imperii eo tempore nomen obſcurius:

XLI. PHILIPPVS AVGVSTVS:

Othoni Dux Saleberienſis,ſimul & Reginaldus & Ferdinandus Comites,& Gulielmus Brabantinus Dux ſe coniunxere.Dum hi exercitum ad Valentianas recenſent,conſiliáque conferunt,Francus Tornacum recepit.Sedebat ibi circunſpiciens quid hoſtes in animo haberent. Mouit Cæſar propius caſtra: & ad Moretaniam conſtitit loco munitiſſimo, à Francis octo millibus paſſuum. Auidus prælii Rex erat antequam copiæ hoſtium augerentur, noua ſemper manu ex Germania affluente,ac ex Anglia tranſmittente.ſui poteſtatẽ nullam fecit hoſtis,munitis atque impeditiſſimis equiti peditíq; locis ſe continens.Itaque quandò extrahi ad certamen non poterat,Rex Annoniam ingreſſus,ingẽtem vaſtitatem edidit, Tornacúmque rediit pridíe nonas Iunias, anno eius ſeculi quartodecimo. Antequam agmen plane ex itinere conſiſteret,per exploratores cognouit hoſtem caſtra mouiſſe. Occurſum continuò. Cæſar Inſulam petere videri volebat,eâque Frãcos intercludere conari:aliud animo agitabat:cúmque interfluente inter eum Regémque amne, inferiore parte vado per locorum peritos adinuento, copias ſuas omnes prius traduxiſſet,quàm Rex artem cognoſceret:itinere conuerſo,quòd Franci nihil tale ſuſpicantes,eundem fluuium ponte iam partem exercitus traduxerãt: ne hoſti,ſiue Inſulam,ſiue Tornacum peteret,cõſilium procederet: improuiſo genere prælii adoriri impeditos,fluminêque diremptos opprimere parabat,antequam coire in vnum poſſent: & Rex propè opportunum ſe eius conatui præbuit.Dum enim copiæ ponte traducuntur,ipſe æſtu forte diei, ac itineris præproperi celeritate feſſus,ſub fraxino quietem capiebat:excitatus à ſuis,qui aut pugnam inſtare, aut cum ignominia diſcedendum dicerent: iuſſis illis quod inſtaret tantiſper agere, proximam ædem diuo Petro ſacram ingreſſus eſt:ac Deum opt.max. veneratus,ingentem vultu fiduciam præ ſe ferẽs cum
„ prodiuiſſet ad ſuos,Bono,inquit,fortíque animo ſimus: integri ab omni de-
„ decore,numenque pie ac fidem colentes, pugnabimus aduerſus hoſtem iu-
„ dicio ſacræ eccleſiæ damnatum, & grege piorum ob ſcelera motum. Simul ad primum agmen,quod iam vlteriorem ripam tenebat,miſit, vt qua fluminis parte Cæſarianus miles vado tranſmiſerat, & ipſi rurſus traiicerent, hoſtémque in ſe verſum ab tergo inopinantem adorirentur:eadémque arte illũ circumfuſi caperent,qua ipſi peterentur.Hoc dato præcepto Rex in equum inſilit.Eius quem pontẽ iam inter primos tranſiſſe arbitrabatur,occurſu,Cæſar qui infeſta ſigna inferre iam cœperat,conſtitit.In media acie ipſe erat.Aurea aquila draconi horribili ſpecie inſidẽs,ſublimíſque curru portabatur:hoc erat Cæſaris ſignum.Regium ſignũ ex æde diui Dionyſii acceptum Valo vir fortiſſimus ferebat.Dextrum cornu Othonis Ferdinandus tutabatur,ſiniſtrũ Reginaldus.Apud Regem dextrum cornu Eudo Dux Burgundiæ tenuit,ſiniſtrum Valterus Comes Fani Pauli.Rex contra Othonem ſigna intulit.Initio tempus conſultò terebat,dum qui pontem tranſierant, vado inuento reuerſi Germanos à tergo adorirentur:quos vbi Othoniani procul cõſpexere, veriti ne circumuenirentur,ſenſim pedem referentes,in locum paulo editiorem ſeſe recepere: qua ex re factum eſt, vt terga ſeptentrioni obiicerent, ac ſolem aduerſum (vt meridiano tempore concurrebant) oculis exciperent.

XLI. PHILIPPVS AVGVSTVS. Campani

Campani non conferti,vt alii alios tegerent, ſed in frontem porrecti ſe cum Sueſſionibus iunxerant:vtque ipſi ea quoque parte hoſtem loco motum adorirentur,centumquinquaginta expeditos equites emiſere,qui prælium iritarent,hoſtémque elicerent.Flandri,Annones, Ferdinandúſque parati vt cataphractos equites,nobilitatémque Francicam excipereut,ignobilem equitem non procul loco moti facilè ſuperauere,ac propè omnes interemere. Ferocior erat eo facto Flandrus, Annóque.Et Valteri fides ſuſpecta eſſe incipiebat militibus ſuis, quòd ~~opem non~~ tuliſſet, ~~in~~ oculíſque occidi equites illos paſſus eſſet:ac ante pugnam ~~infimulatus~~ fuerat conſilia cum hoſte conſociaſſe. Tunc magis ſolicitus de dignitate quàm de ſalute princeps ipſe in Flandros ruit,totúmque illud cornu ſecum mouit:nec huic rei hoſtis defuit: pugnatur acerrime.Ferdinandus præclare res gerebat:ſuis cõſilio,manu,adhortatione aderat:incendebat vt vltionem peterent:â Francis vrbes dirutas,prædam abactam,agros euaſtatos.Libertatem,leges patrias tutarentur, ne in miſeram ſeruitutem reciderent:ne alieni arbitrii,iuríſque fierẽt. dolorem, ac iuſtam iram fortiorem eſſe conuenire cupiditate & inſolentia. Campani,Sueſſionéſque,illi gloria rerum orientalium illuſtres, hi etiam antiquitatis decore,ac maiorum virtute,ac indole clari,vinci ab hoc hoſte flagitioſum ducũt: Valterus cum turma delectiſſima per medios hoſtes cæde facta perrumpit, hoſtéſque à tergo inuadit:nec à fronte remittitur ardor certaminis, ſed creſcit,tanta ſpe victoriæ fiduciâque propoſita. Ferdinandus ancipitia ſtatuit ſigna:ipſe modò in hunc,modò in illum hoſtem fertur:vnus omnia ſimul obire nequit:& fortuna eum deſerit:nec quicquam præſidii vſquam oſtenditur. Otho ipſe opem ferre non poteſt:maiore certamine tenebat Bellouacos,Atrebates, Ambianos. ipſe Rex ex nobilitate Francica nouem fortiſſimos viros corporis ſui cuſtodes delegerat:eóſque in acie circum ſe habebat: híque non modò ſaluti regi fuere, ſed propè exitium Othonis capiti attulere. Cæſar enim ſuis iuſſerat, vt omiſſis cæteris vnum omnes vndique Regem peterent:eo vno ſublato,vniuerſæ victoriæ fructum percepturos: & Germani ex ſacro Dionyſii ſigno Regem ibi conſtitiſſe cognoſcebant: in eúmque vnum ruebãt,vulnerum immemores,ac vel morte tantum decus quæſituri:& proceres iuuentutis corporis Regis cuſtodes furentium impetum vímque veſanam ægre ſuſtinebant:ſimul ſignum inclinabat,ſignificans rem in anguſto eſſe,ac ſubſidio opus eſſe.ad hoc Reginaldus pulſo Eudone Duce Burgundiæ à latere aperto Regium agmen circumire contendebat.vbi propius acceſſit, fertur velut Regii nominis ſanctitatem ~~tandem veritus~~, facimus exhorruiſſe: ac cum Roberto Druydum Comite congreſſus,ibique retentus:& Ferdinãdus,qui Regii nominis ſpem concepiſſet,velut pro eo vno ea pugna fieret,ac Cæſar ſummiq; Duces,ac nobiliſſimi Comites pro eo tanto conatu,tam magnis copiis opibúſque dimicarent,ſummam virtutem præſtitit. Franciã enim inter ſe iam hoſtes conſilio diuiſerant.Ferdinando Regium nomen, vrbémque Regiam deſtinarant, quòd ~~nobiliſſimus~~, ac Regio ſanguine ortus eſſet, maximáſque copias armaſſet,ac auro Flandrico totum penè exercitũ Othonianum aleret.Anglo Aquitaniam,Normaniámq;,Reginaldo non Bononiã

modò,ſed Laudunum,Sueſſionéſque.Othoni Campaniam,Burgundiáſque. Ferdinandus ſummus erat bello Dux: & Flandri Annonéſque ſe dignos tali duce præſtitere:conuerſis ſignis pugnabant: vtrinque hoſtem ſuſtinebant: animum ſpes iráque inflammabat: pectoris robur corpori vires addebat:effera mens vinci niſi exitio multiplici hoſtium poſſe nó videbatur. Ferdinandus non ſuorum corporibus parmíſve ſuum latus muniuerat,ſed cum ſummi Ducis munere functus,fortuna aduerſa vti ſe cerneret,ac artes bellicas inuito numine nihil prodeſſe,militis fortiſſimi partes ſuſcepit,ſuóſque ipſe dextra tegebat: ac vt quemque maxime premi cernebat,occurrebat, opem ferebat,hoſtem in ſe vertebat:quoniam vincere non poſſet, occumbere prius mortem ſuam vltus, accumulatis Regiorum cadaueribus, triſti ac lugubri ſui memoria Regi,ſi is ſupereſſet, relicta,cupiebat: ſuffoſſo equo ſe in pedes pernix excepit.Compluribus vulneribus acceptis,eorum ſenſu nihil moueri videbatur,quoad manu telum gerere, pedibus ſe ſuſtinere potuit. Circumuentus demum & cõcidit,& in poteſtatem Vgonis Marolii venit. Qui Flandrorum Annonúmque ſupererant,fugæ ſe mandarunt,eo tutiori, quòd qui Francorum eo cornu pugnarant,& in primis Campani, Regi laboranti ſubſidio ierant:iam enim Othoniani ad ipſum Regem peruenerant:quorum alii cuſtodes corporis in ſe verterant, alii Regem circunſtant:ex equo deiiciunt. Petrus Comes Altiſſiodorenſis conſanguineus Regis, cuius fides(vt in bello domeſtico aſſolet)in vtriſque caſtris ſuſpectior erat, quòd eius frater Philippus à Ferdinando,potiore memoria propinquitatis eius quæ ſibi per matrem cum vxore Ferdinandi Comite intercedebat, ſteterat:cum globo ſuorum vim hoſtium ſuſtinuit, dum alter Petrus cognomine Triſtemnis ex equo ſuo deſiliens, ſtratum Regem rurſus in equum ſuſtulit: vt'que hoſtes in necem vnius omnino Regis coniurarant,ita delecta manus nobilitatis Francicæ cæteris velut vilibus capitibus omiſſis, vnum Othonem animo, oculis, dextra requirebant,inſectabantur, per infeſtáſque turmas impetu facto ad eum perrupere. Gulielmus Barra equitum fortiſſimus medium Cæſarem complecti, & equo detrahere contendit. Girardus Scropha gladio pectus Cæſaris percuſſit: lorica vulnus arcuit, ne in corpus penetraret: dum repetit Scropha, mucro in caput equi grauiter adigitur: ad cuius vulneris ſenſum equus ſe circumegit, equitémque ex prælio rapuit, Petro Maleuicino fruſtra freno retinere conato: nec poſt id quiſquam frontem Othonis aduerſam vidit. Brabantinorum alam ſeptingentorum equitum ferociter inſtantem Thomas à Fano Valerii ab Rege cum quinquaginta equitibus & duobus expeditorum peditum millibus miſſus excepit: ac omnes ad vnum aut cepit, aut occidit: vno omnino ſuorum in præſentia deſiderato: qui tamen poſtea in cumulo occiſorum ſaucius inuentus ac percuratus eſt. Reginaldus vltimus omnium vinci potuit: reliquis copiis profligatis, ipſe cum fuga ſibi vitæ'que ſuæ conſulere poſſet, flagitium admittere in animum non potuit inducere: quòd ante pugnam commiſſam in conſilio contra omnium ſtudia tetenderat ne pugnaretur: qua ex ſuſpicione cum ab aliis timiditatis, » ab aliis proditionis palàm incuſari ſe ſentiret, Ego, inquit, in acie fidem

meam virtutẽmque hodierna die dextra probabo, quandò hic non audior. « Res lætas optare tantum,non præstare queo:quod vnũ mei arbitrii est,spon- « deo:terga mea non feriet insequens hostis:frontem cassidis æquo discrimine « petat licebit:idque me facturum profiteor:si fallo,ignominiosa morte ac ser- « uili cruciatu necer. Tunc ex suis triquetram peditum aciem ita constituit, « vt commissis angulis interualla in mediis lateribus relinqueret, quà ipse cum equitatu delectissimo per occasiones erumperet in hostem : ac cum vsus esset,se reciperet:vt tricipiti acie , non haberet hostis quà auersos circumueniret:vt'que equites peditibus,pedites equitibus auxilio forent ; mutua fiducia subnixi:simul vndecunque se inferret hostis,eum à fronte haberet.Per dehiscentia igitur latera, vbi commodum videbatur , turmas emittebat : & cum grauius premerentur,recipiebat.hæc ludificatio perdiu tenuit:sine effectu res trahebatur,quoad à sex fortissimis Frãcorum equitibus in Reginaldũ erumpentem impetu facto , eorum vnus Cinella ab illo deiectus equo , ac pedes pugnam inire coactus:dum reliqui illum in se vertunt,ipse interea eius equũ cataphractum,sublato læua tegmine , dextra ventrem mucrone petens,confecit:quo ruẽte eques quoque velut vinctus opprimitur, altero fœmine subter equum hærente , eousque vt ægre graui casu afflictus tolli posset : illuc vndique concurrebatur:fusumque totum etiam illud cornu : certabatúrque cui gloria capti Comitis cederet . In primis eam palmam Valterus à Fontibus,& Iohannes Roberetus petebãt: postremus omnium superuenit Iohannes Nigella:is corpore præstanti,miráque specie,ac oris dignitate, sed dextra virtutéque nequaquam pari,cum cæteris gloria eo die ingens parta esset,ipse nihil præclare gesserat : tunc cum suis turmalibus præsto fuit : seque cæteris iam victoribus non immiscebat modò,sed propius adiens,ac manum iniicere conatus , Comitem captiuum suum prædicabat:superasséetque cæteris inter se dissidentibus animus imbellis,ac formæ gratia veram virtutẽ, nisi Varrinus aulicorum gratiosissimus,ac ingentis apud Regem authoritatis vir,magnique consilii , ac fidei perspectæ , superueniens controuersiam diremisset: Bono animo omnes esse iussit: sua cuiusque virtuti parata apud gratissimum liberalissimúmque Regem præmia. ei Comes deditionem fecit : subleuatúsque ad Regem duci cœptus:cum Arnulfum Aldenardensem virum fortissimum cum turma sibi auxilio recurrentem procul cõspicatus procubuit velut ànimo se relinquente, quique præ lassitudine exanimationéque progredi non posset . Qui circunstabant , simulatione, ac noui auxilii propinquíque spe cognita,equo impositum raptim abduxere:cum triquetra acies iam amisso Duce se Arnulfo coniunxisset. Franci minus infestam fugã hostibus præbuere ob multitudinem nobilissimorum captiuorum: quos diligenti custodia , validóque præsidio asseruari oportebat:ac à meridiano tempore in diei serum pugna extracta fuerat. Hæc est Bouinensis pugna, ita pontem vocant ad quem commissa fuit , profligatáque . In Cæsaris exercitu centum quinquaginta millia peditum fuisse ferunt : de equitum numero minus constat: conuenit ad mille quingentos equites , qui aurato baltheo virtutis caussã donati fuerant , ab Othone stetisse . Aquila cum Dracone in potestatem

venit. Otho cum suæ gentis proceribus fugit. Triginta maiorum ordinum ductores, Comes etiam Saleberiensis fortissime pugnans captus. Reginaldus in vinculis Peronam, Ferdinandus Lutetiam ductus, & in arcem Luparam in custodiam coniectus. cæteri captiui alii aliò custodiendi diuisi. Per eosdem dies & Ludouicus Regius iuuenis arcem Moncœci liberauit obsidione: ex Pictonibus fugauit Iohannem Anglum. Vltro citróque commeante Pontificis Maximi legato, inducíæ in quinque annos factæ. Augustus velut cælesti beneficio tot bellis Francia victrice, templum prope Syluanetum Virgini exstruxit, locupletauítque, addito ã victoria cognomine. Initio sacerdotum iura minus sancta duxerat: ex ea die auctiora voluit. Conquerentibus Regiis magistratibus, præfectísque, augendo iure sacerdotum, Regia iura imminui, respondit, tot esse, ac tam perspicua cœli in se Franciámque beneficia, vt sacerdotibus templísque nihil denegare iure possit ex iis rebus quas diuina potius quàm humana ope integras florentésque ac victrices haberet. Iohannes vero Rex exhaustus impensis bellorum, & maximarum semper rerum consiliis, ad hoc infestus sacerdotibus ditionis suæ, simul ira succensus, quòd, vt edocuimus, ob non receptum in sacram Cantuariensem sedem Stephanum Pontificem declaratum, & ipse à Pontifice Maximo cœtu piorum motus, & Angliæ sacrificiis publice interdictum fuerat, diuitias templorum in vsum suum verterat. Fulmen Pontificis, execrationes sanctorũ despicere ferox animus poterat: vim numinis perspicuam tot rebus aduersis respicere coactus, nullas conditiones, nullas leges à Pontifice, à sacerdotibus suis iiunctas, nulla luendi sceleris piacula imposita abnuit. Aduenientem Romanum legatum obseruantissime excepit: ad eius pedes Regia insignia posuit. Priuatus, & animo suspensus, quis se tandem exitus maneret, quinque dies egit: sexto vt ingens munus, & propè desperatum beneficium à Romano accepit diadema: séque beneficiarium, Angliámque ac Hybernià vectigalem sacrosanctæ potestatis professus, Stephanum reuerenter Pontificem agnouit: iussus etiã quas facultates sacerdotum inuaserat, ac septem annis egerat tulerátque, reddere. quæ vero aut absumpta, aut violata forent, eorum æstimatio fieret: quanti ante calamitatem fuissent, præsens precium sacerdotibus dissolueret. Ac ne infirmiore fide vteretur, proceres gentis iureiurando à Romano adacti sunt, se qua parte fide decederet, quacunque ratione coacturos vt conuenta præstaret. Grandi igitur pecunia ad luendum opus erat victo, tot ignominiis inusto, tot iacturis factis. Dum sacerdotibus studet satisfacere, cogebatur nouas rationes cogendi auri excogitare: grauis cæteris esse: ab institutis superiorum Regum discedere. Ea tyrannidis species visa: & principes gentis acriore telo iura libertatis tutati sunt. Coitione facta ab eo desciuere. Quatuor ex his consensu cæterorum ad Francum transmisere: hortabantur vt rem Anglicam capesseret: séque vt Franciæ, ita & Angliæ salutari Regem pateretur. Augustus abnuit, quòd inducíæ intercederent. Ludouicus eius filius obsidibus acceptis traiecit. Rex salutatus, Londinum vrbem Regiam recepit. Antonienses, Linconienses iura ab eo petere cœpere. Fato, an morbo, an animi dolore obiit Iohannes Rex. Henrico eius filio æquiores

fuere proceres gentis : eique contra iurisiurandi quo se Francis addixerant; religionem,affuere aduersus Ludouicum. Decessit insula Frãcus,domúmque regressus,obsides authoritate Romani Legati, accepta non contemnenda vi auri,reddidit. Hic finis Iohannis & belli Anglici in aliquot annos. Henrici mater amisso viro Rege coëgit se in parem natalibus suis fortunam. Vgoni Comiti Marchiæ nupsit,velut quodam fato illi domui debita,in quam etiam ante Regium coniugium desponsa fuisset.Regina tamen vocitari perseuerauit: atque adeo ita à marito Comite salutabatur. Tolosates bello ardebant. Eius Comitatus ius Raimundo Comiti abrogatum concilio Lateranensi, quod habuit Innocentius anno qui secutus est Bouinẽsem pugnam.Ex quatuor orbis terrarum nobilissimis Patriarchis duo interfuere, Byzantiorum, Hierosolymitanorum.Antiochensis excusatione morbi vsus, sacerdotes sanctos viros Legatos misit: & Alexãdrinus ab Aegyptiis vetitus ipse proficisci, è suis oratores misit.Quadringenti Episcopi, septuaginta archiepiscopi,monachorum sacri Patres vndecim,Primores sacrorum cœnobiorum octingẽti consedere:nescio an omnis memoriæ celeberrimum fuerit concilium. Oratores Cæsaris,Latinorum Fœderici,simul oratores Græcorũ Augusti, ac Legati Regum omnium principúmque nominis nostri. Vniuersi cõcilii decreto ius Comitatus Tolosatium Simoni dono datum est ob recentem memoriam meritorum,& in futurum spem.Is ad Regem Francum profectus, eius Comitatus nomine se beneficiariũ professus,se ei iureiurando fidelitatis sanctissime obstrinxit:atque vtrinque osculo delibato,Biteras reuersus,conuentum ea in vrbe totius regionis habuit.Nemine decretis sacri concilii refragari ausso,in verba sua gẽtem sacramento adegit,atque fide deuincta iussit Carcassonensibus,Tolosatibus, Narbonẽsibus intra certam diem muros vrbium suarum deiicerent:fossas explerent. Id indignum miserúmque visum. Parebant tamen,caput Simonis execrãtes:manibus suis patriam muris nudare incipiunt,omni iniuriæ opportunos se ipsi facientes.Nec id extremum malorũ visum.Simo & quia sumptu belli exinanitus erat,& quò miseriis multiplicíque malo affectos perdomaret, ingentem pecuniæ vim circummissis coactoribus exigebat.Mirum ita natura comparatum,vt sua quéque damna magis quàm publicus dolor moueat: nec vllum acrius quàm rei nummariæ telum inueniri possit.Qui patriam iussu euertebant, arcæ iacturã facere nõ sustinuere. ita bellũ,quod numinis caussa susceptum gestúmq; prædicabatur,finiríque parcendo deditis,ac præteritorũ dissimulatione poterat,durius inclementer cõsulendo factũ.Fores refringi:pignora capi:gemitus, ploratus,querelæ virorũ mulierúmq; exaudiri.Dolore tandẽ in iram verso,Raimundus in spem rerũ nouarũ ex Hispania(quò se ex prælio aduerso fugiẽs cõtulerat) regressus,à Tolosatibus ac finitimis ciuitatibus recipitur.Rursus Põtifices quos Simo restituerat, exturbãtur, quòd eos ab illo stare multitudo sentiebat. Nihil in sacris bellis æquè offuit,atque mos iam exortus,vt honesta præscriptione suas quisq; respiciat res:in ore omniũ sanctum piúmq; versetur:cõsilio,conatu,animo secus afficiãtur.Si de religione tantũ agatur,si obliuio noxæ sanciatur,si sanatis mentibus,fortunis hominũ abstineatur,omnes idem sentiant:

XLI. PHILIPPVS AVGVSTVS:

Nunc de mortalium iure,de Comitatu res est.Ea controuersia tollatur, nulla erit armorum causa.Raimundus patriam repetit:Simo virtute partũ,munus concilii, beneficium Franci Regis retinet.hi rerum tantum suarum memores.Pontifex vero Maximus re semel diiudicata,constantiæ suæ ducit, ac e religione esse,placita Patrum rata,decreta sua sancta haberi.Quo forte die Bouinensis pugna in Gallia commissa fuit,eodem Henricus Græcorum Augustus Bizantii decessit:in cuius locum suffectus est eius gener Petrus Altissiodorensium Comes, Franci Regis propinquus. Is in Italiam domo trangressus, ac mortuo iam Innocentio, ab Honorio Pontifice Maximo Augustus declaratus,coronatúsque.Iolantidem vxorem Robertúmque filium, cũ Hydrunte soluissent,perpetua nauigatione Byzãtium præmisit:ipse in aduersam protinus oram transmisit spe Dyrrhachii recipiendi: quam vrbem Theodorus Græcus Prætor obtinebat spe Imperii à Latinis ad suos reuocandi: sed in simulationem officii erga nostros compositus, nihil illis ore vultúque denegans,specie obsequii Græcus Francum facilè cepit.Hospitio mensaque inuitatum,extractúmque,cum iam in Thessaliam processisset, comprehendit,ac compedibus vinxit. Robertus tutus & ab hoste & à periculis maris Byzantium peruenit,Augustúsque salutatur. In Syriã anno eius seculi septimo decimo,quo dies inducIarum inter nostros Barbaróque exierat,Andreas Hungariæ Rex & paterno voto, sed quod soluturum se obtestatione morientis patris motus receperat:& quoniam id persoluere cunctabatur, coactu Pontificis Maximi,legato Romano Cardinale Colũna id denunciante,in Orientem profectus est.Ei se comites dederant duo Duces, Bauariæ, Austriæque. Ptolemaidem peruenit,quò noua Francorum manus nauigarat,Ericis Niuernensium Comitis,& Valteri Regis Franci cubicularii ductu.Iohannes Brennus Hierosolymorum Rex his se iunxit. Magna spes erat,tanta coacta manu aliquid præclaræ rei geri posse. In Galilæam vsque perrectum. Aliquot turmæ Barbarorum occurrere ausæ,in fœdam fugam versæ.Andreas vbi se fluuio Iordane perluit,velut se voti religione exemisset, Pontificísq; edicto paruisset,Ptolemaidem rediit:atque inde suas copias deportauit.Secundũ Hungari discessum, magistri trium sacrorum ordinum militarium inter Cæsareã & Caiapham promontorium occupauere, muniuereque, qua velut ex arce omnia infesta Barbaris circà incolentibus facerẽt.Id Castrum peregrinorum vocitatum,terráque maríque nostris perdiu vsui fuit: & Germania maximis viribus in id bellum incubuit. Treuiros Agrippinensésque omnia publice pollicitos præstantésque cæteræ ciuitates Germaniæ iniecta æmulatione secutæ sunt. Tantum iuuentutis armarunt, vt maris Adriatici portubus petitis classem ducẽtarum nauiũ effecerint,implerint,ornarint. In Syriam cursu delati,Ptolemaidẽ tenuere: quæ amissis Hierosolymis Regia vrbs Latinis Asiaticis erat. Affuit & Anglica classis.Ex Frãcia tres Pótifices,Parisiorũ,Eduorũ, Lexouiorum, egregiam iuuentutem comportarant.Iohannes Rex cõcilium habuit. Nihil antiquius visum, quàm cum validissimæ classes conueniissent, manúsque virorum fortissimorum adueniisset, omnibus rebus instructa,animóque ad res terra maríque gerẽdas paratissimo,vti virtute in aliquo magni

momenti conatu. Aegyptum esse caput superstitionis nobis infestæ: cuius Imperio incolumi nostros in Syria nullum operæprecium facturos: Damiatam vni Chairo cedere, cum Alexandria de secundis partibus certantem. ea recepta & flumen & regionem feracissimam in potestate fore, ac Hierosolyma vltro ad nostros ventura, cum iam Cyprum insulam, & in continenti Ptolemaidem, Tyrum, Antiochiam habeamus. Damiatam ab altero, si quis ab Syria terra proficiscatur, Nili ostio, marique mille passibus distantem Tyriorum Pontifex scribit. Heliopolin Aegypti vrbem nobilem fuisse satis constat, Aeliopolin vero procul ab Heliopoli, quanuis in eadem Aegypto, ab Aelio Pertinace Cæsare triplici muro cinctam: ab eo nomen accepisse sunt qui tradant. Quatuor tantum Nili ostia idem Pontifex agnoscit, quæ prisci vndecim numerant: quorum septem nobilia, quatuor falsa. In vlteriore ripa sita Damiata: & fossa nauigabilis è Nilo ducta eam in insula locabat. Suberat turris, & circa eam ædificia oppidi instar: transmissa catena erat, vt ingressu naues externas, si vim facerent, arceret. Ptolemaide nostri coniunctis classibus soluerunt. Quum prospera nauigatione vsi Damiatam in conspectu haberẽt, libero mari volitare poterant: obiecta catena ingressu Nili eos arcebat. Ea virtute artéque perrupta, supererat maius aduersus turrim hostium certamen. Lateritia turris sua mole firmitudinéque se defendebat: & erat instructa telis, tormentis, egregiis propugnatoribus omnia præsenti animo administrantibus. Nostræ naues, in quibus turres excitatæ erant, nostríque, & ab hoste, & suo inter se tumultu laborabant. dum hi propius appelli, iaciq; pontes, & exponi militem: illi reduci, circumuehi, alia parte adoriri iubent: & miles nautarum ministeria, & nautæ munera militum impediebant: vna ex nostris turris, quæ cæteras celsitudine superabat, hominum certamine solutis compagibus procubuit: magnóque velut cæli fragore, late stragem ac ruinam dedit, miserabili nostris spectaculo. Qui superstiterant, partim in Nilum delapsi sunt, partim graui casu in nauiũ tabulata delati, superruente turri vel interiere, vel in multos vtique dies inutiles ad res gerendas facti. Iohannes Rex sedato tumultu, sauciorúmque cura sanctis viris demandata, conquisitis quæ vlla diligentia etiam in flumine inueniri poterant exanguibus corporibus, iustísque persolutis, consolatus est milites, hortatúsque ne vnius turris inscienter & factæ & admotæ iactura demitterent animos: neque id virtuti hostium attribuerent: neq; ignauiæ sibi adscriberent: Virtuti consilium addendum: in exercitu neminem « prope militem esse, quin dignus sit qui exercitum ducat: sed, vt ratio militaris disciplinæ postulat, suæ quisque gentis ac ordinis Ducibus Magistrisq; dicto audientes sint: milites proceribus, proceres summis Ducibus parerent. « Duces parentum pietatem animúmque gererent, præstarent: consilium antequam res gerantur, habeant: in commune consulant: rationes belli administrandi conferant, ne in rebus agendis trepident. « Omnium assensu hac oratione comprobata, proceres coëunt: summa belli Iohanni commissa: quòd & peritissimus Dux, & Rex Hierosolymorum creatus esset: eiusq; virtuti ac nomini deberi iudicio procerum videretur quicquid hoc bello de Barbaris reciperetur. Pelagio Cardinali, quem ad id bellum Pontifex Maximus legarat,

ſua nominis ſanctitas ſeruata. Iam nouæ quoque copiæ ex Italia aduenerant, nouusq; commeatus Mediolanenſis, Regienſis, Fauentini, Brixienſis Pontificum ductu. Nec Barbari ſuos deſerebant. Sultanus in conſpectu Damiatæ caſtra muniuerat: vt oppidanis præſidióque animum adderet ſpe propinqui auxilii. Mittebat crebros flumine nuncios: commeatus intromittebat, delectosq; milites, teláque, ac omnia quæ vſui eſſe poſſunt. imminebátque occaſioni noſtrorum opprimendorum, ſi quam aut fortuna, aut eorum negligentia præberet. Multæ excurſiones fiebant, multa leuia prælia committebantur, noſtris ſemper victoribus. Ad vniuerſum certamen nec elici nec cogi poterat, nec commeatu prohiberi, munitiſſimis caſtris ſuperiore parte Nili, ac tota ſuperiore Aegypto cuncta ſuppeditante: quæ non ſuis modò alendis, ſed & exteris nationibus ſubleuandis eſſe conſueuiſſet. Nilo præterea ex ſimplici alueo in plures diffluente partes, ac alibi ſponte ſe diuidente, alibi opere foſſisq; ducto, alibi aggeribus obiectis coërcito, alibi emiſſariis erumpente, hoſtibus omnia incerta, infeſta faciente: Quoniam hoſtis ſui copiam nõ faciebat, cum muris rurſus pugnandum, turrísque tentanda viſa. Fabri toto exercitu conquiſiti, duabus nauibus coniunctis, ex firmiſſima materia in eis turrim eduxerunt. in æquam atque turris Barbarorum aſſurgebat altitudinem: robuſtioribus tignis ita commiſſis inter ſe, inſertisq;, ſimul infibulatis, vt neque firmitudo materiæ interrumpi, neque complexus contextúsque ſolui, laxaríve, aut perfringi vlla vi poſſe videretur. Hæc turrita nauis aduerſus propugnaculum Barbarorum appelli cœpta: ſimul aduerſus alias partes ſuburbani vici, ſubſtructionésque: ad id reliquæ præparatæ ornatæq; naues immiſſæ: ad hoc in ripa exercitus in armis ſub ſignísque ſtabat: ſimul ad terrorem, ſimul ne quid Sultanus impune contrà moueret. Ingens certamen cooritur: vicánis tutantibus ſe ab hoſte tam procul bellum inferente, tam diuérſis inſtitutis, tam diſſimili ritu. In vico, munitionibus, turri, erant non Aegyptii modò indigenæ, ſed peregrini, atque adeò incolæ Arabes, Perſæ, Seres, Indi, Garamantes, Aethiopes: quòd illud ſit emporium mercibus extremo ab orbe importandis, ac totum in orbem terrarum diuidendis: eáque ipſa res & illos ad pugnandum acuebat, vt & ſalutem, & quæ chariſſima mortales habent, ſeruarent: & noſtros incitabat, vt numini militantes, ſe præda gentium ditiſſimarum locupletarent. Nemo ſibi parcebat. Naues quàm proxime poterant crepidinibus ſubſtructionibúsque admouebantur, impingebantur, illidebantur: vt in ripa conſiſtentes pugnam in complexu facerent: vir viro congrederetur: pectus pectori obiiceretur: manus conſereretur. Contrà Barbari telis, tormentis, arcere, prohibere, procul tenere: non pati ex propinquitate pugnari. Illud in primis terruit Aegyptios, quòd cum vna noſtrarum nauium conſtrata ripæ quam hoſtes obtinebant, per tela volantia veſano impetu appelleretur, in eámque ex turri lateritia Barbari vt intercepturi ſe demiſiſſent, ac noſtrorum cædem facere cœpiſſent, vnus ex propugnatoribus in imam partem iam captæ nauis carinæq; deſcendit, raptimq; fundum eius perforauit, aquáque largo ingreſſu recepta, ſe, ſuos, atque ~~vnà hoſtes~~ ſubmerſit: continuóque turrita noſtrorum nauis magna fiducia admota turrim lateritiam Barbarorum occupauit,

cupauit,illis eo casu velut miraculo perculsis,existimantibúsque sibi cum nouo atque inusitato efferatissimorum mortalium genere certamen esse. Ea arce momento capta, deiectísque aut cæsis defensoribus, minus pertinaces vicani præsidiúmque extitere, quòd sua iam ex turri à nostris qui eam occuparant, superne petebantur: reliquísque nauibus certatim appulsis, ac capta crepidine, omnes circumuenti ac interfecti sunt. à nemine temperatum. Ingens vis commeatus inuenta. Ingentes diuitiæ partæ: vt Persis, Arabia, India spoliata videretur. Restabat Damiata vrbs munitissima. Tentata è vestigio est, si recẽti terrore amissæ turris, ac propè vestibuli vrbis, expugnari posset. Scalis, machinis, tormentis adorti, re infecta discessere, multis vulneribus acceptis. Castra tamen etiam in expugnato vico locarunt: & inter vrbem obsessam Sultaníque castra præsidia dispósuere, ne commeatus auxiliáque intromitterentur. Hostes & exteriores irrumpere, & interiores erumpere conati, magna suorum cæde vtrique repulsi. Iam iusta obsidione clausa erat vrbs, assidebantq; nostri. Dum trahitur tempus, Etesiis aduersissimis ventis vehementius flantibus, exortáque etiam præter locorum genium, & cæli & maris sæuissima tempestate, vsque adeo Nilus intumuit, vt quà tetenderant nostri, ripas supergressus, omnia operiret, commeatúmque corrumperet. Id nõ rerum natura, fluminísve vi (quod suo quidem ac stato, sed non eo tempore anni inflari consueuisset) sed ira numinis factum rati nostri, ad obsecrationes, ieiuniúmque in triduum à Legato indictum versi: quarto die mitescente cælo, mariq; exæuiente, ac cogente se intra ripas flumine, vt initium, ita finem metus deo Opt. Max. acceptum tulere. vices temporum in contrarium eo anno verterant. alieno tempore creuerat Nilus: alieno remiserat: quo vno flumine fœlicitas vbertásque soli constat. Frumenta igitur angustissime prouenerant, coactusq; est Sultanus Aegyptius exercitum partim dimittere, partim in superiorem Aegyptum, Regiámque vrbem reducere. simul velut in extremo superstitionis Maumethicæ communiq; periculo, Coradinus idem Damasci & Hierosolymorum Sultanus, per oratores conditiones sibi Aegyptióque pacis petebat. pollicebatur in primis se sacrosanctam Crucem, & quicquid de nostris in Syria Phœnicéque ipse, patérve, aut Saladinus cepisset, redditurum. Franci, Angli, Itali leges comprobabant. capta fuisse hæc arma, vt quod in Syria summorum Ducum virtute partum esset, id nobis ereptum recuperaretur, elueretúrque ignominia: ne videremur quæ à parentibus tradita, relinquere filiis incolumia oporteret, non potuisse neque cum accepissemus, tutari: neque cum amisissemus, recuperare. His restitutis, nullam subesse causam belli, quin victores decore diuino humanóque pleni domum reuertantur. Pelagius Legatus hanc pacem aspernabatur: bellum pro religione aduersus impios Maumethicámque superstitionem susceptum: cuius sedes arxq; sit Aegyptus: eam perdomandam, sanandámque. Legatus authoritate ac sanctitate nominis obtinuit, vt Damasceni oratores pace infecta dimitterentur. Coradinus Hierosolyma muris discinxit, paulóque magnificentiora ædificia & monumenta diruit, præter turrim Dauidis. sacro etiam sepulcro pepercit. Ad Damiatam pestilentia populari nostros cœpit: pœnitebátque Duces se potius voluntati legati paruisse, hominis

» togati,quàm ſuis conſiliis obtemperaſſe, qui rerum militarium peritiſſimi,vi-
» ciſſitudines rerum experiendo didicerant.offerentis ſe fortunæ beneficio prę-
» ſenti vtendum.maiorum rerum auiditate,perſæpe quod iam teneretur,è ma-
» nibus elapſum, nulla deinde virtute repeti poſſe. Pelagius male audire cœ-
pit: & ſunt qui ſcribant, eum, quòd gente Hiſpanus eſſet, lectis quibuſdam
(vt rebatur) fatalibus libris, qui dicerent finem Maumethis nominis appete-
re:ex Hiſpania venturum,qui gloriam confecti ſacri belli ferret: interceſſiſſe
ne pax Barbaris tanta exacta mercede daretur. Decimum iam menſem obſi-
dio Damiatæ tenebat: & Sultanus non tam magno quàm prius exercitu,ſed
delectiore ſimul expeditioréque noſtris inopinantibus, curámque conſuetù-
dine (vt aſſolet) remittentibus, caſtra poſuerat ad aquarum diuortia,quà Nili
pars deriuatur in foſſam Damiatæ proximam. eo ex loco aliquot terra cō-
hortes repente auxilio miſit obſeſſis.Hæ magna audacia noctis ſilentio,ſi fal-
lere vigiles poſſent,iter ingreſſæ, ſenſim tacitæ appropinquabant. Primi iam
ingrediebantur,recipiebanturq;,cum Latini ſenſere. Conclamatum ad arma.
Qui nondum ingreſſi erant,cæſi omnes:quòd qui in vrbe erant,fores raptim
portæ obiecerunt,eósque excluſos cædi reliquerunt,veriti ne nocturna trepi-
datione ſimul hoſtis ingrederetur.Noſtri hac victoria ſublati,poſtridie relicta
quanta ſatis foret ad continuandam obſidionem copiarum parte, ad Sultani
caſtra ducti ſub ſignis:poteſtasq; pugnandi facta.Barbari velut conſpectu no-
ſtrorum, animísque tam cupide poſcentium pugnam territi, caſtra reliquere.
Ea deſerta Latini ingreſſi, non magno commeatu, ſed præda reliqua diuite
potiuntur.Sultanus ad ſuperiora diuortia aquarum ſeſe recepit. Noſtri redie-
re in caſtra præda onuſti, ignauiam Aegyptiorum increpantes. Ex hoc con-
temptu damnum dedecúsque noſtris ortum. Caſtra hoſtium rurſus petere,
atque adeo adoriri Brennus cum milite Franco auſus,ipſe igne miſſili afflatus
vix euaſit:non pauci ambuſti:Valterus ferro, ac Milo Meduntenſis interiere.
Secūdum hanc ignominiam placuit tantùm obſidione premere Damiatam:
& prohibere omni ſpe auxilii.Arctiore facta obſidione,fame coacti clauſi,o-
mni alia ſpe deplorata, noua inibant conſilia: ac ad noſtros in caſtra eorum
aliquot clàm tranſiuere.in dies tranſituri plures erant:cum eorū Duces iuſſe-
runt portas obſtrui:muris vulgus arceri,ne exire,ne demittere ſe vlli poſſent.
ipſi,ac Volones, quos Mamaluchos eſſe oſtendimus, omnia circumibant, aſ-
ſeruabántque. frumenti quod reliquum erat,exigue metiebantur,parce diui-
debant inter ſe. vulgus neceſſitate coacti, nullo genere cibi abſtinebant:con-
ceſſis illi genti,illi ſuperſtitioni,ſimul & vetitis,fandis,nefandis,ſalubribus,an-
cipitibus, fœdis etiam nullo diſcrimine veſcebantur, vitam producebant: ad
miſeriam indignitatémque animam trahebant.Humanis neceſſitatibus impa-
res,diuina etiam ira petebantur. Peſtilentia,cuius vis primum lenita,poſtea &
ſublata apud noſtros fuerat, in vrbe atrociſſime ſæuiebat, ac populabatur. in
dies lues illa eouſque augebatur, vt tandem deeſſent ægris non modò qui vi-
ſerent,qui aſſiderent,qui opem ferrent, qui oculos contegerent, ſed qui efferr-
rent, qui ſepelirent, qui domos corporibus exanguibus liberarent, qui mor-
tuos à viuis ſecernerent. Viæ, vici pleni cadaueribus,tetrum ſpiritum exhala-

bant:nullus cuiquam locus vacuus à peſte,nullus à mortis ante oculos obuerſantis exemplo, à dira ſpecie receptus oſtendebatur, niſi ab hoſte infeſtiſſimo remedium extremi mali peteretur, eius fidem miſericordiámque implorarẽt: numinis ira perculſi,ab infeſtiſſimis hoſtibus auxilium ſupplices peterent:ſeq; eis dederent.Rabies furórque pectora etiam morientia ceperat:beneficio Latinorum vti,grauius morte ducunt. noſtris vitam acceptam ferre,in animum inducere non poſſunt. Noſtri eos fame tantum premi exploratum habuerãt: vaſtitatem tam fœdam peſtilentiæ ignorabant.Stationes validas oppoſuerant, ne fame adacti eruptionem facere poſſent:ad quod conſilium neceſſariò deſcenſuros exiſtimabant.oppugnatione multo antè deſtiterant,deditionem velut neceſſariam expectantes: vt incruenti,ac ſine contentione vrbe nobiliſſima potirentur. Iam circumactus annus erat ex quo aſſidere Damiatæ cœperant,cum aliquot milites noſtri paulo propius muris hoſtium ſuccedere auſi, primum inſolito ſilentio moti ſubſtitere, deinde regreſſi in caſtra, ad Duces rem detulerunt.Dolus hoſtilis metui poterat,ne in inſidias præcipitaretur.experiri tamen placuit. Copiæ velut aduerſus vim acerrime propulſaturos hoſtes eductæ: ac ſcalæ admoueri iuſſæ. ingenti alacritate occupata mœnia,nemine propugnante. Cum in vrbem deſcenſum eſſet,parua vis à Barbaris,qui perpauci numero in armis reliqui erant,facta.His paruo certamine cæſis,portarum obices diſiecti: inædificationésque,quibus obſtructæ fuerant,euerſæ:ſignáque frequentia illata. Ingredientibus teter grauiſſimúsque odor occurrit: conſpectáque noua inauditáque vrbis facies: ſtratæq; tabo corporibusq; viæ: ac miſeranda etiam hoſti ſolitudo.Parati venerant noſtri ad cædem faciendã, implendámque cruore vrbem,irati malis,iritati diuturnitate obſidionis.ſtrinxerant enſem.non erat in quod ſæuiretur.ipſi etiam parietes ædificiáque adiri non poterant, niſi per humana cadauera, tabémque, & quoſdam adhuc animam agentes. Ex ſeptuaginta millibus tria tantum millia puberum (nam infirmior ætas,ac reliqui omnes abſumpti miſerrimo fati genere,fame,peſtilentiáque,iacebant inſepulti) inuenta:& hi affecti quoque.vita donati ea lege,vt vrbem purgarent. Is fuit exitus pluſquam annuæ Damiatæ obſidionis. Anno eius ſeculi vndeuiceſimo nonis Nouembribus capta eſt. Præda ingens parta auri,argenti, gemmarum, margaritarum, precioſæ veſtis, ſupellectilisque. Ibiq; Latini rurſus plus annum deſedere,tanquam in eam coloniam nominibus datis, maxima pars patriæ veteris immemores. & quoniam Pelagius iure ſacroſanctæ Legationis primas partes ſibi omnium rerum vendicabat, eamq; vrbem ditionis Pontificiæ facere contendebat: Brennus Rex Ptolemaidem ſeceſſit. Inſequenti anno, cum ſegnis moræ etiam Pelagium tædere cœpiſſet, qui ſpem euertendæ Barbaræ ſuperſtitionis concepiſſe ferebatur, iuberétque ad ſigna conueniri,& iri aduerſus Sultanum,expugnaríque Chairum: milites dicto non parebant: omnes præ ſe ferebant,ſe vnius Brenni dicto obtemperaturos. Coactus eſt conſenſu militari eum nouas ſemper non veniendi moras cauſſasq; innectentem, miſſis nobiliſſimis publico nomine oratoribus rogare, vt ſe Ducem rurſus dei viuentis exercitui præberet. Fatigatus precibus procerum rediit, quibus forte diebus Ludouicus Dux Bauariæ cum popu-

larium manu magna aduenerat. Legatus inſtabat, vt ſtatim res gererentur: cõ-
» ſenuiſſe ſacrum bellum cunctando, differendoq;. eius qui bellum procul in-
» ferat, eſſe, inſtare, premere, vrgere, ocium non pati, non deſidere, non langue-
» ſcere, ſed agere ferréque res hoſtium: omnia tentare. ſic priſcos illos Duces,
» Reges, Imperatores, opes, gloriã, Imperium ſibi peperiſſe. eius autem qui bello
» petatur, qui ſibi ſalutem, ſuis rebus incolumitatem optet, eſſe, moras hoſti in-
» nectere, differre, fruſtrari impetus, ludificari virtutem, trahere tempus, oppe-
» riri, dum longa dies, dum tædium hoſtem conficiat, vires debilitet, animos
» frangat, ſpem inanem oſtendat. Chairum eſſe magnam vrbem: ſed maximas
» vrbes bello magnas fieri ſolitudines, ſi virtutem præſtes, ſi celeritatem adhi-
» beas, ſi cunctationem tollas. Quæ magna Imperia, vt Sultanorum ſunt, armis
» vltro illatis laceſſantur, niſi primo quoq; tempore aut euertantur, aut ita affi-
» ciantur, vt tollere vltrà caput, ſubleuariq; non poſſint: qui exitium illis ſpe de-
» ſtinarint, eis ipſa exitium allatura. Aut non tentandam fuiſſe, aut ſemel tenta-
» tam Aegyptum non dimittendam eſſe. Brennus ſeu dolore motus, quòd
cum Rex ſacri Regni vocaretur, habereturq;: Damiata, quæ capta eſſet armis
eorum qui in ſacram militiam nomina dederant, ea illi habenda poſſidendaq;
â legato non daretur: ſiue ſemel expertus ſuperiorem Aegyptum magno pe-
riculo tentari, iturum ſe ducturúmve negabat. De ſancto ſolo certamen eſſe,
non aduerſus Memphin, Babylonémve, aut Thebas Aegyptias ſumpta arma:
quæ etiam victæ perdomitæq; in fide manſuræ non ſint: Sed Syriam petiuiſſe,
cepiſſe, tenuiſſe Gotthofredum, ſociósque Duces. tot Reges Latinos in ea re-
rum potitos: illam eſſe noſtram. Celeritatem, ardorem animi, & quæ iure lau-
det Pelagius, ea ſe quoque collaudare: ſed ea omnia in Syriam, non quò ne-
ceſſe non eſt, non vnde nullus vſus extet, vertenda. Legatus perſtitit in ſenten-
tia: iuréque ſacroſanctæ poteſtatis præcedere Bauarum Ducem, cæteros, & in
his nominatim Brennum Regem, ſequi iuſſit: qui dicto audiens non foret,
eum ſe execrari. Iuerunt metu dirarum ad ſeptuaginta hominũ millia Idibus
Quintilibus. Barbari vero an ſimulato metu ſemper cedebant, quò commo-
dum videbatur. Legatus vero lætari, ac id laudibus in cælum ferre, quòd eo
» quod vere virorum foret, conſilio vſi fuiſſent: fortunam fortes adiuuare: timi-
» dis & ignauis cuncta aduerſa. Pons etiam naualis, quo Nilum iunxerat hoſtis,
expugnatus, interfecto præſidio. Caſtra ad decimum ab vrbe Regia lapidem
locata. Barbari ſibi timere poterant: obiecta eſt vrbs nobiliſſima opulentiſſi-
máque viris fortibus, in bellis natis, educatisq;, ac ſpoliis vrbium ſe locupleta-
re, domos ornare ſolitis. Noſtri terrorem augebant circumuolitantes, prouo-
cantesq; ad pugnam: ſegnitiem, ignauiam, timiditatẽ increpantes: ſi viri eſſent,
prodirent. In vrbe ſe continebant. Dies è die ducitur: fiducia ſui in dies no-
ſtris augetur: negligentia pectora capit, ac obliuio, incuriaq;. in ferro, dextraq;
& audacia omnia reponunt, immemores ſe in Aegypto tendere, inter moles
foſſasq; fallacis fluminis, non victum modò, ſed munimentum genti callidiſ-
ſimæ præbentis: quæ quo minus virtute militari valet, eo plus artis ſaluti ſuæ
tutandæ adhibet. Moram hoſti aliis atq; aliis ludificationibus iniecerunt, ſuiq;
contemptionem adauxerunt, quoad gnari locorum, rerum, temporum, igna-

 ros, in-

ros,incautos,improuidos circumuenirent.Loca quæ inter aggeres forent,capiebant de induſtria noſtri, vt aggeribus pro vallo munimentoq;,ac tanquam propugnaculo vſi, ſiqua deimprouiſo eruptio, incurſióque a Barbaris fieret, ſe tegerent quoad arma caperent.ſed hęc depreſſa,quæ exuberante Nilo irrigare deriuata aqua longe omnium fœcundiſſima cultores agrorum ſolent. Intra has veluti compedes deprehenſi captiq; ſunt noſtri, nullum virtutis exercendæ locum nacti.Nilus tunc forte increſcens,Aegyptiis,eorum propè rebus iam deploratis,victoriam incruentam de bellicoſiſſimis victricibusq; gentibus dedit.Patefactis emiſſariis Barbari caſtra noſtrorum aqua ſuperfuſa opę ruere vſque eo,vt commeatus corrumperetur, nec in ſicco conſiſtendi locus oſtenderetur. ad hæc moles editioráque loca repente Aegyptii occupauere, ne emergere è limo alluuiéque noſtri poſſent. Ita virtus improuida,& nimia ſui fiducia ſtabat expoſita ſubiectáque telis hoſtium ſi vim facere conarentur; imbellis forti, ignauus ſtrenuo ſuperior. Pelagius nihil aliud quàm incuſari, coargui, damnari poterat. Francus quòd diſſuadens,inuitus,reſtitans, ſuperos hominésque teſtatus tractus eſſet,ne conqueri quidem honeſte poterat:ne inſultare aduerſa communi re videretur.ecquid hoc tempore Pelagius conſilii daret?quid caperet?vulgus militum quam à Ducibus opem expectarent? Qui Damiatæ Venetorum, Piſanorum, Genuenſium reſtiterant: quòd maritimis viribus validiores, quàm terreſtribus eſſent, qua ratione claſſem Chairo admouerent? & quibus viribus moles aggeresq; riuorum,qui tortuoſis flexuum ambagibus circunducti velut ad capiendum illaqueandúmque eſſent, quibus clauſi erant noſtri,perrumperent, inſeſſos à victore iam hoſte? Nimirum neceſſitati parendum:manus dandæ: leges accipiendæ, modò ſine dedecore religionis, ſine ignominia notáve virtuti inuſta imponantur. Nec hoſtis cruorem petit: non nefarium à noſtris ſcelus expoſcere ſe dicit: tantum,vt Aegyptus ſuis legibus vtatur, res eodem loco ſint, quo ante Damiatam obſeſſam erant,poſtulat: Damiata cedatur:deportetur exercitus. Grauia,dura, aſpera,ſi ſpectes quam quantámque in ſpem ventum fuiſſet: ſed vt res humanæ ſunt; accidere vel fortiſſimis viris ſolita. Sic quoque mori præſtare millies viſum; quàm flagitium admittere.Additum igitur,quandò Damiatam ſibi reddi Barbarus vtique vellet, ipſe quoque ſacroſanctam Crucem, quam Saladinus cepiſſet,noſtris redderet.Hæ conditiones quum iis qui ex noſtris Damiatæ ſubſtiterant, ederentur, ingens controuerſia orta. Eorum pars illas ſe accepturos negabant: cæteri non prodendos fortiſſimos viros ad cædem contendebant: tot millia hominum,dum incolumes redimi vna vrbe poſſent,ſeruanda.vrbes viris,non viros muris mœnibúsque conſtare. Cum in cõſilio vincerent ii qui « cenſebant retinendam vrbem,quæ firmamentum, ſi ſeruaretur,rebus noſtrorum illis regionibus, ac toto Oriente futura eſſet: quæ amiſſa,ſpem reliquam ſecum euerteret: omniáque prius experienda, quàm tam flagitioſam pacem accipiendam:qui contrà ſentiebant,proripientes ſe è concilio,ad arma diſcurrerunt,hoſpitiáque principum contrariæ ſententiæ,clientiúmque ingreſſi,eorum arma ceperunt: vt illos inermes ipſi armati cogerent in ſententiam ſuam deſcendere. Vbi nunciatum eſt circumuentis ab hoſte Damiatæ certari de

ſententiis,eis renunciari iuſſerunt, niſi Damiata Sultano redderetur, miſſuros ſe Ptolemaidem, quæ vtique dicto audiens futura eſſet, vt ea Aegyptiis cederetur. Ita Damiata reſtituta Barbaris:ac irriti tot labores redditi. Vnum illud indignitatem leuiorem fecit,quòd Sultanus,vt victoria incruenta potitus,non inſultauit noſtris: lenitatem ſummam præſtitit: commeatu, viatico iuuit: ac Sultanus etiam Damaſcenus inducias in octo annos cum Latinis pepigit:quibus fretus Brennus Rex in Italiam venit: authoréque Pontifice Max. vxore Regina Hieroſolymitana defuncta, Iolen filiam ex ea, Reginam iure materno ſalutatam, Regi Siculo Fœderico Cæſari collocauit: vt dotali ſacro Regno,ſacrum maiore animo capeſſeret tandem bellum.Ea re factum eſt,vt deinceps Siculi Reges, Hieroſolymorum etiam ſalutari Reges æquum ſe cenſeant : ſed armis ius ſacri Regni non perſequuntur : cum tot profanis cauſſis nullus ſit bellorum modus.Is Cæſar,cum anno Bouinenſis ignominiæ Otho Imperii æmulus mœrore deceſſiſſet,ſacram Crucem ſuſcepit. ſed nouas ſemper occupationes cauſſatus,nihil mouebat,magnæ ei inuidiæ fuit amiſſa Damiata:quòd eius cunctatione factum diceretur, vt in Aegypto res amitterentur. Brennus votiua peregrinatione illuſtrem fama ſanctitatéque diui Iacobi ædem petiit: quo in itinere Caſtulonenſis Regis ſororem Berengariam vxorem duxit : exin longo temporis interuallo in Franciam reuertit:Regémque Philippum Meduntæ morientem inuenit. obiit anno eius ſeculi tertio & viceſimo.Auguſti cognomen apud poſteros promeruit: Deodatum etiam vocitarant : quòd obſecrationibus eum pater tertia tandem ex vxore ipſe magno natu impetraſſet.Brenno regi, & duobus magiſtris Templariorum Hoſpitaliúmque ſexagena millia aureorum ad ſacri belli neceſſitates moriens legauit:filióque præcepta dedit rei Chriſtianæ iuuandæ, ſacriq; belli gerendi,ac pacis domi colendæ.Hoc Rege Theobaldus Campanus ex Blanda filia Regis Nauarræ genuit Theobaldum paterno iure Campaniæ Bryæq; Comitem: eundem materno Regem Nauarræ futurum . Auguſtus Rex eo cognomine dignus pomerium Regiæ vrbis promouit. Ea trium vrbium inſtar eſt. Vicenis Pariſiorum ſuburbanos hortos, paradiſumq; clauſis feris inſtituit.

XLI. PHILIPPVS AVGVSTVS.

LVDOVICVS



LVDOVICVS AVGVSTI FILIVS ANnum agens ſeptimum & triceſimum, Remis operante Gulielmo ciuitatis Pontifice, ſacris Regiis initiatur, frequẽtiſſimo procerum conuentu ſe illi Panagio iureiurando ~~decuncientium~~. A re diuina in Ambaros profectus, cum Fœderico Cæſare amiciſſime congreſſus, fraternum nomen inter Francos Germanósque redintegrauit: fœdúsque ſanctiſſimum icit. Henricus Anglus Rex nobiliſſimam Aquitaniæ partem obtinebat: quod erat Francorum ~~beneficium~~. ~~Is non~~ interfuit myſteriis Regiis, neque per legatos excuſatione morbi, neceſſariæve ~~occupationis~~ vſus fuerat. Sauarum Malleonẽſem magni in aula Anglica nominis, magnæq; domi nobilitatis virum Aquitaniæ præfecerat. Hunc continuò Rex Francus aggreſſus, prælio fudit, fugauítque. Victi Niortum ex fuga ſe recepere. Nec ſegniter vſus victoria Rex, illud oppidum adortus coëgit deditionem ea lege facere, vt Malleonenſi præſidióque incolumibus abire liceret. Fanum Iohannis Anglici petiere. Inſecutus, dum recens terror eſſet, Rex Malleonenſem, & tunc Fano Iohannis, & non multo pòſt Rupella, quò bellum tranſlatum eſt, exuit: coëgitq; relicta continente in Angliam traiicere. Ille, cum è manibus telísque hoſtium elapſus, ſe in tuto eſſe arbitraretur, neceſſe habuit cauſſam capitis dicere, proditionis inſimulatus, quaſi res Francis prodidiſſet. In præſens liberatus eſt crimine: ſed cum ſe genti ſemper ſuſpectum ſentiret, ad Francũ tranſiit: ab eóque cultus eſt, & magnifice donatus. Henricus aduerſus Regem Francum Regiæ nobilitatis Duce opus eſſe ratus, Ricardum fratrem cum longe maxima claſſe in continentem miſit. Vaſconia iam Francos reſpiciebat: eam, ne omnis deficeret, continuit Ricardus: aliquot oppida quæ iam deſciuerant, recepit. Riola expugnari nulla vi potuit. Lemonem in citeriore Aquitania Francus de Anglo cepit. Exin cum ſeneſceret vtrinq; bellum, tacitis induciis ſponte exortis, Anglus claſſem domum reduxit. Angli armorũ ſocios fœderatosq; Duces clariſſimos amiſerant. Otho deceſſerat, æmulo Imperii Fœderico Francorum in multos annos amãtiſſimo ſuperſtite. Reginaldus Bononiæ Comes in compedibus interierat, ſucceſſore in Comitatum Philippo genero Regis Franci fratre. Ferdinandus Flandriæ Comes in arce Lupara aſſeruabatur. Flandria recenti memoria vaſtitatis Frãcico bello illatæ, metu grauioris mali, ſpeq; recuperandi Comitis, quietem tacita agebat. Fœmina rebus Flandricis Annonicísque præerat Iohanna Ferdinandi vxor, eadem Balduini Græcorum Auguſti filia, qui pro mortuo ~~comploratus~~ fuerat. Nunc conſternata malis Flandria, extitit repente qui ſe reducem Balduinum Cæſarem eſſe prædicaret. In Annonia res iam mouerat, quòd id natale ſolum Balduini, ac paternus dominatus foret, tæderétque fœminei dominatus, eáque gens ſoluta ſit Francorum Imperio. Flandria modico comitatu eum finibus recepit: ſed nondũ Comitem, Cæſarémve agnouit, ſalutauítve. Ipſe grauitatem ore quammaxime fieri poteſt præ ſe ferebat, venerationem ſui captans, maieſtatemq; concilians.

Iohanna in conſpectum admittere noluit: tantùm ei ſanctius conſilium datum eſt: cui qui præerat, velut quæſitor eum grauibus fatigare percontationibus auſus, Si verum te, inquit, Balduinum iactas: ſi non falſum Græcorum Auguſtum te gloriaris: interrogo, cur rem Conſtantinopolitanam fidei tuæ creditam, eo deſtituiſti tempore, cum tuo conſilio virtuteq; indigeret? Cur optime meritos de te Duces, qui te toto ex orbe terrarum vnum delegerant, in arceq; gentium collocarant, ferociſſimis hoſtibus obiectos deſeruiſti? vt etiam ſi vere Balduinus fores, æquius eſſet nos diſſimulare, ignoraréque, quàm cùm ſis commentitius, agnoſcere. Cur re Orientis, vt humeris tuis innixa ſuſtineretur, tibi credita, per te perdita, mortem ſimulaſti, vitam diſſimulaſti? Quæ tanti mendacii merces? Quæ digna tanti commenti cauſſa? Si mortuus credi voluiſti, cur te viuum credamus? Cum viginti annos nuſquam fueris, nullus fueris, cur Philippo Rege viuo, viuisq; iis qui te coarguere mendacii poſſent, non rediiſti? non te ex ſepulcro excitaſti? Quibus tenebris lucem tuam faciémque generi humano notiſſimam occuluiſti? Quod nouum gerens os tot annos oculos mortalium, quibus præſtigiis deluſiſti? Simul illud quæro, num tanto poſt deploratum verum Balduinum Auguſtum, cuiquam dicenti, Balduinus ſum, fidem continuò habẽdam cenſeas? fuerint ne aliquando ignobiliſſimi homines, qui nobiliſſimorum Imperatorum nomen inuaſerint? Secundum diſceſſum veri Balduini tot orbes temporum, tam multas rerum viciſſitudines experta eſt Annonia: ſenſit Flandria: paſſi omnes ſuimus: ecquam opem in bello, ecquid ſolatii in calamitate tuliſti? Hæccine te terra ciuẽ, Principem, Comitem agnoſcat, quam rebus dubiis nec parentem, nec patriam, nec altricẽ agnouiſti? Ille ingenti fiduciæ oſtentatione, non vt reſpondere iuſſus, ſed velut caſtigans increpitansq;, vel magnitudinem ſuam vel audaciam tegebat: Se domi inclementiores populares nactũ, quàm foris hoſtes. ſe ad Adrianopolin egregie pro decore patriæ, Imperioq; ciuium, qui nũc ſe infectentur, decertantem: vt res bellicæ ferũt, inclinatis ad iniqua rebus circumuentum ab hoſtibus, maieſtate tamen nominis & ſui, & publice Flandrici, tectum: nihil ignominioſi, nihil duri perpeſſum: aſſeruatum, cultúmque per duodeuiginti annos apud eos fuiſſe: & longa die remittente ſe cuſtodum cura, & ope diuinitus lata, ſibi occaſionem elabendi datam: cum domum refugeret, rurſus ab aliis Barbaris captum, ignaris quem comprehenderent, nec ſe quis eſſet aperientem, ita in Aſiam ductum, ac velut vile mancipium Syris quibuſdam ab iis ſe venundatum: in ergaſtulo biennium fuiſſe: quibus manibus bella geſſiſſet, ſceptra tractaſſet, coactum opus ruſticum feciſſe: Cum Germani mercatores per inducias inter Latinos Barbarósque Aſiaticos factas, forte quo in agro foderet, per eum contenderent, inter ſeq; (vt ad leuandum laborem itineris aſſolet) verba facerent: ſe, qui germanice ſciret, illis ſeuocatis aperuiſſe, quis, quo caſu ad id miſeriarum perueniſſet: ab his non magno ſe redemptum, ac domum remiſſum: audire probra in ſe à ſuis, quæ non Græci bello petiti, non Thraces finitimi ferociſſimi, non Scythæ effera gens, non Barbari Syri, quibus precio veniſſet, iactaſſent. Nunquam rem Flandricam ampliorem magnificentiorémque, quàm ſe Comite: nunquam auguſtiorem gloriam nominis

Flandrici quàm ſe Principe domi peregreq; extitiſſe:ingratam patriam,ingratos populares:ſe reducem,tot fluctibus iactatum,inſuper indignitate verborũ inſectari:Mutatos profecto mores,degeneraſſe à patribus illis,qui ſe Duce iura Græcis dederint:Nec mirandum ſe abſente patriis inſtitutis repudiatis,nouis exortis afflictam Flandriam,quæ ſe adminiſtrante floruerit. Addebat grauiora:cum cõcilium à quæſtore dimittitur, quòd nullum decretum maximis de rebus,niſi explorata Iohannæ voluntate,facere conſueuerãt.Illa hunc hominem maxime auerſabatur, ſiue exploratum habens patrem Balduinũ Auguſtum fato functum:ſiue Imperio fœmina delectata,nec illud niſi morte depoſitura,quod reduci ſtatim patri reddendum foret.Tandem nõ parua Flandricæ nobilitatis manus hominẽm Comitem Auguſtumq; ſalutantes,iura ab eo petebant,quòd ille fidem maieſtatis ſuæ faciebat,nomina cõmemorans,nobilitatemq;,ac egregia facinora maiorum natu,ſtemmataq; familiarum,à quo quiſq; progenitus foret.Mulier ad Regem Francum oratores ſupplices miſit, vt Balduini auunculi Auguſtam ſanctamq; memoriam ab ignoti hominis audacia vindicaret:ſibiq; beneficiariæ & Rex & amitinus opem ferret.Dies igitur homini dicta. Præſtò fuit magno comitatu . ſimul atque introductus eſt, cum Regem ſalutaſſet, Quonam te,inquit Rex,nomine reſalutem, nondum mihi cõpertum eſt.Balduinus fuit idem & auunculus meus,& Flandriæ Annoniæq; Comes: omnium Comitum nobiliſſimus : ſimul & Græcorum Auguſtus. hunc ego adoleſcentulus luxi, eius morte allata : frater vir fortis ei in Imperium,filia in Comitatum ſucceſſit.In fidéque mea eſt Flandria, Franciæ cõtributa. Optarem,ſi fas eſſet,ſi facta infecta votis reddi poſſent,auunculum mihi, amitinæ meæ patrem , Francis nobiliſſimum beneficiarium, rei Latinæ Auguſtum apud Græcos nomen regredi domum,ſi nondũ diem ſuum obiit: aut reuiuiſcere,ſi deceſſit. Famæ mortis tam conſtanti,tot annorum rumoribus temere fidem non derogo . teſtimonio enim mortalium, quæ vna famæ vox eſt,res humanæ, Imperiaq; cõſtant. Quem haberi te velis,effare.Si auunculum te vis eſſe,id aliquo monumeuto documentoq; confirma. Nihil mihi quo inexpectatius,eo & gratius iucundiúsque erit,quàm falſo me defunctum luxiſſe : reddiq; auunculum,quem parentis loco habeam.Breuis percontatio te eundem & teſtem & iudicem tanta in cauſſa faciat. Interrogo, tẽ ne pater meus Rex beneficiarium vocitarit,Flandriæq; iure veſtierit?quo loco,tẽpore, ritu,teſte?Baltheó ne te,militiæq; inſigni donarit?Tibi quænã fœmina ex Frãcica nobilitate,quo conciliante, quibus auſpicibus, quo loco,qua celebritate nupſerit?Hæc de ſe ignorare verus Balduinus non poteſt. Tunc hærere viſus, nec reſponſa explicare. Fide publica venerat. Dimiſſus ab Rege, cum in Annoniam rediret,à Iohannæ miniſtris comprehenſus reſte ſuſpenditur,fama ancipiti,iuré ne,an iniuria.Exin in Toloſates perrectũ,legato Pontificis max. ad reliquias belli perſequendas incitante : qua ex re coniicere licet ſacro ære eum quoq; militem meruiſſe.Simo enim Comes Toloſam quæ defecerat,cũ oppugnat, oppreſſus ſaxo ex vrbe coniecto ceciderat : nec multos poſt dies Raimundus repentina morte obiit:nec idcirco illud bellum finitum.Simoni Almericus,Raimundus Raimũdo,patribus filii in cauſſam bellũq; ſucceſſere.

XLII. LVDOVICVS VIII. D. LVD. P.

Hoc ſtatu rerum ductus à Franco exercitus. Almericus viribus ſuis belli molem, quo pater tãtus vir obrutus fuiſſet, tolerare ſe poſſe diffiſus, iure ſuo Regi Franco ceſſit, ab eóque Magiſter equitum inſtitutus. Aucnionenſes Regem tranſitum petentem, mœnibus ipſum quidem, ſed non vniuerſum ſimul exercitum, aut eius nimis magnam partem recipere parati erant. Indignum Regi viſum. Vrbs obſideri oppugnarique cœpta. in alterum menſem ea res extracta: peſtilentiáque exorta in caſtris, alii ſuper alios interibant: nec idcirco Rex, niſi vrbe coacta arbitrio ipſius ſe permittere, murisq; exuta, deduxit exercitũ. In rẽditu ad Montempẽſerium obiit, anno eius ſeculi viceſimoſexto. Paucorum annorũ Rex, nullo ſuo cognomine nobilitabitur: filii ſanctitas eum illuſtrabit. Ludouicus Diui Regis pater velut cognomine nuncupabitur. Sacra Remorum ſedes vacabat. Tantum tamẽ dignitatis in eius ciuitatis æde ſacra, ſacroq; Simpulo tandem viſum, vt quod controuerſum ius Craſſo Rege fuerat, de eo nulla dubitatio tunc exoriretur, quo minus Remis à Põtifice Sueſſionum, quæ vrbs in ſacra iuriſdictione Remorum præfecturæ contribuitur, ſacraretur DIVVS LVDOVICVS annum agens duodecimum. Summam rerum mater Blancha regebat, demandatam ſuprema mariti Regis voluntate. Eam ſtatim res bellicæ excepere. Raimundus Toloſas religionis hoſtis iudicatus, Saracenum (id oppidi nomen eſt) vbi præſidium Francorum erat, adortus, deditionem facere coëgit. Vmbertus vir bello clarus præfectus Regius in Toloſates iuſſu Blanchæ profectus, cum agris vaſtitatem oſtentaret, vrbi excidium minaretur, peruicit vt ſe dederent. Raimundus, quem ſummi Duces non perdomuerãt, auſpiciis fœminæ victus, nulla iam reliqua ſpe, quaſcunque Francis viſum eſt conditiones accepit. Vnicam filiam nouem annos natam Iohannam habebat. Conuenit vt ea Alphonſo fratri Regis, & ipſi impuberi, deſpõderetur: pater virginis viuens vteretur frueretur Comitatu: mortuo ſuccederet gener Alphonſus. Hæc initio Regni Ludouici bello geſta. In aula (vt impubere Rege, fœmina Regni procuratrice, eáque genẽre externa, neceſſe erat) factionibus iam exortis, Philippus Comes Bononiæ, Regis patruus, Blanchæ opponebatur: Duobus deinceps Regibus patre fratréque ingentem vim auri congeſſerat, & eorum munificentia, & hoſtium exuuiis. Nunc magno ſumptu Calitium muniuit, ac muris cinxit, bello in primis maritimo, rebusq; gerendis opportuniſſimum, ac vnde in Angliam commodiſſimus breuiſſimusq; traiectus: vt repetito ex antiquitate nomine, Itium vocitari iure poſſe videatur. Ferunt, cum diuus Pontifex Thomas ſede patriáque exactus eum in portum locumq; nõdum opere munitum tranſmiſiſſet, diuinitus ceciniſſe, illam futuram arcem atrociſſimi ac funeſti in aliquot ætates belli. Blancha verebatur ne quid noui conſilii Philippus iniret. Coargui infidelitatis non poterat: à longe maxima nobilitatis parte obſeruabatur: opponendus illi viſus finitimus ingens nomine opibusq;. Ferdinandum igitur ab vxore redemptum, in cohortem amicorũ Hiſpanum Hiſpana recepit. ita Bononienſis nomen obſcurius factum. Addidit & aliud opum ſuarũ firmamẽtum: Theobaldum Campaniæ Comitem, paterno Francum, materno genere Hiſpanum, ab aduerſa factione in partes ſuas traxit. Petrus vero Britanniæ Dux, eiúsque

frater maior Robertus, Druydum Comes, Regiæ nobilitatis proceres ſe excludi regimine rerum moleſte ferebant. Coniuraſſe in Regē dicebantur. Dies illis Vindocinum ad cauſſam dicendam dicta: quò cum aulici proceres Regem ducerent, idq; ita futurum compertum rei habuiſſent, ad Stampas tetenderunt inſidias, ſi Regem ipſum in poteſtate haberent, adminiſtrationem rerum ad ſe vocaturi. Senſere Pariſienſes: correptisq; armis Regem ad Letericū, vt iam profectus erat, aſſecuti, Lutetiam reduxere. Illi dolore detectarum inſidiarum, in Campanum, qui particeps conſiliorum extitiſſet, iram omnē effudere. Campaniam ingreſſi, eius res agebant, ferebantq; : Regiis occurrentibus ceſſere. Ita duo fratres bellum gerebant. Diſiungendi erant. Robertum Blancha in amicitiam inuitauit. Gratiam aulicam euocatus non eſt aſpernatus: ad Regem venit. Non tam armis res gerebatur, quàm ſolicitatione animorū, reconciliandisq; atque adeo emercandis ſociis amicisq;. Petrus Dux vnicam filiam nomine Blandā obtulit Iohanni Campani filio. Splendidiſſimæ nuptiæ; & locupletiſſimi dominatus ſpes minime repudiāda. fœdus grauiore vinculo renouatum, ignara Regis matre. Re palam facta, bellū Comiti illatum: Montolium Brauiūmque capta. Morte matris auunculiq; Campano Rege Nauarrorum ſalutato, ac nouis rebus occupato, pax reddita: oppida ſemel capta, nō reſtituta: reliquæ & veteres & recentes opes incolumes ei manſere. Supererat Petrus qui in armis eſſet, à fratre deſertus Campano rebus ſuis cōſulente. Noua auxilia circunſpicere, ac longinquam opem implorare coactus, Henricum Regem ſibi fœdere iunxit. Sed ſera auxilia Anglica. Appetente Vere affutura erant. Sæua hyeme Frācus in Petrum duxit. Andes de Anglis receptos Ludouicus Auguſti filius Petro attribuerat: & alia alibi loca obtinebat Dux, alia liberalitate Francorū, alia à patre relicta, alia dotalia. Circumlatum igitur bellum. Andes aduenientibus Regiis ſe reddidere, quos diu toleraturos obſidionem ſperarat: & alia oppida petita, expugnataq;, in quibus Beleſimum, Campanellum, Ardonū, Caricealum. Vlterioribus imminebant Regii, cum deprecante Roberto fratre venia Petro data eſt. In Franci verba iurauit, profeſſus Britanniā iuſtum legitimumq; beneficium Francorum: quam rem pudori illi fuiſſe Britanni ſcribunt, & Maledocti cognomē illi ea ex re inditum, quē erudītione præſtare oporteret, qui Lutetiæ literis operā dediſſet. Vouit ſacrā peregrinationē. Cum Theobaldo in Aſiam nauigauit. ſimul Almericus à Monteforti, Erixq; Ambarorum Comes Ptolemaidē claſſe tenuere, rem Chriſtianam tecturi. Cum in cōſpectu ſacra loca haberent, alienū tempus viſum. Maledoctus Campanusq; verſo geſo in ſacrū baculum, ſacraq; pera ſumpta, permiſſu fideq; publica Barbarorum ſanctum monumentum inuiſunt: domumq; accepta ſacra palma redierunt. Almericus Ambarúsque dum virtuti nihil inuium ducunt, ſub ſignis in hoſticum profecti, internecione cæſi. Iam maturus rebus adminiſtrandis Rex iam inde à pueritia ſanctus, & in primis ſuorum amantiſſimus, Alphonſum fratrem Ducem Pictonum creat: ac in eius verba illius Præfecturæ proceres iureiurādo adigi iubet. Vxor Vgonis Comitis Marchiæ, quòd mater Regis eſſet, ac Regis vxor extitiſſet, ac marito Comite Regina tamen ſalutaretur, deterrebat virum, ne Regis vitricus Alphonſo Duci

ſe ſacramento deuinciret: à ſe Iohannam Alphonſi vxorem non adoratū iri. ſimul Gotthofredum Luſinianum ſpiritibus impleuerat: eum habuiſſe fratres Reges Hieroſolymorum, Cypriq; : Indignum Regiæ Luſinianorū familiæ, ab Alphonſo Duce iura petere. In hunc Rex duxit: tria oppida expugnauit, Bergam, Nonuntum, Fonceum. Sub quod tempus Rex Marte victor nefariis inſidiis petitus eſt, Vgonis vxorem ſubmiſiſſe ferūt qui quantocunq; auro emerent, per quos veneno Rex tolleretur. Deprehenſos capite luiſſe. Hoc minime generoſum. illud etiã ferum : Percuſſores in Regem paratos fama increbruit: latus ſuū cuſtodibus ſepſit armatis: nec quenq; temere admittebat. Ab Arſacida Aſſaſſinorū ſeniore miſſos tradunt: eundē ſubeunte cruenti conſilii pœnitentia, miſiſſe qui eos reuocarēt: aut ſi forte alio itinere profectos non inuenirēt, Francum admonerēt quid à quibus cauendū. Vanum id videatur, à tali hoſte miſſos, eoſdem mox ab eodem contra patrios mores reuocatos. Vnde venenum ferūt, inde omne ſcelus ortum crediderim. Conſtat miſiſſe Vgonis vxorem in Angliam, qui ſpecie ſacrarum concionum gentem animo in Francos male pacato incitarent: eos reliquarum gentium nobilitatem & priuatam & Regiã bello perſequi, ac tollere conari. Anglos Normania exegiſſe, omni ex Aquitania pellere contendere. Luſinianorum Regiam domum opibus ſpoliaſſe: Vgonis filios, quòd fratres Regis ſint, patremq; deturbare finibus conari. non moueri, nō tangi capíve miſericordia ætatis, nobilitatísve. in Francos ſanctius fore bellum, quàm quod ſacrum in Syria geſtum ſit. Hæ erāt ſubornatæ à fœmina, habitæ à viris concionēs: quæ Anglos iam animo hoſtili cū armaſſent, facilè mouere Regem poterāt, vt inſidiis menſæ tentatus, lateri ſuo etiam ferrum, ſicariosq; propiores, quàm ex Syria Phœniceq; timeret. Cæterū Angli permoti concionibus, non ſcelere, ſed ex profeſſo armis ſumptis, belloq; indicto egere: ac cum in Galliam tranſmiſiſſent, ſenſerunt ſibi cum fortiſſimo & iuſtiſſimo Rege rem fore. Henrico Regi Ricardoq; occurrit mater, gratiasq; egit, collaudauitq; pietatem, quòd matri, quòd vitrico auxilio præſto adeſſent contra Blanchæ Hiſpanæ liberos. Muliere propè ſignifera nihil præclari manus illa virorum geſſit. Antequam occurrerent in armis Angli, Francus Fonteniacum expugnauit, diripuit, publica priuataq; ædificia ſolo adæquauit. tantum à ſacris ædibus temperatum: iritatis animis, quòd Alphonſus Dux, cuius cauſſa hoc bellum gerebatur, vulnus in oppugnatione accepiſſet, ſed id leue, ac facilè percuratum. Vgonis filius ibi cōprehenſus. Vido à Rupeforti Anglicarum partium erat: de eo Villarium oppidum captum, dirutum & ipſum. Exin Carantonū flumen ponte iunctum: repulſusq; Ricardus vlterioré ripam ſeruans: qui cum certior factus eſſet Alphonſum primū agmen ducere, ſatisq; magno interuallo ſubſequi Regem, dextram inermem tetendit, nutu voceq; ſignificans ſe cū Duce colloqui peruelle. Iniuſſu Regis Alphonſus non auſus fuit colloquium cū hoſte cōſerere, diſciplina militari vetante: nec multo pòſt Henricus ſuperuenit: & Rex Frācus affuit. Pugnabatur acriter: nec decerni res poterat. vterq; Rex ætate florentiſſima fratribus acerrimis Ducibus præliabātur: ſuis aderant: eos hortabātur: acuebāt oratione, exēplo, conſilio, audacia: cū aliquot Francorū cohortes, quæ præſidio pontis relictæ fuerant, audito certa-

mine ſubſidio ſuis accurrêre. Hæ procul conſpectæ alacritatem ſuis addidere, hoſti terrorem iniecere. Isq; ſe Sanctones, atque inde Blauiam ex fuga recepit. Francus Rex ſignũ dedit ne cædes fieret eorum qui arma abiicerent, manusq; darent. Circitèr quatuor millia hominum capta. Vgo non vltrà audita vxore, Franci Regis fidei ſe permittens, venia donatur. Tria oppida ei conceſſa, Mefenium, Cretoia, Eſtardium. Comes in verba Ducis iurauit: & Dux Panagio iureiurando ~~ſe Regi fratri~~ obſtrinxit. Blancha Angli amitina erat. Hæc tandem memoria cognationis vtrinq; valuit: & pacem inter Regias reconciliauit. Raimundus Toloſas dolore paterni dominatus amiſſi, ac vſufructus tantum ſibi relicti, cum Anglo ſenſurus fuerat aduerſus Francos: fortuna Franciæ eum aliò vertit. Raimundum Berengarii filium Comitem Prouinciæ Phocenſis Maſſilienſes queſti ſe ab eo immodico Imperio premi, vrbe exactum omni Prouincia pellere conati, Toloſatem accerſierant, vt cõſanguinitate proximus iura Comitatus illius capeſſeret. Bellum illud vtrunque Comitem occupauit, ne bello Anglico immiſcerentur. Pace Anglica Phocenſis vtranque Regiam ſibi affinitate iunxit. Quatuor filias habebat: Margaritam Franco Regi, Leonorã Anglo, Santiam Ricardo Angli fratri collocauit. Beatricem minimã ſtirpis nullidum deſpondebat. Maſſilienſes ſe ei dicto audientes reddidere. Ille iniuriæ memor, redire eam in vrbẽ noluit, qua ſui eum ciues eiecerant. apud ſororis virum Comitem Subaudiæ reliquam vitam egit. Biterenſis Comes in armis erat: Carcaſſonis ſuburbia occuparat: ex iisq; vrbẽ premebat. Francus adueniens eos obſidione exemit. Nemo vnquam lenior faciliorq; veniæ ſupplicibus dandæ hoc Rege fuit. Biterenſis vita obliuioneq; iniuriarum donatus. Beatricem Phocenſis filiam Toloſas in matrimonium petebat: nec pater virginis abnuebat. Propinquitas intercedebat. Pont. max. erat adeundus. Is ſe non præbuit indulgentiſſimum in his nuptiis vinculo legum ſacroq; impedimento ſoluendis, Francum reſpiciẽs, quòd opes Toloſatis iam deſtinatæ erant genero Duci Alphonſo. Dum Romæ trahitur res, Phocenſis obiit: Virgo authore Comite Sabaudo nupſit Carolo Franci Regis fratri. Ita quatuor puellæ nupſere in duas binæ Regias: omnes Reginæ tandem ſalutabuntur. Lutetiæ florebant liberalia ſtudia: iuuentutis concurſus vndique illuc fiebat. Scholaſtici ſuorum nonnullos à ciuibus pulſatos conqueſti, alii in alia cæterarum vrbium Muſæa conceſſere. Anglus propoſita ingentium præmiorum, honorum, vacationum, emolumentorũ ſpe, aliquot eorum millia Oxonium elicuit. Solitudo, exiliumq; literis indictum Lutetiæ videbatur. Rex non minus decoris liberales artes, humaniora ſtudia, ſacram diſciplinã, cultum ingeniorum Francis quàm arma afferre prædicans, egregiamq; conſociationem fore bellicarum rerum gloria cum diuinarum humanarũmque rerum cognitione doctrinaq; coniuncta: Regiæ vrbis ciues ad officium colendosq; doctores diſcipulósque reuocauit. Suus ingenuis artibus honor habitus. Ipſe Rex iam virtutis bellicæ documentis datis, quietem & tutiorem & glorioſiorẽ nactus, ſe totum religioni dedere, publicæ vtilitati, decori communi inſeruire. Ambitum coërcuit. Decuriæ honoresq; in ſua cuiuſque ciuitate largitionibus parari cœperant: Hunc morem graui edicto ſoluit: ſibi primùm imperans,

quod virtuti meritísve deberetur,fortunæ autóve non dari. Hiſtriones,para-
ſitos aula exegit. Peſtilentia ſimul & fame orta, vt malum malo ferítur, cum
nullum conſilium, nullam humanam opem non adhibuiſſet, diuinam etiam
implorauit: publice obſecrationibus,priuatim & arcane (vt poſtea compertum eſt) cilicio interiore vſus, ieiuniis,tergo flagellis lacero. In omnibus vitæ
partibus ſanctus,cuncta ex vſu dignitatéque moderabatur: plebes parentem,
nobilitas principem,leges cuſtodem,Francia verum Regem,religio vindicem
ſentire. In alienos maxime pius,in ſuos etiam liberaliſſimus. Phocenſes mortuo Raimundo Comite in poſſeſſione libertatis erant: ea abutebantur:eiuſq;
prouinciæ vrbes contrariis ſtudiis diſtinebantur. Carolus permiſſu fratris Regis illò profectus,omnem Phocenſem prouinciam in poteſtatem redegit.ipſe
minimæ ſtirpis puellarum vir,ſocero gener ſuccedens,non modò Prouinciæ
Comes ſalutatus,ſed à fratre Rege inſuper Andium ſimul Cœnomanorumq;
Comes creatus. & Alphonſo Pictonum Duci Toloſatium etiam Comitatus
deſtinabatur. Roberto item fratri Atrebates Comitatus datus. Matri ſua ſertuata maieſtas. Ea rebus initio adminiſtrãdis,quòd mulier,quòd externa,quòd
externorum fide conſilióque vteretur,iniquos æmulosq; habuit: alioqui ſine
controuerſia,ſine exceptione laudibus cumulata. Ferunt illam à puero filium
ita inſtituiſſe,eáque religione imbuiſſe,vt in animum induceret malle emori,
quàm ſcelus concipere. Patrem quoque Regem opinio eſt ea continentia in
ſumma omnium rerum licẽtia,temporibusq; corruptiſſimis extitiſſe,vt vſum
voluptatum intra ſepta matrimonii cohibuerit: vt mirum non ſit tali vtrinq;
indole,domeſticísque inſtitutionibus ac exemplis ſobolem ſanctam fuiſſe. &
ſanctam per ſe matrem,filius vbi adoleuit,etiam ſanctiorem effecit. Ii quoque
qui in eum arma tulerant, eadem arma in hoſtes religionis continuò vertêre.
Campanus Maledoctúsque in Aſiam,vt oſtendimus,nauigarant. Anglus trans
Pyræneos ſaltus,quò & Francus,militem miſit aduerſus Africanos Barbaros:
qui nouis ſemper copiis populari vrereq; Hiſpaniam non deſinebant. Tarraconenſium Rex ſuo milite cum Francis Angliſq; iuncto,egregiam victoriam
de Africanis reportauit, Valentiámque de illis recuperauit. Eo bello Franci
primas virtutis gloriæq; partes retulere. Collaudati,donatiq;, & hoſtium ſpoliis decorati rediere domum. In Græcia vero Robertus Altiſſiodorenſis Græcorum Auguſtus virginem nobilitatis Byzantiæ formoſiſſimam, ſed quæ deſponſa iam fuerat Burgundioni cuidam iuueni florentiſſimo, ſibi matrimonio conſociauit, matre puellæ authore, lætaq; his multo ſplendidioribus nuptiis. lætitia in necem vertit. Burgundio iniuria magis iritatus, quàm Cæſaris
nomine deterritus, manu coacta in domum ſocrus irruptione facta, nouam
nuptã auribus defectis,truncis naribus deformauit. anum mari proximo merſit. ſe ab Auguſto,ne pœnas daturus comprehenderetur,commilitonum grege tutabatur. Non multo pòſt defuncto Roberto Balduinus filius ſucceſſit.
Hunc adoleſcentem nomẽnque latinum duo circunſtabant bella,duobus æmulis Imperii. Græci proceres vniuerſi veriti ne Francograecia ea Regio fieret, germanáque Græcia nulla eſſet, à Latinis quidem alieni, ſed ipſi inter ſe diſtrahebãtur. Theodorus Alexidis impii gener à Latinis vrbe Regia,vt edo-

 cuimus,

cuimus,pulſus,Adrianopolin tenuit,ſéque Cæſarem dixit:ídque nomen vt à ſocero acceperat,ita Batazi genero moriens reliquit. Huic filius nomine aui materni Theodorus ſucceſſit. Hæc apud Græcos Auguſtæ maieſtatis familia pollens poténſque erat. & altera in Ponto Dynaſtarum Exagonarum:cuius princeps Iohannes à ſuis & ipſe popularibus Cæſar ſalutabatur, non alienus ab Auguſtorum ſtemmate, quòd & ipſe gente Laſcaris erat: qua nobilitate Theodori gloriabantur. Hæ duæ familiæ inter ſe de Imperio bello contendiſſent, conſanguinitatis maiorúmque immemores,niſi communis à Latinis metus cohibuiſſet. Ponticus ſibi ſuiſque minus fidens,agentibus Venetis,vnicam filiam Balduino Cæſari in matrimonium offerebat: ita duabus partibus coëuntibus,Batazem Adrianopolitanóſque facilè ſuperari poſſe. Burgũdiones veriti ne tanti ſoceri ope Balduinus iniuriam patri factam,dehoneſtamẽtúmque nouercæ,ac necẽ nobiliſſimæ fœminæ perſequeretur, authores cæteris Francis fuere, vt repudiarentur hæ nuptiæ:caueret Balduinus ne Francica facilitas arte caperetur Græca. Petrum auum Balduini,dum ſe Theodoro Græco credit,circunuentum,notam improuidi hominis, ſecordíſque reprehenſionem infamem ſimplicitate ſubiuiſſe:Sanctiores nuptias Franco circunſpiciendas:ſocerum quærendum,vnde nullus metus,nulla ſuſpicio. Brennum Regem Hieroſolymorum eſſe Ducem veteranum,patrem vnius adhuc reliquæ pulcherrimæ virginis Marthæ nubilis:quæ eadem ſoror ex patre fuerit Ioles Auguſtæ,modò Fœderici vxoris. Brennum perſpectæ fidei virtutíſque virum,animum paternum,ſi ſocer adſciſcatur,erga Balduinum geſturũ. talem virum Pontico Adrianopolitanóque opponendum:ei & generum,& res generi,& curam omnium ſalutémque cõmittendam. Nec variatum ſententiis. Placuit Brennum euocari,Imperiíque procuratorem dici. A Pontifice max. aduerſus vim Fœderici Cæſaris,illius antea generi,ſed morte Brennæ ſoluta affinitate, Rauennatium Exarchus creatus, Flaminiam egregie defenderat. Nunc Byzantium ad auguſtiorem prouinciam adminiſtrandam profectus,filiã Auguſto adoleſcenti collocat. Præſentia generi,qui Auguſtus Auguſto patre auóque eſſet,imminuere maieſtatem Brẽni videri poterat. Adoleſcens eius hortatu ad opem ab Regibus Latinis implorãdam, veterémque patriam reuiſendam, ac res in ea componendas, in Italiam, atq; inde adorato Pontifice in Galliam venit. ſuæ ei redditæ & in Francia & in Flandria res:ſed quæ hæ fuerint,non adiicit Andreas. Ponticus repulſa filiæ factus in noſtros animo multo infeſtiore,Adrianopolitano iuueni Theodoro Batazis filio virginem ſuam deſpondit. Exin res noſtræ illic duriores. Balduinus ſacroſancta paſſi domini monumẽta, in quibus Sertum ſpineum,vt ſocerum re nummaria,bellúmque Græcum iuuaret,Venetis grandi pecunia accepta velut oppignerauit. Illud nomen luit Rex Francus:ſanctiſſimúmque pignus, an depoſitum,in Franciam allatum officii cauſſa occurrens reuerẽtiſſime excepit. Magna nunc quoque religione Lutetiæ viſuntur. Hæc pietas vt ſancto Regi veneratione inter nos addidit,ita apud Græcos Latinorum inuidiã auxit, quòd quæ monumẽta ſanctitas ſua tot deinceps ſeculis intacta inuiolatáque ſeruaſſet,quorúmque nullum commercium ſit,ea loco moueantur,ẽ tẽplis aſpor-

tentur,pignori dentur,precio addicãtur,tam procul transferantur.Iam bellũ in Latinos ſacrum Græcis videri:proceres eorum antea diſcordes iam cõſentire,conſpirare.Quod ſacrum vere bellum apud nos erat,conſeneſcebat,partim ſecordia,partim diſſenſionibus noſtrorum.Fœdericus nouas ſemper occupationes cauſſabatur:ludificationibúſque aliis atque aliis ſpẽ primùm Honorii,poſtea & Gregorii Pontificis maximi fruſtrabatur.Anno eius ſeculi vndetriceſimo,minis denunciationêque ſacroſanctæ poteſtatis territus,ac infenſis piorum omnium,niſi pareret tandem,animis,in Syriam nauigauit.Cũ bella in Italia gereret,Saracenos mercenarios ſub ſignis habere conſueuerat:hiq; Nuceriam nobilem vrbem incolebant: eorum familiaritate tanta tenebatur, vt conſuetudine quotidiana edoctus Saracene ſciret,loqueretûrque. In Syria vero, quo remotior ab oculis noſtrorum inobſeruatiórque erat, eo liberius cum Barbarorum Regibus Satrapíſque, cõmeantibus vltro citróque nũciis, amicitiam clã iunxiſſe fertur.Sultanus ita ei ruinas ac veſtigia Hieroſolymorum euerſorum reddidit,vt,quod ſanctiſſimum eſſe ſciebat,retineret domini deíque ſepulcrum . Muri Hieroſolymitani facilè integris fundamentis reſtituti,ex eiſdem comminus ſtratis rediuiuíſque lapidibus refecti : quædámque ædes ſacræ eadem ratione deintegro extructæ,vbi ipſe ſanctæ ciuitatis infulas coronámque ſuſcepit:Nazarethum & Iopen tradente Sultano accepit, reſtituit,firmauit:quó cum,præter clandeſtinum priuatúmque fœdus, publice inducias in decem annos ſanxit : eueſtigioq; literas ad Pontificẽ maximum, ad Regem Frãcum,ad omnes proceres pios miſit,gratulationis lætitiæq; plenas. Pontifex oſtentationẽ iactationemq; eam eſſe ratus,conſiliáque Fœderici regi circumagiq; Sultani amicitia,literas ad magiſtros militariũ ordinum dedit, cauerent nomini Chriſtiano inſidias à perditiſſima ſimulatione Fœderici.nec vana ſuſpicio viſa.Arabibus Aegyptiíſque æquior inueniebatur Cæſar quàm noſtris.Prætores in Italia reliquerat,qui Pontificis res agerent,ferrentq;.Picenus ager in primis euaſtatus:alios decedens in Syria reliquit, qui ſanctius fœdus Sultani ſeruarent,quàm pios tutarentur:quorum pleriq; à milite Cæſaris omnibus rebus exuti,aliquot etiã interempti.Reuerſus in Italiã Auguſtus ex profeſſo factus eſt hoſtis Pontificis. Abba Vſpergenſis eius temporis æqualis hiſtorias ſuas claudit laudibus Fœderici,inſectationéque Põtificum:eum pie ſacrum bellum geſſiſſe,nullâq; virtute,obſeruantia,obſecratione placare execrabile odium Põtificum potuiſſe,quo minus in eum indigne,nec vllo illius merito euertendũ incumberent.Fama frequentior, & ſenſus propè omnium conſpirans eum damnant.Satis conſtat,quod & Vſpergenſis non diſſimulat, etiam antequã in Syriam contenderet, Auguſtum principes vrbis Romæ viros,inter quos & Frangipanes numerat,euocaſſe,eorúmq; agros de illis emiſſe , perſolutioneq; facta rurſus eoſdẽ illis reddidiſſe velut beneficiarios,ſacramento fidelitatis ſeruandæ exacto,eorúmq; opera exactum vrbe Pontificem. Factionibus Italiam impleuit, nominibus longo tẽporis interuallo repetitis. Auorum memoria Siculus Rex Rogerius veritus ne ſi Cõradus tertius Auguſtus in Italiam veniret,Regno ab eo pelleretur,Cæſarum armis Siculorum dominatui ſemper infeſtis, miſſis in Germaniã oratoribus hoſtẽ Guelfonem

Bauariæ Ducem in Cæſarem concitauit:bellóque ibi cõflato, ex Italia Duci & ſuo,& vt viribus ſanctitatis ſpeciẽ adderet,Pontificis maximi, cuius ſe beneficiarium profitebatur,nomine,ingentia miſit auxilia. Cum his ſigna contulit Henricus Cæſaris filius in oppido Gibellino natus:quo etiam memoria natalium velut gentilitio cognomine gaudebat.In hac igitur acie, Io Gibelline:in altera,Io Guelfo,clamabatur. Eo bello exẽplum memorabile coniugalis fidei mulieres ediderunt. Victor Cæſar cum oppido capto in viros ſtatuiſſet durius conſulere, emigrare iuſſit mulieres rerum ſuarum iure conceſſo, quãtum quæq; humeris poſſet efferendarũ. Flagrantiſſimus amor & mẽti conſilium,& infirmitati robur dedit. Viros exportarunt.hoc egregio dolo ſe captum deluſumq; Cæſare non indignãte,victor etiã victum Ducem in gratiam poſitis armis recepit. Nomina tamen manſere:ac ex ea die ſeruatum,vt Guelfi Pontificum,Gibellini Cæſarũ partes dicantur.Sed iam memoria propè exoleuerat: Fœdericus Siculus reſtituit, ac immortales peſtes eas effecit, quibus Italia & vniuerſa,& ſingulæ propẽ ciuitates laborarent. Conatus eſt etiam ſanctum Regem Siculus à reſpiciendo Põtifice reuocare.Per oratores parũ proficiebat:in cõgreſſum colloquiumq; inuitauit,velut acturus de ſummis nominis Chriſtiani rebus.conuenit vt in Ambaris colloquerentur. Dies compoſita.Mox vt cõperit Regem cũ delectiſſimo quoq; ſuorum proficiſci, tantóque apparatu,vt etiam ſi armis res gereretur,par futurus videretur:valetudine excuſata nõ affuit:ſiue capere Regem,ſi ſui poteſtatem facturus inermi incautóque comitatu veniret, conſtituerit: ſiue quòd cultu æquare magnificentiã Francorum nõ poſſet:ſiue mutatis cõſiliis, aut alia re prohibitus. Confirmauit tamen doli ſuſpicionẽ caſus inſequens.Gregorius Pont.max.in Fœdericum conciliũ Lateranenſe habiturus petiuit à Franco vt è Frãcia Põtifices patréſque mitteret.Profecti ſunt Cluniacẽſis,Ciſtertienſis, Clarouallẽſis,principe legationis Pontifice Rotomagẽſi.ex Prouincia ſoluerunt. Nauibus Siculi intercepti. Violatum ius gentium cõqueſtus Francus, violata iura humana,violata diuina.Legatos Regios Antiſtites ſanctos, Põtifice max.euocãte in vrbẽ religionis arcẽ, ad ſacrũ totius orbis conuentũ profectos excipi? Sic Francicũ nomẽ vile?vſqueadeo arma Francorũ cõtemni?nõ tectura Frãciã ſuos,quæ cæteris auxilio ſit? Huiũsne iniuriæ tam inſignis authorẽ impune abiturũ? Trucibus minacibúſq; Frãci Regis literis territus Fœdericus incolumes reſtituit,purgans ſe ignaro id factum à filio Laurentio Sardiniæ Rege. Gregorius Pontifex ante coactũ plane in vrbẽ vndiq; conciliũ deceſſit. ſucceſſor eius Cœleſtinus duodeuiginti omnino dies ſedit.exin vnum & viginti mẽſes interregnũ tenuit. Tãdem Innocẽtius quartus ſuffectus in Galliã claſſe Genuenſiũ delatus,Lugduni conciliũ habuit,anno eius ſeculi quadrageſimoſexto.Cæſari abſenti diẽ dixit.Cardinales, quòd eorũ aliquot Siculus cõprehenderat, nec dimiſerat niſi Balduini Auguſti authoritate permotus: vt auguſtiores efficeret purpuratos ipſos,rubro etiã pileo nobilitauit.Ad Imperatorem Tartarorum quatuor oratores miſit viros ſanctos,ex ſacro Prædicatorum cœtu,Dominiciq; obſeruatione lectos:ſi gens,quæ domo,horrido cœli cardine,torpẽtíſque naturæ ſolo profecta,bellum vaga circũferens beatiores

regiones vrebat,imbui poſſet Chriſtiana pietate, ac ab inſita feritate manſue-
fieri,ne vaſtitatẽ orbi terrarũ inferret.Aſiæ fœliciſſimas partes depopulati,al-
tera manu in Europã profecti,nos petituri videbantur.Hungariã iam fœdarãt
incẽdiis,ruinis,cæde:verẽdũq; ne reliquis Regnis piis excidiũ molirẽtur. Hos
Scythas,hos Sarmatas eſſe ſatis cõſtat.Cum eorum Imperator ſtatuiſſet ex ie-
iuno inopiq; ac damnato à rerũ natura ſolo migrare,cunctaretur tamẽ,quòd
ſuſpicaretur ſibi cum ſummis Ducibus, cum validiſſimis gentibus rem fore,
quæ ſua egregie tutarentur,Sortes conſuluit.data ei dictio fertur,ne dubitaret
finibus egredi:Duces illi gentíque,domeſticas hoſtium diſſenſiones, & inte-
ſtinas factiones futuras: quæ incruentam victoriam prædámque de ſe præbe-
rent. Turcæ Saracenos attriuerant : noſtri Turcas ingentibus cladibus initio
affecerant.Nunc Turcæ Saraceniq; diſtracti in cõplura Imperia , complures
Sultanos,Satrapas,Dynaſtáſq; habebant . Latini ita Barbaros afflixerant,vt ſi-
ne ſenſu recentium malorum vetera decora recordari non poſſent . Rurſus
Latini Græcos imperio deturbarant:nunc ipſi laborabant.Pontificẽ maximũ
Cæſareũ nomẽ aſſiduo bello,ac ex profeſſo perſequebatur. Nulla pars orbis
terrarũ integra à peſte.Scythæ igitur ſedibus ſuis effuſi,Parthorũ Regna,quo-
rũ tot antè ſeculis parentes fuerant,deleuerunt : Choraſmióſq; inde exegere.
híque extorres in Syriam cũ refugiſſent,Hieroſolyma à Cæſare Latino reſti-
tuta rurſus euertêre: ſacroſanctum monumentũ omni nefaria fœditate indi-
gnitatéque polluêre.Hos ſunt qui Groſſonos vocitent,& Arabas eos eſſe cõ
tendant . Saracenos ipſos à Saraco Arabiæ oppido Stephanus author eſt di-
ctos. Illam etiam alteram manum Scytharum Iohannes Hungarus ſcriptor,
quos promiſcue & Mangalos & Tartaros,vt & cæteri,nũcupat,quatuor an-
te Lugdunenſe concilium annis Hungariam inuaſiſſe tradit:vt ex locorũ de-
ſcriptione obſeruationéque hos corrupta(vt multa) voce,eſſe coniectura ſit,
quos Plinius Tractaros vocitat : haud dubie cognitioni noſtræ propiores,
quàm qui Scythæ Aſiæ receſſus incolunt:ſimul ex vnius populi nobis notio-
ris, & bello illuſtris nomine Tartaros appellatos vulgo non modò qui Scy-
tharum Europam Aſiámque incolunt,ſed finitimas illis gentes,alioqui nullo
ſuo apud nos nomine notas.Fœdericus vero Oratores ſummos ac eloquen-
tiſſimos viros,quorum princeps erat Petrus Vineæ , Lugdunum miſerat, qui
eius cauſſam agerent.armis etiam ſe tecturus, Siculi Regni iuuẽtutem domo
exciuerat.Germani quòd eum Cæſarem ſalutarant, Imperium non detrecta-
bant.Comitatus Burgundiæ eum præſentem ſecuturus videbatur. Eò profi-
ciſcebatur,Lugdunum Pontifici ea parte infeſtum facturus.Rex Frãcus cum
Lugduni officii gratia & religionis Innocentio præſto fuiſſet,ſe viréſque Re-
gni ſui, ac conſilium ſacroſanctæ poteſtati tutãdæ paratum eſſe profeſſus,In-
nocentii cauſſæ dignitatem robúrque addidit: refectíque animi etiam in Ita-
lia Pontificiarum partium . Parma Siculo iter in Burgundiam habenti por-
tas clauſit.ibi hæſit,ſtatuens non prius vltrà progredi,quàm ea expugnata de-
letáque cæteris terrorem hoc exemplo iniiceret,ne curſum eius remorari vſ-
quam auderent.Plus annum ea obſidio tenuit. Ante captam veram veterẽq;
Parmam,vbi caſtra metatus fuerat, ibi nouæ vrbis cõdendæ ſpatium menſus

 eſt.

eſt.ſacris ædibus extruendis locū deſcripſit:earum maximā, vt fœlici omine, diuo Victori dedicauit: cætera publica priuatáque ædificia magnifica aſſurgebāt. Vrbem Victoriam appellauit. Nūmum etiam nota eiuſdem diui martyris percuſſum Victoriatum nuncupauit. Sultanorum Orientis, ſimul Africæ Regum ſocius, amicúſque, miſſis ad ſe elephantis, ac omni genere ferarū quæ floréte re Romana, & iura orbi terrarū dante, notæ fuérant, ſed tunc inuſitatæ oculis Latinorū hominum erāt, ſpectacula edidit, muneráque antiquitati cōparāda. Ludos fecit: produxit homines inauditis linguis, gentibúſque ignotis, ac nouo habitu: triumphum, victoriæque (quæ cœli munus eſt) fructum, antequam vincat, petens. Cæſarum veterum magnificentiam, & rerum ſplendorem, ſed alieno tempore, æquare conatus, ad penuriam pecuniæ recidit. Victoriatos, qui antea aurei cudebantur, iam ſcorteos facere cœpit, cum perparua eius argentea effigie: propoſito edicto, vt hi nummo aureo cenſerentur: fiſcum ſuum tantidem illos æſtimaturū, accepturúmque. Sed & ferro victus eſt. Repentina eruptione oppidanorum præſidiíque caſtris exuitur, fugatúrque. Victoria vrbs antè euerſa, quàm planè conſiſteret. Ei Innocentius, audito Vinea, cauſſaque cognita, de ſententia ſacri conſeſſus ius Imperii nomenq; abrogauit, iure noui piiq; Cæſaris deſignandi electoribus reſtituto. Interea Frācus authoritate nominis Francici tegens Pontificem, ſacram inſuper militiam in barbaram religionem profeſſus erat: nec id humano creditus conſilio agere. Viceſimum iam annū regnabat, pacem domeſticā fouens: ſuis conſulens: erat in ætatis robore: florebat matre, vxore, fratribus, liberis, opibus, nomine. Tot proceres in Syriam, Phœnicen, Aegyptum nauigarant: ipſe deſidere viſus: cū morbo grauiſſimo correptus pro mortuo deplorabatur. Vocis vſu amiſſo, ac nullis reliquis ſenſibus, animus eum defecerat: cum omnium miraculo ipſe ad ſe rediens, primum omnium ſacræ militiæ Crucem depopoſcit: à Pariſiorum Pontifice accepit. Matrem cum fideliſſimis amicorum reliquit, quæ procuratione Regni fungeretur, iam nulla inuidia, quòd initio, ac Rege puero, eius fœminæ ſanctitatem fidemq; perſpexerant mortales: & ea tunc ætate fuerat florentiſſima, formáque egregia: nunc omnia maturitatem ſuam nacta, ætate iam vergente, ac maiore vſu rerum illuſtria erant: nec minus filii ſanctitas matris mores excoluiſſe, quàm inſtitutus à matre videri poterat. Regem fratres comitaturi quocunque terrarum erant: vt ei chariſſimi, ita pari volūtate eius amantiſſimi: nec vxores à maritis Ducibus Comitibúſque diuelli ſe patiebantur. Simul Alphōſi ſocer Raimundus nomen in ſacram dederat militiam: filiam, generúmque ſequi cōſtituerat. Oriens eum non videbit. Morbo implicitus deceſſit. Ad Euerardifontem elatus eſt, conditúſque prope monumentum matris. Ea fuerat Iohanna Angli Regis filia. Vt pater Raimundus ſacro loco mortuus componeretur, impetrari à Pontifice max. extorquerí ve nullis potuit precibus, quòd viuenti ſentientíque cōmunione piorum fuerat interdictum, nec in gratiam poſtea redierat. Sanctus Rex cum vxore, cum duobus fratribus Roberto & Carolo, ac vtriuſque vxoribus, & Odone legato Romano Maſſiliam petiit. Nauem conſcendit octauo Calendas Septembris: qui dies eius memoriæ in numerū diuorum relati poſtea cōſecratus eſt. Alphon-

ſum ſoceri primũ aduerſa valetudo tenuit,deinde mors luctusq; ne cum Rege ſolueret effecit.Ad vndecimum Calendas Octobres Cyprum Rex tenuit: inſulam longe omnium opportuniſſimam res Syriæ Aegyptiq; claſſe tentantibus.Præſto Luſinianus Cypri Rex ei affuit,nullo hoſpitalitatis officiiq; genere omiſſo . Cæterum exorta peſtilentia minax magis quàm funeſta coëgit Regem Francum in vrbes Cypri diuidere copias,& valetudini conſulere.Interea à quodam Tartarorũ magni apud ſuos nominis Principe oratores aduenere:epiſtolam Arabicis exaratam literis attulere: verſa in noſtram linguã, certiorem Regem Francum faciebat,illum antea Idololatram extitiſſe:nunc religionem noſtram profeſſum,ſacroq; lauacro renatum. Is nuncius ſummo Regis ſancti gaudio exceptus.Viri ſancti cõcionatores ab Innocẽtio ad Tartaros Lugduno miſſi:cuius rei gratia iuerant,conſecuti fuerant, vt feritatem gentis lenirent : ne cæteris mortalibus , in primis ne Regnis Chriſtianis peſti
» forent:ſe homines natos ſcirent:ſocietatẽ homini cum hominibus eſſe ſenti-
» rent:eſſe numen,cui mortalia curæ ſint:eſſe qui ſe ſpectatorẽ, quique iudicẽ,
» qui quæſtorem ſuo cuique tẽpore præbiturus ſit,dignamq; cuiq; pro meritis
» mercedẽ ſtatuat. Qui homo homini cõſulat:qui ad cæteros iuuandos mor-
» tales ſe factum,creatũ,editum in lucem , & ad aliquid in cõmune conferen-
» dum meminerit:illum quàm proxime ad ſuperos accedere. CHRISTVM
» Dominum, Deum,eundemq; hominem,ſanctiorẽ hominum inter ſe cõſor-
» tionem, ac veluti fœdus mortalium diuinius cũ numine ſe ipſo victima cæſa
» feciſſe,iciſſe,iunxiſſe,ſanxiſſe:eundem cœleſtia ad humana deduxiſſe:humana
» ad cœleſtia ſuſtuliſſe. Qui ingentes viri eſſe velint , hunc Ducem imitandum
» ſibi vnum proponerent:primum omnium ſe animo demitterent: in ordinẽ,
» in humilitatẽ ſe cogerent:diuitias,opes,gloriã,ingens inter mortales nomen,
» ignobilia vilia exiſtimarent:ſe nullos ducerent quæ qui agerent,eos cœli,eos
» immortalitatis fore participes:nec diuinitatis exortes. Hæc Innocentius literis teſtabatur:hæc ſancti viri prædicarant.Cũ Tartarus ex eis quæreret quẽnam Innocentium,quemnam Pontificem maximum dicerent,reſponderunt CHRISTVM ita cœlum repetiſſe, vt ſuos non deſereret: ſtatuiſſe qui vicibus ipſius fungeretur,qui Põtifex diceretur:cui qui Chriſtiano nomine cẽſerentur,dicto audientes forent.Tartarus miſſurũ igitur ſe ad Pontificem Innocentium oratores oſtendebat.Etiã atque etiam diſſuadebant, per cauſſam quòd illis iter faciendum eſſet per gentes quas Tartari ferro facibúſque euaſtaſſent:has à recenti memoria cladium minus tutum iter daturas. Sed maior cogitatio pectori inſederat.Multa vidiſſent Tartari contrà atq; viri ſancti viſi fuerant collaudandis noſtræ religionis hominibus iactaſſe,ſpopondiſſeque: conſpexiſſent bella inteſtina:Cæſarem in Pontificẽ verſum:Guelphos in Gibellinos vt nefarios,vt ſceleratos arma veluti ſacra gerere:Gibellinos iura ſacri Imperii Auguſtámque maieſtatem tutari ſe gloriantes,ſpecie partium ſuæ quẽq; cupiditati inſeruire:Proceres noſtros inter ſe bellare: nulli nefario ſceleri non prætendi nomen pietatis:animi demiſſionẽ verbis collaudari,re nullam eſſe:faſtum,ſuperbiã dominari:virtuti nullum locũ:diuitias in honore,in precio,admirationi eſſe.Cypri quóq; non multa veræ pietatis exẽpla cõtem-

plari potuere. Insula duos habebat Archiepiscopos, Latinum, Græcúmque: Latinum imperantem Græco: Græcũ, quòd parere nollet, solum vertere coactum: Episcopis Græcis à Latino Archiepiscopo re diuina facienda interdictum: ad hoc nobilitatis veteris Cypriæ bonam partem loco impiorum ab Archiepiscopo habitos. Distractam insulã aliorum aliter de re sacra iuréque Pontificio sentientium contentione: nullam formã consentientis germanæq; pietatis. Tartari oratores ad suos rediere cum muneribus, & literis vicissim ab Rege Franco ad ipsorum Principem datis, pleníque sancta gratulatione, ac laude, quòd speciem veræ religionis animo cõcepissẽt: simul confirmatione, exhortationeq;, vt initia incremento sanctitatis in dies adaugeret. Antê gloria virtutis bellicæ præstitisse: nunc eandem palmã defendẽdo nomine CHRISTI peteret. Hæ literæ latine scriptæ. Tartari antea humanitatis propè omnis expertes, ac literarum ignari, dum Asiam bello vrunt, ex victis Parthorum Regnis Arabicas literas didicere, quòd eis plurimũ toto oriẽte Maumethicæ superstitionis homines vtuntur. Polliciti initio fuerant legati, proxima æstate suos Duces rursus mediam in Asiam ducturos, & eam hostibus nostris infestã deintegro facturos. Irrita ceciderunt promissa, nimis veris vatibus sanctis viris, aduentum Oratorum potius offuturum nouæ eorum religionis rudimento, quàm nobis conducturum: inspectis scilicet vitiis hominum, moribúsq; corruptissimi apud nos seculi: melioré ne spe, sí nunc nos adeãt? Francî Regis sanctitate adducti qui Saracenorum capti à nostris multo antè fuerãt, nec ad eã diẽ abduci ab insita de Maumethe persuasione potuerant, CHRISTVM pectoribus accepere: sacraq; aqua loti. Romanus legatus author fuit vt Archiepiscopus Græcus ab exilio reuocaretur: sacra interdicta inducerẽtur. Magister Templariorum ex Syria scripsit ad sanctum Regem, Sultanũ Aegyptium misisse ad se vnum ex Satrapis suis, qui de pace ageret, si per Francos liceret. Rex Lusinianus, qui peritus rerum, hominum, regionum illarum, falli non poterat: cum in concilio ea de re ageretur, exploratum se habere dixit Templarium ipsum vltro ad Sultanum misisse, euocasséque Satrapen: qua ex re maiore animo esse factos Barbaros, quòd nostri cupidi pacis, ac cogitare iam de reditu viderentur. Vetuit igitur Frãcus Barbaros à Templariis recipi, audiríve, aut cõmercia sermonum seri. Quos subsequi Regem primo quoq; tẽpore oportuerat, segniter domo soluêre: ac hyeme opprimente in insulas alii alias dissipati, ne initio quidẽ veris, sed appetente æstate affuere: & Gulielmus Villa genere Francus, idem Achaiæ Princeps, cum classe Peloponnesiaca venit, quòd ea pars Græciæ in Latinorum fide foret. simul affuit Robertus Dux Burgundiæ cũ suæ nobilitatis manu satis magna. Hyemẽ in Achaia egerat. Coacta igitur Francica classe, coniunctaq; Cypria, Peloponnesiacáque & classe & iuuentute, in Aegyptũ cursus directus. Vbi Damiatam in conspectu habuere, apparuit pro descensione pugnãdum. Parati Aegyptii in littore sub signis stabant cũ telis tormentísque, pro patria ferro ac omni vi decertaturi: gens hostili semper in nos animo, consiliis callida, & ingenio acri: diuturnitate bellorum, ac toties viribus collatis, artes bellicas, moréq; nostrorũ edocta. Induxerant in animum non nudare rursus littora hominibus toties bellũ

regioni locupletiſſimæ beatiſſimæ'qûe inferentibus:ſed arcere quàm maximo poſſent conatu appulſu littorum Francos. Franci iam ſatis inter ſe, atque alii alios confirmarant,tam procul profecti:quod certamen tam multo antè animis proſpexerant,id ante oculos poſitum:irruendum,impetum dandum,impreſſionem faciendam:vel iactura nauium terrã occupandam,vt in ſicco cõſiſterent:pugna ex propinquo cõmitteretur. Francicum robur Aegyptios nõ laturos,ſi vir viro congrediatur. Ita coactis gubernatoribus naues littori immittere,illidere,impingere: ſimul ab vtroque latere diſpoſitis quæ ad id præparatæ ſagittarios tormentáque portabant nauibus,vt nube telorum coniecta nudarent littora hoſtium fuga. Tanta vi itum,vt hoſtem ſua tela(quæ maiorẽ etiam vim habere oportuerat,quòd ex terra ſtabiliq; loco,vnde conniti,procurreréque poſſet,qua maxime re concitatio viſque miſſilium conſtat,mitterentur)non tegerent:qui prius emori,quàm loco cedere,obſtinaſſe animis videbatur. Vis tanquam ingentis molis ruina illatarum cum fragore nauiũ antè perculit animos,quàm collatus pes cædem,fugam,ſtragẽ faceret. Cecidit Satrapes,ac delectiſſimi quiq;. Cæteros fuga ac propinquitas vrbis texit. Superat vrbs nobilis,& priore bello non capta niſi plus annua obſidione, ac ne ſic quidem,niſi peſtilentia,faméque,non hoſtiũ ferro,domita:& poſtea multo etiam magis munita,firmata,inſtructa opere, præſidio, cõmeatu,telis,tormentis.eáque res debilitare animos noſtrorum poterat,reputantium cũ mœnibus ſibi,cum flumine,cum viris luctandum. Barbari amiſſo Satrape ſummo Duce,in iuſtam obſidionem cogi:ac quæ fata Brenno Rege tulerant, expectare in animum non induxere. Cum in vrbe quod reliquũ diei fuit egiſſent, nec dubitarent,vbi illuxiſſet,hoſtem mœnia aggreſſurũ: paulo ante lucẽ publicis priuatíſque ædificiis iniecto igne, ponte nauali ſe in vlteriorẽ ripam ex vrbe ſurripuere. Francus relucente flamma excitatus,rêque explorata vrbem eueſtigio ingreſſus,quã ciues perdere conabantur, ipſe alienus reſtincto igne ſeruauit. Aegyptios ſoluto ponte vlteriora petentes inſequi non licuit. In oppido locuplete beatóque vis ingens cæterarum rerũ,& in primis magnus numerus frumenti repertus. Erant in concilio qui dicerent vtẽdum victoria:recenti terrore debellari poſſe. Antequam Barbarus animos reciperet,nouáſve copias cogeret,arcem rerum Regiam gentis Chairum peterent: inuenturos cuncta perſonantia permixtáque fletu complorationéque virorum fœminarumq;,nondum colligatis vulneribus eorum qui ex fuga ſe recepiſſent: quorum aures attonitæ adhuc eſſent,velut etiam nũc obſtrepente ſonitu clamorêque noſtrorum. Hæc ſententia fortis viſa:ſed illa cautior,ob memoriã ſuperioris belli, ne ante circumactam qua Nilus inflari conſueuiſſet diẽ mouerentur caſtra. Hæc mora interiecta alterã intulit expectatione Alphonſi Ducis,& noui cum eo militis. Ad vndecimum Calendas Nouembres anno eius ſeculi vndequinquageſimo progreſſis noſtris Barbari non vniuerſis copiis de ſumma rerum decertaturi occurrerunt. leuibus præliis iaculãdóque laceſſentes refugientéſque ludificabantur. Noſtri ſemper ſuperiores diſcedebant, illi cedebãt. Ad aquarũ diuortia,vbi è Nilo riuus inſtar iuſti fluminis deriuatur, in cuius aduerſa ripa hoſtes vniuerſi tetenderant,noſtri inter duos amnes hæ-

ſere. Tentarunt ſi vado tranſitus daretur: ſed prælatis ripis altus riuus coercebatur. Spes tamen erat euadendi, quòd non natiuo diſcrimine, non vi fluminis, naturáve locorum, ſed manu hominum foſſa ducta deriuatã partem Nili exiſtimabãt, & eadem arte cogi in vnum alueum vtrumqũe poſſe, iactis molibus, & diuortiis, emiſſarióque obſtructo. Muniebatur via: agger proferebatur: opus aſſurgebat. Hoſtes ex aduerſa ripa tormentis tela ingerunt: opere prohibent. contrà noſtri ad tegendas operas caſtellũ ex materia excitant. hoc hoſtes igne miſſili incendunt. Aegyptius quidam è caſtris hoſtium, quo caſu, quóve conſilio (quandò hoc ſancti Regis bello nulla transfugarũ mentio eſt) non traditur, ad noſtros venit. ex eo cognitum, inferiore parte riuum vado tranſmitti poſſe, quòd latiore alueo in morem placidi ſtagni diffunderetur. Pars exercitus eò miſſa tranſiuit: ſed ægre emerſit, quòd limoſis ripis hærente veſtigio, luctantéq; pede, firmiter conſiſtere non poterãt. Vbi in locũ æquiorem tandem euaſere, ad caſtra hoſtium cõtendunt. Pugnatur acriter. Robertus Dux cadit. Fugantur tandem Barbari. noſtri caſtris hoſtium potiti, ex materia quam hoſtes munitionis caſtellorumq; cauſſa cæſam cõportarant, pontem in flumine faciunt, vt reliqua pars exercitus huic iungeretur. & poſtridie hoſtes maioribus copiis affuere. Prælium cõmiſſum. noſtri cæde ingenti edita reliquos in fœdam fugam coniiciunt. His duobus præliis clariſſimi Barbarorum Duces deſiderati. Sultanus Meledinus morbo obiit. eius filius Melexala iam inde ab amiſſa Damiata Syriæ Dynaſtas, Arabum Phylarchas, Sultanos cæteros Barbaræ religionis adierat: oſtenderat deploratas pariter Turcicas Saracenáſque res: omnia ea Prouincias Francorum facta, ſi expectarent dum Chairo euerſo in ſe procella belli ferretur: cui anteuertendum ſit. Intercedebant nobiles inter Halapianos Damaſcenóſque inimicitiæ. Hæ metu noſtri ſedatæ, dextræ interiunctæ. Aegyptii Sultani filio morte patris Sultano ſalutato egregia auxilia data, & liberorum, & ſeruorum: qui ita ſeruiunt Sultanis, vt illis vnis dicto audientes, cæteris imperitẽt, nobili iam ſeruitiorum Imperio, & ſic apud illos iucundiſſima ſeruitute. Tunc longe maximus erat eorum numerus, quòd Tartari finitimorum longinquorúmque iuuentutem vel trucidarant, vel ſub haſtã venundederãt. His ingentibus copiis repente ſuperueniens Melexala noſtris ſe oſtendit. Franci pugnam poſcebant, vt aut virtute vincerent, aut cum gloria caderent. Hoſtis pugnãdi æquo loco copiam non fecit: & apud noſtros paluſtribus locis morbi exorti: pedes intumeſcere: caput grauedine tẽtari: ingredi per morbũ: conſiſtere per hoſtes nõ licere. Proceres in primis grauiter affici. Curæ vigiliarum, ſtationum, cuſtodiarũ ad humillimum quéque reciderant. Rex grauiter laborans primũ contra mali vim viribus animi pugnare, deinde ſuperari. Poterat nauicula ſecũdo flumine Damiatam clàm ferri, antequam hoſtes fluminis potentes fierent: vt'que ſibi conſuleret, procerum magna pars hortabatur: incolumi Rege rem Frãcicam incolumem, facili quantalibet cæterorum iactura. Negauit ſe ſuos deſerturum, vt nec à ſuis deſereretur. ſe cum ſuis quamcunque deus daret ſubiturũ fortunam. Et antequam caſtra ob multitudinem ægrorum moueri poſſent, Barbari æquioribus locis naues iunctis plauſtris in inferiorem partem fluminis

tranſuexerunt inter Damiatam caſtráque noſtrorũ, ne mutuis auxiliis iuuari poſſent. quædam etiam noſtrorum naues ex Damiata vim aduerſo flumine facere conatæ,partim ſuppreſſæ,partim captæ ab hoſtium claſſe.Rex tã corpore exhauſto erat,debilitatóque, vt ſe quantocunque animo ſuſtinere non poſſet.Qui pauci à morbis integri adhuc erant,aut minus languebant:ii correptis armis hoſtem ad pugnam progreſſi prouocant. Exigui numero locis iniquis à multitudine hoſtium circumuenti vincuntur. fratres Regis Carolus Alphonſúſque capiuntur. Perpaucis receptus in caſtra patuit: reliqui vel capti,vel cæſi.Caſtra ab ægris Rege iacente defendi non poterant. Mori ſacro bello,ſancto Regi ſanctum videbatur.eadem & reliquis tali Duce mens. Conditiones vltro Barbarus obtulit:deduceretur exercitus:Damiata cederetur:captiui vtrinque redderentur:Inducię in decem annos fierent:ingens vis auri penderetur.Has conditiones neceſſitas imponebat.Addebat Sultanus,vt iuraret Rex ſe eas ſeruaturum:ſin fidem falleret,ea verba addebat,quæ etiam rerum ſcriptoribus referre effaríque nefas ſit. Auerſatus eſt carmen illud impium Francus:tantum in eo ſcelus eſſe,vt vel mente concipi,vel ex dentium vallo erumpere formulam illam iuriſiurandi ſcelus ſit.Præſens merces pietatis perſoluta eſt ſancto Regi. pœnas de perditiſſimo Sultano religio ipſa exegit.Sultanum victorem Francis iura præſcribentem, nobiliſſimum,nobiliſſimo patre auóque,ſerui emptitii furore repentino capti,ſpectãte, ſilentiúmque agente nobilitate,occiderunt.Exin cruentis dextris eadẽ vecordia amentes in tabernaculum Regis irrupere ſtrictis enſibus, madentibúſque recenti cæde,eo animo conſilióque,vt eum vel occidant,vel in quæ ipſi nefariæ formulæ verba conceperint,iureiurando adigant.Conſpectus ſancti Regis,quãuis decumbentis,maieſtas oris,dignitas vultus,rabiem hominũ cohibuit.Reſedit ſua ſponte furor,veſaniáque. Octo millia põdo auri precium Regis ſalutíſque cõmunis factum. Quatuor millibus ſolutis,de altera parte obſidem Alphonſum fratrem reliquit. & cum per conuenta procul abire liceret, tamen non antequam reliqua ſolutione facta diſcedere ſuſtinuit.Tunc Damiata deceſſum.Deportatus in Syriam exercitus Regius.Francus Barbarorũ captiuos omnes cum fide,ſine recuſatione,nulla cunctatione reſtituit.Barbarus Turceminius nomine ex Volone Imperator,Regúmque Rex effectus,ſeruili barbaráque fide ex duodecim millibus Latinorum,quí poſt diſceſſum Ricardi alii alio tẽpore capti fuerant,quóſque omnes dimitti conuenerat, quadringentos omnino dimiſit.Primũm ſpes cæterorum redimẽdorum retinuit in oriente Francum:deinde cum ea ſegnius procederet, dulcedo ſacrorũ locorum, & cupiditas reſtituendi quæ diruerant Barbari. Ad duo & triginta millia domo in Aegyptũ profecti fuerant: ad ſex circitèr millia reduces fuerunt.Interea Rex miſit vtrunque fratrem ad matrem conſolandam · ex quatuor eius filiis tres eſſe incolumes:quartum egregie pugnantem, quam ſæpe votis petierat adeptum martyrii lauream.Rex Sidonem,Cæſaream,Iopen reſtituit.circummiſſiſque oratoribus,cuiuſcunque nationis noſtri apud Barbaros in ſeruitute habebantur,eos gregatim ducenos trecenóſq; redimebat.Ad famam circumuenti à Barbaris ſancti Regis, in Francia ingens perditorum

 manus

manus ſpecie ſacræ militiæ paſſim vagabantur, fortunas cæterorũ agentes ferentéſque. Nec iis bellatoribus vindicibúſque indigebat Rex. Bituriges Aurelianenſéſque vrbes iniuriarum minime omnium patientes, armis correptis hanc colluuionem hominum partim occidêre, partim ad quotidianũ opus faciendum, ſanitatêmque redegere. Quinque annis in oriente manſit, nullo ſanctitatis munere omiſſo. Oſſa noſtrorum ab impiis cæſorum permultis locis inſepulta, manu ſua legit, ſacróque ſepulcreto compoſuit. Vita eius etiam Barbaris miraculo erat: compluréſque, quod armis extorquere nulla potuerat vis, voluntate ſacra lauatione imbuti ſunt. Initio igitur ſponte, poſtea precibus Pontificum Maximorum in oriente remanſit, totũm nomen Chriſtianum incitaturos ſe prædicantium, vt omnium piorum arma in Syriam ferrentur, Franci ductu militatura. Sed CHRISTVS nullum vere ſuum militem, nullum Ducem præter Frãcum inuenit. Sacri belli nomine à Turcis Saracenîſque aliò verſo, Germani proceres, cum ius Imperii Pontifex concilio Lugdunenſi Fœderico abrogaſſet, Henricum Turingum Auguſtum deligũt: ínque huius paulo pòſt defuncti locum Gulielmum Hollandiæ Comitẽ ſuf ficiunt. Mortuo Tarenti Fœderico, Conradus iuſtus eius, non ex Brenna, vt nonnulli tradunt, ſed ex Conſtantia Regis Caſtulonẽſium filia filius, ſe & Siciliæ Regẽ iure paterno, & Auguſtum dicebat, quòd ante notã patris Lugdunenſem ſe Cæſarem patri cooptatum diceret. Vt vtrũque igitur decus retineret, ex vetere familiæ ſuæ patria Sueuia in Italiam mouit: cum iam Manfredus ex pellice procreatus, quem pater Fœdericus Tarenti principem inſtituerat, Regnum Siculũ diſſimulanter appetens, ſeque nihil maius quàm procuratorem Regni dictitans, præſidia quibus locis videbatur imponeret. Sed eum Neapolitani, Capuáque, ac Aquinates authoritatem Pontificis Maximi ſecuti, mœnibus excluſere. Ita in præſentia eo vt non proceſſuro cõſilio deterritus, Conrado venienti venerabundus occurrit: Regem ſalutat: reóſq; maieſtatis Neapolitanos agit: quòd cum ſe procuratorem abſentis profiteretur, vt adueniẽti pacata omnia præberet, Imperium detrectaſſent, portáſque clauſiſſent. Sueuus nouus Rex Tarentini rerum Italicarum periti, animorumq; & conſiliorum popularium gnari, ſimul velut benemeriti dictis permotus, Neapolin obſidet. octauo demũ menſe fame in deditionem acceptã, direptamq; muris recingit. Continuò eandem fortunam tulit Capua. Aquinum etiã incendio fœdatum. Receptó firmatóque Regno, de Imperio reliquum Sueuo certamen erat. Plenus ſpiritibus paternis Auguſtum nomen in familia ſua retinere contendebat. In Germaniam reuerſus inuenit Hollandini partes magnis auctas incrementis, omniáque ſibi infeſta. Igitur ſpiritibus fractis, relicto domi Conradino filio puero, vxoréque Bauari Ducis filia, Italiam repetit: dieque ſuo, an (quæ ſuſpicio tenuit) veneno abſumptus eſt. Moriens hæredem abſentem filium ſcripſit, tutoribus inſtitutis proceribus Bauaris, quos ſecum duxerat: quòd hi & puero, & matri ſuæ gentis fideles futuri erant. Tutorum nomen, puerúmque Regem oderant nobiliſſimæ vrbes à patre euerſæ: cæteræ inſonti fauebant ætati. Manfredus creditus veneno Conradum ſuſtuliſſe, quíque initio Regnum appetiſſet, in eandem cupiditatem

reuolutus, inuidiam tutoribus quibuſcunque poterat artibus conflabat. Pro-
curationē Regni Siculi ipſe eo natus educatúſq; Regno, quòd Bauaros no-
mine pupilli ſuperbe auaréque regnaturos diceret, petere à proceribus Sicu-
lis, Apulis, Calabris, Lucanis, Picentinis, Brutiis, Campanis, non dubitabat. Vt
in Regno nobili tot regionibus, tot vrbibus & continentis, & in Inſula opu-
lentiſſima, non eadem omnium voluntas erat, non vnum cōſilium. Innocen-
tius ad res Regni ſedis Romanæ beneficiarii viſendas componēdáſque cum
ex Gallia rediſſet, Neapolin iam à ciuibus refectā cum præſidio valido pro-
ficiſcitur. Manfredus ad ſuas artes ſe recipiens, Pontifici ſumma religione oc-
currit: ſe in fide officióq; ac authoritate ſacroſanctæ ſedis eſſe, permanſurúm-
que prædicat: ac ita dexter omnes ſimulationis partes, obſequentiæ'que imi-
tationem obiuit, vt qui antea, quòd patris partes ſecutus ex profeſſo fuiſſet,
piorum cœtu eſſet motus, hoſtíſque Pontificū iudicatus, ne vllus honor cō-
municari ei poſſet: tunc reciperetur in ſummam gratiam, Principatúſque Ta-
rentini ius illi à patre datum, à Pontifice cōfirmaretur, ratúmque haberetur,
nouíſque inſuper honoribus cumularetur: imminuta multis partibus Baua-
rorum authoritate. Morbo graui corripitur Innocentius. Ne expectata qui-
dem morte Tarentinus Saracenos Nucerinos excit: Pontificíſque copias ni-
hil tale expectātes, ac in hyberna Fogiam deductas adortus, armis, telis, equis,
tormentis, commeatu, impedimentis exuit. Mortuo, ac Neapoli ſepulto In-
nocentio, ſuffectus Alexander Octauianum Vbaldinum legatum cum nouo
integróque exercitu ad coērcendam Tarentini audaciam mittit. Ille copiis
multo inferior, prælio decertare non auſus, ac Nuceriam compulſus, cum vi-
ribus non poſſet, conſilio ſe obſidione eximit. Emiſſi clàm ex vrbe nonnulli
pari atque ille erat calliditate, cum paulo longius proceſſiſſent, ſubornarunt
quoſdam alios non minori audacia aſtúque, qui lugentium habitu ex Sueuia
cum literis, quas ipſi conſcripſerant, adulterinóque annulo ſignarant, venire
ſe dicerent, ſimulatíſque cum lacrymis falſo nunciarent Conradinum obiuiſ
ſe. Res & nunciata, & credita. Captus dolo Legatus vltro ſoluit obſidionem.
Bauari perinde ac nullo pupillo cuius tutelam gererent, procul è Regno Si-
culo deluſi abiere. Manfredus velut pro defuncto rem diuinam magna re-
ligione ampliſſiméque faciendam atratus ipſe curauit, iuſtáque perſoluit: ga-
záque Panormo ad ſe transferri iuſſa, ac largitione veteranis ſibi conciliatis,
nouóque ex Africa milite Barbaro mercede conducto, quaſi nulla iam iuſta
Regiæ Siculæ ſtirpe, Rex ſalutatur: priúſque Regnū opéſque firmauit, quàm
fieret fides à quoquam viuere Conradinum, animis hominum errore occu-
patis. Cum Rege Tarraconenſiū affinitatē contraxit, collocata illi filia Con-
ſtantia. Romanus ei non modò vt iniuſto Principi, qui nothus in Regnum
Romanorum beneficiariū ſuccedere ſe æquum contenderet, ſed vt impio,
religioníſque hoſti bellum ſacrum indicit. Concionatores circummiſſi ad
excitanda piorum in eum ſacro ære arma. Ita ſacræ militiæ ad hæc nomine
(miſerum) recidente, quæ vltra digna cauſſa moræ in oriente ſancto Re-
gi? quæ iuſta auxiliorum in Turcas, in Saracenos expectatio? quæ pia ſpes?
Obteſtatione igitur ſuorum lacrymíſque permotus, cum etiam mater ob-

 iuiſſet,

iuiſſet, cum omne pietatis, perpeſſionis, ac inuicti malis animi præbuiſſet exemplum, Syria deceſſit. Tertia quàm ſoluerat nocte, ſæua tempeſtate orta, nauis eius vi procellæ dorſo immanis cautis illata ſedit. eam diuinitus non ſolutam, fractam ve, procumbente Rege, numináſque fidem implorante, vt ſuos milites reduces domum ferret, creditum eſt. Domũ tanto temporum locorúmque interuallo regreſſus, res Europæ, quas diſcedens bona in ſpe reliquerat, propè deploratas inuenit. Mortuo Hollando Auguſto proceres Germani diſſentientibus ſtudiis agitabantur, cum contentione iniecta alii aliis non cederent. ne in externo quidem vno conſenſere. Corrupti inſuper largitione alii Ricardum Angli Regis fratrem, alii Alphonſum Caſtulonenſem Regem deligunt. Schiſma illud ſedecim annos tenuit: & in Oriente ſecundum diſceſſum ſancti Regis nihil ſancte geſtum. Duo erant totius orbis terrarum emporia celeberrima: Barbaris Damiata: noſtris Ptolemais. Hæc (vt oſtendimus) amiſſis Hieroſolymis, erat Regia noſtris vrbs, celeberrimúſq; Latinorum mercatorum conuentus. Per inducias, ex India, Aethiopia, Arabia, beatíſque regionibus ad alios mercatus allatæ merces, illò tandem cõportabantur. inde Veneti Genuenſéſque nauibus quò viſum erat aſportabant. Frãci cum ſacro Regno potirentur, magnos honores Venetis, magnos Genuenſibus, ob egregia eorum ſacro bello merita, habuerãt. quarundam maritimarum vrbium tertiam partem Veneto nomini attribuerant. idem decus Genuenſibus decreuerant: ac per multas ætates ſeruarant. Brenna puella nuptiis ſuis Fœdericum Cæſarem effecerat Regem Hieroſolymorum. Nunc Regnũ ſacrum Rege orbatum videbatur. Philippus à Monteforti Ptolemaidis Prætor delectus fuerat, conciliatrice gloria familiæ, quæ ſummos bello Duces, qui Aſiam Europámque monumentis rerum geſtarum implerãt, progenuerat. Eadem Anglis recenti affinitate iungebatur, Angli Regis ſorore Simoni a Monteforti collocata. Proceres erãt dominatus cupidiſſimi. Inter Venetos Genuenſéſque, vt inter opulẽtiſſimos populos maritimarum rerum gloriam ſibi vendicantes aſſolet, ante ſanctum Regem natis, ſed quæ ſancto Rege religioni militante intermortuæ fuerant, ſimultatibus tunc renaſcẽtibus, æquiorem ſe Philippus Genuenſibus præbere viſus eſt. Vterque populus ſuũ Ptolemaide Prætorem, ſuos apparitores, ſuum forum, ſuam aream, ſuas ſibi leges habebat: hæc profana. Exoritur de ſacris cõtentio. ædem ſeptúmque diui Sabæ ſibi vtrique vendicabant. non tamen quam primum ad arma deſcenſum. Pontifex Maximus, quod ſui iuris erat, pro poteſtate decreuit, placere fanum commune cenſeri: idque decretum in re præſenti enunciari. Lygurum conſilia celeriora decreti enunciatione extitere: occupant fanum ſeptúmque inſtar arcis emunire: propugnaculis, telis, tormentis inſtruere, Philippo conniuentẽ ne, an etiam adiuuante. Venetus indignatione accenſus, tredecim triremibus Tyro mouit: Ptolemaidíſque portum catena perrupta ingreſſus, duas triremes, tres & viginti onerarias Lygurum naues incendit. fanum vt ab hoſte profanatum, ſeptúmque in bellicam ſpeciem verſum, diruit; anno eius ſeculi vndeſexageſimo. Hoc initium funeſti belli, cauſſáque Latinorum inter Barbaros Græcóſque Imperii finiendi fuit: in maiúſque continuò

exarſit incendium: & cruenta prælia commiſſa,quibus res Veneta initio ſuperior fuit & ſuis viribus,& Piſanorū auxiliis. Hi populi potentes maris fuerant:nunc inter ſe illis certantibus facile fuit Proceribus Græcis Latinos exigere,opéſque patrum recuperare. Secundum mortem Bréni Balduinus eius gener Byzantium ſeſe recepit.res affectas inuenit:exiguam reliquam ſpē. Nihil boni mente augurans,filium paruum procul à periculis, peſtíſque expectatione ſeponendum ſtatuit: nec cum eo aurum, quod iritamétum foret illecebráque ingens cupiditatis,præmiúmque ſcelerum,ac interdū cauſſa adoleſcentulorum ab iis quorum fidei crediti à parentibus fuiſſent,necādorum. ipſe fidem eorum quibus filium commendabat,ſibi pignore deuinxit. Quam maximam potuit pecuniæ vim mutuatus à Brugenſibus quibuſdam ditiſſimis mercatoribus,puerum alendum eis tuendúmque tradidit.illum ex vectigalibus quæ in vetere patria Frācia,Flandriáque,ex agris oppidíſque ſuis perciperet, id nomen diſſoluturum. Venetias Brugenſes nobile depoſitum pignúſque duxere.Pater Byzantii reſtitit maiore animo,quàm ſpe.Duæ Auguſtæ nobilitatis familiæ antea inter ſe æmulatione Imperii diſcordes, in vnum affinitate(vt edocuimus)redierant. Spes ſummæ rerum ad Theodorum Batazis filium venerat.Eius ſub redintegratas inter Venetum Genuenſemq; inimicitias mortui filios duos adhuc impuberes Michael Palæologus tutor regebat,morte pupillorum ſuum facturus Imperium.Is acris ingenii,animíque impigri, Gulielmum Villam Achaiæ Principem ex Syria reuerſum repente adortus, prælio victum cepit:nec dimiſit, niſi recepto prius munitiſſimo Achaiæ oppido Epidauro. Inde victor cum volitaret, omnem veterem Græ
„ ciæ nobilitatem cohortando exciuit: meminiſſent Græciam liberales artes
„ humanitatémque mortalibus tradidiſſe.ſe in libertatem vindicarent: ne ſoli-
„ ti Imperare,ſeruirent:neu patriam nobiliſſimam,Auguſtiſſimámque ſinerent
„ Gallogræciā fieri,mutatis moribus,lingua,ritibus,ceremoniis. Magna coacta manu,ardentibúſque animis cupiditate veteris decoris recuperandi, Byzantio imminebat.nec tutum erat Balduino in vrbe Regia Palæologum nobilitatémque ſuam reſpiciente ſe claudere, perparuo Francorum præſidio. Longe maxima pars claſſis Venetæ, cuius viribus maritimis ad eam diem res Latina in Græcia ſubnixa ſteterat,ad bellum Lyguſticum profecta aberat.Cū iis quæ reliquæ in portu ſtabant nauibus optimum factu viſum eſt anguſtias Helleſponti frenare, ne hoſtis claſſe circumuolitaret, ac, quæ vna ſpes reliqua noſtris oſtendebatur, maris etiam poſſeſſionem eriperet. mari captum Byzantium, mari retineri poſſe. Ita Balduinus Auguſtus, Iuſtinianúſque Patriarcha claſſem conſcendunt, reliqua conſilia executuri. Ciues liberi noſtrorum metu, portis patefactis Palæologum proceréſque ſuos mœnibus regiæ vrbis læti congratulantéſque noctu recepere, anno eius ſeculi vndeſexageſimo: qua ex die capta à Veneto Francóq; de Græcis fuit,quinto & quinquageſimo. Auguſtus Patriarcháque deploratis rebus Græcia deceſſere. Igitur velut numine terris irato, piacula quærenda omnes apud nos cenſebant. Mores deformatos ad veteris ſanctitatis æmulationem reuocandos. Rex Francus, quod Regii muneris erat, publicæ vtilitati, religioníque

ſtudebat:vt Prætores caſte integréque ius dicerent: ne quid in prouincia ſuâ coẽmerent:ne affinitate iungerentur. & quæ veteris Romæ inſtituta fuerant, repetiuit in libidine ſordibúſque Magiſtratuum coërcendis. Qui eorum ſecus egiſſent, de illis ipſe cauſſa cognita ſtatuebat. vt quiſque meritus fuerat, alios ære multabat, alios in Syriam aduerſus Barbaram religionem militaturos in certam diem ablegabat. Qui numinis,diuorũmve nomen nefarie aut iureiurando aut execrando vſurpabant,eorum fronti cãdente lamina notam inurebat.Deprecantibus magnis viris pro quodã eius noxæ cõuicto, reſpondit ſe cupide id monumentum in fronte geſturum,ſi ea ratione purgari Frã- « cia eo in deum optimum maximum ſcelere poſſet.Sacrorum Bibliorum le- « ctione mire delectabatur.Lutetiæ valetudinarium pro æde Virginis extruxit. Minoribus & Prædicatoribus nõdum ad culmen perductas ſacras ædes planè abſoluit.Cæcis egentibus ædem & domum.Cartuſienſibus item ædem & cœnobium.eadem Carmelitis.Hæc omnino Lutetiæ.Extant & alia alibi pia eiuſdem monumenta.In iis occupato Rege,ac à ſeipſo initium faciente placandi numinis,cæteri ſe quiſque crimine fando liberabant, alios incuſabant: nec ſinguli modò,ſed & vniuerſi,ordo in ordinem inuehebãtur. Sacri mendicorum cœtus votiuam paupertatem laudibus efferentes,in diuites ſacerdotes concionabantur.eorum cupiditate, eorum ambitione,ſeruorum dei numerum multis partibus imminuir:alios bina,alios terna, alios plura ſacra eaq; opulenta beneficia habere. Hæc illi prædicantes habebant aduerſarios ſummos viros:ac magna,ſi modum ſapiẽtiæ impoſuiſſent,ingenia:in quibus Gulielmum à Fano Amoris:qui damnatis ſemel pauperibus à Lugduno,paupertatis mendicitatíſque profitendæ ſpecimen ſublatum contendebant. Pontifex Maximus Alexander ſacros paupertatis ordines ex vſu pietatêque Chriſtiani nominis habendos cenſuit, qui tunc & eruditionis & ſanctitatis gloria præſtabant.Albertus Sueuus magnus(vt ea tẽpeſtate)vir,& eius auditor Thomas Aquinas Prædicatores florebant.Florebat Minor Bonauẽtura à Balneo Regio : quibus propugnantibus quis votiuam paupertatem potuiſſet expugnare ? Anno eius ſeculi altero & ſexageſimo in defuncti Alexandri locum ſuffectus Vrbanus,humillimo in Tricaſſibus loco natus,patre ſutore veteramentario:ſed indole animi nobilis. Vidonem Aegidienſem Legatum in Angliam ad bellum ibi domeſticum dirimendum miſit. Cum Rex Henricus leges quaſdam,in quas & ipſe iurauerat,& proceres iureiurãdo adegerat,abrogare contendit,arma ſuorum in ſe conciuit. Duce Simone à Monteforti aliquot nobiles vrbes ab eo defecere. Prælio etiam facto Regis filius Eduardus,& frater Ricardus Auguſtus,capti.Ex dignitate Pontificis erat,Regnum quanuis longinquum ſemel in fidem receptũ non ſinere inteſtinis malis perire. Sed & propior dolor curam Pontificis acuit in Siculum Regnum, vt Manfredum iniuſtum poſſeſſorem exigeret. Cõradinum viuere adoleſcereq; conſtabat.Is Manfredo poterat obiici:ſed ſoboles Fœdericorum,indoléſque illa Sueuorum Ducum inuiſa ſuſpectaq; ac formidoloſa Romano erat. Anglia Hiſpaniaq; de Imperio contendebant.Nulla Pontifici aduerſus Manfredum niſi in Francis ſpes:& in eam pronior erat ipſe patria Francus. Sanctus

Rex cupiditatẽ nouarum opum quærendarum adduci non poterat. Carolus eius frater ſtimulis vxoris incitabatur. Ea trium iam Reginarum ſoror moleſte ferebat ſe omnino Comitẽ ſalutari, ſcriberéque: duas ſorores Reginas: tertiam etiam Auguſtam. Maritus eam bono animo eſſe iubebat. Tanta dexteritate res acta eſt, vt vltro ad Siculum Regnum euocatus videretur, ferretúrque. Vrbanus Purpuratum Legatum miſit ad ſanctum Regẽ, vti fratrem Prouinciæ Phocẽſis Comitem ad res Siculas capeſſendas mitteret. Simul ſacrum in Mãfredum ſanctæ eccleſiæ hoſtem bellum vt redintegretur, omnes pios proceres literis hortatur. Sanctus Rex nihil mouebat. Circumacto tertio Pontificatus ſui anno Pontifex deceſſit. Conſilia Caroli, vxoris ſpes irrita cecidiſſe videbantur: cum repente maiora confirmatióraque ſunt effecta. Frãco Pontifici gentis ſuæ memori ſucceſſit Pontifex Francus Vido: quem in Angliam legatum oſtẽdimus: Caroli etiã quàm Vrbanus fuiſſet ſtudioſior. Clementem nomen edidit. Abſens creatus ad ſacroſanctum nomẽ capeſſendum ex Anglia in Franciam, atque inde ex ſinu propè Caroli in Italiam tranſcendit. Pontificatum Peruſiæ iniit, quòd vrbs Roma ſolutam imperio Pontificis ſe contendebat, ſuũmque ſibi Prætorem ipſi ciues creabant: Senatorem vocitant: íſque mos per multas Pontificũ ætates tenuit. A Clemente euocatus Carolus triginta triremibus cum Maſſilia ſoluiſſet, Romam ipſe vxórque delati, in æde Lateranenſi à purpurato Legato iuſſu Põtificis Reges Siciliæ Hieroſolymorúmque deſignantur, impoſito vectigali quadragenũm in ſingulos annos millium aureorum Pontificibus deinceps Romanis numerandorum. ſimul iureiurãdo adigitur nouus Rex, nullas in tãto munere leges detrectãs, ſe Imperii nomen vel vltro delatum non accepturũ. Alia præſcriptione, alia mente crediderim id cautũ. Prætexebatur, ne ſi contentiones de Imperio ingraueſcerent, difficilius factu foret opes Manfredi euertere. ſed Põtifices ſemper horruere nimias Siculorũ Regum opes. in quo ſimul & Regni illius, & Imperii ius foret, eũ in officio fideq; ac poteſtate Pontificum minus fore. pro opibus quẽq; animos gerere, ſpiritus tollere. Qui Guelforum patria exacti ab aduerſaria factione vſquã fuerãt, ii Caroli ſigna ſequebãtur: in quibus Hetruſcorũ magna manus: iã enim è Frãcia exercitus terreſtri itinere aduenerat. In armis Frãcus habebat in primis Andegauẽſes, Cenomanos, Phocenſes, ſimul Flandros ducẽte Roberto Vidonis filio florẽtiſſimo iuuene. Vxor Caroli, vt nomen tã cupide quæſitũ retineret, omnẽ mundum ſuum diſtraxit ad alendũ militem. Vno faciliq; prælio ad Beneuẽtum debellatum Germani ſcribũt: deſertum ab ſuis Manfredum, a Franciſq; occiſum. Cæteri tradũt pugnam eam magna contentione pugnatam. Florentini etiam ſcriptores virtutem ſuorum exulum enituiſſe tradunt. Occiſo Manfredo Francus Regno & cis fretum, & inſulæ Siciliæ potitus, cum iam conſilia Syriaci belli agitaret, quòd Hieroſolymorum quoque Rex creatus eſſet, occupatus nouo eſt bello. Conradinus Sueuus ſuos hortabatur, vt qui in Italia præclara facinora patris auíque ipſius ductu imperióque feciſſent, nomẽnque præclariſſimum ſibi peperiſſent, tot Reges tot Cæſares genuiſſent, ne ſinerent ſe velut extincta exoleſcentéve indole Sueuæ nobilitatis, gentiſq; ſuæ maieſtate, exui Regno Siculo. Conſtabat

Sueuos Bauaróſque,quæ materna iuueni patria erat,coniunctis copiis Siculũ Regnum repetituros.& iam Hetruſcorum Gibellini à Guelfis inuicem pulſi,quos ipſi antè pepuliſſent,in ſpem nouarum rerum erigebantur. Pontifex quòd ſolium Imperii à nullodũ certo Auguſto inſeſſum eſſet, curámque rerum Auguſtarum ſacroſanctæ poteſtatis eſſe contenderet, Carolum Regem iam creatum, inſuper Vicarium Imperii Hetruria prouincia attributa creat; eum Sueuis obiecturus. Bellum illud tardius expectatione omnium fuit. Hiſpania tandem moras ſuſtulit. Alphonſus Caſtulonenſium Rex,idem & Auguſtus ab ſuis ſcribebatur. Duos fratres impigros Duces habebat,Henricum, Fœdericúmque. Ii(quo conſilio,tunc ambigi poterat,exitus patefecit)cõqueſti ſe à fratre minime fraterno animo haberi,diuerſi alter in Africam ad Barbaros,alter in Frãciam ad ſanctum Regem ſe recepere,velut bellum fratri illaturi,ſi auxilia inuenirent. Francus Rex vel ſuſpecta fraude,vel non ſuæ pietatis ratus fratres in fratrem armare: ſe æque tribus fratribus cognatione iunctum,parem etiam voluntatẽ præbiturum dixit. ſi reconciliatore ſe vti vellẽt, operã ſuam pollicitus,arma denegauit. Hẽricus in Bauariam ad Cõradinum ſororis nepotem ex Francia profectus, iam ſponte motum magis incẽdit, ne conſilia conatusq; conſeneſcere ſineret:antequã vetuſtatem Caroli Regnum accipiat,in Italiã tranſcendat. ipſe ſpecie auxiliorũ in fratrem quærendorũ ad Pontificẽ Maximum Viterbiũ venit: eiusq; animum pecunia mutui nomine ingenti data, ſuo ſibi beneficio deuinxit. Vrbis etiã Romæ Prætor à ciuibus Romanis creatur. Piſanos,Senenſes fœdere Sueuis iungit. Genuenſes iã in ſocietatem armorũ venerant. Conradinus tandẽ in Italiam deſcẽdit. Fœdericus Auſtriæ Dux iuuenis maioris animi quàm conſilii,gloriæ nominiſq; cupidus, eum ſub ſignis ſequebatur. Piſani triginta triremibus in Africã delati fuerant: inde Fœdericum Caſtulonenſem cum magna Barbari militis vi in Siciliam tranſportant. tota inſula,Syracuſis Meſſana Panormo exceptis,potiũtur:eámque in verba Conradini iureiurando adigunt. A Franco etiam in continente Nuceria deſciuit. Ad hoc Capitius Neapolitanus exul cum paucis Lygurum nauibus portum Neapolitanum inuectus, victoriam Conradino conclamat: tumultúque iniecto,ægre repulſus eſt. ſub quam diem Beatricis Reginæ defunctæ iuſta ſoluebãtur. Ad hos motus comprimendos Francus ex Hetruria recurrens,Nuceriam adoritur oppugnare. Conradinus ſubmoto ex Hetruria hoſte iter faciebat. Pontifex Viterbio,quæ tunc ſedes Pontificum plurimùm erat,miſit ad Sueuum,qui eum dirarum minis denunciationéque deterrerent à Sicilienſi bello. Sueuus adeo nihil deterritus eſt, vt etiam ſub ſignis conſpici à Clemente voluerit. Ante oculos eius præter Viterbiũ copias duxit egregias:ſequẽtibus multo maiore quàm quanta Germanorum eſſet manu totius Italiæ exulibus Gibellinis. Conſpicatus Pontifex prætereuntes,ſeque in armis oſtentantes Duces Sueuum Auſtriúmque,ſeu coniectura animi, quòd iuuenes Duces in veteranum Regem impetu improuide ferrentur, ſeu diuinitus; Hæ,inquit,opimæ victimæ ad aras aguntur. Francus Nuceriam defendentibus incolis Saracenis ciuibúſque oppugnabat. Expugnare non poterat,quòd Barbari veterani milites erant, & ciues Francorum partes peſſimè oderant.

Circumuallauit vrbem:ne cum inde caſtra moueret,erumperẽt: tergo inſta-
rent:Germanis ſe coniungerent.crebríſque caſtellis excitatis,partéque copia-
rum ibi relicta,appropinquanti hoſti cum reliquis occurrẽre,ac fortunã præ-
lii experiri ſtatuit: quòd toto propè Siculo Regno populares rurſus deſide-
rio teneri Sueuorum,ac veteris Imperii ſentiebat.amiſſã propè omni Sicilia,
& oram maritimam claſſe Piſana vrente:ſi cedẽdo reciperetur interius Sue-
uus,actum de Francorum in Italia Regno. Ad Fucinum lacum ventum erat.
Hoſtis non procul aberat. locò ad pugnam delecto conſtitit: admonitúque
Alardi veterani ordinũ ductoris, qui ſub Germanis multos annos meruerat,
quas in aciem copias in conſpectum hoſtium eduxit,eis Magiſtrum militum
præfecit. Hunc Regiis inſignibus excultum rem gerere iuſſit. ipſe cum dele-
cta manu colle propinquo tectus ſedet, ſe in tempore accurſurum dictitans.
Apud Sueuũ Longobardi, Vmbri, Hetruſci exulẽs,ſimul Lygures Hiſpaníq;
in prima ſtabant acie,Germani in ſubſidiis. Tres continenter horas pugnatũ:
ac ſemper acerrime. Tandem Magiſter militum cadit:credunt hoſtes Regem
Carolum cecidiſſe. Victoriam conclamant. Redintegrato impetu velut recẽ-
tes impreſſionem faciunt:fundunt,fugant,diſpalatos perſequuntur. Germani
qui ad id tempus quieti ſteterant, ne victoriæ partæ gloria,Italorũ Hiſpano-
rúmque tota fieret,vt ea & ipſi perfruerentur,ne ſegne ocium tererent,con-
ſurgunt.perinde atque nullo iam metu ſolutis ordinibus feruntur. Tunc Ca-
rolus ẽ latebris repentinus ſuperuenit,omniâque ſubitò mutata. Tanquã mi-
raculo attoniti Germani opprimuntur. Cædes in victores vertit. Ad duode-
cim eorum millia cecidere. Finem cædis fecerunt Dux Auſtriæ & Henricus
Caſtulonenſis capti,armáque abiici cœpta. Conradinus qui ſe Regem dixe-
rat,in eámque ſpem ſe ſuóſque incitans pugnam inierat, tunc detractis inſi-
gnibus Regiis,calonis habitu ſumpto,longinqua fuga ſibi cõſulebat. Vbi ad
mare Inferum peruenit,nauiculam cõſpicatus orat dominum vt ſe Piſas de-
portaret:pro naulo annulum ſe daturum,quam vnam rem loco pecuniæ ha-
beret.homo & ſpecie annuli,& forma adoleſcẽtis multo quàm calonis libe-
raliore motus,id clàm non habuit. concurſu facto Sueuus comprehenſus ad
Carolum,vt victoribus omnes adſunt,retrahitur. Sunt authores,Carolũ per
literas ad Pontificem retuliſſe quid de Sueuo agi placeret.illum reſpondiſſe,
non intercedere ſe quo minus lege ageretur.ita ſecuri percuſſum.nec Fœde-
rico Auſtrio temperatum. Ea pugna debellatum.quæcunque defecerant,in
fidem rediere. Nuceria annum obſidentibus reſtitit. qua mora exacerbatus
Francus,eam euerſurus erat.Fame domiti ciues incolæque, non habitu mo-
dò reorum,ſed damnatorum ſpecie,reſti collo circumiecta,portis patefactis,
egreſſique mœnibus, ad pedes Caroli procubuere: fidem eius, nominíſque
Francici,non virtute magis,quàm clementia,humanitate,lenitate, manſuetu-
„ dine,liberalitate ſalutis hominibus dandæ nobilis,implorabant. ſe errore la-
„ pſos,ſe amẽtia præcipites actos,ſe furore captos inſaniſſe. miſereretur ſuppli-
„ cum,miſereretur mente reſipiſcentium: reſpiceret malis perdomitos.numen
„ clariſſimam omnium victoriã dediſſe:per idem numen ſe orare,obſecrare,vt
„ diuina ope adiutus,ſuos,numíniſq; ſupplices vita in præſentia donaret,eamq;

aliquo deinde ipſius commodo repoſcat, vel prælio pro illius gloria Impe- «
rióque, vel quacunque alia re profundendam. Vita omnes donati. Sed Sara- «
ceni exercitatione deinceps armorum, req; publica abſtinere iuſſi. iidem ipſi,
ac ciues pecunia pro ſuis quiſq; facultatibus in præſens multati ſunt. In futu-
rum Saraceni duplex quàm quantum ciues penderent vectigal. Siculi hoſtili
maxime animo fuerant. Poſt famam victoriæ vltro dilabentibus auxiliis, pro-
ceres & Siciliæ, & circumiectarum inſularum, magna pars alii exilio, alii bo-
nis multati. Ad plebem in officio continendã valida præſidia in vrbes arcesq;
miſſa: grauiusq; Siculis imperari cœptum. Tarentinus occubuit anno eius ſe-
culi ſexageſimoquarto: Sueuus triennio pòſt: quo & Clemẽs deceſſit. Is Pon-
tifex, vt omittam res bellicas (quas in ſacroſancta poteſtate nõ admiror) cum
legem ferre non poſſet qua ſucceſſores tenerentur, ipſe ſibi legem præſcri-
pſit, & cæteris exemplum præbuit, qua ratione eccleſiaſtici mores ad priſcam
frugem reuocari poſſent. Ante ſacerdotium vxorem habuerat. procreatas ex
ea filias, cum Pontifex ſplendidiſſimo matrimonio collocare poſſet, priſti-
næ fortunæ ſuæ hominibus tenui dote deſpondit. filio ſororis multiplicia
præbenda habenti, optionem dedit, quod eorum videretur retineret, cæte-
ris omiſſis. Si erga ſuos ſe præberet qualem fas eſſet, reliquos non moleſte la-
turos ſaluti potius animorum quàm cupiditati ambitioníque conſuli. & tur-
pe fuiſſet Pontificem ſanctitate cedere Regi Franco, antiquiorem religionem
ſe ipſo habenti. Is ne præbendum quidem ædiculæ Regiæ ſuæ Pariſienſis niſi
cognitæ integritatis viris dabat. Quid in magnis locupletibúsque ſacerdotiis
factum coniiciamus? Miſceamus maria cælo: non antè ſanctis viuetur mori- «
bus, non pie formabitur cæterorum pectus, niſi ſanctitate imbutis Magiſtris «
morum, iisq; qui vitæ mortalium præſunt. Non parebunt ex animo alii legi- «
bus, lege ſoluentibus alios iis qui leges moderantur, ſeq; legum immunes vo- «
lunt. In animis tenuiorum regendis, exemplo magnorum Antiſtitúmque po- «
tius quàm Imperio eſt opus. Non aliis quàm quibus nata eſt Chriſtiana pie- «
tas moribus recoli poteſt. Publice quoque dum ferrum inter nos ſtringimus, «
dum ſuum quiſque noſtrum bellum, ſacrum bellum prædicat: dum hoſtes
quiſque ſuos, impios dictitat: in Syria nominis noſtri reliquiæ periere. Tar-
tari ex Scythia rurſus profecti, cum Armeniis ſocietate armorum iuncta, eam
Syriæ partem quam Saraceni obtinebant, bello vrebant, ac religionis noſtræ
hoſtes premebant, magna apud nos ſpe priſtinarum opum recuperandarum,
quam cupiditas licentiaq; militaris vanam effecit. Qui Latinorum Cæſaream
à ſancto Rege reſtitutam, præſidio inſederant, excurſione facta prædam abe-
gerunt ex finibus à Guirboca Tartaro Duce de communi hoſte Sultano Sa-
raceno occupatis: occurrentémque ad eam recuperandam Guirbocæ ſoro-
ris filium occidunt. Auunculus, qui totus animo noſter antea fuerat, dome-
ſtico luctu nobis hoſtis factus, Cæſaream expugnat, euertítque. Sed & Scy-
thia nihilo nobis felicior ſaniórve, ſuis vitiis domeſticisq; bellis laborare cœ-
pit. Meto Tartarus Rex in Cataoniam profectus, initio proſpere terra res geſ-
ſerat. dum oppidũ ex naui oppugnat, carina ab vrinante hoſte perfoſſa periit.
Halo frater, cui multis domitis gentibus Aſſyria prouincia mandata fuerat,

ad Regnum capeſſendum domũ regreſſus, illud inuenit ab altero fratre Cobilla occupatum. Ita fraterno bello in Scythia exorto, pugna hyeme commiſſa inter Scythas eſt forte ſuper flumen glaciatum. Hominum equorumq; tumultu ac onere perfracta ſolutáque glacie, ad triginta vtrinque bellatorum millia hauſta. Melechenus Aegyptiorum Sultanus, qui Turceminio ſucceſſerat, Guirbocam nullo ſuppleméto, nulla ope domo adiutum facilè Syria expulit. In Armeniam ad Regem amiciſſimũ ſe recepit. Cæſo à ſuis Melecheno Bandodachar ſucceſſit. Is circumacto inducíarum cum Latinis die, non tamẽ continuò bellum intulit: vt inopinantes, cum nihil metuerent, opprimeret: quo anno Conradinus Sueuus à Franco deuincitur: Antiochiam oppugnare adortus, paucis defendentibus, ac propè vacuam tam facilè cepit, quàm ægre à noſtris fuerat recepta. Exin Aegyptius Ciliciæ Armeniæq; imminebat. Tunc Armenii, & qui Scytharum ad eos ſe ex fuga receperãt, communem legationem ad Francum Regem mittunt, eius fidem opemq; implorantes. & Carolus Siciliæ ſimul & Hieroſolymorum Rex nuncupatus, vt Siciliam receperat, ita & ſacrum Regnum appetebat. & Francia vt elueret ignominiam Aegyptiam, incredibili cupiditate ardebat. Anno eius ſeculi vndeſeptuageſimo apud Regem Francum deliberatur, quæ primũ regio Barbaræ religionis tentanda eſſet. Oratores Caroli Siciliæ Regis ſuadebant vt Carthago peteretur: Afros Italiæ ſemper infeſtos, Siciliam proximo bello vſſiſſe: Siculo Regno ſimul & prouinciæ Phocenſi formidabiles eſſe. Regem Siciliæ, eundem Comitem Prouinciæ Phocenſis, non poſſe tutò in Syriam nauigare, Regnumq; ſacrum repetere, relicto ê regione Siciliæ, Italiæ, Prouinciæ, illo Barbariæ Africanæ incolumi Regno. Cætera prona virtuti Francorum fore illo in poteſtatem redacto, aut viribus, ne obeſſe deinceps poſſit, debilitatis. quod facillimũ factu ſit, cum in conſpectu propè ſit, & breui nauigationis curſu interiecto. Id rerum ſuarum reſpectu Carolus optabat: firmiúsque Regnum ſuum futurum ſperabat opibus Africanis euerſis. Sanctus Rex totum nomen Chriſtianum defendendum ſuſcipiebat: vt dum ipſe Africam adoriretur, Syriaci Latini aduerſus ſuos deſtinatos hoſtes iuuari ope poſſent; diſtinerenturq; Saracenorum vires, ne alii aliis auxilio forent. Societatem armorum cum Henrico Anglo Rege coit: vt Angli in Orientem claſſe contenderent, dum ipſe in Africa Tuneta oppugnaret: ea vrbe Regia capta, iunctis copiis Franci Angliq; Syriam perdomarẽt. Et ne vlla cauſſa ſuſpicióve belli inter Francos Anglosq; exoriri poſſet, vetus quoq; controuerſia ſublata nouo fœdere eſt his legibus, vt nullum ius poſthac foret Anglo repetendi Normaniam, Cenomanos, Andes, Turones, Pictones, quæ maiores Henrici poſſediſſent, victiq; à Francis amiſiſſent. Aquitania vlteriore potiretur: ſimul ex citeriore haberet Sanctonum fines ad Carantonum vſque amnem: ei Cadurci Lemouicesq; parerent. Hæc beneficio Francorum obtineret, Panagióque iureiurando ſe Francis obſtringeret: eorum in illa omnia ſummum eſſet Imperium. Hæ conditiones æquæ Anglis viſæ: quòd ex iis quæ obtinerent, nihil amitterent: multa quæ bello amiſerant, pace recuperarent. Simul Henricus Henrici filius Rex, Simonis à Monteforti popularium armis vexatus, ſanctitatẽ Franci Regis perſpexerat.

XLIII. D. LVDOVICVS, IX. Is Bo-

Is Bononiam profectus euocauit in continentem Simonem : per amicitiam orauit,vt memor affinitatis eſſet:ne Comes Regem ſuum premere vltrà vellet.ne dum ſe legum patronū contēdit:bello inteſtino , quo leges ſilere,quo longum ac triſte iuſtitiū exoriri neceſſe ſit,res prius perdat,quàm ſeruet.Comes patrocinium legum prætendens, & conſtantiæ & fidei & religionis ſuæ eſſe dictitabat,non præuaricari,non deſerere cauſſam popularium:non peierare,diſcederéque à legibus,in quas & ipſe & Rex iuraſſent.Re infecta dimiſit Comitem Rex Francus:cum ille ſe inexpugnabilem eius precibus ac obteſtationibus præſtitiſſet.Ille in Angliam reuerſus,prælio commiſſo , à Regis Henrici filio Eduardo victus,ac in acie cæſus eſt:tāto popularium luctu,dolore,deſiderio,vt eius memoriam animis ſuis conſecrarent, diuúmque exiſtimarent , ac pro cauſſa religionis iuriſiurandi mortuum ſanctiſſimum martyrem prædicarent.nec aberunt qui eius necis pœnas exigere conentur . Vido Simonis filius cum auxilia aduerſus Anglum à ſancto Rege impetrare nulla potuiſſet,in Italiam ad Carolum Regem,eundem imperii Vicarium ſe contulit.ab eo à conſiliis Anglici belli deterritus,ad procurationē Hetruriæ collega Vicariúſq; cooptatus eſt.Ardebat apud populares inuidia occiſi Simonis Rex anglus:eíque non modò ſancta , ſed neceſſaria viſa Franci Regis amicitia,rebus aduerſis vltro oblata , quo tempore veteres amici decedere officio conſueuerant. Societas etiam ſacrorum armorum facta , vt Saracenis Franci Anglíque vno eodémque tempore bellum inferrent.Sancta pace ſocietateq; cum Anglo firmata,& alia belli materia ſublata eſt . Comites antiqui Toloſatium commixti fuerant conſanguinitate Comitibus Emporitanis , eiſdem Regibus Tarraconenſium.Iidem nonnunquam fuerant Comites & Toloſatium & Emporitanorum, & Reges Tarraconenſium:ac vt multiplici ſobole,multíſque vna ex gente nobilitatéque familiis aſſolet,in complures dominatus Imperiáq; illæ regiones diuiſæ:adeo vt difficile ſit exacta fide nunc quo quiſque iure,qua quiſque tempeſtate,ac cui ſucceſſerit,affirmare:cum recentiore memoria controuerſia etiam ſancto Rege tenuerit de iure finium , de cauſſa complurium oppidorum.Auget errorē Prouincia modò Narbonenſis , modò Toloſatium à nobiliſſimis vrbibus , modo à Fano genti Auguſto Aegidienſis dicta.Quæ vero regio Rhodanum inter Varúmque iacet, Phocenſis tunc vocitabatur,Principe Comitatus Maſſilia.Iacobi Tarraconēſium Regis filiā Eliſabetham, eandem Petri ſororem , vxorem duxerat Philippus Franci filius:fœderéque cautum , vt Carcaſſonem, quæ vrbs in controuerſia erat,Francus haberet:Ruſcinonem vero,Emporiáſque,ac Tarraconem Tarraconenſis obtineret. Simul & Flandria à metu grauis & pluſquā eiuilis belli liberata,per multos annos iure fœminarum eo Comitatu poſſeſſo. Iohāna maior ſuperioris Balduini Cæſaris filia , anno eius ſeculi tertio & triceſimo defuncto Ferdinando marito nupſit Thomæ Sabaudi Comitis fratri minori.Ei omni vita ſterili ſucceſſit ſoror Margarita domum ſobole replens. Gulielmus vir ſanctus initio creditus , ac ſacris initiatus, ætati teneræ præceptor rectórque datus,vnum atque alterum ex ea furto vitiata liberos tulit,Iohannem,& Balduinum:quo defuncto illa Gulielmo Dāpetræ ex nobilitate Bur-

gundionum procerum cum nupſiſſet,tres procreauit filios,Gulielmum, Vidonem,Iohannem.Hi patre mortuo,matre iam magno natu res adminiſtrare ſe æquum cenſebant,nulla ratione habita priorum.Ii ſe excludi ſpe réque moleſte ferebant: ſeque nothos, vt illi criminabantur,eſſe pernegabant:contendebant ſe iuſto matrimonio procreatos:memoriam patris, ſpem hæreditatis,natales ſuos dicendo tutabantur:armis,ſi vi ageretur,tutaturi: quòd authoritate Pontificis max.à patre iunctum matrimonium minus quidem illuſtre,ac minus celebri fama teſtatum,pium tamen diceret. Sanctus Rex beneficium ſuum,quódque iuris ſui erat, Flandriæ Comitatum ſoboli nuptiis teſte orbe terrarum piis procreatæ attribuit, his tamen iuuenibus author, ne in matris pudorem tam diligenter inquirerent,vt'que ſuis per matrem fratribus conſulerent.In Annonia nobiliſſimi dominatus illis dati.Gulielmus Dampetræ filius nomen in ſacram militiam dedit,ſanctum Regem ſecuturus. Vido cohortem clariſſimorum filiorum procreauit. eorum maximo natu Roberto,qui bello Sicilienſi egregiam nauauerat operam,Carolus Rex filiam collocauit.Ita omnibus domi compoſitis, ac tanquam ſuo eum die fatóque appetente,cum nullo ſancti Regis munere domi non perfunctus eſſet,cum Europam miraculo ſui impleſſet, cum in Aegypto , cum in Aſia Barbaris Regum Regibus exemplum Chriſtianæ religionis perpeſſioníſque præbuiſſet, illiſque etiam ſanctus haberetur: Africa ſupererat, cui ſui ſpecimen daret.Filios hos procrearat,Philippum in Regnum ſucceſſurum:Petrum Alanconii, Robertum Claromontenſium in Bellouacis Comites:ac Iohannem infelici cognomine Triſtennem, quòd ~~eum mater~~ Aegyptiæ cladis anno peperetat: Ludouicum,qui non perennauit.Ad hoc Blancham,Iſabellam,Margaritam, Hagnen,quæ nupſerunt Ferrando Regis Caſtulonenſium filio , Theobaldo Nauarrorum Regi , Ludouico Brabantiæ , Roberto Burgundiæ Ducibus. Duumuiros gubernando Regno proficiſcens inſtituit , Simonem Neellam, & Matthæum Vindocinenſem:illum è proceribus,hunc tẽpli Dionyſii Antiſtitem.E Maſſiliæ portu ſoluit cum tribus liberis,Philippo,Iohanne,Petro: anno eius ſeculi ſeptuageſimo Calendis Martiis.Eduardus Angli Regis filius (vt conuenerat)iam Aſiam claſſe tenuerat: Ptolemaidem copias expoſuerat: cum propè fuit vt in ipſis initiis rerum interficeretur . In cubiculo erat cum percuſſor eum adortus vno atque altero vulnere afficit.ne confoderetur,accurſu cubicularii effectum eſt. Inſidiator trucidatus . Scelus omnes authores Arſacidæ Aſſaſſiníſque adſcribunt.Nobis mirum videtur,Barbarum ſicariũ, quanquam mutato cultu,gnarúmque linguæ noſtræ, per tot aulæ miniſtros, corporíſque cuſtodes,per tot ianitores, excuſſores, apparitoréſque, qui filiis Regum ſummiſque Ducibus tam procul tantum bellum inferẽtibus eſſe ſolent,viam ſibi vi artéve vlla in cubiculum Regii iuuenis feciſſe videri,potius quàm propioribus inſidiis eum tentatum.Caſus fratris eius patruelis Arſacidam hoc crimine liberabit . Simo à Monteforti ab Eduardo in acie cæſus fuit:Filius eius Vido necem patris perſequitur:ac in templo tandem vlciſcetur nece Henrici Angli Regii adoleſcentis . Eodem dolore paratum inſidiatorem domeſticum Eduardo crediderim . Cuius audacia Regio cruore aræ

perfundentur, ab eo immiſſum percuſſorem non credam ? præſertim ſancta vulgo apud Anglos recenti memoria Simonis ? Sed fama iam obtinuerat vt omnes ſicarii Aſſaſſini dicerentur. Francus interea Rex ſæua tempeſtate iactatus Sardiniam ægre tenuit. Exin Carthaginem decurſum. Aliquot naues hoſtium in portu expugnatæ. Vrbs oppugnari cœpta ſe egregie tutabatur. Non eſt illa antiqua Tyriorum colonia, vrbs tam nobilis, tam ferox, tam potens Imperio, & orbem terrarum ſpe conatũque complexa: ſed aut in ruinis eius veſtigiiſque reſtituta, aut non procul ſita: vt admoneatur obſideri ſe terra marique, capi, diripi, excindi, euerti poſſe, toties capta, toties exciſa, toties renata, toties veteribus colonis occiſis aut habitanda feris relicta, aut nouis, nouæque religionis, linguæque ignotæ mortalibus, eadem ipſis quoque fata expectantibus, frequentanda. Talis tamen vrbs velut genio loci, cœlique vi ac natura, & ingenito pectoribus in Latinos odio flagrans, ſimul callida conſilio, nec minus dolo artéque quàm armis inſtructa, tam atrox, tam anceps certamen Francis præbuit, vt renouata fuerit memoria priſcæ Pœnorum virtutis. terreſtri prælio, aperta acie, loco æquo, collatis ſignis diu Regem Francum tenuere: non cedunt: vulnera inferunt, accipiũntque: non terrentur: redintegrato ab hoſtibus clamore, impreſſionem, impetum, ruentes Francos ſuſtinent: connixi tolerant: prælium trahunt diutiſſime: ſi Francos laſſitudine afficere, ac ita languentibus viribus, cadentibus animis, ſubeunte tædio feſſos conficere tandem ipſi poſſent, leuioribus armis vſi, onere armorum oppreſſos. Rex cum videret hoſtes non moueri loco poſſe, ac pro victoribus diſceſſuros, niſi magna clade vincerentur: cedere ſenſim ſuos iuſſit, ac hoſtes procul ab vrbe abduci: ſimul Magiſtrum equitum alam delectiſſimi equitatus circunducere, ac inter hoſtium aciem vrbémque locum occupare, ſéque hoſti à tergo oſtendere, ac terrorem iniicere. quod cum factum eſſet, tunc pertinacia fracta. tunc Pœnus reſpicere, vulgus militum animo labare, mente ſibi non conſtare. Duces Barbarorum præſenti ac minime perturbato animo ancipitia conſtitui ſigna iuſſere, ac duplici fronte vtrinque excipere impetum Francorum. cohortari: adeſſe. qua parte laborare ſuos videbant, eò accurrere. Recipiunt animos Barbari. redintegratur pugna, cum ex vrbe nouus clamor, index laborantium & ibi rerum, exortus, terrórque rurſus obſtupefecit eos qui aduerſus Regem Magiſtrũmque equitum pugnabant. Claſſis Francorum oppidanis in ſpectaculum pugnæ terreſtris verſis, metũque & ſpe ea parte ſuſpenſis, arci maritimæ admota, eam repentino terrore cepit. id demum totam rem inclinauit: nec iam pugna in acie, ſed fuga Barbarorum paſſim fieri cœpta. verum circumuentis nullus receptus erat. ſignum à ſancto Rege datum, vt qui abiicerent arma, iis parceretur. ita maior numerus captorum quàm cæſorum fuit. & vrbs, arce amiſſa, propoſitáque ab Rege ſalutis ſpe, deditionem fecit. Nec ea re debellatum. Ad Tunetem nobiliorem tunc vel ipſa Carthagine vrbem Regiam caſtra mota. In itinere cum Rege gentis pugnatum. ad decem millia Afrorum cæſa. Vrbs obſideri cœpta. Acie victi ſemel atque iterum Barbari, virtutem Francorum vltrà experiendam ſibi non ſtatuunt, nec fortunam periclitandam. Francus conſilia Barbarorum

animo circunſpiciens, non prius inde mouere quàm recepta vrbe conſtitue-
bat. Vrbs frequentiſſima multitudine ciuium incolarúmque redigi ad ino-
piam commeatus poſſe videbatur: Terráque maríque obſeſſa, ac excluſa o-
mni ſpe inuehendi frumenti,iam in ſextũ menſem cõtinenti obſidione clau-
ſa,de deditione agendi per oratores initium fecit.Dum de conditionibus di-
ſceptatur, in caſtris Francorum exorta peſtilentia populari Francos cœpit.
Deceſſit infauſto nomine filius Regis Iohannes Triſtennis,natus patre à Bar-
baris circumuento, moriens patre protinus morituro. Ad octauum Calen-
das Septembres ſanctus Rex profluuio deceſſit.Sãcto Rege ipſo quidem de-
functo, ſed memoria eius pectoribus procerum militúmque immortali ſan-
ctáque,ſuperuenit Carolus Siciliæ Rex cum delecta manu, animóſque Fran-
corum confirmauit,morte ſancti Regis & luctu perculſos:ſimul hoſtes fero-
ces, & ſublatis ſpiritibus, crebris eruptionibus, leuibúſque præliis ſuperbam
fiduciam oſtentantes,in iuſtam obſidionẽ rurſus coërcuit. Continuò & An-
glica claſſis appulſa copias piorum ſpémque auxit, ac Barbaris nouum ter-
rorem iniecit.Deceſſerat Ricardus Cæſar frater Angli Regis. Henricus eius
filius Cornubiæ Comes ignarus ſanctum Regem diem ſuum obiuiſſe, claſſe
adueniens,in Africam deſcenſionem fecit,vt,quod futurum propediem ſpes
erat,Tunete Regia vrbe in poteſtatem noſtrorum redacta, quæ piis ad eam
diem mare infeſtum feciſſet, coniunctis claſſibus in Syriam ad Eduardum
patruelem curſum dirigeret: nec inde decederetur, niſi ea prouincia confe-
cta.Barbari ab Anglis, Francis, Italis,terráque maríque oppugnati,circum-
uenti,ac fame grauius quàm vltrà ferre poſſent laborantes,rurſus mentionem
pacis facere cœpere:nec illam noſtri aſpernati,peſtilentia eos populante. Le-
ges Barbaro Regi dictæ, vt ſanctos viros à noſtris datos vrbibus reciperent:
his de CHRISTO publice verba faciendi ius eſſet:ac ſi quis Afrorum no-
ſtram profiteri religionem ſacris concionibus permotus vellet,ſacra lauatio-
ne initiandi,luſtrandíque poteſtas fieret. Quadragena millia aureorum Sici-
liæ Regi Rex Barbarus quotannis numeraret:quantam ſummã Siculus Ro-
mano Pontifici ex formula debebat. Inde in Siciliam decurrebatur, magna
ſpe mutatione cœli leniri luem graſſantis peſtilentiæ poſſe. In conſpectu Si-
ciliam habebant, cum tempeſtas atrox naues diſiecit: nec paucas ſubmerſit:
reliquas quaſſauit. Hæc non modica clades ex Africana lue elapſos mari af-
flixit.Mari vexatos, terreſtris rurſus calamitas excepit.Drepani vi morbi ite-
rum gliſcente obiit Gulielmus Comes Flandriæ: obiit Theobaldus Rex ge-
ner, ac vxor Iſabella filia ſancti Regis: obiit & noua Regina Eliſabetha.per
nobilia ignobiliáque capita vagatum malum:viſáque neceſſitas imponi ſacri
belli omittendi,& patriæ repetendæ. Mari Centumcellas itum: exin terreſtri
itinere Viterbium perrectum: quòd ea in vrbe alterum annum purpurato-
rum patrum animos contentio de Põtifice maximo in locum defuncti Cle-
mentis ſufficiendo diſtrahebat. Præſentia corporis ſancti Regis, maieſtáſque
Regum PHILIPPI & Caroli expugnauit, peruicítque, vt quo verbo-
rum pondere reliquos ad pietatem, germanitatémque animorum excitare
confirmaréque conſueuiſſent,eo ſibi ipſi perſuaderent,vt rebus humanis tan-

 dem

dem consulerent: ne qui à se sanctitatis exemplum peti debere contendant; ii Duces perdendæ deplorandæque reliquæ spei nominis Christiani videantur. suum orbatis mortalibus parentem darent. Elegerunt absentem in Asia apud Anglum, Theobaldum genere Placentinum: eundem Eburonum Archidiaonum: virum sanctum: quique concionibus excitarat proceres ad arma sacra repetenda. Creatus Pontifex Gregorium nomen edidit: ac in Italiam reuertit. Eduardus paulo post sentiens quos nostrorum ex Africa venturos ex composito in Syriam sperarat, domum reuerti: & ipse Syria decessit. Interea dum Viterbii tempus teritur, nefarium scelus perpetratur. Vido à Monteforti præcipuo certamine animi sumpto aduersus Regiam Anglorum stirpem, in æde maxima, pro aráque maxima Henricum Ricardi Cæsaris filium occidit: viáque sibi ferro facta, præparatum ad valuas templi equum conscendit: abiítque ad socerum Rubrum Comitem Anguillarium. Ea res apud omnes, & in primis apud Anglos conflauit ingentem inuidiæ flammam Carolo Regi: quòd non persequeretur cædem factam ab eo cui ipse Vicarius Imperii & Hetruriam prouinciam procurandam dedisset, & nobilissimas nuptias conciliasset. Rex Francus in itinere deinde Cremonæ restitit, si pacem posset iungere Venetos inter ac Genuenses. Magnitudini Regis, ac splendori Francici nominis datum vtrinque est, vt in quinque annos inducíæ fierent. Pontifex Lugdunum conuentum vniuersi nominis Christiani indixit: & quia instaret certamen cum Græcis, doctissima sapientissimáque gente, cum de multis aliis, tum de almi Spiritus processione: Thomam Aquinatem, qui Neapoli docebat: vt de Græcorum Latinorúmque contentione aliquid monumenti ederet, & Lugdunum veniret, hortatus est. In itinere sanctus & vir & doctor obiit. ad idem munus euocatus Bonauentura theologus affuit, galeróque rubro donatus est: cum antè designatus à Pontifice maximo Archiepiscopus Eboracensium eum honorem vt onus detrectasset. Id concilium habitum est anno eius seculi quarto & octogesimo. Græci, Tartarorúmque nonnulli proceres affuere: hi domi candidati, CHRISTVM q; professi fuerant: tunc sacro baptismate imbuti: illi & Pontificem Romanum professi sunt esse humani generis parentem: & almum Spiritum vtrinque procedere. Balduino etiam atque etiam reclamante, Palæologo Imperii ius adiudicatũ à Pontifice max. Apud Latinos mortuo Ricardo Anglo, qui se Cæsarem dictitarat: quanquam superstite Alphonso Castulonensi Imperii æmulo, Germani proceres Cæsarem delegerunt Rodulphum Comitem Aspurgensem: expresserúntque, vt profiteretur se in Italiam diadematis caussa intra annum profecturum. Duodeuiginti imperabit annos, nunquam Italiam ingressus, semper nouas occupationes publice caussatus: sed apud amicos non dissimulans se ab Italia deterreri, quòd Cæsarum in Italiam vestigia, læta, magnifica, plenáque bonæ spei videret: ex Italia vero referentia, & foras versa, tristia, misera, luctuosa. Rex Francus in locum Gulielmi Comitis Flandri defuncti suffecit Vidonem eius fratrem. Theobaldo Regi Nauarræ successit Henricus frater, vxore ducta filia Roberti Atrebatum Comitis. Petrus frater Regis duxit

Iohannam filiam Comitis Bleſenſis: Rex Mariam Ericis Ducis Brabantini filiam. Mater Regis æmula ſanctitatis viri defuncti, ſe totam religioni dedidit: ac ſuburbanam Lutetiæ ædem, ſeptúmque velatarum fœminarum obſeruatione diui Franciſci extruxit. Alphonſus ac Iohanna Comites Toloſatium ſine liberis deceſſere. In ſolidam Comitatus poſſeſſionem iuit Rex. ſed proceres inter ſe ferro contendebant. Comes Armeniaci Girardum à Caſabona vexabat ſuis vnius initio viribus. deinde cum fratrem in prælio amiſiſſet, Comitem Fluſſatium auxilio acciuit. Hoſtis duobus Comitibus nequaquã par, cum in æquum locum vltrà deſcendere non auderet, intra mœnia ſe recepit. obſideri cœptus, quoad aliquid ſpei fuit, ſe, vxorem, liberóſque texit. Vbi vero vidit eò propè peruentum, vt iamiam vi expugnaretur: tunc vt ex certa peſte ſe ſaltem eriperet, per auerſam ab hoſte portam ſalutem ſibi peperit, ac ad Regem confugit. oppido capto, Armeniacus cæterorum cæde facta, vxorem, liberóſque Girardi in cuſtodiam in Fluſſates miſit: nec adueniente cum exercitu Rege Fluſſas terrebatur, fiducia loci, ingenioq; ferox. Arx quò ſe incluſerat Fluſſas, inexpugnabilis videbatur, inſtructa armis, telis, tormentis, præſidio, commeatu, & arduo loco impoſita, quò intercedentibus præruptis rupibus aditum nullum expediri poſſe ſperabat. Rex vt hoſtem vinceret, rerum naturam prius vicit: ferro artéque minui quadam parte rupem, & modicis amfractibus molliri cliuum, quà circuitu via fieret: ſimul aggere depreſſa æquari, pandíque anguſta iuſſit. Quæ vt fieri omnia poſſent, multitudo hominum ſtudiúmque præſtitit. Tunc demum terror perculit Fluſſatem: ſupplex ad regem venit. Vita donatus, annum in cuſtodia manſit: Comitatúque ſpoliatus. Vbi ſatis pœnarum metu ac compedibus dediſſe viſus eſt, ferociáque edomita, & ſpiritus fracti: tunc etiam vniuerſa venia donatur, ac in priſtinas opes reſtitutus eſt. Fluſſatium bella res Hiſpanienſes excepere. Ferrando maiori filio Regis Caſtulonenſis nupſerat Blancha diui Regis filia: cautúmque nuncupandis conditionibus, vt ſi Ferrandus ante obitum patris moreretur ſuperſtite etiamnum minore fratre, ſoboles tamen Ferrandi auo poſtea decedéti in Regnum ſuccederet. Breuioris æui fuit iuuenis: duos ex Franca filios Ferrandum Alphonſúmque reliquit in ſpem Regni. Santius Ferrandi frater minor, in illo ambiguo iure, ad mortui aui hæreditatem vtrum minor filius legibus vocetur, an nepotes ex maiore filio iam defuncto: ne morte quidẽ patris exactæ ætatis expectata, Regnum inuaſit: ac populares in verba ſua iureiurando adigere conabatur. Prævalidæ iam eius opes erant, ac ſpes Regni haud ambigua. Blancha cum filiis in Franciam ad fratrem Regẽ confugit, opem implorans. Exercitus conſcribitur. ſimul Alphonſus puerorum auus, & memor fidei Franco in paciſcendis nurus nuptiis datæ ſpe ſobolis, & impietate minoris filii iritatus, qui ſe viuo ſpirantéque regnaret, eum furiali carmine deuouet: ei iure paterno maledicit. qua execratione deteſtationéque religionem animis popularium iniecit, vt nefario ſcelere ſe deuinctum iri cenſerent, ſi damnato à patre filio, pœníſque paternis debito parêrent. Ita iam in eum arma capiebant, Regno ſpeq; Regni exacturi. Supplex ad genua ſenis patris procubuit: veniam, piacula, ac, ſi videretur, iuſtum in ſe ſuppliciũ

exposcens.Sanguis potior apud animum paternum,quàm memoria iniuriæ, quam pœnitentia illustris satisfactióque sequeretur, propiórque extitit. Filio benedixit:fausta fœlicíq; obsecratione diras auertit,retexuítque : verba prius concepta piis precibus recantauit . Diploma cum aurea imagine sua per vrbes Castulonensium circummisit, testatus,sibi , quandò raptus fato esset Alphonsus,nihil esse,futurum ve charius reliquo filio Santio:cuncta illi optare, apprecari,sperare læta,secunda,fœlicia,ipsi,popularibusque : quæ crederẽtur in eum secus concepta verba,eorum vim omẽnque in inimicos gentis, capita Barbarorum,in religionis hostes versum iri . Hæc res restituit animos popularium Santio , vt ei vni sene mortuo parerent,exclusis Alphonsi ex Franca filiis.& in Nauarra tumultus exarsit : quòd Henricus Rex decesserat relicta vnica filia Iohanna infante. Qua Regina salutata , vt ferè fit,ætate immatura solio imposita,procerum contentione orta,Eustathium Bellomarchium aduersa factio validior oppressura erat.Exercitus ad Castulonẽse bellum paratus in Nauarram missus,ducente Roberto Atrebate Iohannæ auunculo filio Roberti qui in Aegypto Barbarorum bello ceciderat.Is infantem Reginam in Franciam misit.Hæc erit vxor Philippi pulchri Regis.Atrebas compositis pupillæ suæ rebus,euocatus à Castulonensi,~~ad illum se contulit~~. Magnifice amantêrque exceptus , ac aliquot dies cultus est , vt per auiam Blancham Regiæ Castulonensium propinquitate iunctus: eáque ipsa fiducia fuit familiaris colloquii . Nam cum repente literæ allatæ essent:Castulonensis illis lectis,Est,inquit,cur mihi gratuleris.Nõ tam egens studiosorum mei sum, " vt non sint apud Regem Francum,qui res meas tegant:qui me certiorem de " omnibus faciant:qui cum mihi alioqui alieni sint, quid te propinquum face- " re conuenit? Hæc poterãt & vere dici videri:& falso iactari ad solicitãdam " Atrebatis in Regem suum fidem.Sed tunc nihil inde secutum est , nisi quòd suspicio fuit ad latus Regis Franci versari qui arcana enunciaret.& luctus domesticus curam Franco acuit,quã dolor publicus minus intenderat.Ex priore vxore filios tulerat,Ludouicum, Philippum cognomine Pulchrum , Carolum Valesii Comitem . ex posteriore procreauit alterum Ludouicũ Eburouicum Comitem : Margaritam : Blancham:illam Angliæ Reginam: hanc Ducem Austriæ futuras.Defuncto Ludouico filiorum maximo, res in suspicionem veneni venit . Brocchius cubicularius Reginam insimulabat:eam id initium fecisse priuignorum ~~necandorum,vt certam in spem Regni~~ ex ea filii prognati succederent. Contrà erant qui Brocchium in crimen inuidiámque vocarent . sed nec trãditur causa cur ~~bono futura~~ esset illi mors adolescentulorum:nec quæstio decernitur iure habenda.Inseritur falsane fama, an factum quidem,sed minime reor Regium . Consulere enim, vti ferunt,vates placuit.In Brabantia,vnde nata Regina ~~erat,ferebatur~~ responsa reddere mulier quædam è cœtu sectæ quam Beguinarum dictam postea concilio Viennensi Clemens damnare visus est . Ad hanc missi ab Rege Petrus Pontifex Baiocensium , idem Brocchii affinis:ac Stephanus Antistes templi Dionysii: hoc primum improuidè , mitti ex sinu affinitatêque Brocchii , qui in Brocchium inquirat : cum vel legibus tales iudices quæstoréque reiici soleant.

ſed cum eo mittitur collega. At quò tandem mittitur? nempe ad Brabantinã anum de capite Brabantinorum Ducum filiæ ſororíſque conſulendam. Sancta quidem ſit, ſi non dictante Duce reſpõſa velut oracula diuinitúſque edat: & nos imperiti ſimus, ſi toties præſtigiis falſorum vatum, aut eo quæſtu victitantium, aut famam ſanctitatis aucupãtium, capti, fidem in cauſſa capitali habuerimus. & exitum rei talem ferunt. Petrum, cum Niuellam ventum eſſet, Stephano anteuertiſſe: priorem ad fœminam veniſſe: collocutos incertum quæ: diſcedentem oraſſe, vt illa celaret quæ ſecum acta eſſent, quæ reſpondiſſet: ita Stephanum ſuperuenientem ex vate nihil expreſſiſſe, niſi illud vnum, ſatis Petro reſponſum. Ad Regem reditur. Pontifex ſibi nihil arcanorũ ignotum eſſe renunciat: ſed ea effari ſibi per religionẽ non licere, quòd ſacra confeſſione vt ſacerdos omnia audierit. Rex, Non ad myſteria, inquit, arcanáſque luſtrationes, ſed miniſtrum, nuncium, interpretémque te miſi. Noua legatio miſſa Niuellam. iuit Theobaldus Dolenſium Pontifex, retulítque reſponſum de Regina, quale expectari à fœmina de fœmina, à ciue de ciue, à priuata de Ducum ſuorum ſobole oportuerat, Reginã extra noxam eſſe. addidit, quod duobus inſimulatis reliquum erat, ac ne ſic quidem nominatim quenquam coarguens, Venenum à viro, & eo aſſíduo, quotidianóque datum. Hanc vel fabulam fictam, vel veram famam certior res ſecuta eſt. Tabellarius cum literis à Brocchio, dum citatus ad Caſtulonenſem contendit, graui repente oppreſſus morbo, cum mortem inſtare ſentiret, pœnitentia ſubeunte, orat hoſpitem quò diuerterat, literas quas ipſe deferre in Hiſpaniã cœperat, ad Regem Francum perferret: ipſíque vtique Regi in manus redderet. Hæ literæ manifeſtam fidem fecere dictis Caſtulonẽſis, eſſe apud Regem Francum qui arcana foras efferret. hoc vel vnum ſcelus damnaſſet hominem. De illo reſte ſupplicium ſumptum. Petrus Pontifex ad Pontificem maximum ſe recepit metu pœnæ Legationis male geſtæ, ementitæque aut adumbratæ religionis. De iure Ferrandi Alphonſique in Caſtulonenſis Regni cauſſa ſi tranſigi verbis poſſet, Francus Baionam, Caſtulonenſis Marſanum petiere: vt ex propinquis locis vltro citróque cõmearent oratores. Nihil legationibus profectum. Et Tarraconenſium Rex Toloſam ſe ad Regem Francum, eò deinde progreſſum, ſe contulit. Vtrobique compertum eſt nomen Francum inuidia laborare, atque Pontificem Nicolaum incremẽta Francorũ horrere. eius enim Legatus Franco Regi denunciabat, vti arma vímque ab Hiſpania omni abſtineret. Franciæ opes nimis magnæ videbantur: nullum in ea bellum domeſticum: omnes beneficiarii Duces, Comites, Proceres dicto audientes erant. Fraternum nomen cum Anglis, cum Germanis ſanctè colebatur. In Hiſpania tutelæ nomine Nauarra in fide Francorum clienteláque degebat. Sicilia inſula, ſimul in continente Italia, nobiliſſimæ Regno Siculo contributæ præterea attributæve ciuitates, Carolo Franco Franci Regis patruo parebant. Idem Prætor Romanus creatus, magna tunc dignatione, magnis opibus. Idem Vicarius Imperii Hetruſcis iura magiſtratúſque dabat. tota propè Italia, aut viribus, aut authoritate rerum potiebatur. Extra Italiam etiam nomen ſibi faciebat: in Græciam claſſem ingentem parabat, reſtituturus proceres

ceres Francos à Palæologo alios aliis dominatibus eiectos. Mortua Phocensi vxore filiam Balduini Cæsaris in matrimonium duxit: præ seq; tulit, se Byzantio spe imminere, eámque illi propiorem curam quàm sacri Regni esse. Nicolaus Pontifex maximus animos cæteris dedit ad Caroli opes imminuendas: sanctione cauit ne plus quàm annua Prætura Romana foret: ne cui eius capiendæ ius esset Regia nobilitate orto. Nomen Vicarii, iúsque ei abrogauit, caussatus alia ratione Rhodulpho lecto Cæsari se satisfacere non posse. Statuebat duos nouos Reges creare, atque eos ex familia Vrsina, vnde ipse erat: & duo noua Regna in Italia instituere, alterum in Longobardia, alterum in Hetruria, ad arcendos Reges exteros gentésque à vexanda Italia. Nec ignarus fuisse fertur inchoatæ iam in Francos coniurationis, fœderisque inter Græcos Tarraconensesq; icti. Erat Iohannes à Prochyta vir sanguine nobilis, & qui Manfredo Rege dominus eius insulæ fuerat. Is desiderio pristinarum opum Byzantium contendit. Palæologum Cæsarem iam Francos hostes expertum, maiore suspicione metúque implet. Non dubia, inquit, sunt Francorum consilia de isto Imperio recipiendo. copiæ semper nouæ ex Gallia in Italiam transcendunt: classis apparatur: pacem tutam domi forisque colunt: hoc vnum bellum illis in animo est: huc omnibus viribus, omni conatu incumbunt. De re Græca actum est, si domi sedénsque expectas hostem: qui ferox viribus, & memor superiorum de Græcis victoriarum ferri non poterit. Occupandus est incautus Carolus: ac antequam moueat aliquid, egrediatúrve, opprimendus: aut iniecta aliqua ingenti atrocique mora, domi retinendus. Siculorum animis, Manfredi Fœdericique, vt à se, ac inter se natorum, memoria obuersatur. Sub Regibus sanguine natalibúsque Siculis ea insula illustris nomine, dignatione, opibus, Imperio floruit. Nunc Francos imperantes non ferunt Siculi, imperare soliti. Non deerit & quo duce, & ad quem Regem deficiant. Petri Tarraconensis Regis vxor est Constantia Manfredi filia. Noui plusquam masculos eius animos. Plusquam virile robur pectore gerit. Eam certum habeo instigare virum, incitare, vt se generum esse meminerit Manfredi Regis, quem etiam Pontifex Maximus Tarenti Principem iustum esse censuerit, sanxeritque: quo nobilissimo dominatu pelli se nullo iure par sit. Hunc saltem dotis nomine repetendum, ac in huius hæreditatis possessionem eundum. Nimirum Tarraconensis animo consilióque circunspicit, explorat tempus opum soceri repetundarum. Si ei te Cæsar armorum socium addis, longe aberit Carolus Francus â re Græca vexanda. Aut Græcia tibi amittenda, aut Sicilia illi adimenda. Hoc tibi, hoc illi propositum certamen. Bis Franci Græco Imperio manus iniecere. semel Rege Carolo Pipini filio, cum in Occidentis Regna ius ademptum vobis est, si adimi iure religionéve potuit. iterum memoria patrum nostrorum, cum Rege Philippo Ludouici iunioris filio, nomẽ Augustum Balduino Annoni imposuere. Si iam tertium vos adoriantur, cum prima Francorum vis Græcum Imperium imminuerit, secunda totum occuparit, tertia quid allatura sit, ominari horreo. sed in eos tu illud excidium verte. Hæc Iohannes. Palæologus vir magni & animi & consilii, non tam acri admonitore, quàm fideli, callido,

impigro, & qui Francos peſſime odiſſet, miniſtro indiguerat: cuiuſmodi omni ex parte Iohannem cum eſſe teſtimonio exulum Siculorum Appulorúmque, qui quamplurimi etiam in Græciam iuerant, cognoſceret: eum velut cælo ad ſe miſſum cupidè excepit: delegítque miniſtrum exequendi conſilii, cuius author erat. Ille, quod bene verteret, dixit ſe nullum onus non ſubiturum, non leue exiſtimaturum, dum Francos ex Sicilia deturbaret. ſimul abiecta nobili veſte, ſibi tantum vilem ac tritam à veſtiario Minorum depoposcit. Ea ſimulatione ſanctitatis tectus, omnia ſibi terra mariq; peruia tutaq; fecit. Pontificem Max. Nicolaum iam Carolo Regi infenſum adiuiſſe fertur. rem cũ eo communicaſſe. ab eo literas ad Tarraconenſem accepiſſe iam vxoris ſtimulis incitatum. Conuenit vt Palæologus tacitus clandeſtinoq; auro bellum iuuaret, Tarraconenſis claſſem maximam pararet, Dolus aliquis ingens cruentúsque excogitaretur, ſtrueretúrque. Deceſſit Nicolaus Pontifex maximus ciuis Romanus. Succeſſor Martinus gente Tarantaſienſis Francorum ſtudioſus, Palæologum eo nomine, quòd Romanæ non pareret ſedi (id quod Carolus Rex optabat) execratus eſt. Tarraconenſis per cauſſam ſacri belli claſſem inſtruit, ornátque. apud illum apparatu belli cuncta ſtrepunt. Pontifex Caroli cupidus, per oratores à Tarraconenſi petit vt conſilia communicet. ille reſpondet, cum tempus ferret, ſe id facturum. Cum oratores nullum percontandi finem facerent: Comburam, inquit, hanc meam tunicam interiorem, ſi ſuſpicer eam arcanorum meorum gnaram. Francus etiam Rex per literas egit, orauítque per affinitatem, profiteretur quibuſnam illaturus eſſet bellum. ſi Saracenis: cum tot ſint eorum támque diuerſa Regna, ne grauaretur aperire ſibi ſocio amicóque ac affini: vt Franci more ſuo iuuare pium bellum poſſent. Ille reſpondit nondum ſibi conſtare quæ Saracenorum Regna adoriri præſtaret: ſed quoniam opem ſuam Franci vltro offerrent, ſubſidiis rei nummariæ ſe indigere. Viginti millia aureorum miſſa. vberior etiam ſpes oſtentata: illud eſſe initium tenue iuuandi ſacri belli: multo maiora acceſſura documenta Francicæ pietatis. Sed Græcus aurum minime parce ſuppeditabat. Interea Iohannes Minoris habitu in Siciliam redit. Mamertinorum Panormitanorúmque principes adit. Rei nefariæ coniuratio anno eius ſeculi octogeſimoprimo ſanctis diebus facta. Sanctiſſimo omnium anni tempore ſcelus admiſſum. Dies domino reſurgenti feſtus, cum ex templorum turribus Campano ſonitu conſuetudine quotidiana ſignum ad veſpertinos hymnos daretur, ater funeſtúsque Francis factus. Tota Inſula cædes inermium, nihil timentium, incautorúmque Francorum vno temporis veſtigio fœde facta. Inde Siculus veſper prouerbio increbruit. Naues etiam occupatæ quæ in Siciliæ portubus ſtabant paratæ ad Imperium Græcum repetendum, Palæologúmque à Pontifice maximo agente Carolo Rege hoſtem iudicatum bello perſequendum. In Hetruria ſedebat tunc Rex Carolus nihil minus quàm tales opperiens nuncios. Caſu Sicilienſi nunciato, primum perturbatus, plenuſque luctu Pontificem adiit: deinde mœrore in iram verſo, Rhegium ſe contulit. In conſpectu hoſtes breui tranſmiſſu habebat: ſed naues Siculi occuparant, ademerántque facultatem traiiciendi, dum Tarraconenſis

aduentaret.Is Africæ oram, nè ſacræ militiæ profeſſione abuſus ementiendò videretur,circa Hipponem vſſerat.Mox ad id cuius gratia cætera facta fictaq; erant,Siciliam cogitatione ſpectans,in Corſicam delatus,expectabat quò Iohannis conſilia coniuratióque euaderet.Vbi defectionem certam,cædémque factam audiuit: magno velut pignore deuinctos ſibi animos Siculorum ſentiens,vt quibus facinore admiſſo nulla ſupereſſet ſpes veniæ gratiæ'que à Carolo Rege reſpiciendæ:non tamen inde eueſtigio ſoluit. Opperiebatur quid moliretur Carolus Rex.Ille ex Gallia claſſem euocarat. Vbi ad tranſportandum exercitum ſatis magnus numerus nauium cõuenit,milites traducit:Meſſanámque obſidet.omnia ad oppugnationem parat. Ardebant milites cupiditate necis commilitonum vlciſcendæ, manibus interemptorum ſanguine in primis Mamertinorum parentandi. Nec id fallebat oppidanos. Fœminæ, pueri,ſenes,ægri,validi, adoleſcentes, iuuentus, robur ætatis,omnis ordo,omnis ætas,omne genus mortalium,propugnant. nulla munera, nulla onera, nulla pericula detrectant.adſunt animo,conſilio,corpore,aſſiduitate. Duce, hortatore,excitatore non egent.Nulla multis ſeculis tenuit acrior & oppugnatio & propugnatio:nullus maior ardor,vehementior cõtentio.Sed longa dies,nec intermiſſus labor conficere clauſos potuiſſet. Tandem Tarraconenſis Panormum appulit ingenti per ſe claſſe: cámque inſuper auxit nauibus iis quas Siculi à Carolo Rege aduerſus Græcos paratas occuparant. Igitur Carolus aduentu hoſtium impar maritimis viribus, & in Inſula tam infenſa nihil ſui iam arbitrii conſpicatus,in continentem rediit.Petrum Panormi coronatum Siculi Regem ſuum ſalutauerunt:maximis inde contentionibus inſecutis, tam longinqua inter Francos Tarraconenſéſque belli materia: tam remoto armorum præmio velut in medio poſito:alea tam ambigua toties repetita. Defectio Siculorum,vt frequentior fama prodit,à me commemorata eſt. Sed ſunt non contemnendi authores,conſternationis initium à Panormitanis ortum:cum die ſanctæ Reſurrectionis ad tẽplum quod ad mõtem Regium tertio à Panormo lapide abeſt,religionis cauſſa promiſcue cõueniretur,Francos per cauſſam ſcrutandi ſi quis cum telo eſſet,etiam matronas virginéſque excutere, licentiúſque pertentare ſinus, tractaréque cœpiſſe: Ea ex re ira viris mota,primùm lapidationem factã: mox ex vrbe arma correpta: & Francos cæſos. Hac continuò fama Siciliam totam peruagante, à nullo Franco vſquam temperatum. Cum apud Pontificem de hac conſternatione ageretur, à Panormitanis miſſos ad eum oratores viros ſanctos, qui ad pedes illius ſtrati,velut pro ara hoſtiâque CHRISTVM agnum dei ſalutantes, illa etiam ex altaris myſteriis verba ſupplices effarentur, Qui tollis peccata mundi,miſerere noſtri:iterum, Qui tollis peccata mundi,miſerere noſtri:tertium, Qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem: Pontificem reſpondiſſe, Panormitanos agere quod feciſſent qui cum CHRISTVM pulſarent, eundem Regem Iudæorum ſalutabant: re hoſtes, fando ſaluere iubentes. Quodnam piaculum, quam demum ſatisfactionem peteret, exequentibus percontando oratoribus: redditum reſponſum, redderent ſe à quibus defeciſſent: violaſſe illos non maieſtatem modò Regis ipſorum

» Caroli, ſed ſacroſanctam poteſtatem in cuius fide Sicilia eſſet. Mamertinos,
» quorum vrbs iam obſidebatur, dedituros ſe Carolo pollicitos iis legibus, vt
» ſanciretur præteritorū obliuio: caueretúrque, ſibi fraudi non futura quæ auſi
» in Francos antè fuiſſent: non penſuros ſe maiora vectigalia quàm Regi Gu-
» lielmo diſſoluiſſent. magiſtratus, præfectos, milites Francos in ea loca nō itu-
» ros. Italici generis, è Prouinciáve Phocenſi ſine detrectatione ſe accepturos.
» Has conditiones abnuente Carolo, nec arbitrio eius, ſine exceptionéve audē-
» tibus ſe illius iræ credere Mamertinis, ſpem voluntariæ deditionis pacíſque
» ſublatam. Siciliæ ſacris interdictum à purpurato Pontificis Legato. Vt in re-
latione harum rerum aliqua parte varient authores, illud inter omnes cōſtat,
aduentu Tarraconenſis claſſis, Petríque, ſolutam obſidionem Meſſanæ, miſ-
» ſaſque vtrinque literas. Francus grauiter incuſabat Petrum, quòd in pace fe-
» ſta oblitus propinquitatis, affinitatis, amicitiæ, nominis Regii, humanitatis, per
» nefariam fraudem, furtúmque, ſed id atrociſſimum, auſus fuiſſet Siciliam Re-
» gnum ſibi à ſacroſancta poteſtate beneficiarium datū inuadere, occuparéque.
» Tarraconenſis reſcripſit, Sibi Regi, Regúmque filio, ac religione Chriſtiano
» non licuiſſe non moueri miſericordia Siculorum hoſtilia indignáque patiē-
» tium, ſéque vnum toto terrarum orbe habentiū, cuius opem iure ſuo fidém-
» que in calamitate neceſſariò implorarent, quòd Conſtantiam Manfredi Re-
» gis Siculi filiam in matrimonio, & ex ea liberos haberet: quos opibus auitis
» fraudari, iúſque illud amittere, pater ferre nō poſſet, præſertim à Nicolao ter-
» tio Pontifice cōfirmatum. cætera nec neceſſe fuiſſe ab Rege ad Regem ſcri-
» bi, nec reſponſum deſiderare. His vtrinque literis potius aucta exacerbatáq;
ira Carolus quàm leuata lenitáve, quanquam Petrus neceſſitudinem iuráque
amicitiæ inſigni teſtificatione violarat, tamen ei amicitiam renunciauit: bel-
lúmque ita indixit, vt non de imperio dignitateve, ſed de ſalute, in capútque
eius dimicaturū ſe diceret. Hoſtis ex Hiſpania nouas copias expectabat. Ca-
rolus ex iis Franciæ vrbibus quibus iura dabat, nobilitatem exciuit: militémq;
primo quoque tempore ad ſigna conuenire iuſſit: ac literas legatóſque ad re-
liquarum ciuitatū proceres circummiſit, qui eos fando incitarent: id ſcelus in
Francos publice admiſſum, vt niſi authoris cruore eluatur, actum de maieſta-
te nominis Francici apud exteras gentes ſit. Simul vt libentiore animo, mi-
núſque parcens ſumptibus periculíſve Philippus Francus Rex aduerſus Tar-
raconenſes auxilia mitteret, eius ex priore vxore, quæ Tarraconēſis ſoror ex-
titiſſet, minori filio Carolo Valeſii Comiti Catharinam ex Carolo Claudo
filio neptem deſpondit, doti Andegauenſi Comitatu dicto. Ingens igitur vis
militum, & magna nobilitatis manus ex Francia in Italiam tranſcendit. Ter-
reſtris exercitus in Brutios ſe cōtulit. Claſſis etiam tam multarum omnis ge-
neris nauium egregie inſtructa ornatáque conuenit, vt non modò terreſtres
copias pares haberet Carolus Rex, ſed etiam maritimis præſtaret, quibus an-
tea hoſtes ferociores extitiſſent. Nec aurum Græcus, cōmiſſis iam inter ſe La-
tinis Regnis, Petro vltrà ſubminiſtrabat: & metu grauiū pœnarum, quas Tar-
raconenſi victo expectabant, Siculos cædis defectioníſque pœnitebat: circū-
ſpiciebantq;, quanam ratione, qua expiatione placare irā Caroli Regis, recon-

 ciliare

ciliare animum Pontificis poſſent. In conſpectu eſt Sicilia, de qua certatur. caſtra Francorum in proxima continenti breui interiecto freto ſunt. tam prope diſcrimen ſumma res venit. Tarraconenſis aſtu procellam procul vertit. Ex Gallia tempeſtas ingruerat, in Galliam reflauit. Quoniam ſpargebãtur voces, Tarraconenſem non vera virtute fidere, ſed inſidiis, dolo, artibus minime regiis niti: ipſe vltro, quamuis grauis ætate, Carolum magno & ipſum natu ad certamen per caduceatorem prouocauit: ſi vir, ſi Dux, ſi Rex eſſet, congrederetur. immunem malorum par eſſe Siciliam præſtari: vt ea ſalua, florens, incolumis victorem ſequeretur: neu euerteretur, de cuius integræ poſſeſſione ageretur. Id vero mirum in modum auditu iucundum Franco accidit, periculum virtutis fieri: diiudicari vtra gens bello ſit melior. Placuit vt equitibus vterque centenis inter ſe decertarẽt. vtri alæ Deus victoriam daret, eius, res de qua agitur, præmium eſſet. De iis conditionibus nulla controuerſia orta: de loco ambigitur, vbi dimicetur. In Siciliam, quæ tota præſidiis claſſibuſq; Tarraconenſibus tenetur, non cõmittent ſe centum equites Franci, Rexq; Carolus. Petrus Italiam continentem ſibi meritò ſuſpectam dicit, quòd in ea propè tota non minus valeat Carolus, quàm in ea parte Franciæ quæ nullum agnoſcit Imperium, Regémve, niſi Francum. Anglum vtique neutri contra alterum affuturum: Burdegalam in Vaſconia eius Imperio contineri: illic decerni ſine metu campis ante vrbem eam patentibus poſſe. Nec recuſauit Francus, quanuis gnarus ſibi offenſiorem Regem Eduardum memoria Henrici Angli à Vidone cæſi, eiúsque parricidii impuniti, quod perſequi ipſe potuiſſet, parricida in Hetruria eius prouincia ſe tegente. Dictæ leges, & conditio vtrinque accepta, & iureiurando firmata. Die certamini conſtituta Carolus cum ala centenaria præſto affuit: Burdegalæ ſeſe ſuoſq; in armis oſtendit. Multis ſeculis non fuit tam paruo numero nobilior ſanguine, factis, ſpe, delectiórque equitatus. Conuenerant vndique mortales ad famam duorum clariſſimorum Regum parua quidem manu, ſed ſummo odio, infenſiſſimis animis inter ſe de Sicilia, de Regno longinquo dimicaturorum. Angli, Franci, Hiſpani, Itali, Germani, ex Græcia etiam mortales confluxerant: alii ſpectaculi nobiliſſimi gratia, alii partium ſtudio. Prætor vrbis ſe omnibus æquum, comem, liberalémque præbebat: gloriam maximam ſuam, decus ingens Regis ſui exiſtimans, Præfecturam ſuam toto ex orbe terrarũ delectã, cuius in principe vrbe Reges externi fide Eduardi Regis, Martis iudicio controuerſias ſummis de rebus dirimerent. Ingentem expectationem, animos erectos, mentem ſuſpenſam fruſtratio ludificatióque excepit. Nullus Petrus comparuit. Nullus Tarraconenſis ſe oſtendit. Conſecutus erat id quod animo propoſuerat: præſentẽ tempeſtatem deuitarat: auerterat Francorum vires ab ipſo freto, à veſtibulo propè ingreſſuque ac limine Siciliæ. Dimiſſus ſemel exercitus non facilè rurſus cogetur. nunquam idem impetus ardórque renaſcetur. Francus ad ſeram vſque noctem loco conſtituto in armis ſtetit. Sunt qui ſcribant, Petrum, vt ignauiæ periuriiq; notam effugeret, quia iurauerat ſe venturum, priuati hominis cultu vno omnino comite per diſpoſitos equos Prætorem adiuiſſe, ſeq; illi confeſſum, ac excuſatione detrectati certaminis ea viſum, quòd Francus Rex cum exercitu iuſto appro-

pinquare diceretur:nec ſibi æqua cõditione centũ equitibus aduerſus omnes Francorum copias certamen futurũ,propioraq; Carolo Francorum auxilia,q̃ ſibi Tarraconenſium.Pariq; celeritate Tarraconem rediiſſe: cũ,id quod præterea captauerat,ſe abſente eius Præfecti in Italiam res geſſiſſent.Conſtantiam vxorem in Siciliam præmiſerat ad animos Siculorum confirmandos: cuius mulieris nomen memoria magnæ Conſtantiæ ſanctũ illis erat. Simul Rogerius Lorius exul Apulus,Præfectus claſſis Tarraconenſis, ad certamen elicuit Carolum Claudũ Caroli Regis filium:eumq; multũ dehortante Legato Romano congredi auſum, cætera fugata claſſe,ipſum cum paucis nauibus egregie pugnantẽ cepit,eo maiore Francorum dolore,quòd pater Carolus paucis pòſt diebus cũ magna claſſe venit:quæ ſi expectata fuiſſet, longe alia fortuna fuerat expectanda.Pater ætate graui,laboribus,luctu, tædio aduerſarum rerũ, ſic quoq; non cedere,non ſuccumbere animo ſtatuens,ſed experiendũ agendumq; ratus:dum Calabrorum,Apulorum,Lucanorum,Picentinorum,Brutiorũ vrbes ad cõfirmandos animos circumit,morbo correptus deceſſit,Rex indole animi ſummus vir,ſed peccato ſuorũ (vt authores tradunt) miſer,maximis victoriis perdiu clarus,ſed ſenior vim fortunæ malis expertus.Dum Carolus filius captiuus apud Tarraconenſes degit,Francus Rex Robertum Comitem Atrebatẽ ad eas res interea tutandas miſit:qui cõmuni animo cõſilioq; cum Legato Romano à vi ſpeq; Petri cõtinentem tutatus eſt,quandò Siciliæ recuperãdæ conatus intermittendus videbatur.Cauſſam etiam Francorũ ſanctiorem id effecit,quòd Pontifex Maximus Petrum nominatim numero impiorum habendũ ſancit:ſacrum in eum bellum decernit:ius Regni etiã Tarraconenſis ei abrogat:idq; Carolo Valeſii Comiti Regis Franci ex ſorore Petri filio attribuit: ne in alienam cognationem tranſferri ſceptrum populares conquererentur:eosq; â vinculo fidelitatis,iurisq; iurandi religione ſoluit,qua ſe Petro obligarant:& acceſſit nõ parum momentũ ad auertendos Francorũ animos ab Italia Siciliaq; ad ipſum caput rerum,fontemq; belli Tarraconenſe Regnum petendũ:quòd Iacobus frater Petri Balearium Rex ad Regẽ Francũ tranſierat,Regno exactus ab Alphonſo Petri filio.Igitur in exercitu Francorum erant hi Reges, Iacobus Balearium,Philippus pater Francorum,Philippus filius Nauarrorũ,ſimul Carolus item Franci filius à Pontifice deſignatus Tarraconenſium Rex.Milites,vt ſacra militia,Cruce pro inſigni belli vtebantur.Petrus,quia Pontifex nomen ei Regiũ ſanctione abrogarat,vetueratq; ei Regi ſcribi,per ſuperbam ludificationẽ,Pater duorum Regnorum,marisq; dominus,ſcribebat.Anno eius ſeculi quíto & octogeſimo,pridie idus Maias, Perpenianum peruentum. Ea vrbs Iacobo Regi deditionem fecit, Francosq; mœnibus admiſit.cuius exemplum reliqua Comitatus Ruſcinonis oppida ſecuta,vim Francorum ſibi experiendã non ſtatuerunt,præter vnum,eodẽ quo nobiliſſima Lygurũ vrbs,Genua nomine: id nec metu Regũ,nec authoritate Legati Romani permõtum eſt,vt pertinacia deſiſteret: quòd Petrus oppidanorum animos cõfirmarat, ſpemq; dederat,ſe,ſi premerentur,ſubſidio aduolaturum.Purpuratus cũ illos,quòd non parerẽt, iure ſacræ legationis impios, hoſtésq; piorũ iudicaſſet,execratusq; eſſet,militibus, Ite,inquit,magno animo

certa victoriæ de capitibus ſceleſtis,damnatisq;,& inferorũ pœnæ debitis,ſpe. « Theſauro ſacroſanctæ iuriſdictionis,iureq; cæleſtium clauiũ peccata his con- « donantur,qui ſanctam ſtrenuamq; operã hodierno die nauabunt.Et quò ma- « iore alacritate pugnetis in domini exercituum hoſtes, qui veſtrum in prælio « oppugnationéve fortiter res gerens cadet, eius peccata,mea vnius crimina pe « riculo meo facio.me cognitorem, immò me principem reum magna fiducia « apud deum ſiſto,quòd ea hoſtium eluentur cruore. Annales Francorum in « hanc ferme ſententiã exhortationem fuiſſe legati tradunt.Certe grauis oppu- gnatio vrbem adorta eſt. obſeſſi propinqua ſpe ſubſidii ſubleuabantur,Petro ad Pyrenæum ſaltum ſedente. ille confidebat,vt Meſſana diu tenuerat Caro- lum Regem, ita & Genuam complures dies remoraturã hoſtium impetum. ſed indigne ferebat Francus vrbem eam cis Pyrenæum in oculis Francorum ſitam,cæteris cedentibus,ſolam audere obſtare,& oppugnantibus tribus Re- gibus,gloriam inuicti nominis quærere. Igitur tres Reges, & Carolus Valeſii Comes,deſtinatione animorum,ſpéque omnium & ipſe Rex,diuiſis partibus circumeunte excitanteq; Romano,oppidum vndiq; premunt,vrgent,tentant: comminus eminusq; terrent:ſpatium reſpirandi, animiq; colligendi adimunt. muros hinc tormẽtis quaſſare,deiicere,ſternere,peruios facere:illinc propiore audacia ſcalis,aſcenſu,conniſu,immemores vulnerum,obliuione periculorũ, mortis contemptu,euadere contendunt.Vix ſera nox pertinaciæ finem fecit. Nec dubia res erat,quin poſtridie pari conatu oppugnatio repeteretur,maio- re etiã tormentorum machinarumq; vi:quas ingenti certamine fieri ex muris cernebant:cui ſe impares ſentiebant.Miſſus ergo ante lucẽ ad Francũ Regem orator pollicetur ſeniores triduo oppidum dedituros : orant id ſibi ſpatium tẽporis detur,vt conſenſu omnium fiat deditio:quandò ſint non pauci ex in- « quieta ferociq; iuuentute, qui nondum adduci in eam ſententiam potuerint: « ſed ceſſuros tandem authoritati ſeniorũ,maieſtatiq; parentum. Iacobus Rex « eis deprecator aderat:malebátque vrbe integra potiri (eam enim Francus illi pollicitus fuerat) q̃ expugnata,malisq; affecta. Venia illis data, conticeſcit o- mnis tumultus, perinde atq; re confecta.Id tẽporis ſpatiũ petierant oppidani, vt interea edoceretur Petrus res in ſummo diſcrimine verſari, ac amiſſas, niſi quamprimũ opem ferret.Nuncium literásve mittere nõ poterant,cuſtodien- tibus omnia explorantibusq; Francis.Ex editiſſima oppidi turri ſignum fumo dant.Cognouere Reges fraudẽ,artemq; tridui petiti. Continuo apparatus o- mnis profertur,admoueturq;:punctoq; propè tẽporis oppidum captũ.à nullo temperatum.cæſi puberes,impuberes,viri,fœminæ.Nothus filius cuiuſdã no- bilis Ruſcinonenſis ſeſe in turrim tẽpli recepit:ex eaq; à primo Francorũ im- petu ſe tutatus eſt.Vbi cæde toto oppido facta,ira,calor,furorq; reſedit, tunc à Francis Iacobo Regi deprecanti Nothus condonatus eſt. isq; impetratæ ſa- lutis egregiam gratiam retulit.Oppidum incendiis ruinisq; interiit.Comitatus Ruſcinonenſis Iacobo Regi redditus. In vlteriora tranſcendendum erat.qua parte via Francis oſtendebatur, Tarraconenſis operibus præſidiisq; impoſitis inuia reddiderat.Nothus ea regione ortus,& venatui aſſuetus, omnes ſemitas callesq; peragrando cognouerat. Tunc leuiſſimo quique corpore milites, ac

pernicitate inſignes delecti ab Regibus,ab eo circunducti ſunt:cũ interea ipſi Reges ſpecie viæ per obices clauſtraq; ſub ſignis tentandæ,perrumpendiq;,hoſtem in ſe verſum tenerent, auerterentq; à ſuſpicione aliunde ingruentis periculi.Nothus ſummam fidem præſtitit:nec ei liberum ſinebant Franci fallere, elabíve,circunſtantes,& ſemper intenti. multis locis ſentes arboresq; inflexis, tranſmiſſis,addenſatisq; inter ſe in morem ſepis,velut cõſultò ad intercludendum tranſitum,ramis, cædendæ fuere:multæ arduæ præruptæq; rupes occurrebant:vt interdum cogerentur genibus inniti, pedibus luctari, manibus prehenſare ſaxa,ſtirpes,ſtipites,ne toto corpore deuoluerentur,præcipites ferrentur.omnia iniqua,infeſta.tantùm ipſe hoſtis ferrumq; defuit.Tandẽ emerſere, euaſereq; in iuga,quæ capitibus hoſtiũ impendebant.is repentinus metus oblatus oculis hoſtium,tutum Regibus tranſitum dedit,deſertis à Petro trepide caſtris,relictisq; quas inſederat faucibus.Aegre quoq; oppoſitæ moles amotæ. Tabernaculis,tentoriisque,ac non magna nec precioſa ſupellectili militari,ac paruo cõmeatu potiti Franci in Emporitanum Comitatũ deſcendêre.Claſſis in ora prouinciæ Narbonenſis à Franco parata, ſimul claſſe Genuenſium Piſanorumq; precio conducta, maritima oppida, portusq; Emporitanæ Præfecturæ adorta,inſtante etiã à terra exercitu terreſtri,partim vi expugnauit, partim metu recepit.Petralata vnum omnino diem oppugnationẽ ſuſtinuit. noctu,deſperata defenſione,oppidani,ne oppido integro Franci potirentur,igne paſſim tectis iniecto,cum iis quæ nocturna trepidatione efferre quiſq; potuit, emigrauere. Ad Gerundam hæſit Francus, quòd vrbs munitiſſima erat,egregieq; firmata. Præſidii Præfectus erat Raimundus Carmonenſis, vir acer,impigerq;.oppugnantibus Francis nihil per trepidationem egit. præſenti animo omnia adminiſtrabat. conſilio proſpiciebat. oppidanos confirmabat. muros egregiis propugnatoribus complerat,diuiſis partibus,diſpenſatis in orbem tẽporibus,vt alii aliis ſemper recentes feſſis ſuo quiſq; loco viceq; ad labores periculáq; ſuccederent.Audebat etiã erumpere,ac verſos in mœnia oppugnãda hoſtes à tergo adoriri.opera etiam machinasq; noctu,ferro igneq; armatus,ac eruptione facta incendit.In tertium menſem ea obſidio tenuit.Interea Petrus inter caſtra Francorum, & propinquum portum,oppidumq; maritimũ,vnde commeatus comportari in caſtra Francorum conſueuerat,locum inſidiis opportunum cepit cum quingentis equitibus,& duobus millibus peditum,ſperans nõ commeatum modò,ſed ingentem vim pecuniæ,quam in ſtipendium militum afferri audierat,ſe intercepturũ. Hæ inſidiæ per exploratores Franco compertæ ſunt.Maioris partis ſententia eò inclinabat,vt obuiam commeatui æriq; militari cũ magna exercitus parte iretur,ne conſilium hoſti procederet.

» Rhodulphus vero Magiſter equitum, Longe aliter, inquit,ſentio. Si paribus
» hoſti copiis,aut etiã maioribus ei occurrimus: cui dubiũ eſt quin hoſtis ſem-
» per fraudibus fidens,detectas inſidias ſentiens,ceſſurus ſit? cum omnium inſi-
» diatorum animus vbi fallere ſe cognoſcit,ferox ſit:vbi deprehenſum ſe intel-
» ligit,timidus & imbellis.virtus enim ſe ipſa freta,& ſui fiducia ferè imperter-
» rita,ſe ipſa contenta eſt:ſemper ſibi conſtat.mens vero ieiuna,infirmumq; per
» ſe pectus,ſuæ ſibi imbecillitatis conſciũ,auxilia aliũde quærit:ſe dolo inſtruit:

 fraude

fraude armat:insidiis hostem petit.hæ cum primũ vanæ euadunt,eo abiectiore animo trepidat,quo & plus præsidii in illis,& in cæteris minus spei sibi statuerit. Nunquam Petrus pari numero,æquo loco sui potestatem faciet bellũ immortale frustratione ludificationeq; faciet,nisi artem arte vicerimus.Credat sibi procedere insidias:sua eum fraude circumueniamus.Quingentos equites, duo millia peditum secum habet.trecẽtos omnino equites nostros sine peditatu velut ignaros insidiarum euntes expectabit,sperãs eos se interceptum. Eum mihi numerum date,sed eos quos ego ex omnibus copiis deligam.cum ala centenaria aduersus alam centenariam pugnare ad Burdigalam timuit:maluitq; perpetua inuri ignominia,notaq; periurii timiditatisq;, q̃ Martis iudiciũ experiri.Aduersus trecentos equites velut ex insidiis circumuentos pugnabit, multo ac multo maioribus copiis insidiisq;,ac suis artibus fretus. Hæc sententia vicit. Delegit igitur trecentos fortissimos ac perspectæ virtutis equites: iisq;, In virtute,inquit, dextraq; vestra delectissimi equites reposita est spes recuperandi decoris communis.Parẽtes nostri clarissimum nomen,gloriam ingentem nobis reliquere.in Europa,in Asia,in Africa victoriarum suarum monumẽta trophæaq; erexere.Franciam spoliis hostium locupletauere:Imperiis Regnisq; externis decorauere.Francorum ~~nomen non~~ gentis,sed virtutis gloriæq; bellicæ erat.His paucis annis cum virtute inuicti apud omnes fuissemus: nefariis artibus,fraudibusq; impiis hostes nos adorti,maculam illam nobis imposuere,quã hodierno die demere aboleregq; possumus.vt illi suis artibus doloq; superarunt,ita nos nostris apertoq; Marte vincamus.Siculus vesper parricidio illorum, clade nostra nobilitatus est. Hodiernus dies præuigiliũ assumptionis Virginis est.Hunc diem nobilem,festum,lætum,insignẽ,mactatis iusto bello sceleris authoribus,faciamus:vt illis nunquam memoriæ obuersetur ille dies,quin & hic cõtinuò tristitia doloreq; pectus perstringat:& luctuosior hic illis dies,q̃ ille lætior illuxerit.Trecenti equites quingentis equitibus & repẽte collecto fugaciq; peditatui occurrimus.si vnus ego duos illorum exciperem, gestiret lætitia animus,sibiq; de impiis hominibus glorioſissimã sponderet victoriam.eandem in vnoquoq; vestrum indolẽ,eandem virtutem,easdẽ dextræ vires sitas scio:meq; id ex animo prædicare,id certum documentum sit, quòd vos potissimos habui quos deligerem ad tantum decus ex omni Franciæ procerum iuuentute.Sed non vtiq; vir cum viro: singuli singulis congrediemur: Hæc pugnax ala cum illorũ insidiatrice ala,semilixisq; peditibus confliget:vt nostro vniuersorũ inuicto robore, singulorum salus gloriaq; contineatur. & cum suum quisq; aduersum destinatumq; hostem vt viro vir congressus strauerit:tunc non viribus modò,sed & numero equitem superauerimus:pedites dilabentur:ac quod timidis ignauisq; fieri assolet,suas hosti insidias funestas fecerimus. Hæc Rhodulphus. Equites à Regibus, laudibus, spe præmiorum gloriaq; onerati,iter ingrediuntur per dissimulationem quasi portum ad cõmercia rerum commeatumq; petentes, similes securis, & nihil de prælio cogitantibus.vbi locum insidiarum ingressi sunt,coorti cum clamore hostes circunfundere,ac intercludere & à portu & à castris conantur.Animis antè paratis, tela etiam expediunt Franci. Pugnatum est atrociter numero Tarraco-

nenſes,ira virtutéque Franci,vtpote delecti, præſtabant. Petrus fortiſſime impigreq; dimicauit.Militis,Ducis,Imperatoris officium præſtitit.pugnare,hortari,ſegnes increpitare, timidos confirmare, fortes collaudare:circunſpectantes,minis,probris,cuſpide in hoſtem vertere: omnes acuere,excitare: ſigniferos vrgere:nullo loco,nulli muneri deeſſe:omni militari Imperatoriaq; laude magnus:& vt ad eam diem aſtu Imperium ſuum auxerat,ita eo prælio,quod ſupremum conſeruit,virtutis decus ſibi parare contendebat. ei cum trecentis proceribus tota ex Francia delectis res erat.Franci quo pauciores ſe ſciebant, eo pluſquam pro virili quiſque parte adnitendum ſibi ſinguli ſentiebant:cum hoſte odio implacabili pugnabãt:inter ſe æmulatione virtutis certabant.Conabatur hoſtis circumuentos in arctum anguſtumq; eos cogere, ne expedire tela poſſent,ipſiq; ſibi eſſent impedimẽto:ſuamet ipſi trepidatione tumultuq; premerentur.vbi id parum proceſſit,pugnabántque,& ordines peditum perrumpentes eorum fugam faciebant:tunc cum delectiſſimis ſuorum ante ſigna proceſſit,reliquos cohortatus,vt ſe ſequerentur : ne tantum flagitium admitteretur,vt tam multi à tam paucis,Rex à Magiſtro equitum vinceretur.Pugna recrudeſcit.plures Tarraconenſium,vt in maiore numero,cadunt: pauciores Franci,ſed pari ob paucitatem dolore. Neutra pars alteri ceſſiſſet, niſi Petrus conto petitus, ac graui vulnere in facie accepto, ſeſe ex acie recepiſſet. cum equum circumageret, tunc quoque eques Francus eius equum habenis prehenſis,illumq; in equo auertere abduceréque conabatur:Petrus enſe habenas abſcidit,ſubditisq; calcaribus ſe periculo abripuit. & Rex Francus ex caſtris, dum pugna à trecentis trahitur,ſubſidio aliquot turmas expeditásque cohortes miſit.Ita qui hoſtium equites ſupererant,Regem ſuum fugiente ſauciumq; ſecuti ſunt,pedites occiſi.Tarraconenſium plus centum equites deſiderati.Petrus Villamfrancam delatus ex vulnere obiit. Barchinone ſepultus eſt. moriens fratri Baleares reſtitui iuſſit. Iacobum filium in Siciliã miſerat,Alphonſus & Fœdericus domi erant.Franci victores in caſtra reuertentes magna gratulatione ſunt excepti.Vbi mors Petri allata eſt,maiorì alacritate Gerunda refectis operibus oppugnari deintegro cœpit. Gerundenſes armis operibúsve non vincebantur.in paucos dies commeatus ſupererat:necdum cedebant.vbi nunciata eſt eis mors Regis ſui,petierunt vt ſibi mittere liceret aliquem è ſuis qui rem certam afferret.Iuit: viſoq; mortuo,ingenti edito gemitu reuertit ad ſuos:eosq; pari luctu impleuit.Leges à Franco accepere,vti cum iis quæ agere ferreq; præter aurum argentúmque poſſent, emigrarent. Præſidium Francorum impoſitum.& peſtilentia graui exorta,Francus de receſſu conſilia inibat.Terra rediturus,naues externas,quas mercede conduxerat,ne ſumptui vltrà forent,oneriq;,dimiſit:malo (vt poſtea cognitum eſt) ac immaturo conſilio.Rogerius Præfectus claſſis Tarraconenſis,ex Sicilia,cum minime quis exſpectaret,vt Petro Regi ſuo auxilio eſſet, cum quinque & quadraginta nauibus longis in Hiſpaniam nauigabat. antequã appelleret, cõperit Petrum deceſſiſſe:mercenariam claſſem à Franco dimiſſam. Vir ſagax,& qui nulli occaſioni rei bene gerendæ deeſſet,quiq; fortunã ſibi ipſe faceret,dimiſſas à Franco naues mercede ad ſe euocat:validáque claſſe oppidum portumq;,vbi ſtabant

reliquæ Francorum naues,adoritur. paucas multæ circunſiſtunt: & oppidani læto fauſtóque clamore illum excipiunt:ac Francos è tectis feneſtríſque lapidibus tegulisq; inceſſunt. ii rẽ neceſſaria coacti, ſuis ſimul nauibus & oppidò paſſim ignem iniiciunt. In eoq; reſtinguendo hoſtibus occupatis, ſeſe ad Regem recipiunt. Is triſtis nuncius Regem iam languentem grauius affecit. lectica iter faciebat. anguſtias viarum rurſus inuenit multitudine hoſtium inſeſſas. pugnatum acriter eſt. Rex è lectica ſuos circumlatus cohortabatur: voce mouebat: mouebantur & pectoribus inſita erga Reges religione. ſilens etiam maieſtate moturus ſuos fuiſſet Rex languens, & verecundiam iniecturus: vt infirmitate corporis ſe hoſti prodente, telis ſuorum tegeretur. Cum domo in Hiſpaniam contenderet integro exercitu, recentibus viribus, vigentibus animis, tamen furto, & Nothi beneficio tranſiuerat. nunc intercluſus montibus, hoſtiúmque exercitu, occiſi Regis ſui vltionem expetentium, in hoſtico, in Hiſpania, procul à domo, claſſe amiſſa, ſpe commeatus adempta, graui iam tempore anni, & peſtilenti autumno Francos populante deprehenſus hæret. Longe plurimum ſcilicet præſidii mortalibus repoſitum eſt in virtute. Magnam vim habet neceſſitas. ea ingentes ſtimulos addit. Humeris amicorũ lata lectica, Rex corpore affecto, pectore valido, viam ferro aperiri iubet: ac hoſtem fraudibus ſemper ſubnixum, & intra anguſtias latitantem potius quàm pugnantem adoriri, pedem conferre. vbi comminus res geri cœperit, non laturum Francorum vim: ſuas illi anguſtias velut compedes impedimento & ad pugnam & ad fugam futuras, prodituráſque. ſe viros, ſe armatos, ſe Francos, ſe ſobolem fortiſſimorum clariſſimorúmque toto terrarum orbe procerum meminiſſent. ſtratis hoſtium corporibus, ad parentes quiſque, ad vxores, ad liberos ferrentur. minus certaminis nunc proponi: minus negocii eſſe hoſtem prædamnata victoriæ ſpe ſe vltro abdentem loco deiicere, quàm modò fuerit trecentis equitibus quingenariam alam ſimul & duo peditũ milia fundere, fugare, ſternere: Regémque duorum Regnorum, & dominum maris, egregium eundem Ducem Imperatorémque occidere. Præſens Regis maieſtas, oratióque, atque miſeratio eius, ſuáque cuiuſque, niſi perrumperent, deſperata ſalus, quo nullum acrius telum mortalibus eſt, tantum animorum fecit, vt per æqua per iniqua irent, ferrentur, ruerent, perrumperent, velut vecordes, furoréque acti: nullo vulnerum ſenſu: auerſis à periculorum (quæ oculis obuerſabantur) cogitatione mentibus. Ita tranſmiſſi montes, ſuperatæ anguſtiæ, patefacta itinera, fugati hoſtes: qui vecordia perrumpentium, miraculoq; audaciæ velut veſaniæ conſternati, ſibi conſuluerunt notis ſemitis latebrisq;. Ita Perpenianum reditum. ibi Rex Francus ingraueſcẽte morbo deceſſit. Hic annus, Martini Pontificis Maximi Francorum amantiſſimi, triúmque Regum, Caroli, Philippi, Petri morte fuit inſignis. Gerunda, & cætera quæ bello cepe-
rat Francus, morte eius ad ſolitum Imperium rediere. Philippus Francus Rex & pius & fortis, nullo tamen ſuo cognomine celebratur: Diui Regis filius dicitur. Tantum honoris ſancto Regi mortales habuere, vt etiam filium laude nominis eius decorarint. Ab eodem ad ſuperos recepto Rege, quæ nunc eſt Regia Francorum nobilitas, omnis eſt oriunda.

PHILIPPVS PVLCHER IAM INDE à prima adoleſcẽtia Aegidium Romanũ theologum obſeruarat: authórque fuerat, vt de regimine principum monumenta, quæ extant, conſcriberet, ederetq; Eundem Lutetiam à Remenſibus ſacris regreſſus, quòd ſacræ ſcholæ vniuerſiq; Muſæi oratione nouos excipi Reges ſolenne ſit, dicere iuſſit. Iſq; ita exorſus eſt: » E tẽplis, » & quaſi è colloquio Dei optimi maximi veniẽ» tes, ac continuò abs te indulgentiſſime Rex di» cere iuſſi: non minore religione apud te verba faciemus, quàm quanta modò » pro te ante aras vota ſuſceperimus. Te quoque eadem animi pietate auditu» rum confidimus, qua vt Sacræ Scholæ verbis orationem habeamus, hortaris: » vt quæ vltro in mentem tibi veniunt, ea etiam à tuis accipias: & tecum loqui » perſæpe ſolitus, vocem etiam noſtram non aſperneris. Quid autem apud no» uum Regem, antiquius, grauiusq;, quàm de Regno, dici poteſt? Nomen enim » Regium, non in terris natum, excogitatúmve: ſed è cælo demiſſum, mihi vi» deri ſolet. Parens enim rerum deus, cum genus humanum condidiſſet, ſummũ » quidem in illud imperium iusq; penes ſe retinuit: ſed vt mente in eum ſubli» mes ferremur, vt illum cupidius quæreremus, vt ſpe, vt votis incenderemur: » idcirco in terris palàm ipſe degere, oculísque interea noſtris obuerſari noluit: » Reges inſtituit, qui eius vice, munereq; fungerentur: quorum vt quiſque pro» bitate quamproxime ad Deum optimum maximum accederet, ita veriſſime » Rex vocitaretur. Ita omnes eodem cõſilio dati, alia tamen alii via ad laudem » contenderunt. Permulti ſingulis ſinguli virtutibus inclaruere. Audeo prædi» care, nullumdum omnibus anteiuiſſe. Non pauci certè cõpluribus præſtitere. » Magnus enim campus Regibus patet ad gloriam: & ad eam cuncti mortales, » ſed maxime omnium Reges ſtudio incitati feruntur. Digniſſimum enim dia» demate cenſuerim, qui quicquid in cæteris pulchri paſſim aut legerit, aut au» dierit, id omne ſibi vniuerſumq; expetat: & quod deſiderarit in aliis, id præ» terea ipſe præſtet. Non pigebit me, dum te intueor, magnitudinemq; tuã conſidero, à Perſis exempla repetere: quorum Reges tot gentibus imperitantes, » cum liberos ſuos ipſarum virtutum voce erudiri inſtituiq; non poſſe cogno» ſcerent: quod proximum erat, conquiſitione ſummorum virorum facta, qua» tuor viros ex omni numero deligebant: vnum iuſtitia clariſſimum, alterũ pru» dentia, tertium fortitudine animi, quartum continentia excellentem. Horum » præceptis inſtitui iam inde à pueris Regum filii conſueuerant. Quæ diſciplina » quandiu incorrupta permanſit, tandiu illud Imperiũ maximum orbis terrarũ » extitit, & tot pòſt ſeculis etiam apud nos memorabile, ac imitatione digniſſimũ. Sed ſatis mirari nequeo, id quod multis antè ſeculis admirationi ſummis » ſapiẽtiæ profeſſoribus fuiſſe video: poſt hominũ memoriam ſummos Reges, » maximósque Imperatores, ex rebus geſtis, vitæve inſtituto, aut fortuna aliqua

præclara ſibi cognomina peperiſſe: alios Expugnatores, alios Illuſtres, alios Magnos, alios Fœlices, alios Auguſtos, alios Pios dictos, alios alio decore nobilitatos: nullumdum Regum, nullum illorum Imperatorum, qui rerum potiti ſunt, Iuſti cognomen ad hanc diem promeruiſſe: eam vnã iuſti Regis palmam, cognominisq; dignitatem, cæteris occupatis, reliquam eſſe quæ petatur, quam primam omniũ ſumma contentione peti oportuiſſet: cum cætera priuatorum hominum, & multo minus ſalutaria munera ſint. Cuius rei cauſſam quis aliam crediderit, quàm quòd ſunt qui ferant, iuſtum hominem maiori aliis, quàm ſibi, vſui eſſe? quaſi Reges loco cæleſtiũ inſtituti datiq; idcirco ſint, vt ſibi, non reipublicæ ſaluti commodoq; proſpiciant: cum cõtrà res habeat, Regesq; diuinitus generi humano dati ſint, vt in cõmune conſulant, iuſtitiaq; ſit ea animi dos, quæ vniuerſa vtilitate conſeruata, ſuam cuique tribuit dignitatem: à qua qui deſciſcunt, quanuis in Regio ſolio ſedeant, Regesq; in præſentia vocitentur; tamẽ adeo ab Regio nomine, iudicio ſapientum (quo quid maius? quid grauius?) abſunt, vt ne Latino quidẽ nomine nuncupari poſſint. externo & peregrino, & temporibus auribusq; tuis, ac voce pietateq; noſtra indigno, nominantur. Eius igitur culpæ ratio eadem eſt, quæ & cõmunis exitii, maximorumq; bellorum: quòd opibus præſtare, id in rebus humanis ſummum bonum arbitrantur: cum ea demum ac vna magnitudo Regia ſit, vt cũ cupiditati animi modum ſemel impoſueris, q̃ cæteros mortales magnitudine nominis antecedis, tam beneficiis anteire contendas: & ea in primis excellas virtute, à qua vna reliquæ iura petant: eius nutum intueantur, ad eam omnia referant, ab eius ore pendeant: cuius fidei aliæ rerum ſummam arbitriumque mandarint, ſeq; eius adminiſtras comitesq; profiteantur. Ea haud dubie iuſtitia eſt: pro qua fortitudo, conſtantia, grauitas, niſi depugnet, ſuum ius, nomenq; ac decus amittat: feritas, immanitas, vecordia, dicatur: cui ſapientia niſi appareat, præſtóque ſit: malitia, callidĩtas, fraus, captio, neceſſariò vocitetur. Eiuſdem eſt, cum hominũ genus ex fera vita ſyluisq; in vrbes manſuetudinemq; exciuerit, legumq; ac inſtitutorum vinculis coniunxerit, conſociaritq;: dare operam, vt probi mores vigeant: pietas, fides, pudor, modeſtia, continentia, tẽperantia, colatur. Quin ipſa liberalitas, quæ prodeſſe velle ſe, ac augere multos gloriatur: niſi ſine iniuria, ſine maleficio alterius id faciat: niſi iuſtitiæ veſtigiis inſiſtat, cuius ſe germanam ac maxime geminam prædicat: omnis commendationis dignitatisq; ſit expers: priusq; alios ſpoliet, quàm aliis largiatur. Eadẽ & magnificentiæ & munificentiæ vis eſt: vt ab iniuria procul faceſſat: vt vnius iuſtitiæ nomine omnes cõtineantur: ea omnes ſit: ea vim ſuam etiã ſanctam mortalibus teſtetur: quòd cum quænam mortaliũ generi tuendo debeantur, præſcripſerit: cælum etiã ſuſpiciens, illi in animis hominum venerationem cultumq; reddat: pietatẽ & religionẽ, templa, ſacra ſuperis impertiat, ſummumq; mundi artificem velut coràm cõtemplata, imitandum ſibi proponat: vt quemadmodum ille ſigna, ſidera, cæli motus, temporum viciſſitudines, ſempiterna certaq; lege deuinxit, à qua deficere nequeant, ita ipſa terreſtribus his apud nos Regnis, ſi perpetua futura ſint, ſalutares leges iuraq; præſcribat. Hæc igitur iuſtitia terris incedens, ac cælum ceruice cõtingens, ita ſibi nihil ipſa petens, nihil ca-

» ptans,ſua cuiq; tribuit,vt ei nihilo ſecius genus humanũ,resq; omnes eius be-
» neficio incolumes,ſceptra dent.Simul qui iuſti legitimiq; Reges à parentibus
» more inſtituto, & legibus, conſenſuq; Regna acceperint, nulli rei plus quàm
» iuſtitiæ debent.Maius enim certiusq; patrimonium,ac ampliores facultates ab
» ea acceperunt,quàm à parentibus. Illi enim opes,Gazam,arma,arces,præſidia
» tradere potuere:vt veri iuſtíque Reges ſint,haberentúrque ipſi, ac liberis de-
» inceps per manus eadem relinquant,id munus eius Reginæ ſit. Cur enim iu-
» ſtitiam Reginam vocitare dubitemus? quæ Regna tradat,tueatur, ſancta effi-
» ciat:adeò vt etiam ſi id verum credatur,quod & proceres ſapientiæ nonnulli
» dixere,iuſtum plus aliis prodeſſe quàm ſibi: diſſimulari tamen non poſſit,ve-
» ros Reges,eósque in primis qui Regibus orti,generaturi Reges ſint, ei Regi-
» næ accepta omnia ferre debere: quàm & ipſos in ſe colere,& cæteris præſta-
» re conueniat. Et (vt omnia ſemel complectar) religionis,moderationis, for-
» titudinis,prudentiæ,liberalitatis,iuſtitiæ parens eſt:nec diuelli ab Rege poteſt,
» incolumi Regio nomine.Nec difficile factu eſt,eam præſtare,nõ æque cætera.
» Etenim ſapientia ingenii indoles eſt,quam nullus efficere,crearéve ſibi poteſt.
» naturæ ~~bonum,ac dei donum~~ eſt.Fortitudo quoq; vis quædam & magnitudo
» animi cenſetur:ac id mentis robur fere,vt cuiq; inſitum eſt ſpecimen,cernitur.
» Quid,quòd continentiam facilem aut difficilem corporis dos habitusq; præ-
» ſtare videri poſſit? Iuſtitia aut à ſola voluntate proficiſcitur: & vt quiſq; vult,
» iuſtus,ſecúsve eſt:aut facillime omniũ Regiis ingeniis ſe vltro diſcendam præ-
» bet. Forma corporis,oris dignitas, frontis grauitas,vultus maieſtas, fulgor, vi-
» gor ac lumen oculorum, (quandò maxime inclyta cæleſtium munera repu-
» dianda, diſſimulandáque non ſunt) ſpectantes mouet, tenétque,ac admonet
» quænam ſpecies primi à ſummo artifice initio rerum creati hominis fuerit:
» qualésque, quicunque iuſte regnarint, futuri ſint in illa fœlici immortalitate.
» Quòd ſi corporis pulchritudo tanti eſt,vt quodam ſui miraculo reliquos af-
» ficiat:quid ſentiẽdum eſt de illa pulchritudine,quæ eſt animi vere Regii?quæ
» ſimillimum ſuperis facit? Age macte indole animi, ſpéque mortalium, hanc
» virtutum Reginam Rex in conſiliũ ſemper admitte:eius ſpeciem animo con
» cipias: ad eam te formes: eam intuens te componas. Quàm ea te delectabit?
» Quàm mirum ſui amorem apud te excitabit? Quàm te cæleſtibus charũ ac-
» ceptúmque efficiet? Quantam maieſtatem tibi apud tuos,apud alienos conci-
» liabit? Quàm te immortalitati nominis conſecrabit? Is demum optimus Rex
» erit,ac minime rerum inclinationibus,temporúmque communium mutatio-
» nibus,& publicis caſibus (qui ſummis imperiis,vbi aliquid labat, ferè accide-
» re, vt humanis corporibus morbi conſueuere) obnoxius, qui eam ſemel pe-
» ctore admiſerit,ac deinceps eius conſuetudine tenebitur. nec ipſe modo fœ-
» lix,ſed &,quod proprium Regum eſt,ſuos fœlices efficiet: præguſtans quan-
» ta, quamque ſolida futura ſit illa inter ſuperos ſumma æternáque fœlicitas:
» quam optimis Regibus iuſtiſſimiſq; deſtinauit diuinum numen:cuius vt apud
» nos partes interea ageres, hoc ſolio velut in editiſſima terrarum ſpecula ſe-
» des. Hæc Romanus theologus. Pulcherrimum erat magnificam exædifi-
care baſilicam in ~~inſula~~ Regiæ vrbis, ~~vbi~~ iudicia ~~ſine prouocatione~~ fierent,ac

velut è ſinu Regis iura peterentur: idemq; & Regum domicilium,& iuſtitiæ tribunal foret: quòd nulladum præcipue dignationis vrbs delecta attributáve iuridicis conuentibus fuerat: forumq; longo interdum annorum interuallo in paucos admodum dies indictum aliâs alibi agebatur:raris initio cõtrouerſiis, quòd ciuitates ſuæ quæq; præfecturæ iudiciis domeſticis cõtentæ,turpe ducebant,longinquum ſummumq; auxiliũ appellatione implorare. Paulatim gliſcente calumnia, multitudineq; cauſſarũ increſcente, primũ quotannis ſemel, idq; in paucos dies:poſtea & ſemel & iterũ,ſed alio q̃ proxime ſemper loco, iuriſdictio exercebatur. Tandẽ è re vniuerſæ Franciæ viſum,certas ſedes ſummis iudiciis dari, easq; & in Regia vrbe, & ad ipſam Regiam. Igitur atrium Philippo Pulchro Rege magnificentiſſime extructum, adiectis conclauibus, & aliis ædium partibus: vbi frequenti concilio decuriæ iudicum poſtea cogi cœptæ. Gaguinus recentiſſimus rerum Francicarũ ſcriptor refert Vtino Philippi Pulchri Regis filio Rege primum inſtitutum, vt quæ vaga fuerat antea iuriſdictio,in Regia vrbe certis ſedibus conſiſteret:ne litigatores peregre ſemper ac incerti vexarentur. Tandem perparuo loci interuallo ,& prope veterem ſancti Regis Regiam, fiſci quoque tabulario, ac authoribus ſummarum locus attributus.Normani domi iura petere velle perſeuerabant. Rotomagi, quòd ea ſit vrbs regionis princeps,quotannis Vere ineunte ac autumno ſexies ſeptenis in ſingula ea anni tempora diebus forum agebatur,ſi per bella aliásve occupationes liceret: quæ ſæpenumero vel veræ accidebant, vel fando prætexebantur. Eum conuentum iuridicum,Scacarium pro Statario vocitabant. His paucis annis etiam apud Normanos ea iuriſdictio perpetua facta. Iohanna Philippi Pulchri Regis, Muſæum quod Nauarræ dicitur, extruxit, locupletauitq; ad ſcholaſticorum tenuitatem ſuſtentandam.Romanus theologus cõciliante literatura, ſanctitateq; vitæ,creatus eſt Archiepiſcopus Biturigum. Interea in Italia res geſtæ. Robertus Comes Atrebas, dum Carolus Claudus Caroli Regis Siciliæ filius captiuus apud Tarraconenſes degit,res eius Italicas procurabat.Neapoli ſedem ſibi delegerat:claſſem illuc conuenire iuſſit. Indè in Siciliam cum parte copiarum tranſmiſit. Catinam in ditionem redegit. In ſpem totius inſulæ recipiendæ erectus, claſſem Neapolim remiſit ad cæteras copias repetendas. Rogerius claſſis Tarraconenſis præfectus exploratis hoſtium conſiliis,claſſi Atrebatis improuiſus occurrit:propugnatoribúsque vacuam adortus, naues omneis ad vnam cepit: & antequam huius cladis fama ad hoſtes emanaret,obuiã procedit alteri claſſi, quæ ex Prouincia Duce Breno Comite, ac Philippo Flandri Comitis filio, ſoluerat, ac deſcenſione in oram Hetruriæ facta, Vidonem à Monteforti Comitem ſuſtulerat: qui, quòd Ruffo Comiti Anguillariæ ſocero in Comitatum ſucceſſerat, & vetere gloria belli, & recentibus opibus ingens erat. Haud in difficili res fuit, Proceres equeſtribus præliis nobiles, naualium rudes, in Rogerii poteſtatem venere. Ille redemptos à ſuis cæteros dimiſit: Vidonem nullo precio vt miſſum faceret, exorari potuit, Regi Anglo eius hoſti implacabili gratificaturus. Vido in perpetuam cuſtodiam compedésque coniectus, atque enectus, pœnas Anglis dedit, ac aris ſanguine perfuſis mactati Regii iuuenis ſacro bello re-

ducis. Eduardus Rex per legatos de cõpoſitione agens, peruicit vt fœdus his legibus iceretur: vt Carolus Claudus dimitteretur: viginti millia pondo argẽti penderet: Pontificem Maximum exoraret, vt Tarraconenſibus ius Siciliæ inſulæ adiudicaret; coſq; inducto dirarum decreto in gratiam reciperet. Carolo Valeſii Comiti perſuaderet, vti cederet iure Regni Tarraconenſis, quod Martinus Pontifex ei attribuerat. Ea omnia niſi intra triennium præſtaret, in cuſtodiam, vnde emitteretur, rediret: ea ita futura obſides daret: quos & dedit, duos ex filiis, Robertum miræ indolis, & Ludouicum miræ ſanctitatis adoleſcẽtulos: ac quadraginta præterea è prouincia Phocenſi nobiles viros. Ita deportatus è Sicilia exercitus. Quarto quàm captus fuerat anno Claudus Rex in Franciam ex Hiſpania rediit: atque inde cum Nicolaus Pontifex Maximus fœdus Tarraconẽſe ratum nollet, nec iniuſſu ſuo tranſigi potuiſſe de Regno ſedis Romanæ beneficiario contenderet: cum egregio equitatu in Italiam tranſcendit. Eum Hetruriæ bella excepere. Guelforũ partes ea tempeſtate inualidas tutandas ſuſcepit. Vgolinus enim Girardeſcus ciuis Piſanus Guelfarũ partium princeps, initio contraria factione partim pulſa, partim perculſa, eo potentiæ domi peruenerat, vt nutu omnia adminiſtraret, patriæq; dominus & eſſet, & haberetur: diuitiis, nobilitate, ingenii fama, authoritate ingens, vxore, filiis, nepotibus, & omnibus in vita bonis appetendis circumfluens: beatus, fœlix & cæteris & ſibi viſus: eorũmque cogitatione perfruens, lætus, fidens, etiam illorum commemoratione gaudebat. In feſto frequentíque natalis ſui celebrandi conuiuio, ad quod ſuos omnes inuitarat adhibuerátque: dum fortunam ſuam ipſe fando effert, admiratur, cælóque æquat: auſus eſt quendam ex intimis amicis Marcum, quid tandem abeſſe videretur, interrogare. Ille vel reputatione rerum humanarum, quàm fluxæ, fallacíque ſpecie, quàm volucri orbe circumagantur: vel mente diuinitus admonita, Sola, inquit, ira Numinis procul diuq; abeſſe à tam fecundis rebus non poteſt. Et neceſſe erat congeſta in vnum hominem nondum alteram fortunam expertum bona, excipi calamitate ingenti. Guelforum viribus conſeneſcentibus, Gibellini armis correptis, ædes eius circunſiſtunt, oppugnant: vnum è filiis, vnúmque nepotum, vim arcere conatos, occidunt: ipſum, & duos præterea filios, tres nepotes cõprehenſos in turrim incluſere obſeratis foribus, clauibúsque in Arnum propinquum flumen deiectis. Ibi fame in oculis, in gremio ſuo chariſſima pignora parens moriens morientia vidit. Vociferanti, expoſcentiq;, vt ſuppliciis humanis exigendis inimici contenti eſſent, ſacræ confeſſionis ſacroſanctiq; viatici poteſtas facta non eſt. Hæc inhumanitas partes Gibellinorum magis inuiſas effecit. Et ſuperueniens Carolus ſe Guelfis iunxit. Florentinorum Reſpub. in manu Guelforum erat: ſed exules eorum Gibellini cum Repu. Arretinorũ qua potiebantur item Gibellini, fœdus percuſſerãt: & aliarum ciuitatum exules, vt cuiuſq; cauſſa erat, alii Florentinis, alii Arretinis ſe coniunxerant. Vtriq; præterea domeſticam iuuentutem, & militem mercede cõductum ſub ſignis habebant. Arretini Hilermum ciuitatis Pontificem, quandò ad id ventũ erat, vt ſuam quiſq; cauſſam ſanctam prædicaret, ſui exercitus ducem ſequebãtur. Carolus Florentinis Mericum Narbonenſem clariſſimum bello virum cum

centũ Frãcis delectis equitibus, vt eo exercitus Imperatore,signisq; Liliatis res gererentur,dedit.Hoc duce pugnatum cũ Arretinis:eorum tria circitèr millia occisa,duo millia capta.Exin res Florentina pollens potensq;,Francici nominis obseruantissima . Carolus Claudus ipse profectus in Vrbem , à Nicolao Põtifice Maximo coronatur,anno eius seculi vndenonagesimo,die Pentecostes festo.Aduersarii vocabãt eum omnino Regem Apuliæ:Pontifex etiã Siciliæ diadema nomenq; addidit. Quæ res Tarraconenses à spe pacis,reconciliandæq; cũ Pontifice gratiæ auertit.Et Eduardus Anglus alienior offensiorq; Francis effectus. Sed & Tarraconenses,vt Sicilia arte potiti fuerant,ita & cõtinentis oppida clàm solicitare cœperunt. Catenzanum in primis vt deficeret à Francis,adduxere:occupatumq; præsidio firmauere,cætera tentaturi.Robertus Atrebas vt illud recuperaret,cũ impetu expugnare non potuisset,obsedit. Iacobus Tarraconensis Petri Regis filius se Siciliæ Regem dictitans,& Rogerius, cum copiis ingentibus affuere, vt clausos eximerent obsidione . Aperto Marte pugnandum erat. Atrebas lætabatur facultatem pugnæ signis collatis conserendæ aduentu hostium dari.Vocata igitur concione, Id quod optastis milites,inquit,aperto Marte,patentibus campis dimicandum nobis, & de Siculo Regno in parte Italiæ illi cõtributa est decertandum.Hostis noster non « est nobis procul quærendus: non ad Niceam,nec Antiochiam,nec ad Bouinas,nec ad alia loca victoriis Francorum nobilia petendus.Adest in oculis nostris,sese vltro cædi offert.Semel atq; iterum in Italia de Regno hoc in certamen descendimus, primum ad Beneuentum, vbi cum Manfredo vno prælio « debellauimus:deinde ad Fucinum lacum,quum clarissimi Imperatoris filium « Conradinum,& Fœdericum Austriæ Ducem,ætate viribusq; feroces,ac suorum externisq; copiis subnixos,profligauimus:nobiliore tũc,quàm prior,Beneuentanaq; extitisset, victoria. Hæc tertia futura est:quam tanto maiore virtute pugnari cõuenit,quanto secunda nobilior quàm prima fuit:vt virtuti vestræ semper incrementum,semper cumulus accedat. Quod bonum,faustum, « fœlixq; sit,capite arma:descẽdite in ordines quisq; suos,pugnaturi vt Francico « nomine,vt vobis,vt causa nostra dignum est. In castris,quod satis visum est « copiarum in præsidio relictum:& valida statio portis obsessi oppidi opposita, ne vlla impune fieret eruptio.reliquus miles in aciem eductus. Pugnatum est acriter.Apud hostes Rogerius nunquã mari victus,partum pelago decus,gloria terrestri augere cõtendit. Iacobus hoc primũ prælio suo ductu auspicioq; cum Franco cõmittens,nomen sibi cõmendationemq; in futurũ petit.Franci vicere:minus cædis cruorisq; q̃ fugæ ignominiæve fuit.Paulo plus ducenti hostium cecidere:reliqui ad mare nauesq; præcipiti fuga delati.Exin Tarraconẽses optimum statuerunt aliò belli terrorẽ transferre, si distinere vires Francorum,& auertere ab obsidione Catenzani possent:Caietam classe profecti,expositis copiis oppugnare aggressi sunt.Oppidani egregie se tutabantur:& Carolus cum copiis Pontificis Maximi ad opem ferendam ex Vrbe aduolauit: Alia parte Atrebas parte exercitus ad cõtinuandam obsidionẽ Catenzani relicta,ad hostem pergit.Tarraconensis & terra & mari vrbẽ premebat.Atrebas ardebat cupiditate pugnæ . Carolus iam ad quietiora consilia pronior erat:

Et Tarraconenſis pacem fœdusq; petebat,vt vndiq; diſcederetur ab armis,ſta-
returq; iis quæ in dimittendo Carolo Rege conuenerant cõditionibus. Com-
meantibus vltro citroq; legatis,redintegratæ ſunt in quinq; annos induciæ,etiã
atq; etiã Atrebate fremente,indignanteq; leges accipi: vinci poſſe hoſtem,nec
parem Francis futurum,ſi armis decerneretur. Nihil ſummus vir oratione au-
thoritatéve mouit. Iratus ſe ex cõcilio rapuit,in Franciamq; venit. Catenzanũ,
quia ita cautũ fuit, in fidem rediit. Sicilia in ditione Iacobi manſit. Eo rerum
motu in præſens ſedato, alius exortus: quandò Regibus orbẽ terrarũ ſpe affi-
nitateq; cõplexis,neceſſe eſt magnis nouisq; ſemper excipi motibus. Tunc cu
ræ in Vngariam verſæ. Carolus Claudus ex Maria Stephani Regis Vngarorũ
filia cohortem filiorum tulit: Carolum cognomine Martellum,Ludouicum,
Robertum,Philippum,Raimundum,Iohannem,Petrum. hos,& filias quinq;.
earũ duæ in Franciam,duæ in Tarraconenſes enubent: vna Ferrarienſi iuncta.
Mortuo Stephano ſocero Rege, nec diu ſuperſtite eius filio Ladiſlao, Mar-
tellus ſe Vngariæ Regem iure materno dictitabat, quòd nemo cognatione
propior ſpei illius Regni reliquus foret. contendebat æquum eſſe,ſe auo ma-
terno,ſe auunculo ſuccedere: ſe legibus, ſe iure,ſe inſtitutis gentis ad illud ſo-
lium inſidendũ vocari. Cæterum is ſolo apud ſuos nomine fuit Rex: nec faci-
liores æquiorésve res illi Vngaræ, quàm patri Siculæ extitere. Ex Clementia
Rhodulphi Cæſaris filia procreauit Carolorobertum: qui magno negocio ad
Regnum Vngariæ tandem perueniet: ac ſimplici,auguſtioreq; nomine ab ea
gente Carolus nuncupabitur. Impigrũ eius Regni æmulum habuit Andream
cognomine Venetum. Vtq; paulo altius res repetatur: Andreas ſecundus Rex
Vngariæ,ex vxore Gertrude Sueua genuerat Belam,Colomanum,Andream,
& quaſdam præterea filias,in quibus diuam Eliſabetam. Vxore defuncta,cum
in Syriam iuſſu Pontificis maximi contendiſſet, nec magnis rebus geſtis inde
rediret: delatus (vt Vngari tradunt) in Italiam, ac forma filiæ Marchionis
Eſtenſis captus,eam vxorem in patriam duxit: aliquantoq; pòſt moriens gra-
uidam reliquit. Vidua concilio procerum gentis coacto,ſe vterum ferre teſta-
ta,fidéque facta, ſtatuit à priuigno Bela, qui maximus ſtirpis patri in regnum
ſucceſſerat,procul abire,ac in Italiam ad patrem Marchionem reuerti: vbi fi-
lium peperit: Stephanúmque nuncupauit. Is vbi adoleuit,regiis ſpiritibus pa-
ternísque, priuatam vitam grauatus,auũmque maternum dominatu deturba-
re conatus,indicio facto ſe in Hiſpaniam ad ſororis ex patre virum Iacobum
ſuperiorem Tarraconenſium Regem contulit. In Italiam cũ rediiſſet,ob no-
bilitatem generis creatus Rauennæ Prætor,non diu ibi ius dixit. Venetias cõ-
ceſſit,nobiliſſimíque ac locupletiſſimi Veneti Mauroceni filiam vxorem du-
xit: quo ex matrimonio natus Andreas Venetus,vbi adoleuit,viuo adhuc La-
diſlao Martelli auunculo in Vngariam iuit: eóque aliquanto pòſt mortuo,
Rex ſalutatus eſt. Carolus (vt quem pro Claudo nonnulli cunctatorẽ vocãt)
Martelli pater,ſegnius egit,fretus cauſſa ſua, quòd vxor eius,cuius iure regnũ
filio petebat, ſoboles fuiſſet Andreæ ſecundi regis per Belam eius filium ſtir-
pis maximum, quòd eadem fratrem, quòd patrem, Reges habuiſſet: Vene-
tus neque patre Rege procreatus, & ex Eſtenſi, poſterioréque toro proge-

niés foret. Bello apud nos omnibus Regnis ardentibus, res Asiaticæ, quæ & ab eius ætatis Ducibus Regibusq; alia gerentibus intentatæ, & à nobis scribendo intermissæ fuere, repetendæ sunt. Anno eius seculi altero & octogesimo, Armenii armis Saracenorum vexati, cum à nobis frustra opem petiuissent, cũ bella domestica in Scythia tandem conticuissent, ab imperatore Scytha auxilia quæsiuere: impetrauereq; triginta millia Tartarorum equitum: iisq; freti cũ Saracenis Aegyptiorumq; Rege dimicauere, magna spe debellari posse euertiq; Sultanorum Imperium. In Syria ad vrbem Gamalam, quam Helpis Aegyptius Imperator obsidebat, signa collata sunt: acerrimeq; præliabantur Armenii fidentes equitibus Scytharum: nec dubia videbatur victoria. Scytharũ Dux nomine Mangodamerus, cũ trepidare Saracenos, ac in fugam inclinari, dissipariq; cerneret, equo pernix desilit. Qua re conspecta, reliqui Scythæ & ipsi in pedes se excepere, instituto gentis, vt Ducem eques milesq; intuens, eius exemplo rem gerat. Tunc collectis animis hostes, redintegratisq; viribus in pugnam redeunt: Armeniosq; à sociali equitatu, cui vni fidebant, desertos fundunt, fugant, Gamalam expugnant, cædem faciunt. Reuersis domum Scythis, eorum Imperator securi ductores ordinũ percussit: qui eorum ductu meruerant, eos omni deinceps vita, ignominiæ causſa, habitu cultuq; muliebri agitare iussit. Tribus pòst annis, Aegyptii Marmen vrbem Phœnicũ, defendentibus hospitalariis, obsederunt, oppugnaruntq;. Armis, apertaq; vi capere non poterãt: Cuniculis suffodêre tam vastis specubus, vt tota vrbs pensilis esset, ruituraq; mox videretur. Cuius rei ignari clausi muris se tutabantur. Hostis vltro exciuit: ac fide data oppidanorũ aliquem prodire, & rem ad suos deferre iussit. Cognito certo periculo, vrbem dediderunt, pacti vt emigrarent. Anno eiusdem seculi vndenonagesimo Tripolin iidem Barbari obsedere. non eadẽ humanitate in victos vsi, vrbe telis, tormentis, machinis, cuniculis expugnata: quæ atrocissima crudelitatis, feritatis, auaritiæ, libidinis, cõtemptus Numinis exẽpla excogitari ab vlla barbaria possunt, ediderunt: pauci nauibus, quæ in portu stabant, excepti, effugerunt. In mœnia etiam furor sæuiit: muros deiiciunt: fundamẽta conuellunt: dissipant: fossas, & quos foderunt cuniculis sinus explent, adæquant, ne vestigium vrbis extet: tantum paruam arcem emuniuerunt, quã præsidio tenerent, ne nostri restituere ruinas conarentur. Nostri nihil in Syria Phœnicêve præter Ptolemaidẽ habebant, vrbẽ frequentissimã & conuentu mercatorum, & ea re, quòd quæ vrbes pactione Saracenis deditionẽ fecerant, earũ incolæ in illã se contulerant: simul sacræ militiæ Magistri ibi præsidia collocarãt: induciasq; post captã Tripolin cum Aegyptio in quinq; annos fecerãt: quarum tamẽ fides sancta illi nõ fuit, quòd diceret à nostris inopia adductis excursiones in finitimarũ ciuitatũ agros fieri, prædamq; hominũ ac pecorum tanq̃ ex hostico abigi. Nicolaus Pontifex maximus mille quingẽtos equites cataphractos stipẽdiis suis eò miserat: inerant & multarũ è nostris gentiũ procerumq; milites publice missi in spem stipendiorũ, quæ tamẽ non pendebãtur: vt rapto viuere, inopia cogerentur. Nec vnũ erat consiliũ. Trium quoq; ordinũ Magistri discordes inter se, eius vrbis imperiũ ad se singuli trahebãt. Patriarcha sanctæ ciuitatis primas partes etiam profani dominatus ditionisq; sibi arrogabat

vrbis cito perituræ,& foris ab hoſte,& intra mœnia diſſenſionibus eorum laborantis,qui vt tutarentur,adeſſe ſe dicerent. Carolus idē & Siciliæ & Hieroſolymorum Rex à Pontifice maximo dictus coronatusq;,à quo etiam ius exigendarum à Ditionis ſuæ ſacerdotibus in ſex annos decimarum impetrarat: Ptolemaidem vt ſacro Regno contributam,ſui eſſe iuris defendebat. Cyprius Rex cum ſatis magna pro facultatibus ſuis claſſe Ptolemaidē profectus,Templariis perſuaſit, vt ei ſacri Regni diadema redderent, quod ipſius maioribus Almericoq; ademiſſent. Quam rem Carolus moleſte tulit: & vectigalia quæ ſub ipſius ditione Templarii percipiebant,prouentusq; agrorum fiſco ſuo inferri iuſſit. Helpis Aegyptiorū Imperator filium Meleſaitin,dum noſtri nihil in commune conſulunt, ad eam vrbem recipiendam anno eius ſeculi nonageſimoprimo miſit. Tanta erat bellatorū multitudo,tantum ſtudium,vt mira celeritate ingentia opera effecerint,quibus noſtros in iuſtam obſidionem cōpulſos terrerent,eruptioneq; prohiberent. Cuniculos initio agebant: vbi vero hi tranſuerſis noſtrorum cuniculis excipiebantur, cæcas foſſas ducere deſiuere:machinis admotis muros quatiebant,fundamenta conuellebant,ſpecus ingentes deprimebant,aperiebantq;:qua peſte non parua pars mœnium magno fragore corruens,late ſtragem fecit. Nec noſtri ſegniter ſe tutabantur:interdiu ſtrata,noctu reficiebāt. Spes ſalutis oſtentata interim fuit,morte Aegyptii Imperatoris nunciata: ſed ea & breuis, & vana, quòd filius tanti exercitus dux cōtinuò Sultanus ſalutatus eſt: & milites maiorem virtutem recenti eius Imperio præſtabāt,quàm ſene patre Sultano,eoq; abſente,præſtitiſſent. Benignus Magiſter militiæ Templi egregie communem ſalutem tutabatur. vbi ſagitta venenata ictus interiit,animi Latinis cecidere. Patriarcha,Cypriúsque Rex,& quos magis ſalutis quàm decoris cura tangebat,noctu naues conſcendêre. Cū procul ab hoſte abeſſent,ac Cypro appropinquarent,exorta ſæua tempeſtate propè omnes fluctibus obruti. Ita qui ferrum euitarant,ignaua morte periere. In vrbe duodecim millia remanſerāt:obſeſſi,oppugnati,ſaucii,feſſi malis præſentibus,perculſi futurorum metu, deſerti à ſuis,victi,expugnati,capti,cæſi ad vnum omnes ſunt. Nec in mortales modò atrox Barbari victoris ira ſæuiit:ſed vt ad Tripolin factum fuerat,publica priuatáque edificia, templa ſuperûm euerſa,refoſſa fundamenta, ne indicium vllum euerſæ,ne monumentum vrbis extaret:locus etiā ruinarum ſtrage cumulisq; liberatus,vt nudum ſolum arandum ſerendúmque reſtaret. Hic finis ſacri belli ſtatui poteſt. Nomen quidem manſit: ferrum aliis bellis ſtrictum. Anno antè, quàm in Oriente amitteretur Ptolemais, mortuo apud nos Reginaldo Comite Luceburgenſium, controuerſia inter eius filios (tres ii erant) & Iohannem Ducem Brabātiæ exoritur. Iuuenes iuráque gentilitia Comes Geldubenſis agnatus tegebat, tota ex Germania iuuentutis proceribus excitis. Franci Ducem Brabantinum ſociū amicumq;,ac cuius ſoror Regina Franciæ (vt oſtendimus) fuit,ex qua filii per patrem fratres Regis Pulchri eſſent,copiis iuuabant: cauſſam veterē,ac iura cognationis in Luceburgenſi cauſſa perſequentem: quo nomine illius Comitatus nobilitati iunctus, ſe potiorem eſſe contendebat, quàm vel ipſe Comes Reginaldus fuiſſet. Propter Rhenum ſigna collata prima luce ſunt: in ſeram

noctem prælium tenuit,crebris congreſſibus receptibúſque:vt vires laſſitudine hos illóſque deficiebant,vt redintegrabantur:modò conſeneſcente,modò recaleſcente certamine:nobilitate tantum vtriuſque aciei pugnante.Magiſter equitum Francorum à Brabantino ſtans, tandem victoriam tulit:mille quingentis omnino equitibus vtrinque deſideratis,paulo pluribus hoſtium quàm Francorum.Occiſi ſunt tres Comitis filii pro quibus hoſtes pugnabãt:captus eſt Geldubenſis ferro dimicans: comprehenſus etiam Pontifex Agrippinenſium:Luceburgenſes in poteſtatem Brabantini redacti. Obliuio cognationis communiumq; maiorum pectora in prælio ceperat.poſita animorũ contentione,in cauſſa non perſpicua,in iure controuerſo,reſpectus Numinis,religio animi,memoria propinquitatis valuit,peruicítque vt res Marte iudice diiudicata,pignore neceſſitudinis iungeretur. Filia ducis Brabantini Henrico filio Hérici,qui filius Reginaldi Comitis,cum duobus fratribus in acie ceciderat, nupſit, doti adſcripto Comitatu Luceburgenſi.Geldubenſis, Pontifexq; precio redempti.Henrici nomen ingẽs erit,ac auguſtum. Hos motus bellũ Anglicum excepit.Secundum captam Ptolemaidem Legato Romano circumeunte piorum vrbes,excitantéque.ad bellum ſacrum redintegrandum: delectum habere,claſſem parare cogereq; Anglus cœpit. Naues Anglicæ ex ora Normaniæ prædas egerunt. Miſit Pulcher Rex ad res ab Anglo repetendas. non reddebãtur.dies ei dicta,vt qui ſe Comparem Franciæ,Beneficiariumq; & Aquitaniæ ducem profeſſus,in verba Franci Regis iureiurãdo adactus eſſet,cauſſam maieſtatis,vexatæq; populatione Franciæ,diceret.non affuit. Arnulfus Nella Magiſter equitum in Aquitaniam miſſus,Burdegalam vrbẽ Vaſconiæ principem de Anglo cepit:& cæteræ omnes vrbes arcéſque in fidem rediere,præter paucas validis Anglorũ præſidiis inſeſſas: & harum alias Magiſter equitũ,alias Carolus Valeſii Comes,diuerſi oppugnabant.Interea mortuo Nicolao Põtifice,ſumma ſedes duodetriginta menſes vacauit.Sub quod tempus deceſſit Michael Palæologus Cæſar Græcus: quem ob reſtitutũ ſuis ingens nomen,Magnum vocitatum inuenio.eundem, quòd cõcilio Lugdunenſi Græcam eccleſiam ſubiectam Romanæ ſedi profeſſus fuerit, Græci ſacerdotes mortuum arcuere ſacra ſepultura.Andronicus filius ſucceſſit,ad veſtem inconſutilem CHRISTI, germanitatẽmque animorũ religione ſeruandam pronior: ſed damnata à popularibus magni alioqui patris memoria deterritus,in poteſtate authoritatéque ſuorum fuit. Deceſſit & Rhadulphus Latinorum Cæſar. Germani proceres delegerunt Adulphum Naſſiæ Comitem.Is cũ Anglo Rege fœdus icit,ſocietatemq; armorum in Francos iunxit: & Anglus iam ex profeſſo Francorum hoſtis,non fœdere modò, ſed & affinitate Flandriæ Comitem Vidonem, & Ducem Ambarum Ericem ſibi deuincire contendit.huic filiam collocat, illius filiam in matrimoniũ ſibi clàm petit.Senſit id agi Francus:& antequam rem palàm factam Flandrus ſentiret, eum Pulcher Rex,virginẽ Iohanna Regina Lutetiam per cauſſam celebrandorum frequenti procerum illuſtriumq; fœminarum cœtu ludorum conuiuiorũmque euocarunt,elicueruntq;. Puella cum virginibus aulicis apud Reginam educari coliq; cœpta,paulo pòſt deceſſit. Pater initio diligenter aſſer-

uatus,deinde remiſſiore cura cuſtodum domum elapſus,ex profeſſo Pulchri hoſtis effectus eſt. Cum iam Erix Ambarus Angli gener Campaniam depopulari auſus,repentina excurſione vaſtitatem inferret, nobilitas eius regionis bellis aſſueta,eum trepide redire domum coëgit.Sub quod tempus alia quoque parte res gerebãtur. In Aquitania Carolus Comes Rionem maritimum oppidum fiducia præſidii Anglici Imperium detrectantes oppugnat.Egregie ſe tutabantur:trahebatúrque res,ac tempus terebatur nullo effectu. Victoria de aliis hoſtibus parta,hunc hoſtem fregit.Magiſter equitum,Põteſeium obſidione clauſit.Erant in præſidio Vaſcones,Anglique:ſentiebant ſe diu tolerare vim Francorum non poſſe. clandeſtina pactione incolumitatem Anglis concedens, illos deſertis ſociis abire permiſit: receptóque oppido Vaſcones vinctos Rionem duxit,ac pro portis obſeſſi oppidi ſublimibus furcis ſuſpendit.Id triſte ſpectaculum metum cõmunem,mutuamq; diffidẽtiam inter hos item Vaſcones Anglóſque qui obſidebantur,iniecit:vtriſque metuentibus ne ab alteris proderentur.Seditione orta,Franci oppidum inteſtinis malis agitatum capiunt:Iohannes genere Britannus,Præfectus præſidii, & ab Anglis & à Vaſconibus impetu facto,perimitur. Ipſi dum naues quæ in portu ſtabant, certatim conſcendunt,trepidántque, à Franco magna pars interempti . Exin Fanum Seueræ obſeſſum tres continuos menſes:tandem fame coacti,incolumitatémque pacti,deditionem fecere. Superuenit & tertius Dux , Robertus Atrebas: quòd & Angli maiore conatu gerere Aquitanicum bellum ſtatuebant.Edmondus frater Eduardi Regis cum noua claſſe ex Anglia profectus, Baionam tenuerat.Expoſitis copiis,cum Francis, vt fortunam experirentur, aduenientibus,ſigna contulit.Vicit Atrebas,compulſis intra oppidum hoſtibus.Edmondus Baionæ deceſſit. Eduardus ad Adulphum Cæſarem ſeptuagintaquinque millia pondo argenti miſit,vt milite conducto ſe Vidoni Flandro aſſociaret,iunctíſque copiis in Franciam arma ferret.Atrebas anteuertit. Flandriam ingreſſus,Inſulam metu recepit. Pugnatum etiam acriter collatis ſignis.ſedecim millia hoſtium à Franco fuſa,fugatáque,ad tria millia cæſa:capti aliquot proceres, in quibus Hilermus Iuliacenſis , & Erix Comes Bellomontanus.Rex Anglus claſſe oram Flandriæ maritimã tenuerat : Furnas iter habebat.Certior deinde factus,ipſum Regem Pulchrum cum proceribus iuuentutis omníq; nobilitate aduẽtare,Gandauum flexit, quò & Vido Comes conceſſit.Furnæ ac Brugæ Pulchri fidei ſe permiſere. Adueniẽs ex Italia Carolus Claudus Rex peruicit vt induciæ inter duas nobiliſſimas Regias Francicã Anglicámque in biennium fierent.Secundũ duodetriginta menſiũ interregnum Purpurati patres Pontificem maximum delegerãt Petrum Brutium montis Muronis loca ſola ſeceſſũſque colentem,ac celebritatem fugientem. Vir qui lucem purpurámque ignoraſſet: iis qui eum gnari prudentéſque delegerant , viſus mox eſt non eſſe perſonæ Pontificiæ ferendæ corruptiſſimis temporibus . Vir ſanctus,& dignior naſcente quàm conſeneſcente Chriſtiana pietate,facilè adductus eſt à Benedicto Anagnino Cardinale , vt Pontificatu abiret.Nemo tam cupide accepit ſummum decus , quàm ille depoſuit. Cœleſtinum nomen ediderat,duodecim patres Purpuratos crearat , maximã

partem Francos,Carolo Regi gratificatus. Sedit menſes ſex. Sufficitur Anagninus.Priuatus is Benedictus fuerat:Pontifex Bonifacius eſſe voluit. Cœleſtinum eremum repetentem retrahi & cuſtodiri iuſſit,gnarus eius nomẽ ſanctum eſſe mortalibus,motúmque aliquem exoriri poſſe. Ludouicũ Pulchri Regis auum in ſuperos memoria ſacrata retulit. Conciliaſſe quoque viſus eſt pacem inter Francos Tarraconenſeſque.Obiuerat Alphonſus Rex Tarraconenſium:Iacobus eius frater feſſus Sicilienſi bello, cupidúſque Tarraconenſis Regni morte fratris vacui,feſta pace potiundi, authore Bonifacio fœdus icit his legibus, vt Siciliam Carolo Regi habendam relinqueret: eius filiam Adelam duceret:redderet obſides.Inuicem peruinceret Carolus Rex,vt tandem Comes Valeſii cederet iure quod Martinus Põtifex illi in Tarraconenſium Regnum eſſe ſanxiſſet.Obſides redditi.Carolus Comes non ceſſit ſpei, iuríque ſuo,niſi magna re,locupletéq; præmio. Nomine dotis habuerat Comitatum Andegauenſem,nunc ſocer Cenomanos etiam ei dedit:vt(quod & factũ eſt) Iacobo reſtitueret ius quo à Martino Pontifice donatus fuerat:decederétque repetendi Tarraconenſis Regni actione.Iacobus Tarraconẽ longo ex temporis interuallo reuertit:Réxque ab omnibus ſalutatus,coronatúſque,congratulantibus etiam Francis,Pax vbique Francis,partim victoria,partim fœdere parta videbatur.nam & Anglus maiorem ſororem Franci Regis cœlebs duxit,reddita ei feſtis nuptiis Aquitania:cum idem orbis repetitus,renatúmque Sicilienſe bellum.Iacobo ex Sicilia ad capeſſendum Tarraconenſe Regnum profecto,Siculi velut ex cõpoſito armis publice correptis, mœnia,fines,oram maritimam cuſtodiunt,ne in poteſtatem Francorum recidãt: ſimul Fœdericus reliquus Iacobi frater,claſſe in Siciliam ex Hiſpania vectus, ab illis cupidiſſime recipitur, Réxque ſalutatur. Id fraude factum videri poterat:nec aberat ſuſpicio ita inter fratres conueniſſe.Bonifacius Iacobum ad cauſſam dicendam venire iuſſit.Affuit ipſe,materque Conſtantia magno natu.Ille nihil à ſe dolo factum contendebat, fidémque ſe facturũ innocentiæ, ac in fratrem cum ipſis Francis pugnaturum.Claſſe certatum eſt.Quadraginta longæ naues Francorum erant,triginta Iacobi: ſexaginta Fœdericus habebat.Non procul à freto pugnatum. Vicit Francus adiuuante in pugna Iacobo.Fuſi fugatíque hoſtes.Ludicrum certamen viſum. Nauis ex qua Fœdericus pugnabat,capta:ipſe ſcapha exceptus euaſit,locum tempúſque fugæ dãte (vt fertur)fratre, victoriæ gloria ingenti, fructu nullo. Francis viſum tutius, Iacobum eiuſque auxilia dimittere,quàm eo ſocio in præliis vti. Bellum igitur illud intermiſſum. Anglus Francúſque fœdere ac affinitate iuncti,in perniciem Adulphi Cæſaris incubuere. Francus, quòd vt ſe armis oppugnaret, pecuniam acceperat Anglus,quòd fidem non ſeruaſſet, ac multo multóque minores quàm conueniſſet copias Flandrico bello miſiſſet: nec ſe cum illo ad Brugas,antequam in poteſtatem Francorum venirent, ex compoſito iunxiſſet.Ad hoc proceres Germani ſordium & perfidiæ eum damnarunt,quòd & à Rege in Regem auro corruptus fidem non coluiſſet:iuréque Imperii ei abrogato,Albertum Auſtriæ Ducem Rhodulphi Cæſaris filium Cæſarẽ deligunt.Is cum Franco Anglóque fœdus fecit,ab illiſque & auro & milite ad-

iutus,in acie Adulphum interemit:affinitate etiam cum Francis iunctus. Minorem sororem Regis Pulchri Fœdericus vxorem duxit noui Augusti filius. Anno salutis millesimo vndetrecentesimo Carolus Valesii Comes Flandria cum exercitu repetita, quicquid superiore bello reliqui fuerat quod non caperetur,tunc partim vi,partim metu recepit. Vido & ab Anglis & à Germanis desertus,cum tutandi se suáque nulla spes ei ostenderetur,cum duobus filiis Roberto ac Hilermo se Carolo permisit. Lutetiam missi,appositis custodibus asseruandi. Tota Flandria Francis parebat. Pulcher Rex Regio comitatu celebritatéque eò se contulit. Exceptus est magnificentissime,apparatissiméque. Venerabundi omnis generis,cuiusque ordinis mortales cum liberis occurrunt:mœnibus admisere,faustis ominibus, lætis acclamationū vocibus plausibúsque,ac effusissimis studiis,immodico gaudio patefactis templis, hymnósque cōcinentibus,cāpano tinnitu,ornatu viarum arearúmque, ludis festis, matronis virginibúsque cum ampliſſima veste mundóque prospectantibus,spectosissimis magnificísque rebus expositis. Nec domesticis modò publice priuatimque studiis,hilaritate,festiuitate,sumptu,cultu, ostētatione certabant inter se Flandri,vt recēti deditione Regi Francísque voluntatē suam, animum,fidem, obseruantiámque illustri testificatione probarent:sed ad rumores famámque longe latéque peruulgatam noui insolitíque apparatus,excita finitimarum ac paulo remotiorum gentium iuuentus, suum quæque in morem exculta confluxit. In primis ex Anglia Germaniáque permulti proceres honoris gratia aduenere. Omnis ex propinquo nobilitas præsto affuit: militarium equestriúmque certaminum simulacra commissa, præmiáque victoribus data:nihil honoris officíve excogitari potuit, quod tūc fuerit prætermissum. Nunquam Flandria amantior obseruantiórque Francici nominis visa. Sed effusam sæpe lætitiā tristes & aduersæ res excipiunt. Nunc nihil amātius,mox nihil infensius. Lutetiam reuertit Rex. In Flandria Regius præfectus ipse nobilis locuplésque nobilitatem Flandricam locupletioréque colebat, minore humillimæ plebis cura. Immunibus splendidissimis quibusque, plebs grauitatem tributorum conquerebatur. Cōtrouersia quoque exorta est inter diuites tenuioréque opifices artificéque: ac humillimus quisque mercedes ac precia laborum,operarum, ministeriorum aliquanto liberaliora constitui sibi ab optimatibus suis postulabant. Nec hoc impetratum. Id tam dolenter latum,vt simul in primores suorum Francósque vim pararent. Brugis audaciæ initium ortum. Ea in vrbe plebis homines Petrum quendam humillima statura senem,qui textrinulariam faceret,altero oculo captum,è carcere,quò ob liberiorem,& in causſa plebis non infacundam,vt in illius gentis quæstúsque homine,linguam,eum Regius præfectus cōiecerat,rapiunt, eóque duce, ac Bridano lanio audacia & viribus corporis insigni, cædem Francorum & suorum procerum facere conantur. Vbi verò se illi ferro egregie defendebant,veriti ne pœnas audaciæ darēt,magna pars secessionem faciunt. Dāmum & Ardiburgum & Malam oppida vicina inuadunt, ibiq; cædem Regiorum nobilitatísque faciunt. Qui Francorū Brugis præsidebant,tam repentino tantoq; tumultu exorto,auxilium ab Rege petunt. Ea prouincia cū mille quin-

gentis equitibus demandata eſt Iacobo Comiti Fani Pauli. Proficiſcebatur, credebatúrque ſupplicium de ſontibus ſumpturus. Plebs quæ Brugis remanſerat,& ipſa capiti ſuo extrema metuens,coniurationẽ clàm cum extorre fecit. Noctis ſilentio,quæ diem aduentus Iacobi excepit,cum Franci per hoſpitia diuiſi quietem caperent,qui ſeceſſerant ducibus Petro ac Bridano, à conſiliorum conatúſque ſociis intra mœnia recepti, truci clamore ſublato,cuncta terribili tumultu formidinéque implent: ſimul quem quiſq; plebeius Francum hoſpitio acceperat, quieſcẽtem circunſiſtit,necatq;. Nobilitas vero ipſa, quoſcunque Regiorum poſſunt,excitatos incolumes præſtãt: ſternere frenaréque equos excluſi tempore non poterant. Viæ quoque continuò à plebe tranſmiſſis cancellatíſque trabibus interſeptæ. Iacobus prætor fide virtutéque hoſpitis nobilis viri cum paucis integer illæſúſque effugit: reliqui occiſi. Ita plebem ſuam recenti cruore madentem furentemq; nobilitas ſibi quoque timebat,horrebátque: ſed cæde Francorum ſatiata, nihil præterea in quẽquam durius ſtatuit: & illi,ne ſtrictis ſemel enſibus,dulcedineq; ſanguinis captis animis,in ſe ſæuiretur,nihil eis petentibus denegarunt. Nobilitas popularis eſſe cœpit. Philippus etiam Vidonis Comitis filius, quũ munere Caroli Regis in Apulia magnis opibus,magnóque oppidorum dominatu pollens potẽnſque eſſet,ea omnia Carolo Regi reddidit: vt ab omni eius munere beneficióque liber,patriæ quam poſſet opem ferret,ac in Frãcos pugnaret. Magno in motu res erant. Pulcher Rex ad octoginta millia bellatorum coëgerat,ſuomet ipſius ductu imperióque illud geſturus bellum. Excidium Flandriæ minabatur. Anglus Flandros texit. Euardus enim ita Franci Regis amicus erat,vt tamen Flandros euerſos nollet. Proinde ſimulatione charitatis miſericordiæq;, vxori, O mea,inquit, fratris tui incauti capiti peſtem propinquã metuo: à quo « enim minime ſuſpicetur, domeſticis inſidiis hoſti miſer proditur. Credula « anxiáq; de fratre muliere,hoc celeriter Pulchro enunciatur. Ita Rex nemine nominatim à ſororis nunciis inſimulato,omnium æque fide viliore ſuſpectáque,cum iam in Aduaticos peruenisſet,cauſſatus hyemem appropinquare,ac beneficio temporis anni,cum virtute non poſſent,ſe hoſtes tutaturos: re infecta ipſe domum cum longe maxima exercitus parte rediit: præſidiis, vt quiſque poſtulabat locus,relictis: ne hoſtes excurſiones impune in Regiæ ditionis fines facerent,prædáſque abigerent. Anno ſalutis milleſimo trecẽteſimo Carolus frater Regis,idem Valeſii,Andium,Cenomanorum Comes,à ſuperiore matrimonio cælebs, vxorem duxit Balduini iunioris Græcorum Auguſti ex Philippo filio neptem Catharinam,ac Romam ad indictam à Bonifacio Secularem,luſtraliſque iam anni celebritatem (Iubileum vocant) cum peruenisſet: contendebat vt ſoceri iure Auguſtus diceretur,pollicitabatúrque Francos in Aſiam arma relaturos. Gaudebat Bonifacius ſe pontifice ſacroſanctũ bellum iterari: promitteréque ob id viſus eſt Carolo Imperii nomen, inſigniaq;: iuſſitq; ei quàm maximas poſſet copias ad id bellum è Francia exciret. Anno igitur qui ſacrum inſecutus eſt, Carolus Comes omnem ditionis ſuæ nobilitatem in Italiam euocauit: quæ cum in Hetruriam peruenisſet, eum & Bonifacius Diui Petri patrimonio præfecit,& Hetruriæ factiones in ſe verterũt.

Vt apud antiquos Venetæ Prasinæ'que factiones ludicris certaminibus circẽ-
sibúsque celebrabãtur, ita tunc parum malorum videbatur in Gibellinorum
Guelforúmque partibus nominibúsq;,nisi rursus hi bifariam diuisi,ac in con-
traria studia abeuntes,intestinis odiis armísque inter se contendissent.Alii eo-
rum Albi,alii Nigri vocabantur.Aegræ affectæ'que res erant,tamen non tam
deploratæ,quin essent aliquot optimates,qui communi saluti consultum vel-
lent.A Bonifacio optimates Florentini per oratores petiuere,vt ad se Purpu-
ratum legatum pacis inter eos domesticæ componendæ caussa mitteret.Mis-
sus est Cardinalis Hostiensis,qui sanctitate nominis iras sedaret. Opus erat &
Regiæ nobilitatis viro,qui maiestate permoueret:ne dimicantibus qui domi
erant inter se, occasio exulibus redeundi domum daretur. Francus cæteris
bellis assuetus,ciuilium contentionum ignarus,à Florentinis hoc statu rerum
apparatissime magnificéque exceptus,quatuor menses apud eos egit.Ex He-
truria in Calabros duxit,quòd Fœdericus Tarraconensis Philippum Claudi
Regis filium classe in Siciliam incaute euntem interceperat,Calabrósque re-
ceperat.Adueniente Carolo Comite,potestatémque pugnæ faciente, fortu-
nam prælii experiri noluit. Franco recuperatis Calabris in Siciliam traiectu-
ro,leges accepit:reddidit Philippum:fidem iureiurãdo dedit,se deinceps Ita-
lia continenti temperaturum. Pignus affinitatis accessit. Nupsit ei Leonora
Claudi Regis filia,dictis his legibus,vt Pontifex maximus, Claudúsque Rex
eum iuuarent in Sardiniæ Regno acquirendó,quo ipso aut alio quoquã par-
to Sicilia Frãcis cederet:eam interea dotis profectitiæ nomine obtineret.Hæ
conditiones tandem vanæ euasere,nec binæ nuptiæ quicquam profecere.Ca-
rolo Comite in Franciam à fratre Rege bello Flandrico reuocato, Claudus
Rex Nucerinos Saracenos adhuc superstitioni Maumethicæ deditos, opta-
bat pios effici.Quòd Conradini bello desciuissent,duplex illis vectigal quàm
quantum pii,iidémque veteres ciues Nucerini penderent(mixti enim incole-
bant)impositerat:ac deinceps seruorum propè numero habuerat; tamen in-
dustria frugalitatéque ad maiores diuitias peruenerant, quàm cum gratia au-
thoritatéque apud Manfredum Regem,Fœdericúmque Cæsarem valuissent.
Tunc iussi CHRISTVM agnoscere aliquot lauationem sacram petiuere:
cæteri contentione animi peruicaces, ne seruilibus quidem cruciatibus cogi
potuere,vt vtrique saluti suæ consulerent.Pace illa Italiæ parte in præsens cõ
posita,aliquot Emporitanæ aliarúmque promiscuæ gentium naues, bello vi-
uere assuetæ,Rogerium Templarium sibi præficiunt.Ex Apulia in aduersam
oram transmisere:Salonásque expugnarunt,ac diripuere. Mare infestum,lit-
toráque faciebant:vndique prædas agebant. Piraticum bellum erat:ac ne il-
lud quidem,vt(quod facere nobiles latrones solent)Duci suo parerent. Ro-
gerium occiderunt:nec eum tantum, sed,cum nec iustum nec iniustum pati
possent imperium,alios atque alios creabant occidebántque duces. Et,quod
mirum sit,sublata imperandi parendíque disciplina, duodecim tamen annis
hoc bellum tenuit:cum viginti omnino triremes, & aliquot minora nauigia
ipsi haberent:sed consociantibus se illis etiam exulibus Græcis. In terrã At-
ticam igitur delati,Athenarum Ducem Brennæ nobilitatis virum occiderũt,

vrbémque ceperunt:& in Peloponneſum retroacti,eam occuparunt. Occiſis'que Francis proceribus,qui ea magna ex parte potiebantur,illorũ domos, vxores,opéſque ſibi vendicarunt: locúmque ſibi eum domicilio delegere:in mores finitimorum paulatim abituri,prædonum tandem depoſituri. In Aſia Tartarorũ opes rurſus ingentes erant.Caſſanus Scythæ Perſas deuicerat, eóſque in ditionẽ redegerat. Armenii Regis filiam in matrimonio habebat,religionéque noſter erat.Pulſo Aegyptiorum imperatore,Syriæ iura dabat.Cũ defectione Perſarum reuocaretur,oratores ad Frãcum Regem,Bonifaciúmque Pontificem Maxi.miſit,cum Latinis proceribus fœdus facturus,vt communi animo conſilióque ſacrum Regnum recuperaretur, & à Barbaræ religionis vi tegeretur.Bonifacius rurſus amplum magnificúmque ſibi exiſtimabat,ſe Pontifice recipi,quæ ſuperioribus Põtificibus amiſſa fuiſſent. In Franciam literas ad Pulchrum Regem de bello ſacro redintegrando dedit(vt ferunt)imperioſas,ac niſi cõtinuò pareretur,minarũ & fulminis plenas.Quod ſatis conſtat, Bonifacius Apameam prouinciæ Narbonenſis eodem quo aliæ in Aſia vrbes nomine,ſed tunc cõtributum Diœceſi Toloſatium oppidum, ciuitatem eſſe iuſſit:ſuúmque illi Pontificem,ac ſedem dedit: vt domi haberent à quo ſacra iura peterent.Annales Francici tradunt Epiſcopũ Apamenſem ſolitum fando male ſentire de Rege Pulchro, eúmque verbis allatrare: Regem ad ſe illum euocaſſe, tradidiſſéque ~~velut in cuſtodiam~~ Archiepiſcopo Narbonenſi,vt de eo ſẽ conſulto ſtatueret. Bonifacium id indigne tuliſſe:miſiſſéque ad Pulchrum Regem Archidiaconum Narbonenſium(is ciuis Romanus erat)qui Pontificem Apamenſem dimitti iuberet.Edicto etiã propoſito iuſſi ſunt à Bonifacio Pontifices Patréſque Franci ad concilium certam in diem in Vrbẽ Romam ~~conuenire. Vetuit Pulcher~~ è Francia diſcedi. Maiore accenſus ira Pontifex,Philippum Regem Francorũ nominatim execratur:quòd diceret ~~eum in Epiſcopum manus~~ iniecíſſe,ac bona ſedium vacãtium fiſco ſuo inferre,iúſque ~~ſacrarum veſtiturarũ ſibi arrogare.~~ Addebat, id quod omnibus permirũ fuit,Regem Franciæ nõ ſacro modo Pontificioq; iure Pontificem Romanum vt ~~animorum~~ parẽtem oportere obſeruare, ſed ciuili iuriſdictione,profanaq; re,ac cauſſa,& dominatu Principẽ authoremq; agnoſcere. Simul ſcribebat ſe ~~Franciæ proceres~~ ſoluere fidelitatis iureiurando,quo ſe Pulchro deuinxiſſent,ac ei ius Regni abrogare.Harum rerum frequenti Procerum Patrũmque Francorum cœtu enunciandarum munus Archidiacono mandarat Pontifex:diplomáque, vt id ſacrum monumẽtum foret,dederat.Pulcher Apamenſem dimiſit:Diploma prius quàm coactis ad id Lutetiam Patribus recitaretur,~~raptum Atrebas igni~~ dedit,faceſſere Archidiacono procul iuſſo.Ipſi Bonifacio domi periculum conflatum. Cum Columnis proceribus bellum geſſit:ſiue(vt nõnulli ferunt) quòd ſuperbia execrabilíque odio partium,eos Gibellinorum duces euertere conaretur ipſe Guelforum ſtudioſus:ſiue iniuria indignitatéque laceſſitus,quòd Columnæ ſplendore nobilitatis ac opibus etiam Pontifici formidoloſis freti, Bonifacii Anagniam,vnde ortus erat, ſe conferentis, impedimenta,ingentémque vim auri diripuiſſent,vrbéſque iuris ſacræ eccleſiæ,in quibus Prænesſte,Nepetéque,oc-

cupassent. Petro, Iacobóque Columnis Cardinalibus ius pilei rubri decreto Pontifex abrogauit. Quo nihilo secius illi vti perseuerabant: solicitabántque omnes Reges Ducésque vt à Bonifacio desciscerent: quòd malis artibus Pontificatum à sancto viro Cœlestino extorsisse eum dicerent. Præterea impiæ hæresis, cædísque incusabant: Tandem Pontificem eum esse inficias ibant. Tunc multo maiore odio in vniuersam eam nobilitatem exarsit: nihil ad eorum excidium non moliebatur: illorum secessionem impietatis arguebat: ac veluti schismatis authores damnauit. Cæteri Columnæ quibuscunque potuere latebris sese abdidere: Stephanus in Francia tectus cultúsque fuit. Promisisse quoque pulchrum Bonifacio sexaginta millia aureorum (sed dissimulatur caussa) quæ numerata non sint, constat. Hilermus Tornacensium Pontifex author est Bonifacium ius dedisse Regi Pulchro ad belli necessitates pecuniæ etiam à sacerdotibus cogendæ: idémque ius eundem mox abrogasse, sacerdotum querimoniis permotum. Existimatio igitur cuique libera sit, vnde conceptum odium. Interea Flandri cum exploratum haberent in se bellum à Franco parari, Atrebatíque Flandriam prouinciam à Pulchro datam: ne aduersus nobilissimum virum magnorum Ducum nomine carerent, Vidonis Comitis sui apud Francos captiui filios duos, Philippum ex Italia regressum, Vidonémque Sauarensium principem, simul & Hilermum nepotem ex filia Vallisrheni Comitem, Duces belli deligunt: quòd eos dolore domestico in Francum incitatos non dubitarent. Hi temporibus obsecundantes, Plebicolæ facti, Petrum in cohortem amicorum recipere non erubuere, eúmque Baltheo donare. Lanii nomen obscurius fuit: adeo linguæ quàm corporis vires nobiliores extitere. Omnes præterea in futurum bona spe implentur. Nunquam Flandrica plebs optimatibus Comitibúsque suis dicto audientior, nunquam illi in plebem indulgentiores extitere: inter se æmulatione fidei virtutísque certant. Contrà, maiore animo iráque quàm consilio armatur Atrebas, velut in ignobilem & millies deuictam gentem inuictos Francos pugnaturos ducens. Ad Curtracum dimicatum est. Hostes castris locum delegerant suapte natura tutiorem, ac egregie munierant. Conspecto hoste, impatiens moræ Atrebas, copias explicat, aciem instruit. Vbi nihil à Flandris mouetur, subire ad eorum castra signa iubet: ac vel vi irrumpere, vel elicere ad pugnam. Contrà Reginaldus Nella Magister equitum Atrebatem dehortatur, ostendítque in certam perniciem iturum militem: ac vt hostis manum non admoueat, locum ipsum se defensurum, & pestem contranitentibus allaturum. Implacabili odio in Flandros semel certamine animi suscepto, furebat Atrebas, vt infensus, ita & inuisus: & non multo antè Hilermi fratrem prælio captum, atroci custodia, indignitatéque interemerat. Comitis Vidonis ex Hilermo filio neptem in matrimonio Reginaldus habebat. Igitur Atrebas sanum consilium danti Reginaldo, Proditor, inquit, non fallis: vxor tua soboles Vidonis Flandri Comitis pluris tibi quàm tota Francia, salúsque ac gloria communis est. Simul cæterorum qui pugnam dissuadebant, ignauiam increpitans; latentem metu hostem extrahere ad prælium, vel non repugnantem conficere iubet. Re-

liqui Duces Regiæ nobilitatis viro inclemens reſponſum reddere non audebant. Reginaldus quoque grauiori probro laceſſitus, nihil aliud reſpondit, quàm manu ſe verba ignominioſa confutaturum: & quandò Atrebas perire ipſe, traherêque ſecum in excidium omnia velit, ſe ante ſigna iturum. Nullam maiorem amentiam imprecari hoſtis Regiis potuiſſet. Atrebas furore, Reginaldus indignitate perciti, caſtra hoſtium prælatis foſſis, & iis aqua (quandò natura loci ita ferebat) repletis, aggeribúſque munita, equis etiam inſidentes adorti, ſuperſtante munimentis hoſte, ac alia manu ſubinde erumpente, ſimul ſuomet ipſorum tumultu inſignem cladem accepere. Duodecim millia Francorum, atque horum (vt nonnulli ſcribunt) equitum cum nobiliſſimis ducibus periere: in quibus Reginaldus. In corpus Roberti Atrebatis etiam exanime ſæuitum. Illud quoque ſpiritus hoſtium auxit, quòd à Pulcro dimiſſus è cuſtodia Vido ſenex, ſi ſuos tanto ex interuallo reuiſens, & ipſe moueri conſpectu ſuorum, & mouere charitate ſui poſſet: vt ſpe veniæ impunitatíſque in fidem Regis poſito furore redirent, iuit ſolo iureiurando reditus, niſi permoueret, fide oppignerata: rediítque in cuſtodiam re infecta: paulóque poſt obiit. Pulcher Comitatum Atrebatium Othoni Burgundiæ Comiti, quòd is in matrimonio haberet Mathildem Comitis Roberti Flandrico bello cæſi filiam, attribuit, reclamante adoleſcentulo Roberto, eiuſdem Roberti ex Philippo filio ante obitum patris defuncto, nepote. Audebant etiam Flandri Annoni Comiti bellum inferre, quòd Hollandiam Zelandiámque obtineret: quas regiones Comitis ſui Vidonis eſſe contenderent. Auxilio Francorum facilè Anno è finibus Annoniæ hoſtes ſubmouit. In Zelandiam bellum mari tranſlatum Francus gerendum ſuſcepit pro ſocio Comite contra communes hoſtes, edomari eos non poſſe arbitratus, niſi terra marique premerentur. Sedecim triremes è Lyguria mercede conduxit, Præfecto Regimerio Grimaldo. Is in Oceanum circunuectus, maritimam oram Flandriæ hoſti infeſtam fecit. Tota Flandria in armis erat. Flandri non perculſi metu, impigre res gerebant. In Atrebatum fines excurrerunt: ſuburbana ædificia incenderunt: vrbem dum tentant, magna cæde repulſi. Ad Fanum Odemari caſtra moturos eos Franci, qui ei oppido præſidebant, exploratum habentes, duas ſe in partes diuidunt, tria millia equitum erant: pars extra vrbem loco opportuno occultóque ſedit: reliqui oppido ſe continebant. Vbi ferox hoſtis aduenit, ad certaménque prouocabat, Curtracenſem victoriam iactans: egreſſi prælium committunt. In medio ardore pugnæ affuere qui in inſidiis latuerant. qui Franci nobiliſſimos Reges imperatoréſque vicerant, Flandros etiam vicere. Ad quindecim millia hoſtium cæſa, & alia pugna ad Ariam octingenti Brugenſium interiere: ad Tornacum quingenti. Ita deleta eſt ignominia cladis acceptæ, ac priſtinum belli decus recuperatum. Victi erant hoſtes, ſed nondum perdomiti. Tanta clade potius iritati, quàm territi, quàm fracti, nouas ſcribunt copias: alii alios exhortantur ne animo deficiant: excitati, refectáque ſpe, ſummi, infimi, proceres, plebei, nobiles, ignobiles, opulenti, tenuiores, egentes, adſunt: iuſtitium edicunt: tabernæ clauduntur: omnes officinæ, præterquam armorum,

conquieſcunt:cætera òpera, ſtudia, artes, intermittuntur, conticeſcunt, ceſſant.Arma cupiunt,expoſcunt,capiunt:hoſtem petunt. Iam Rex ipſe ductu quoque ſuo Flandricum bellum geſturus, cum magnis copiis aduenerat, ad Montem populeti(id loco nomen eſt) caſtra metabatur,non procul ab hoſte circundato carris, munitionibûſque ſe continente: nec ſperabat eum in aciem deſcenſurum. Vixdum exarmarat ſe Rex, quum repentino impetu hoſtes in caſtra Regia ſublato clamore irrumpunt, tanto terrore iniecto, vt Carolus Comes ſe fugæ cum non parua manu mandarit. Regem in tanto periculo nec virtus nec conſilium defecit.Armis correptis,ſuos,vt quemque nactus erat,à fuga trepidationêque ad decus voce exemplóque reuocat. Vbi præter ſpem hoſti reſiſtitur,ac terror reſedit,recurſúmque vndique ad tabernaculum Regis, quò atrox prælium incubuerat: primùm æquo Marte pugnari cœptum:deinde nobilitas, virtúſque, ac Regia Fortuna haud ambigue vincere,cædéſque in hoſtem vertere. Ad ſex millia hoſtium cecidere. Periit & Hilermus Comitis Vidonis nepos. Regiorum deſiderati mille quingenti. Flandri leges has accepere. Inſula, Betunia, Aduatici in poteſtate Regis eſſent, quoad millia aureorum ducenta filii maioris Vidonis qui è cuſtodia Francorum dimitterentur, Regi numerarent. Pulcher Rex Lutetiæ ad Virginis ſtatuam equeſtrem poſuit:vt id monumentum Regii periculi Numine votóque in ipſo diſcrimine pugnæ propulſati, foret. Robertus Comitum ſtirpis maximus domum regreſſus, rem Flandricam ſuſcepit: iam Comes etiam Niuernenſium ſalutatus,quòd haberet in matrimonio Iolantidem Odonis Niuernenſium Comitis filiam, hæredémque. Is Odo fuit filius Vgonis Burgundiæ Ducis, ac Roberti Ducis, cui nupſit Hagna diui Regis filia, frater. Iam Bonifacius Pulchrum hoſtem iudicarat:Franciæ ſacris interdixerat: Francorum Regnum,velut ſolio vacuo, iuri ditionique Imperii Auguſtorúmque attribuere adiudicaréque ac addicere ſe effatur: quódque ad eam vſque diem denegarat, Albertum aliquot antè annis electum,tunc primum Cæſarem appellat:eo maiore illius gratia,quòd fama erat Carolum Comitem, vt ante palam petierat Orientis Imperium, ita nunc diſſimulatis conſiliis ſpem Germanici concepiſſe.Conuênit vt Germanus Pulchrum Regno exuere conaretur, ac Francos ad Imperii venerationem, legéſque ab Auguſtis accipiendas euocare. Extant Regiæ maieſtatis Pontificíſque alternæ epiſtolæ vtrinque miſſæ,plenæ cõuitiis mutuis,ignominioſæque,ſi modò veræ, ab ipſiſq; compoſitæ, & non confictæ ab aliis, quod ſimilius vero ſit. Quod conſtat,contractis Rex Lutetiam patribus, cõmemorat Bonifacii in ſe Franciamq; noui exempli decretum: ſed eum Pontificem maxi.non eſſe, eaq; de re cognoſcẽda ſacroſanctam ſedem ſuo Antiſtite tunc viduam appellare.Ad
» hoc proceribus coactis,Interrogo vos,inquit,cuinam fidelitatem præſtare ius
» faſq; ſit:ac cuiuſnam beneficio vnuſquiſque veſtrum oppida, dominatus,im-
» peria,honores habeat?Vndiq; conſentiente voce reſpõſum,illius vnius ſe beneficiarios eſſe,proq; eius gloria,imperio,ſalute,morté oppetituros, memores fidei ſuæ,ac Regii culminis.Anglus & ipſe ſolicitatus in Pulchrum, nihil tamen mouit,morbo primum,deinde Scotico bello implicitus. Paulo pòſt

Pulcher Iſabellam filiam eius filio item Eduardo deſpondit, vt Rex ſanctiorem & ſuam, & filii in Regnum ſucceſſuri florentiſque neceſſitudinem ipſe iam ſenior duceret. Hac temporum perturbatione, miſeriáque, neque terra neque mari pax vlla erat. Sara Columna iram Bonifacii iam impar fugiens, dum nihil à tãto hoſte ſibi tutum fidúmque putat, in ora Italiæ maritima errans vagúſque â piratis excipitur, ac ad remum datur: ne tam neceſſario quidem tempore auſus ſe aperiré quis eſſet: ne generis humani hoſtes eum Bonifacio derent, magni propoſita præmii ſpe. In ora Maſſilienſi quidã è nobilitate Francica colloquii commercio cum Archipirata facto, nauim inuiſens, Saram antea familiari vſũ in rebus Italicis notum, tũc inter remiges vultu geſtúque fidem ſuam clàm cæteris implorantem agnouit: rem tamen in præſentia diſſimulauit. Mox claſſe permiſſu Præfectorum contracta Archipiratam aſſecutus, peruicit vt ex vinctorum remigum numero vnus, quem ipſe optaret, catenis ſolutus ſibi daretur. Ita Sara liberatus, atrox Bonifacio hoſtis, ac malis exacerbatus, principem Bonifacii opprimẽdi locum ſibi vendicaturus videbatur. Audacior tamen Hilermus Longaretus Toloſas extitit. Is enim acceptis à Pulchro mandatis, vt appellationem, quam ille in ſynodo Pariſienſi nuncuparat: Cardinalibus, ac, ſi poteſtas fieret, ipſi Bonifacio effaretur, in Italiam ſe contulit: atque in agro Senenſi ſubſtitit, cauſſam moræ ſimulans, quòd forte oblata ſpes eſſet gratiæ inter Regem Pontificémque reconciliandæ: ac quoniam mentionem ſexaginta millium aureorum verſatam oſtendimus, ingentem vim auri ad cóntrouerſias ſedandas ſibi menſariis Petruciis à rege ſuppeditari. Rex etiam Epiſcopum Altiſſiodorenſem ad Pontificem miſerat. Miſerant & Epiſcopi Patréſque Franci communem legationem tres ſui ordinis Patres permiſſu Regis, qui Pontifici ſatisfacerent, purgarentque reliquos Patres, quòd Flandrico bello retẽti in Francia, in Vrbem ire iuſſi, dicto audientes eſſe non potuiſſent. Eam excuſationem Pontifex ita accepit, vt à Rege vetiti, non prohibiti Flandrico bello viderentur. Nullum tamen ſuſpicatus eſt Pontifex conſilium Regis in ſe cruentum, hoſtilévе: eum tantum appellatione ſubnixum, fretúmque: eiúſque enunciãdæ munus Longareto iniunctum ratus. Seruili habitu domum regreſſus Sara, per factionis ſuæ hómines ad trecentos equites Francos, qui ex bellis Sicilienſibus, pace facta, alii aliis locis ſedebant, Petruciana pecunia à Lõgareto ſubminiſtrata conduxit, ac raptim contraxit. Affuit & Longaretus, corruptis pecunia Anagnorum nonnullis: ſimul cum Gibellinis eiuſdem vrbis re compoſita. Prima igitur luce Anagniam intromiſſi, clamorem tollunt: fit fuga aulicorum, Purpuratorũmque Patrum. Vbi primum Bonifacius ſe proditum ſenſit, ſacris omnibus ſummi Põtificatus ornatus inſignibus, in ſolio ſacro conſedit: Saræq; eum vociferatione irrumpenti, ſed intra linguam ſæuienti reticuit, Longareto propius accedenti, ſimul ſtringenti ferrum, minitantíque ſe illum in vinculis Lugdunum pertracturum, vt in Francia è ſede Petri deturbaretur: Ego, « inquit, patienti animo feram quod ſancto pontifici Syluerio vſuuenit. Auus « vero tuus Albianæ impietatis conuictus, damnatúſque, igne meritas ſcelerum « pœnas Deo mortalibúſq; dedit: ne mireris indebitas me impietati tuæ luere. «

Ferunt continuò ferociam omnem Longareti concidiſſe. Appoſitis tantũ Pontifici cuſtodibus, ac ædibus direptis, diſceſſit. Triduo pòſt, cuſtodibus dilapſis, ex propinquis oppidis auxiliis cõuenientibus, Anagninis, & qui incorrupti erant, miſeratione motis, & qui cum hoſte ſenſerant, pœnitẽtia ſubeunte, pro ſalute dignitatéque Pontificis ab ſe orti, arma capientibus, ad hoc ex Vrbe Roma officii cauſſa ingenti concurſu ſimul qui fuga diſſipati fuerant, coëuntibus, profectus Romã, trigeſimoquinto à vi facta die obiit, anno eius ſeculi tertio. Paucorum dierum interregno creatur Pontifex Nicolaus ciuis Tauriſinus, ex obſeruatione Prædicatorum, ac Princeps ordinis. Benedictus dici voluit: quo nomine vocitatus fuerat ante Pontificatũ Bonifacius. Ab eo fuerat creatus Cardinalis, ab eo Legatus in Vngariã cũ Carolo Martelli iam defuncti filio Claudi nepote miſſus, vt eũ, mortuo Andrea Veneto, genti cõciliaret, in ſolióque collocaret: qua cõmendatione & ſtudioſis Regis Franci, & memoriæ Bonifacii colendæ deditis Cardinalibus charus acceptúſq; erat. Nouus Pontifex Longaretum, & Saram, & qui Anagninorum cum eis ſenſerant, cum die dicta non adeſſent, abſentes, ſacræ maieſtatis parricidiíque damnatos, execratus eſt. Petrum & Iacobum expertes ſe eius ſceleris edocentes, in gratiam recepit: ex ſanctione tamen Bonifacii rubro pileo vti vetuit, haud dubie Bonifacii apud eum memoria ſancta, & actorum approbatione. Regem Francum per oratores purgantem ſe, nihílque durius ſtatuiſſe ſe, cogitaſſéve in Bonifacium, quàm vt concilium appellaret, nec ſe authore vim factam, contendentem, eccleſiæ ſacræ reconciliauit, Franciámque interdicto ſoluit. Sanctus etiam à Francis Pontifex habitus, octauo ſedis ſuæ menſe deceſſit. Tunc inter purpuratos patres contentio exorta: nec ſingulorum modò, ſed & nationum ſtudia exarſere. Gallici generis Cardinales permultum & numero & authoritate valebant. In gratiam duorum Carolorum Regum complures creati à ſuperioribus Pontificibus, & Bonifacius primis ſuæ ſedis temporibus Francorum fuerat ſtudioſiſſimus. Nunc Franci Cardinales conſpirarant. Contrà Italici generis patres & ſui memores erant, & vereri poterant id quod vſuuenit. Alterum iam annum illud interregnum tenebat. Tandem conſenſere, vt Galli ederent tria nomina, modò in illis nemo numeraretur actorum Bonifacii aduerſarius: Itali ex illis tribus optionem haberent. Erat Bertandus Vaſco, Pontifex Burdegalenſis à Bonifacio creatus: idem à Pulchro Rege animo alieno, quòd Pulchri frater Carolus Valeſii Comes bello Aquitanico eius propinquos domúmque vexarat. Is ſi à Gallis patribus nominetur, etiam ab Italis cupidiſſime recipiatur, agnoſcatúrque Pontifex. Senſit id agi Pulcher Rex, reconciliatáque cum Vaſcone amicitia, ſui beneficii Pontificatum feciſſe dicitur, ac ſibi Bertandum tanto munere velut ſuo deuinxiſſe. Galli nomen Vaſconis edidere, Itali recepere. Creatus conſentientibus animis, Clemens vocitari voluit. Purpuratos in Galliam exciuit: Lugduni Pontificatum iniit, tribus Regibus cœtum celebrantibus, Franco, Anglo, Tarraconenſi: tanto vndique concurſu ſtudióque, vt nonnulli proceres multitudine mortalium, trepidationéque, ac turba, oppreſſi obtritíque ſint: Pontifex dum ſe conſpiciendum tota vrbe circunfert,

equo laberetur, tyara excuſſa, ac amiſſa longe maximi ex ea precii gemma, Pulcher Rex in periculo verſaretur, ruina muri vetuſtate oneréque ſuperſtãtium procumbentis. Iohannes dux Britannus oppreſſus interiit. Purpurata cohors Pontificatúſque ſeptuaginta annos in Gallia manebit. In Italiam tunc primum in prouinciam, atque adeo in ordinem coactam, tres Purpuratos legatos cum liberis mandatis miſit: eis belli pacíſque, ac maximarum rerum ius arbitriúmque conceſſit. Albertum Cæſarem Iohannes filius fratris, coniuratione paucorum procerũ facta, in traiectu Rheni fluminis ad Scafuſam oppidum è nauicula in ripam egredientem, ferro exceperat, occiderátque, ab eo cultus educatúſque, ſed à quo Ciburgum oppidum occupatum diceret, quod morte matris legibus ſibi obuenire oporteret. Proceres Germani in deligendo Cæſare contrariis ſtudiis ſcindebantur. Perdiu interregnum tenuit. Tandem Henricum Comitem Luceburgenſem delegere. Continuò id Clemens comprobauit, confirmauitque: ſimul nulla dubitatione moráve interpoſita, primam coronam à Pontifice Agrippinẽſium accepit: ac nequid eius amplitudini deeſſet, iuſſus eſt intra biẽnium in Italiam proficiſci, ac alteram & tertiam coronam à Cardinalibus, quorum ea prouincia erat, accipere. Simul quod nulli vnquam Cæſari datum eſt, id illi vltro oblatum. Iohannes qui patruum Cæſarem occiderat, permotus parricidii pœnitentia, Clementem adiit vt expiaretur, ac quas iuberet Põtifex, pœnas daret. Reiecit eum Pontifex ad Henricum, adiret illum, conſulerétque quodnam piaculum expetendum videretur. arbitrio enim Cæſaris percuſſorẽ Cæſaris luere oportere. Iuſſit eum Cæſar Eremitarum ſepto clauſum, quicquid reliquæ vitæ foret, agere. In Italia Piſis diui Auguſtini ædi ſe iuuenis dicauit. Eodem anno deceſſit Carolus Claudus Rex. Carolus eius ex Martello maximo natu filio nepos, in Vngaria Regno iure auiæ inito, iura dabat. Robertus eius adoleſcentuli patruus in Prouinciam Phocenſem, quæ fuerat paternæ ditionis, profectus, à popularibus Comes Prouinciæ ſalutatur. Auenione (quæ vrbs ei Prouinciæ contribuebatur) ſedebat Clemens: ab eo Rex beneficiariúſque appellatur: coronatúrque eadem qua Pater, auúſque, dignatione. Henricus Cæſar cõſilium proximorum Cæſarum vituperabat, qui per ignauiam timiditatémque Italiam non fuiſſent ingredi auſi. Id ſibi vnum elaborãdum, vt ad priſcum decus nomen Cæſarum redeat, reuiuiſcat, recolatur. In Germania etiam Cæſarum parente Auguſtiſſima, multa ſecus ac oportuerit, facta, diſſimulatâque: Ob vnum Auſtriæ ducatum quinque Cæſares interemptos: eos Duces deiiciendos ex illarum rerum arbitrio, vt ea nobiliſſima regio Cæſaris tantum imperio pareat. Hoc Henrici conſilium, hæc cupiditas non latuit proceres illius gentis: exortæque ſunt liberæ voces: Verendum igitur Cæſari, ſi pergeret alienas opes appetere, ne ſextus Cæſarum numeraretur Auſtriæ cauſſa interemptorum. Ita permotus Fœdericum Alberti filium Ducem Auſtriæ appellauit, in verba ſua iureiurando adactum, ac iuſſum apud ſe Italico bello militare cum ducentis cataphractis equitibus. Animo, ſpéque, maxima quæque concipiebat. Filio eius Iohanni quatuordecim annos nato nupſit Venceſlai Bohemorum Regis nullis liberis ſuperſtitibus defuncti ſoror: eadem

alterius Venceslai Regis vita sancti neptis duodeuiginti annos nata. Pius Pō- 45
tifex author est Henricum Cæsarem vno eodémque tempore tres exercitus
comparasse. vnum duce Petro Pontifice Maguntino cum filio Iohanne in
Bohemiam misit ad illud Regnum dotale armis recipiendum de Henrico
Carinthiæ Duce, cui altera, atque adeo maior Venceslai iunioris soror nupse-
rat. Alterum duci iussit in Comites Vittembergenses, Imperio non parentes, 50
fiducia duûm & septuaginta oppidorum, quibus ipsi imperabant. sed vi ad
obsequium reuocati. Tertium in Italiam ipse ducturus erat, sperás velut ex-
ule sede Romana, Imperii maiestatem sanctius omnes culturos, nec vllas le-
ges muneráve imposita detrectaturos: ita se magnorum Cæsarum priscorúm-
que decus assecuturum. Tantus animus, tot támque magna consilio, prædi- 55
catione, conatu, expectatione omnium complexus, ita demum conuertit in
se animum Pontificis maximi, vt is quanuis absens, rem tamen Romanam à
suspiciendo nomine Pontificum auerti, & arbitrii prorsus Cæsarum fieri, mi-
nime patiendum sibi censeret: flagitiosum temporibus Pontificatuíque suo
id futurum, sui ad posteros memoriæ sempiternam ignominiam impositum 60
iri, si sacrosanctæ potestatis iura, amplitudinémque, à maioribus tot deinceps
iam seculis per manus traditam, tutari consilio animóque ac virtute nesciat,
nequeat, non audeat. Arcana Clementis Robertíque consilia tunc enunciata
euulgatáque non sunt, exitus docet Henrici spiritus Pontifici Regíque ni-
mios tandem visos: & inter eos conueniisse, ne Italiam paterentur Germano- 65
rum prouinciam fieri. Henricus per Amadei Comitis Sabaudi fines ducebat.
Cum primum è summo montis vertice Italiam vidit, dicitur passis manibus,
cœlúmque suspiciens deprecatus esse Deum opt. max. ne funestæ execrabi-
lésque factiones Italiæ sibi quoque pesti exitióque forēt: simul Comitem fe-
runt dixisse, illas eò neque sibi, neque maioribus suis quicquam incommodi 70
ad eam diem importasse, quòd se ab eis integros seruassent: indolemem futu-
rum Cæsarem, si maiestatem suam ab illis respiciendis auertisset. Sapiens, fi-
dum, salutare consilium, si audiatur, si Henricus id assequi & facilè possit, &
in animum inducat. Sed per ingentes ancipitésque difficultates euadendum
Cæsari nimis memori priscorum Cæsarum maiestatis Pontificibus formido- 75
losæ. In animo initio habebat purgare Italiā factionibus: qua re nihil sanctius.
Miserat iam oratores ad Florentinos, vt profugos extorrésq; ciues reuocarēt:
ea erat ingens vis: vtq; sibi Vrbem petenti, Florentiāq; diuersuro, hospitii Au-
gusti iura officiáque pararent: vt Arretii obsidione abscederent. obsidebant
enim, vt suæ vrbis exules ab aduersa factione pulsos reducerent. Hæc man- 80
datorum ad Florentinos summa erat. Addebant oratores verborum magni-
» ficentiam, pondúsque: adesse Henricum Cæsarē inuictum, sapientissimū, opu-
» lentissimūq;: adducere gentes exteras, longinquas, feroces, vndiq; excitas: qua-
» rum vim sustinere nullæ acies, nulla mœnia queant. Respondērunt Florētini,
» orationem Legatorū minime sibi constare, dicíq; Henricū Cæsarem pruden- 85
» tissimum, qui exteras nationes ferro accinctas in Italiā adducat: cum summi
» Imperatores soliti fuerint Italos in exteros ducere: nec cōuenire, iubere exu-
» les à Florentinis reduci, qui vetet Arretinos iniuria pulsos in patriam restitui.

De recipiendo in vrbem Cæſare tunc ſe deliberaturos, cum propius acceſ- «
ſiſſet. Liberius reſponderunt, freti fœdere Roberti Regis, qui ex Prouincia «
à Clemente dimiſſus in Italiam prior tranſcendit. Henricus in ſubalpinas deſcendens gentes, omnes ferè ciuitatum principes honoris officiíq; cauſſa obuios habuit. Mediolanum duæ factiones, vt omnia vbique, diſtrahebãt, Vido Turrianus Guelforum, Matthæus Vicecomes Gibellinorũ, principes: ſed tunc Matthæus domo exactus, inopem ſolicitámque vitam agebat. Ad Aſtã Cæſari venienti occurrit: quò ingens vis exulum ſpe patriæ recuperandæ confluxerat. Etiam atque etiam ſuadent, hortãtur, rogant, vt Mediolanum, quà proximum ſit, contendat. Circumibat enim vrbes, ac deſidebat, præſcribẽdis colligendíſque pecuniis in ſumptum itineris, & tot numero militum ſtipẽdium. Pergitur Mediolanum. Vido alterius factionis princeps certior factus partiũ ſtudio non adduci moueríve Cæſarem, ei obuiam procedit. Diſcordiæ ciuiles in præſens ſedantur: exacti domo, ſine cuiuſquam noxa, ignominia, damnóve redeunt. Plena erant congratulatione plauſũque omnia, cum aurum coronarium indicitur. Centum millia nummũm aureorum coacta dicuntur, magna plebis querela: multíque in vrbe frequenti tumultus exorti, ægréque ſedati. Anno eius ſeculi vndecimo, die feſto Epiphaniæ, Mediolani in diui Ambroſii æde, ferrea corona redimitus eſt Cæſar. Exin proximas eius Galliæ vrbes circumiuit, partim voluntate, partim metu malóque in deditionem recipiens. Vicarium ſuum ad res Mediolanenſes procurãdas Matthæum creat, & alios aliis vrbibus proceres eadẽ nominis dignatione præficit. Eius regionis rebus compoſitis, profectus Genuam, treis continuos menſes ibi conſumpſit: Legatóſque Fœderici Tarraconenſis fœdus aduerſus Robertum petentes benigne audiuit: Romámque diſtulit, ac ſocietatis iungendæ ſpem dedit. Exin claſſe quadraginta triremium Genuenſium Piſas contendit, proſequente ſecundum oram maritimam equitatu, maioréque peditatus parte, agríſque Lucenſium euaſtatis, quòd cum Florentinis ſentirent. Minus longa mora Piſis fuit, quàm Genuæ fuiſſet. Itum Romam. Ad Petri, vt percupiebat, facultas tertiæ coronæ accipiendæ non fuit, quòd ea regio à Roberti Regis Vrſinorúmque factione obtinebatur. In Lateranenſi templo tertiam à Purpuratis legatis coronam accepit. Continuò & aurum coronarium popoſcit. Vbi tributum pòpulo Romano indictum eſt, fremere omnis multitudo: & qui partes Henrici Columnarúmque ſecuti fuerant, tunc demum Vrſinis ſe dedunt. Tumultu exorto, Cæſar Vrbe excedit. Regreſſus Piſas, dictaq; Roberto die, vbi ea venit, abſentem ſacri Imperii hoſtem iudicat, maieſtatis damnat, Regni nomen, ius, inſignia ei abrogat. Hoc decretum Clemens Pontifex quamprimum irritum eſſe ſancit, quòd nec in locum quò tutum foret, diem dictam diceret, ac cognitionem cauſſæ, Regníque ſummæ ſedis vectigalis beneficiaríque, iuris Cæſaris eſſe pernegaret. Iam Fœdericus Tarraconenſis ex Sicilia in Brutios tranſmiſerat, Regium ceperat: ingens terror omnes perculerat. Calabri, Apuli, Lucani, Picentini, Campani, ambigua fide agebant: nec populares Regi, nec Rex popularibus fidebat, credebátve. Henricus alia parte Roberto excidium minitans, Piſis mouet. In itinere morbo

implicitus,ad Bonum Conuentum(id oppidi nomen eſt)ſubſtitit: ibique ſuperante magnitudinem animi vi morbi, ſed non ſine veneni ſuſpicione, deceſſit.Germani Cæſare orbati,Italici belli conſilio deſtitere. Florentini antequam Auguſtus obiret,paci domeſticæ'que concordiæ conſulentes, ne oculis capti(quod prouerbii loco iam increbruerat)viderentur : non Germanorum(vt illi quæſierant)ſed ſui beneficii reſtitutionem exactorū fecere: ac eos exilio reuocarūt,quorum odia placabilia,nec atrox cauſſa foret, & quorum reditus animos ciuium iungeret, non diſtineret:obliuioq; iniuriarum decreta,præſtitáque.Robertus quoq; ad famam defuncti Henrici tanti hoſtis,longe maxima parte ſolicitudinis leuatus, bellum cum Tarraconenſibus geret. Clemens præ ſe tulerat,acta Henrici minus ſibi probata eſſe, ac ſi diuturnior ei vita contigiſſet, rurſus Pōtificatum cum Auguſto nomine decertaturum. Nunc cæteris curis ſolutus,Pontificia munera obibat. In quinque annos ius decimarum de templorum prouentibus cogendarum Pulchro dedit.Tēplarii quoque tota Francia comprehenſi, ac quæſtione habita,obſcœna flagitia, immania de ſe ſcelera nefariáque confeſſi permulti eorum dicuntur:libidinē nefariam,impiam religionem,ſe cum Turcis,cum Saracenis ſenſiſſe,à noſtris ſacris deſciſſe.Damnati quāplurimi,ac viui cremati. Sunt authores non obſcuri, Iacobum Burgūdionem ordinis principem,cum productus ad ſupplicium,circunfuſa ingenti multitudine,dum pyra extruitur,ſtaret:propoſita vitæ ſpe,ac impunitate,ſi quæ in cuſtodia faſſus de ſe ſuiſque eſſet, nunc quoq; confeſſus,veniam publice peteret,huiuſmodi verba feciſſe· Ego nunc ſupremis rebus meis,cum locum mēdacio dari nefas ſit,ex animo veréque fateor, me ingens in me meóſque ſcelus conſciſſe,vltimáque ſupplicia cum ſummo cruciatu promeritum:qui in gratiam quorum minime decuit, dulcedinéque vitæ,flagitia impia, ſceleraq; ad tormenta ementitus ſum in ordinem meū de religione Chriſtiana optime meritum: nec mihi nunc vita opus eſt precaria, & nouo ſuper vetus mendacio retenta. Exin rogo impoſitum,ac admoto paulatim igne primoribus pedibus ad exprimēdam ſcelerum confeſſionem, ne tunc quidem, quum reliquo corpore depaſto vitalia fœdo nidore torrerentur,ab huius orationis conſtantia deſciuiſſe,aut mutatæ mentis vllā ſignificationem præbuiſſe, neque ipſum, neque duos cum ipſo ſupplicio affectos nobiliſſimos eius ordinis viros: quorum alter eſſet Delphini Allobrogis frater.In poſſeſſionem Templariorum bonorum Regium fiſcum iuiſſe, Rebus mouentibus à fiſco retentis:quæ ſolo continerentur, Pontificis decreto diui Iohannis hoſpitalariis reddita.Authores habeo,cum Clemens ordinē Templariorum damnaſſet, munúſque fontes in Germania ex decreto ſententiaq; lata plectendi, ac lege agi iubendi,Archiepiſcopo Maguntino demandaſſet, hunc conuocaſſe patres ſacerdotéſque prouinciæ ſuæ:Frequenti illorū conſeſſu tunc Vgonē clariſſimum virum cum viginti ordinis ſui, tecto veſtibus ferro,nemine arcere auſo,ingreſſum,clara,intrepidáque voce teſtatū, ſi quid grauius in ſacrum Templariorum ordinem ſtatutum eſſet, ſe Pontificē maximum,qui in Clementis locū ſufficeretur, appellare:abſterritos patres inermes imbellēſque ferocia nobiliſſimorū militaris ordinis virorū, iuſſiſſe illos

bono animo esse: certiorem literis factum Clementem mitius responsisse,ac ius deintegro quærendi statuendiq; archiepiscopo decreuisse:eum illos quòd insontes se edocerent,caussa cognita crimine liberasse. Hominibus absolutis, ordo tamen ipse abrogatus. Hospitalarii aucti diuitiis Templariorum, simul belli sacri nomine ingenti pondere auri vndique collato,classem instruxerũt, ornaueruntq;,ac Rhodum,quam Turcæ iam possessionem etiam maris appe tentes occuparant,de illis recepere. Clemens Viennæ in Allobrogibus coacto concilio trecentorum Pontificum, multa de eorũ sententia sancte constituit. Memoriam Petri,qui Cælestinus in Pontificatu fuerat,sacrauit. Dimisso concilio,cum Burdegalam se conferret,in itinere morbo correptus decessit,anno eius seculi tertiodecimo . Pulcher mortua vxore Iohanna Nauarræ Regina, Ludouicum maximum natu filium Nauarræ Regem appellauit,& Pompellonem missum coronandum curauit.alterum filium Philippum cognomine Longum mortuo Marchiæ Comiti succedere iussit:felíxne pater filiis,an nuribus infelix. Omnes illæ probri caussam dixere. Iohanna Philippi absoluta:ea Mathildis Atrebatis ac Othonis Burgundiæ Comitis filia maior erat. Margarita Ludouici,Blanda Caroli,flagitii cõuictæ. Adulteri verẽdis conuulsis,cute nudati,vnco tracti,resti tandẽ suspensi,pœnas infesti nobilissimi tori graues illustresq; dedere. Ianitor cõscius ceruice luit. Ludouicus ex Margarita Roberti Burgũdiæ Ducis filia Iohannã filiã tulerat. Adultera vxore in custodia morbo,an (quandò variant authores) anima intercluſa defuncta,Clementiã Roberti Regis Siciliæ sororem, Martelli filiam,vxorem accepit. Blanda Caroli, minor Othonis Burgundionis filia,in custodiam perpetuam coniecta, nullas præterea pœnas dedit,quòd ea viua ducere aliam vxorem posse Carolũ Mathildis illius mater diceret:ab eo enim illam è sacro lauacro susceptã,nec matrimonium iustum extitisse. Hoc confictum creditur ad salutem capitis nobilissimæ fœminæ, in gratiamq; socerorũ Othonis & Mathildis. Dirempto igitur illo matrimonio, alterum contraxit Carolus authore Pontifice maximo, vxore ducta Iohanna Eburouicis Comitis filia. Flandricum bellũ redintegratũ,quòd necdum pecuniã numerasset Robertus Comes,& eo nomine oppignerata oppida minus Regem q̃ Comitem respicerẽt,fideq; erga Francos minus sancta agerent. Rex Engerrano Marinio aulicorũ intimo iussit,vti rei nũmariæ prospiceret,exercitũ conscriberet,eum in Atrebatiũ fines duceret. Exin ipse ad exercitũ profectus,cũ motis castris Flandriæ appropinquaret, Robertus Flandrus oratores,qui suppliciter agerent, misit. Eos Rex primũ auersari, audire nolle,admitti vetare, proculq; in malã suã Comitisq; rem abire iubere. Mox Engerrano deprecatore,non modò admissi auditiq; sunt,sed & Comiti suo pacẽ impetrarũt,magna apud omnes Engerrani inuidia,quã conditio tẽporum adauxit. Conquerebantur omnes argentũ signari haudquaquam iustæ probitatis. tertia pars experientibus decoquebatur. Creditores cũ æs alienum dissoluebatur,argenteos nũmos nõ quanti haberi iussi feriebãtur,sed deducto intertrimẽto accepturos se dictitabant. ita nummus iactabatur,vitaq; cõmunis laborabat. Aurei scutati multo pluris solito æstimari ac permutari cœperant. Pulcher angustius adduxit,ac ad morem maiorum,diuíque Regis institutum

æſtimationémque eos edicto reuocauit. Hoc exactoribus,veterũmque vectigalium dominis mire gratum cõmodumq; erat: ſed ii obruebantur vnde petebatur. Lutetiæ plebs repentino furore percita, in ædes Stephani Barbatuli officinæ monetæ curatoris impetum fecit. Forte aberat,an fuga periculum vitarat. Domus direpta,expilataq;. Ac ne ipſe Rex temporum expers foret,Lutetiam ex bello Flãdrico regreſſus,clamore ſeditioſæ multitudinis propè fuit circunſeſſus. Miſſi ex aulicis qui curæ Regi dicerent fore,nequid detrimẽti caperetur à quoquam ex pecuniaria aliáve vlla re. Diſiecta in præſentia turba, mox authores tumultus capite luerunt. Lugduni etiã tumultus exortus. Lugdunẽſium Pontifex erat Petrus è finitima Sebuſianorum procerũ nobilitate. Controuerſia exorta inter eum Regioſq; Magiſtratus de Pontificia Regiáque iuriſdictione. Plus æquo ſibi aſſũmere Regiis videbatur: & ciues Lugdunẽſes ei aderant. Ludouicus Rex Nauarræ cũ exercitu ingenti miſſus,eam prouinciam confecit,Vtinus cognomine dictus: qua voce apud Francos patrio ſermone vis turbationis tumultusq; ſignificabatur. Pontifex perculſus, fidei Sabaudi Comitis,qui cum Regis filio aduenerat, ſe permiſit. Ita ſine certamine res cõpoſitæ,Pax vrbi clariſſimæ Pontificiq; data. Rex Pulcher deceſſit,anno eius ſeculi tertiodecimo. Ei ſucceſſit in Francorum Regnum VTINVS, qui matri ſucceſſerat in Nauarræ Campaniæque ac Bryæ opes. Ludouico igitur Vtino Rege,nulla prior actio quàm de Engerrano ſuſcepta eſt,quem populares authorem grauiſſimi tributi indicẽdi inſimulabant. Sed cæteri plus mali imprecari ei quàm creare poterant: Premendi hominis princeps inuentus eſt ex ipſa Regia Carolus Valeſii Comes,noui Regis patruus. Cauſſa atrocis odii, quòd dum apud Pulchrum cõtrouerſia eſſẽt inter duos ſummos Normaniæ proceres,Aricuriam,Tancredouillanúmque,alteri Engerranus,alteri Carolus aderat. Exorta contentione,exardeſcentibúsque ſtudiis mentiri Carolum Engerranus dixit. Id verbum nobilitati grauius omni vulnere, in memoria Caroli eouſque ſedit,vt viuo Pulchro fratre exequi dolorem non auſus,in rudimento Regni Ludouici Vtini vltionem petierit. Peculatus reum agere placuit. Ad Luparam ductus,interrogatusq; de pecunia publica,Regniq; tributis exactis, reſpondit perbonam partem ad ipſum Carolum Valeſii Comitem peruenisſe. Hoc reſponſum magis iritauit Carolum. Traductum ad Templariorum turrim accuſauit Iohannes Annalis fiducia Caroli,& tyrocinio Regis impotentius loquens, atq; ita verba fecit: Nullæ mihi cum Engerrano, niſi quæ & publicæ,inimicitiæ ſunt:nec hominẽ,ſed ſcelera perſequor. Conſenſu Franciæ cogor publicam ſalutem te Rege iudicéque defendere ab importuniſſimo homine: qui hactenus ſcelerum magnitudine tectus,neque vocari in ius poterat, neque cæteros vexare deſiſtebat. Tu iuſto pióque dolori mortalium mederi initio ſtatim Regni tui facilè potes,legésque huius audacia euerſas,huius pœnis immortalitate donare. Innocentiſſimus credatur,ſi quicquam ſceleris in homines ſuperósve reliqui fecit,quin cõſciuerit,auſus ſit,perpetrarit. Rebus hominibúsque orbis terrarum conſtat: Rerum vires neruusq;, pecunia eſt. Te interrogo Engerrane,cuiuſnam pecunia arcáve recondita, clauſáve cupiditati tuæ fuerit? Non interrogo quàm amplum tibi patrimonium

 relictum

relictum â parentibus ſit. Tu te creaſti: tu te genuiſti. Ingredere Fiſcum Rex: «
inopiam inuenies. Ingredere ædes iſtius gurgitis: gazam Perſicam reperies. «
An vero illa virtute parta? Quæ virtus in monſtro portentóque eſſe poteſt? «
At fortuna tibi attulit. Fœlices erant, qui te ignorabant. Nemo enim te no- «
uit niſi ſuo magno malo. Dices omnia ab omnibus tibi dono data, vt eis de- «
precator apud Regem tui diſſimillimũ adeſſes: fidemq; tuam venalem fuiſſe. «
Enumera data tibi munera, cauſſasq; munerum recenſe: conuincam vniuerſam «
vitam tuam latrocinium extitiſſe: niſi quòd non è latebris in ſingulos vim fa- «
ciebas: ſed in luce, in Regia, propalam, ex profeſſo de vniuerſis prædam ſpo- «
liaq; petebas. Vis ſcire vtrum Engerrano, an prædoni tibi dederint? Defuncto «
ſuperiore Rege optimo, ecquis te congreſſu, ſalutatione, colloquio dignum «
duxit? Si Engerrano, hoc eſt huic nequiſſimo corpori nemo bene vult: nimi- «
rum illa non munera, ſed præda, vi, aut, quod non procul à vi abeſt, metu, par- «
ta. Graſſare in viſcera noſtra, ſi tanta eſt diuitiarum, tâmque dira cupido. Vita «
illa communis quæ auribus Regis moderandis conſtat, in tuto ſit. Si eam tol- «
lis, quæ digna viuo pœna, quæ mortuo ignominia inuretur? Exemplũ in quo, «
quàm in te, iuſtius ſancietur? An expectamus dum aliquis te ſceleratior exo- «
riri queat, à quo pœnis exactis, vitæ lex, innocentiæ fiducia, ſceleratis terror, «
miſeris ſolatium conſtituatur? Illuc atrocitate peruenisti, quò nemo alius ſal- «
ua re Francica peruenire queat. Expectas viuorum iudicium, ſupremo ſupe- «
rioris Regis ſapientiſſimi iudicio condemnatus? Viuentis res vnus digito tem- «
perabas: Viuens falli potuit: Teſtamentum cõdens, in quo plura propè man- «
datariorum nomina, quàm tabularum literæ erant, te ne nominauit quidem: «
minime ambigua ſupremi ſilentii cauſſa. Te ſcilicet viui voce ſua abſoluent, «
tali tantóque morientis ſilentio damnatum? Sciebat, ſi diu ei ſupereſſes, ſtare «
Regnũ non poſſe. Meminerat (vt vetera obliuioni darentur) nouiſſimo Flan- «
drico bello grauiſſimi te tributi indicendi authorem copias in Flandrum du- «
xiſſe: ac ne viſis quidem hoſtibus re infecta rediſſe: cũ nullo negocio obruere «
Flandriam potuiſſemus. Qua tempeſtate conſtat te ab hoſte noſtro literas, «
munera, nuncios accepiſſe, eique conſilia noſtra, arcanásque res enunciaſſe. «
Non ad hoſtem tranſis, ſed hoſtium partibus fungẽs apud nos manes. Franciã «
ducis, reducis, circumagis, quò libido tua fert. Quis addere aliquid huic ſce- «
leri queat? Nullus alius poſſet. Tu omnes mortales importunitate multo antè «
ſuperaras. Iuſſus fueras Bonifacio numerare ſexaginta aureorum millia: quæ «
tibi appenſa, vbinam ſint, nouit arca tua illa, ſanguine noſtro, hoc eſt fortunis «
noſtris referta. Conqueramur cælum terræ mixtum, inuſtamq;, quæ nunquam «
eluetur, innocenti ſuperioris Regis memoriæ notam. Miſcuit mare cælo En- «
gerranus. Bonifacium perfidia tua nummariâque ſuppreſſione iritaſti, effera- «
ſtíque, tu rabida ac importuniſſima fera. Abs te è vulpe leo effectus in nos «
ſæuiit. Ingens hoc ſcelus: & in huius parricidii tui cogitatione inuitus ver- «
ſor. Sed veterem hunc furorem dices. Accipe non adeo vetus factum. Quin- «
decim millia pondo appendi tibi Rex Philippus iuſſerat, quæ refunderes, ſcis «
cur, Pontifici Clementi. Dediſſe te, ore illo tuo impudenti dic: conuinçam «
non data: oſtendam apud te etiam nunc obſignatis loculis aſſeruari. O auri «

» argentiq; altiſſimum gurgitem,profundam voraginem,inexplebilem oceanũ.
» O prodigium, ò portentum,ante te nunquam viſum,nunquam auditum. Tu
» Regem cum Pontificibus committis: Tu digladiari cogis. Seruauíſtne tandem
» fidem datam Clemens? Meminiſti quid pactus ſit,quid debuerit,quid factum,
» quid non factum oportuit. Lugdunum Romam,& in ſinum noſtrum euoca-
» ramus: Sedes Pontificia apud nos,interq; manus noſtras erat: Tu in Delphina-
» tium ditionẽ,in Allobrogesq;, exin Auenionem pellis,propiusq; mare fugas,
» vt quocunq; libuerit ſe conferat,ardeatq; cupiditate ſuæ ſedis Vrbi Romæ re-
» ſtituendæ. quod facturus fuerat tot abs te indignitatibus affectus,ſi longior ei
» vita contigiſſet. Sed quod tempus,quis locus,ſcelere tuo vacat? Franciam de-
» decoraſti: Romam iritaſti: Orbem terrarum perturbaſti. Quocunque oculos
» verto, flagitiorum tuorum veſtigia cerno. Corpus ſceleſtiſſima mente inqui-
» naſti. Manus,pedesq;,quid aliud q̃ teterrimi miniſtri flagitiorum, inſtrumenta
» feritatis ſunt? Hunc locum,vbi cauſſam dicis,non exhorreſcis? Hi parietes te
» accuſant,in te vociferantur. Sanguine tuo ſanciri maieſtatem Regiam, vindi-
» cariq; pericula expetunt. Intra quos,quod ante te vnum nunquam accidit,ob-
» ſeſſus fuit Philippus Rex, non ab hoſtibus,nobilibúsve telis,ſed à ſentina ple-
» bis,non ſuis vitiis (quid enim illo melius?)ſed tuis ſceleribus inuiſus. Luparam
» redibis,cuius es Præfectus? Nam te ipſe etiam arcibus,ſi ſuperis placet,præfe-
» ciſti. Eodem temporis momento quo Rex Philippus animam cælo reddebat,
» pecuniæ ingentem vim,teſtem latrociniorũ tuorum,ex Lupara domum ferre
» cœpiſti. In ædes Regias inſulæ Pariſienſis audebísne tu omnia auſus,pedẽ in-
» ferre? Ipſi lapides,quantumlibet muti,ipſa Regum ſtemmata,peculatus te ar-
» guent: ac,ſi queant,manũ iniicient. Eas ædes faciendas curaſti: inq; iis,nequid
» non auderes,ſtatuam tibi poſuiſti. Inſularũ dominos,re nõ ſoluta,domo præ-
» cipites egiſti. Tabernas quas publicas eſſe oportuerat, quòd publica pecunia
» fuerant emptæ,tibi addixiſti: tuoq; nomine elocas. Quod reliquum erat pecu
» niæ,quamq; vel publicis,vel Fiſci rationibus illatã oportuit,apud te etiã nunc
» eſſe,planum faciã,ſi neges. Sed neges,an fateare,quid intereſt? Vnus omnia po
» teſt Engerranus: ſolus dominatur. Scis iuſtiſſime Rex,viuo patre tuo Rege o-
» ptimo,hunc hominẽ,ſi homo dicendus eſt,tantos ſpiritus ſumpſiſſe,tantumq;
» dominatũ,vt nullus Regiis literis obediret,niſi coniuncta ab Engerrano epi-
» ſtola,quæ dicto audiẽtes eſſe iuberet. In primis coactores Regiæ pecuniæ mẽ-
» ſariiq;,cum quid cuiquã numerare à Rege iuſſi erãt,ne aſſem quidẽ deprom-
» pſiſſent,niſi Engerrano authore. Iubebat,vetabat. Miniſtri perſonam exuerat.
» Fœdiſſimus homo (vt hominem mentiar) Regem agebat: immò ſupra Reges
» aſcenderat. Conſtat Regem patrẽ tuum literas mandataq; ad Atrebatem Co-
» mitem dediſſe. Hic integerrimus ſcilicet vir,contraria mandata dedit: iuſſitq;
» Atrebatem aliter quàm Rex volebat, facere,nihil periculi ab Rege fore pol-
» licitus. Imperium Regis fruſtra viléque fuit: Engerrani ſanctiſſimum,grauiſſi-
» mũmque. Si neges,non modò id factum probabo: ſed etiam quæſtui tibi fu-
» iſſe. A Cameracenſibus enim publice mille pondo argenti,quæ Atrebati ap-
» penſa oportuit, ipſe tibi exegiſti. Adeo nullum genus rerum hominúmve
» omiſiſſe te arguo, quod ſcelere tuo non violaueris. Arguo te expilatæ pecu-

niæ, peculatus, latrocinii, infidelitatis, perfidiæ, maieſtatis: & quoniam ne à Pontificibus quidem abſtinuiſti, parricidii. Arguo ego? Arguit orbis terrarum. Nemo eſt cui ſua, liberorúmve vita iucūda futura ſit, ſi tibi impune fuerit, nefarie importunéque vitam egiſſe, & ſit poſteris ſimilia audendi, & nouorum ſemper Engerranorum propoſitum exemplum. Te enim abſoluto, quæ furia res inuadere non audebit imitatione tui, etiam ſi ſcelera æquare non poſſit? Hic vnus patris tui nomen, mortalium omnium optimi, terris inuiſum fecit immanitate atrocitatis ſuæ. Reddi mortuo ſua dignitas non poteſt hac fera viua. Nullam maiorem virtutis ſignificationē, iuſtitiæq; ſpecimen initio ſtatim imperii tui prębere potes, quàm Principe fontium punito, publicaq; peſte ſublata, certiſſimam ſalutis ſpem bonis omnibus oſtendere. Hæc Annalis. Engerranus magno ſe animo ad Luparam defenderat, ac veluti cū ſumma fiducia innocentiæ, propior exprobranti virtutem beneficiaq;, quàm reo. Nunc cernens crimina ſecundis auribus ab Rege accipi, ſe rei capitalis, non pecuniariæ, exiſtimationísve reum agi: velut certa, ſi nimis ſplendoris ſui memor eſſet, cruce ante oculos obuerſante, in quam demiſſiſſimā potuit humilitatem ſe deiiciens, ita exorſus eſt · Deum Optimum Maximum precor, vti quemadmodum ante te Regem à patris tui Regis optimi hoſtibus me ſæpenumero difficillimis Franciæ temporibus tutatus eſt: ita nunc te Rege, ab hominum errore tegat: qui me mortalium ditiſſimum falſò rati, non pecuniæ, ſed capitis arceſſunt. Miſerrimus omniū mortalium forem, ſi alio quàm te iudice fiderem. Eadem verborum aſperitate inuidiam in me vulgi, à quo accuſare coactum ſe videri vult, conflauit Annalis, qua te de gradu manſuetudinis mouere conatur, Regniq; tui initia ſanguine meo conſecrare: ac repetito Bonifaciano crimine, patrē tuum Regem etiam fato functum per ſimulationem nominis mei deferendi, nefarie criminari. Deus auſpicatiora tibi primordia det, ac meliora faxit gloriæ optimi patris tui, quàm vt in meo capite damnetur eius memoria: ac ſuperſtite miniſtro iugulato, æterna ignominia mortuo inuratur abs te Rege exemplū poſteris præbituro, quid in defunctos Reges liceat, quid non liceat. Verſetur, oro, ante oculos tuos, non circumactū modò tempus, ſed omnium mortalium poſteritas, qui cauſſam meam præiudicium patris tui ſancti an ſecus cenſendi exiſtimabunt. Qualem miniſtrū eius intimum iudicaris, talem illius animum fuiſſe te iudice cenſebunt. Pedes manusq; Regum miniſtri ſumus. Nos ſi accuſari pateris ab iis qui patris nomen deferre auribus tuis non audent, cum alibi incuſare non deſinant: Regem patrem accuſari, extendiq; in omnia futura ſecula ignominiam eius pateris. Ego enim nomine meo reſpondere facilè poſſum, ſi, vt facis, attente benigneq; audias, ad ſalutem innocentiæ dandam, quàm ad miſerorum ſanguinem inuidiæ præbendū pronior. Diuitiarum fama omnibus inuidioſa eſt. Summas diuitias, & innocentiam in Regiis miniſtris, procuratoribusq; aulicis eſſe ſimul poſſe inficiantur. Interdicatur igitur tibi liberalitate, benignitate. Donas multa multis. Nullus dies beneficio tuo vacat. Cauſſam lege Cincia non dico: nec quæſtio hæc conſtituta eſt, vtrum acceperim munera, ſed vtrum proditor acceperim, id demum quærendum eſt. Hæc perbreuis defenſio eſt mea. Rex vero

» pater tuus,cuius nomini parcens Annalis,re grauis accuſator eſt:ſi reuiuiſcat, 45
» ſe facilè purget.Audires eum Rex Regem ſic dicentem · Ecquid alieno no-
» mine ſubiecto, me Annalis inſectaris? Itá ne mortui Reges cauſſam dicimus?
» & apud filium pater accuſor?Dum viuerem,ſacroſancti concilii ac orbis ter-
» rarum conſenſu Bonifaciano crimine liberatus,nunc poſt fata inſimulor.Iam
» non Engerranum, ſed me, ſed memoriam mei Annalis accuſat. Nimis infen- 50
» ſe atrociterq; inſectatur,cum Pontificatum maximum me extraxiſſe in Fran-
» ciam, Vrbi Romæ extorſiſſe criminatur. Qua in re ne ſibi quidem conſtat:
» vt res ipſa,oratióque eius hoc crimen refellat, nec meam orationem deſide-
» ret: cum adeo liberum Pontificem Maximum ipſe prædicet, vt in Allobro-
» ges,atque inde Auenionem,& propius mare concederet. Meliora ominetur 55
» Annalis: nec hanc mentem Deus dederit Francorum Regiæ, vt propugnare
» tutaríque ſedem Petri ſolita, quicquam in eam nefarie moliri,vere inſimulari
» poſſit. Iactet fama,perſtringat rumor: quod cuiuſque audaciæ temeritatíque
» libet, fingat, ſpargat, edat in vulgus: vitium morbúsque temporum ille, non
» meus fuit. Res quo ſanctiores ſunt, eo ſæpius ſæuiúsque iactantur: cæteræ, 60
» quòd temporibus magis ſeruiant, tutius agunt. Nauis eccleſiæ ſacra ſuas &
» ipſa, eásque ſæuas tempeſtates habet: ſuos fluctus, ſuos æſtus: agitatur, quaſ-
» ſatur, ſæpius in altum reiicitur: in portu perraro ac breui conquieſcit. Tem-
» peſtas illa Bonifacianorum temporum, non ex me exorta: ſed aut libidine
» fortunæ, aut diuino mortalibúsque ignoto conſilio. Quid quòd Flandricus 65
» etiam tumultus mihi in Engerrano crimini datur? O felicem optandúmque
» omnibus belli exitum. Poteram euertere Flandriam: Seruator eius quàm ex-
» ciſor vocitari malui. Ea in re virtutis gloriam, ſed multo maiorem clemen-
» tiæ tuli: vici, idq; incruento milite meo, nulla hoſtium cæde: quos quia de-
» lere poteram,quum vita donarim,quis id ſcelus Engerrani dicat, quia ea laus 70
» mea eſt?Supplices veniebant,aſpernarer? Iratus arma ceperam:Flandriæ euer-
» tendæ impetus me ſubierat: vici iram meam, vbi ſupplicem Comitem nun-
» cios ſupplices mittere audiui.Vbi autem virtus in Rege elucebit magis,quàm
» vbi animo ſuo imperat? ſuámmet ipſius cupiditatem cruoris hauriendi fre-
» nat, coërcet, inhibet? Quis cæteris digne imperabit, ſibi imperare neſcius? 75
» Placaui primùm ipſe me: domui vltro ſpiritus meos: ſed ita tamen, vt ad-
» huc iratus videri vellem, quò Comes ſubmiſſior fieret. Videri infenſus ad-
» huc volebam. Nec id etiam Francico nomini dedecori fuit, quòd hoſtis ad
» me deprecatores mittens, non admiſſus à me, ſed ab vno meorum muneri-
» bus creditur tectus. Ita enim ad exiſtimationem dignitatêmque conſeruan- 80
» dam plerunque neceſſe eſt,vt cum Reges pacato animo ſimus, interdum fu-
» rere in aliquem credi velimus: quémque ſimulanter propalam repulerimus,
» eum quaſi nobis inuitis recipi audiríque clandeſtino imperio iubeamus.Hoc
» eſt cur,cum ignoretur quid factum voluerimus,proditi plerunque credamur.
» Nec vllus adeo felix fideliſq; Regum miniſter eſt, quin aliquando nobis ex- 85
» pediat eum officio decedere falſò credi.Ab regibus omnes omnia petere au-
» dent:& cum nullus ſit petendi pudor,liberũ nobis nolunt locum denegandi.
» Reges ſalutamur,cum ſerui ſimus modeſtis immodeſtísque hominum votis.

XLVI. LVDOVICVS VTINVS. Moribus

Moribus receptum eſt, eſſe aliquod tandem frenum, quod inhibeat non vo- «
cem Regum, ſed cupiditatem hominum. Maria montésque ſibi quiſque ab «
Rege ſponderi vult. Non ſit fraudi capitali, eſſe aliquem qui ſalua maieſtate «
noſtra, inuidia vero ſua, ſtatuat quid cuique promi poſſit benignitatis noſtræ. «
Extorquebant à me permulti, vt & abs te fili Rex extorquebunt, literas qui- «
bus iuberem aureos montes appendi. Erat mihi Engerranus non ab ſe mihi «
inculcatus, ſed à me delectus, vt & tibi aliquod erit neceſſarium ad frenan- «
dam cupiditatem adiumentum. Menſarii qui illi parebant, mihi aliud iubere «
coacto, aliud ſentienti, parebant. Nec mirari poterant meis tunc audiri regis «
literas, cum teſtis Engerranus erat meæ voluntatis. Bonifacio noli queri fili
nihil datum: nihil illi debui. Clementi plura perſolui quàm debui. Atrebatem «
Comitem non moleſte tuli mihi non paruiſſe ea in re, quam, vt pleraq; alia, «
nolens fieri volebam. Cameracenſem pecuniam æquius fuit meis quàm Atre- «
bati numerari. Hæc optimus Rex, cuius nomine nihil tibi tali filio charius «
eſt, probaret. Tibi vero Annalis hæc ego reſpondere Rege illo mortuo non «
poſſum. Eo viuo, liberalitatẽ eius mea falſa infamia texiſſem. Ac nunc ſi pre- «
mis, falſa confeſſione tegam. Multa criminaris à me contrà quàm illi placue- «
rit facta. Eam in arcanis rationem viuo redderem, quam mortuo ne palã red- «
dam, eius maieſtas facit. O miſerum me. Capitis cauſſam dico. Sanguis meus «
animâque petitur: nec fas eſt ea quæ ad ſalutem meam pertinent, exprome- «
re. Aliud accuſatori, aliud iudici dicendum eſt. Alia viuis reddenda eſt ratio, «
alia mortuo, ſi ex defunctis exiſtat, qui vnus eſſe iudex poterat. Arcana rerum «
quæ cum illo ſunt extincta, me tutarentur: nec voce mea, ſed ſilentio opus «
eſſet apud rerum omnium gnarum. Quò me vertam? O conditionem Re- «
giorum miniſtrorum infelicem. Crimina in caput noſtrum intenta, voce cõ- «
fitemur: animo aliter affecti ſumus. Multum in caput meum vidiſti Annalis: ad «
Philippum Regem me non vocaras, quia cum omnia aut in eius oculis, aut in «
ore eorum geſſiſſem, quibus videntibus Rex ipſe videbat: niſi facta voluiſſet, «
non expectaſſet dum me arriperes: ipſe ſe vltus eſſet. Sed videbas, ſi me preſ- «
ſiſſes, te illius iuſſa damnare. Nunc me abſolutum illius ſilentio, qui idem te- «
ſtis iudéxque vnus erat, ad filium Regem vocas. Quid agam miſer? Quem «
appellem? Tu mitiſſime Rex, patere abs te ad patrem tuum æquiſſimum, quiq; «
falli non poſſit, iudicem prouocare. Apud reliquos omnes contra quàm vo- «
lens voluerit factitaſſe dicar: Fatebor & id falſò. Non recuſo ignominiã quæ «
defuncti memoriæ honori ſit: dummodo ſit incruenta. Abſolutum me à pa- «
tre tuo ne repete. In me Rex defunctus accuſatur: nec mors iudicium extin- «
guit, ſed gignit. Vulgi voces, ignobilem fremitum, muſſitationémque impe- «
ritorum exiſtima. Per ſe populus eſt corpus ſine pectore. Cor, vitaléque ac «
ſpiritus populi, Rex eſt. Alii perturbent populum: Rex vultu ſuo pacabit. Tu «
Annalis me accuſaſti. Satiſfeciſti vel populi vel cuiuſuis alterius iuſto an in- «
iuſto dolori. Quid enim neceſſe eſt me retractare exulcerareq; vulnera mea? «
Crimina, vel falſo, confeſſus ſum. Viciſti, pete ſanctiorem victoriam, incruen- «
támque palmam. Miſerere ſolitudinis. Initia Regis lenitate imbuta velis. Si- «
lentium Philippi Regis, ac ſupremæ tabulæ nihil me incuſantes, liberauerunt. «

» Si pecuniæ meæ multo minores fama quenquam offendunt, non capite, ſed
» pecunia anquiratur. Fatetur Annalis eſſe apud me integram obſignatísque in
» fiſcis pecuniam: Bene habet. Non reſignaui, non deprompſi. Mihi igitur non
» habeo, tibi habeo, Rex mitiſſime. Neque hos parietes perhorreſco. Vulgi tu-
» multum cõtempſit hoc loco pater tuus: non meum aut cuiuſquam caput illi
» dedit. Concitatam plebem & ſeueritate & prudentia domuit. Sunt & alia re-
» media tibi non ignota. Aedes Regias à me extructas ingredi cur formidem?
» Nullus in illis pedem ponet niſi beneficii patris tui, & diligẽtiæ meæ memor.
» Illæ, rex Clementiſſime, obuerſentur animo tuo ad Architecti potius caput
» tegendum, quàm ad illas ſanguine eius fœdandas, & abominabiles efficiendas.
» Supplex procumbo ad manſuetiſſimos pedes tuos. Miſerere laborũ, fidei, pe-
» riculorũ. Datam à Deo optimo maximo vitam, tu Rex clementiſſime redde
» ex telis hoſtium patris tui perſæpe ſeruatam. Sis recreator meus. Sic primor-
» dia Regni tui fauſta feliciaq; ſint. Sic lætiores ſemper dies illuceſcant. Ac tam
» ſecunda tempora tibi det omnipotẽs, vt velle palam poſſis quicquid vere vo-
» lueris: ac eouſq; fœlices habeas miniſtros, vt valeant efficere non modò quod
» te velle, ſed etiam quod omnibus mortalibus placere ſentient. Hac actione
nihil conſtitutum. Reductus eſt Engerranus, & quia fides criminum non fie-
bat, & quia turpe erat à pedibus noui Regis ſupplicem ad ſuppliciũ abſtrahi.
Ad iudices legesq; reiecta cauſſa, cum trahitur ampliaturq;, dicitur deprehen-
ſa eſſe Engerrani vxor, quæ Pauioto Mago præceptore ſimulacrum cereum
fingeret, quod leui igni admoueret, vt eo paulatim liqueſcente, perinde ſenſim
ac lenta tabe Rex deperiret. Magi vero an falſo crimine gula fracta: & Enger-
ranus furca ſuſpenſus. Ad hoc ſtatua quæ ad ſummos gradus Regiæ poſita ei
fuerat, amota. Locus vacuus, baſisq; inanis viſitur. Mox illos quibus gaudio fue
rat ſupplicium viri, deſiderium eius cepit: & inſecuta mala, diuinæ ex Enger-
rani nece iræ attribuebantur. Carolus Comes graui morbo correptus, cũ nec
extingueretur, nec vlla ope humana leuaretur, pœnas defuncto dare diuturno
ſupplicio miſerrime animam trahens videbatur. Nullum igitur erga inopes
liberalitatis, nullum in ſuperos, templáque, nullum pro Engerrano deprecа-
tionis obſecrationisq; genus omiſit. Rex ſacram meditabatur militiam, quòd
à patre Rege moriente de eo bello, votoq; quo ſe obſtrinxerat, vel poſt fata
ſua ſoluendo, ſuprema mandata acceperat: ac Regia Francorum religione de-
uincta teneri videbatur, quòd eo nomine Pulcher Rex decimas de ſacerdo-
tibus coëgerat, filiũmque obteſtari non deſiuerat, vt non in Regnum tantum,
ſed & in ſacrã cauſſam ſuccedere ſe æquum cenſeret. Res Chriſtiana parente
orbata erat. Mortuo Clemente ſacrum Interregnum duodecimũ iam men-
ſem tenebat. Vtinus Rex diſcordes purpuratos patres, miſſo ad eos fratre Lon-
go, adduxit, vt modum tandem diſſenſionum facerent, ac in commune con-
ſulerent. Epiſcopus Cadurcorum ſedi Petri impoſitus, Iohannes alter & vice-
ſimus dictus. Pontificatus hic erit ſolicitudinis, variorumq; ac magnorum mo
tuum plenus. Vtini Regnum breuis æui fuit. altero Regni ſui anno deceſſit,
Clementia vxore grauida relicta: vnde natus Iohannes octo tantum dies vixit.
Longus Vtini frater, & ventris procurationẽ, & infantis tutelam geſſit. Mor-

 tuo pu-

tuo pupillo Iohanne, reliqua erat Vtini ſoboles Iohanna ex Margarita Roberti Burgundiæ Ducis filia procreata. Huic puellæ iure & paterno & fraterno deberi Regnum prædicabat Odo Burgundiæ Dux, eius auunculus. Cæteri Francorum proceres defendebant ius regni Franciæ virorum tantum, non etiam mulierum eſſe: Legis Salicæ verba hæc identidem recitantes: IN TERRAM SALICAM MVLIERES NE SVCCEDANT. Terram Salicam, Regnum, Franciámque eſſe interpretabantur. Salios Francorum gentem fuiſſe Ammianus Marcellinus refert, Iuliani Auguſti, qui res in Gallia geſſit, comes, ac ſuorum temporum ſcriptor. Conſenſu Francicæ nobilitatis permotus Burgundio, in eorum authoritate, Longíque poteſtate futurum ſe profeſſus, gener etiam ab eo adſcitus eſt, ac opibus auctus. LONGVS enim Rex nemine vltrà contratendente ſalutatus, ſacratuſq;, trium filiarum maximam illi deſpondit, dote Burgundiæ Comitatu: in quem defuncto Othone auo materno, Robertóque auunculo, ea virgo ſucceſſerat. Filia Longi ſecunda nupſit Ludouico Roberti Flandri Comitis ex filio nepoti: eidem materno iure Comiti Niuernẽſi. Tertia Viennenſi Delphino: ita ſuos Principes vocitabant Allobroges. Iohanna Vtini filia nubet Ludouico Comiti Eburouicum, eúmque nuptiis ſuis faciet Nauarræ Regem. Agente per legatos Pontifice Maximo, Flandro Comiti pax eiſdem quibus rege Philippo Pulchro conditionibus data: tantum diſertius cautum, decies centum milia nummûm aureorum Flandrus Regi Franco perſolueret intra viginti annos, æquis in ſingulos penſionibus. Interea Francorum præſidiis tenerentur Inſula, Betunia, Aduatici. Nomen exin ſacri belli renatum. Pontifex Longo Regi petenti ius decimæ ad ſacram militiam de ſacerdotibus exigendæ, hac verborum conceptione, exceptioneq; conceſſit, ſi è re pietateq; id eſſe Epiſcopis Francis videretur. Habito patrum conuentu, reſponſum eſt, cũ bellum in Barbaram religionem ſacrum vtiq; moueretur, tunc patres aut ſub ſignis Regem, nulla ſacroſanctæ vacationis venia, impigre iuſtóque comitatu ſecuturos, aut ſacrum æs minime parce collaturos. Præſcriptio ſacrorum armorum aliò ſpectauit: Pontifex hoſtem iudicat Ludouicum Bauariæ Ducẽ. Ius Cæſarei nominis in controuerſia verſabatur. Duo ſummi viri, Cæſares ſe vocitabant, Ludouicus, Fœdericusq;: hic Auſtriæ, ille Bauariæ, Duces: paribus vterque procerum ſuffragiis lecti. Genuenſes exules vt in patriam reducerentur, opem à Matthæo Vicecomite, principe Gibellinæ factionis, eodem Imperii, vt edocuimus, Vicario, petebant. Miſit cum copiis Marcum filium, impigrum iuuenem. Is vrbe obſeſſa recipi exules iubebat, eisq; bona reddi. Si ſemel exactos reciperent, non dubium erat ipſos pari ſorte legéque in exilium abituros. Fidem Pontificis Maximi implorant, orant vt ſupplices ab iniuria ac maleficio tutaretur. Denunciari Pontifex Marco iuſſit, vt ab Eccleſiæ Romanæ ſupplicibus vim abſtineret. Si quid æqui habere ſe exiſtimaret, amoto exercitu, verbis, ſacroſancta poteſtate cognoſcente, edoceret: eam ita ſupplices calamitoſosq; audire, miſerariq; ſolitam, vt leges tamen coli, iuraq; ſua cuique ſancte ſeruari velit. Non paruit dicto armatus iuuenis, arbitrii Cæſaris, nõ Pontificis Maximi rem Genuenſem eſſe dictitans. Pontifex velut nullodum certo

XLVII. PHILIPPVS LONGVS.

Cæſare, arbitrium rerum etiam profanarum penes ſe ſacroſanctæ poteſtatis iure eſſe prædicans, Marcum hoſtem impiúmque iudicat: bellumq; in Vicecomites decretũ. Quod vt ſolum depoſitis cæteris curis geri poſſet, Pontifex componere inter Fœdericum Tarraconenſem & Robertum Regem res conatus, perſuaſit Tarraconenſi vt Rhegium, quam vrbem de Francis cepiſſet, quandò vt ipſi Roberto redderet, neque authoritate, neque precibus, neque vlla alia ratione adduci poſſet: ſibi, cuius ſummus dominatus in Siciliæ Regnum, contributásque illi regiones imperiúmque eſſet, traderet. Acceptum Rhegium ipſe aliquanto pòſt Roberto tradidit. Qua ex re Tarraconenſes fidem Pontificis fando damnant. Pontifex ſe cauſſa cognita, cum id ſui iuris arbitriique foret, rem iuſto domino reſtituiſſe defendebat: nec fas fuiſſe, ſe, cum ſequeſter, cum iudex foret, vrbem de qua ambigebatur, diutius quàm fides poſtularet, poſſidere: ac in ſuammet ipſius rem, litem vertere: id ſordiũ, id perfidiæ, id ſceleris futurum fuiſſe. Robertus quindecim ſuorum, decem Pontificis nauium claſſe Genuã tenuit. Non ſoluebatur tamen tantæ vrbis obſidio: tam validæ erant Vicecomitum opes, tam ferox Marci animus, tanta exulum alacritas. Abduci poſſe videbantur, ſi terror Mediolano iniiceretur. Philippus Caroli Valeſii Comitis filius, Roberti Regis ſorore procreatus, in Italiam cũ paucis turmis præceſſit, reliquo exercitu ſegnius iter faciente. Oppida ſubalpina ſe eius poteſtati fideiq; permiſere. Vlteriora petebat. Inter Nouariam & Vercellas iam conſederat, expectaturus ſuũ iuſtum exercitum. Galeatius Matthæi filius tutius ratus fidem quàm arma Francorum experiri, miſſis oratoribus ſe in Franci Regis authoritate de omnibus controuerſiis fore profeſſus, eum adduxit, vt pacatus Italia decederet. Domum regreſſus, Regem Francum graui morbo implicitum offendit. Peſtilentia ingẽs exorta: fraudéque humana potius quàm vitio cæli, iráve Numinis credebatur id malum ſæuire. Fama tenet, Iudæos, quod peruicax hominum genus, ac execrabili in nos odio furens, è Francia exegerat Pulcher Rex, ab Vtino filio mox Rege receptos: & vt priſtinum exilium ſuum, bonáque direpta vlciſcerentur, & priori ſimilem rebus ſuis fortunam præmetuẽtes, ab Regibus præterea Satrapisq; Turcarum Saracenorumq; pecunia accepta, elephantiacis, qui ſtipe mẽdicanda vagi victitarent, perſuaſiſſe, vt venena in puteos ſpargerent. Horum quamplurimi cõprehenſi: quæſtione habita, de confeſſis ſupplicium ſumptum. Iudæi quoque in cuſtodiam, alii aliò diuiſi. Qui eorum Vitriaci in carcere aſſeruabantur, nõ dubii peſtem ſibi à noſtris inſtare: quem ex numero ſuo virum optimum iudicarunt, eum delegerunt, vt eius manu vitæ finem facerent. Conſenuerat & ætate, & viribus: adiutorem ſibi iuuenem robore præſtantem depopoſcit ad cædem perpetrandam. Ii duo cæteros ſe morti vltro offerentes cõpreſſis faucibus necarunt. Deinde ſenex exorauit iuuenem, vt eius dextra caderet. Is iam vnus ſupererat, nec habebat qui ſe vindicaret à ludibriis morteq; arbitrio noſtrorum obeunda. Ad tignum feneſtræ editiſſimæ partim reuulſis, partim ita patefactis clatris, vt exitus liber foret, reſti religatæ inſerta ceruice, ſe ſuſpendio demiſit: ſed graui caſu laqueo prius quàm gula fracto, in ſubiectam foſſam decidit, cruſq; fregit. Ad ſtrepitum excitati cuſtodes eum excepere. Furca in-

teriit. Nihilo secius vis morbi iam visceribus insidens, multos mortales absumpsit. Anno eius seculi primo & vicesimo Rex Longus obiit, nulla ex se virili prole. Successit eius frater CAROLVS PVLCHER. Carolo Pulchro Regi nihil antiquius fuit, quàm vt legum magistratuûmque moderatione omnia regerentur. Et pestilentia, & morte Regum, & vitio temporum licentiã vires nactam nihil sibi non arrogare: Regiam maiestatem apud animos popularium parum iam ponderis habere: Id indignum: id non ferendum. Causſam enim creandorũ Regum nullam fuisse, nisi vt ~~societas humana vnius~~ alicuius capitis sapientia fidéque coniuncta conspiransq; ~~teneretur~~. Si leges per se audaciam coërcere possent, illis semel incisis propositisq;, satis cautum prospectumq; generi humano videri potuisse. Cum vero nullus interdum iuris pudor, nulla sæpe legum reuerentia mortalibus esset, summos viros Reges institutos, qui pro illarum imperio regiminéque arma ferrent. Datum solium, datum sceptrum, vtramque sacram vtique rem, vt cognoscerent, vt statuerent, vt iura redderent, iudicia exercerent: vt Numinis munere ea in re ipsi fungerentur. Vbi parum maiestate, parum imperio valerent, data illis signa, datos exercitus: Inter bonos sanctissimum pignus vinculúmque esse fœdus proborum morum, institutorumq;: sceleratos terrore, malóque frenari, aut prorsus tolli, si forte sanari, si cohiberi tandem nõ queant: Nec regna vlla diuturna nisi præsidio legum firmata. Humilium supplicia necessaria esse vbi res postulet: sed de nobilibus fontibus illustres pœnas propalam sumptas, oculos animósque mortalium magis mouere, splendidioréque exemplo afficere. Magnorum virorum peccata vulgo proposita esse ad imitandum: & vt publico fœdere, cõmuniq; causſa, idem cæteris, quod illis, ius, fasq; videri. Necesse igitur & monumenta plectendorum scelerum, terrorésque in clarissimis ceruicibus statui: vt quod vindicatum in summis sit, id in se dissimulatum minime iri vulgus sentiat: & qui metus malis sit, bonis, salutiq; publicæ sit fiducia: quibus duabus rebus communis vita cõstet. Iordanes Iohanni Pontifici Maximo necessitudine affinitatéque iunctus, multa flagitiose sceleratéque factitarat, quæ semel precibus tanti affinis condonata fuerant. Deintegro furenti, non eadem venia data. Regium apparitorem diem illi dicentem occidit. eam ob noxam iussus sui copiam in iure facere, pari atque antea spe Lutetiam summis cum precatoribus venit: clausſas Regis aures gratiæ offendit: reste luit. Iordanem hunc vitricum Iohannis Pontificis Maximi fuisse scribunt. sed Iohannes maior septuaginta annis sedere cœpit. vitricum igitur annis confectum crediderim, nec eum Iordanẽ. Ludouicus Niuernensis Comes morte Roberti Comitis, quòd ipse ex maximo natu filio ante obitũ patris defuncto nepos esset, mota cum patruo de Comitatu Flandriæ controuersia, antequam ea iudicio Patrũ Parisiensiũ dirimeretur, aut in regis verba iuraret, ausus Comes Flandriæ scribere, ac iusiurandum fidelitatis à suis exigere, euocatus Lutetiam in custodiam coniectus, ac in Lupara arce ~~asseruatus, cũ satis pœnarum~~ metu suspensus dedisse videretur: vxoris gratiæ, quæ filia Longi Regis esset, condonatus, ac causſa cognita, iure Comitatus Flandriæ in fidem receptus, sacramento sanctissimo se deuinxit, & seueritatem & clementiam Regis expertus. In Aqui-

tania Hugo Penſacenſis non conſulto Rege Franco arcem loco rebus bello gerendis idoneo ædificabat: ad iudicium vocatus,eam cauſſam non eſſe Regis Franci cognitionis iurisdictionisq; iactabat: in ſolo Regis Angli aream ſe occupaſſe. Francus,cuius ſummum in Aquitania imperium eſſet,præſidio arcem inchoatam occupauit. Hugo auxilio Anglorum Francos loco deturbat: quoſdam etiã occidit. Iam non inter priuatæ nobilitatis viros,ſed inter Reges bellũ videri. Mittit ad Anglum Francus,vt ſontes dedat,ſi ſe purgatum velit. Almericus Angli Regis frater Lutetiam venit,precibus ſe profecturũ aliquid ratus. Stat ſententia Franco, non dare abſentibus veniam: Penſacenſis ſiſteretur apud patres Pariſienſes: cum vel inficiantem, vel confitentem audiſſet, tunc ſtatuturum ſe quatenus animaduertendum,quatenus ignoſcẽdum. Non cognita cauſſa ſtatui nihil pro dignitate poſſe: nec veniam niſi faſſis ſupplicibusq; dari ſolitam: vt peccato ſuo perituri,ſciant ſe ignoſcentis beneficio miſericordiaq; viuere. Cum deprecandi finem Anglus non faceret, Francus Iohannem Arblaum cum eo in Aquitaniam mittit, qui cauſſam Penſacenſis in re præſenti coramq; cognoſceret. Quò cum peruentum eſſet,conſediſſetq; ad cauſſam cognoſcendam Iohannes: ea ita agi cœpta eſt, vt armis,non iure fretum Hugonem facilè perſpiceret. Ita re infecta ad Regem rediit. Armis vis coërcenda erat. Carolus Valeſii Comes, Regis patruus, ſibi morbo liberatus viſus,eam prouinciam ſuſcepit. In Penſacenſem duxit: eum in armis occurrẽtem,auxiliisq; Anglicis ſubnixum fudit, fugauítque. Penſacum expugnat,diruitq;. Arcem,ob quam bellum ortum,recuperat,firmatq; validiore præſidio. Agenum ipſorum voluntate, & Riolam metu recepit. Omnis Aquitania in fidem redit,præter Burdegalam,Baionamq;,ac Fanum Seueræ: & hæc ipſa in ingenti metu erant. Eduardus Rex Anglus minime Regii animi fuiſſe fertur, nec bello fœlix. Ignominiam à Scotis acceperat,quos pater eius maiorésque ſæpe fuderant. Curam,ſummamq; omnium rerum demandarat Hugoni amicorum principi. Huius arbitrio cuncta agebãtur,magno dolore popularium: quòd ei vni ſe Rex velut manciparat, procerum authoritate ſpreta. Regina quoque Anglorum Iſabella Regum Francorum & filia & ſoror, nihil apud virum gratia, precibus,admonitionéve poterat. primũ illam indignitatem tacita tulit: deinde patientia muliebri in iram verſa,ſecedere à Rege viro ſtatuit cum paucis matronis,ac aliquot gentis proceribus,qui & ipſi angebantur,nec ferre diutius poterant Hugonis noui hominis impotentiam. Re communicata cum illis,per cauſſam religionis,votiq; ſoluendi,à viro Rege profecta,Cantium petit, diuúmque martyrem venerata in Franciam tranſmiſit ad fratrem Regem Francum. Ab eo impetrauit,vt filium Eduardum adoleſcentulum egregiæ indolis,quem vt auunculum viſeret ſecum duxerat,in fidem reciperet, Ducémque Aquitaniæ inſtitueret. Summo in honore ac charitate & mater & filius habiti. Iohannes Hilermi Comitis Annoniæ,cui Caroli Valeſii Comitis filia Iohanna nupſerat,frater, eos claſſe in Angliam reſtituit. Ex procuratione rerum deiectus,ac ad ſupplicium traditus Hugo. Eduardus adoleſcẽtulus viuo patre,atque adeo in ordinem coacto,Rex ſalutatus,coronatúsque, in matrimonium accepit Philippam filiã Comitis Annonis. Carolus Comes

Valeſii vi morbi quæ in præſens reſederat, rurſus graſſante, nullum religionis munus, nullas cæleſtium pacis impetrandæ partes omittens, exorauit Regem Francum, vt Engerrani propinquis redderetur illius corpus furca refixum: eiq; ample magnificeq;, ſummaq; religione ſuis ipſe impenſis funus fecit, iuſtáque perſoluit, ne morte ſua illi parentaret. ſic quoq; continuò obiit. Carolus Rex & virtutis & clementiæ laudem fructúmque ad eam diem tulit. Exin aduerſo rumore fuit, quòd ſacri in Ludouicum Bauarum belli nomine decimas de ſacerdotibus Francis petenti Pontifici maximo Iohanni, cum primùm denegaſſet, pactione deinde expugnatus conceſſiſſet, vt in partem ipſe veniret. Bauarum & Vicecomites Iohannes Pontifex ſacroſanctæ poteſtatis hoſtes impiosq; iudicarat. Vicecomites Philippo Valeſio polliciti fuerant de rebus Genuenſibus ſtaturos ſe arbitrio Regis Frãci: quod is decreuiſſet, id ſibi ſanctum ratumq; futurum. Deducto ex Subalpinis Francico exercitu, mortuo Longo Rege Franco, acrius quàm antè, Genuam premebant: nec obſidionem omiſere, niſi aliquot præliis naualibus terreſtribúsque victi, ac tædio diffidentiáque feſſi. Quæ vero vrbes Subalpinæ Longobardiæq; fidem Francorũ Pontificisq; maximi ſecutæ fuerant, eas partim in poteſtatem Vicecomites redigebãt, partim territabant. Viri fortes, duces egregii erant, auidi imperii: & Italia domeſticis diſſenſionibus lacera, eorum conatui locum & cupiditati dabat. Legatũ copiásque Pontifex in eos miſit. Bauarus, quòd iura Imperii à Pontificis Robertíque Regis cupiditate tutari ſe prædicabat, quam maximis poterat viribus illos iuuabat, tegebátque. Carolo Pulchro Rege fuere ſublimia ingenia, eruditiſſimíque viri. Seculum illud literatura floruit. Erant ex iis viri vere ſancti. Erant, qui dum cæteros anteire improuide contendunt, nec modum faciunt, noſcúntve, impii euaſere. Erant de quorum moribus conſilióque anceps ſit coniectura. Sanctis mala temporum dolori erant: taciti mœrebant. Ii vero qui Fraterculi vocabantur, diuitias eccleſiaſticas fando ſcribendóque damnabant: purpurã, opes, dominatũ, à religione aliena eſſe prædicabant. CHRISTVM dominum, Deumq;, nihil in terris, quod ſuum diceret, habuiſſe. Apoſtolos eadem qua ſeruatorem CHRISTVM paupertate fuiſſe. Non exemplũ modò, ſed & legem eandem ſucceſſoribus datam. Ius ſacerdotibus nullum eſſe facultatum potiendarum. Hanc ſententiam Iohannes Pontifex impiam cenſuit, damnauitq;. Illi Pontificẽ impia hæreſi laborare prædicabant, qui id quod CHRISTVS dominus deusq; ſanxiſſet, ipſe impietatis inſimularet. Eò contentionis deuenere, vt Iohannem, quòd de religione, de Numine impie ſentire eum dicerent, Pontificem eſſe negarent, ac velut ſolio Pontificio vacuo, creandum Pontificem nouum verumq; contenderent. Occamus Theologus Minor cum Auguſtorum iura copioſe tutaretur, in Iohannem Pontificem monumenta edidit atrocia, quæ extant: eum non criminibus modò, ſed maledictis lacerans. Intemperantia lapſus ſcribit eum contendiſſe elaboraſſeq; vt Romanum Imperium vel ſibi ſubiiceret, vel penitus laceraret. His enim verbis inuehitur. Eundem impiæ hæreſis coarguit, veróne, an eo quoq; falſo crimine. Bauarus velut Pontificio interregno, ſuarum eſſe partium prædicabat, vt ſacro ſolio inſidendo ſuus veruſq; Pontifex daretur. Victo acie captóque

Fœderico Imperii æmulo, in Italiam anno eius ſeculi viceſimoſeptimo profectus, magnifice apparatiſſiméque exceptus Mediolani eſt. in diui Ambroſii æde, ſubſeruientibus Vicecomitibus, ab eius ciuitatis Pontifice ſecunda corona redimitus eſt. primam iam Aquiſgrani ſuſceperat, operãtibus Pontificibus Maguntino & Treuiro. tertia ei Romæ fuit impoſita à Stephano Columna, principe factionis Iohanni Pontifici minus æquæ. Tunc Petrum Reatinum Minorem auſus eſt inſignibus Pontificiis excolere: Pontificem maximum eum, ac Nicolaum Quintum ſalutare, adoraréque, hominem maioris quàm ſanctioris literaturæ, ac ad res gerendas non ineptum. Eodem anno Carolus Pulcher Rex Francus deceſſit, vxore grauida relicta. Regia apud Francos ſedes vacua eſt, nec ab vllo inſeſſa. Iohanna Caroli Regis ventrem fert. Partus expectatur. Cuinam procuratio interea rerum credenda ſit, controuerſia exorta. Angli Legati Eduardum Philippi Pulchri ex filia, quæ eadem germana nouiſſimi Regis Franci fuiſſet, nepotem, procuratorem Francici Regni deſignari debere contendebant: ventrem præterea cuſtodiendum. ſi fœtus ederetur, tutelam eiuſdem Eduardi legitimam eſſe. Vndique reclamatum, ætatem Eduardi procuratore ipſam rectoréq; indigere. Tam palàm affectatam appetitámque tutelam non modò non legitimam, ſed iam ſuſpectam fore: huiuſmodiq; tutores iure ſummoueri. Cæterùm quæ initio Regis Longi cõtentio exorta, & inter Francos Burgundionésque facilè dirempta fuerat, eam ipſi repetebant, ſiquid ventri, editóve partui contingeret, in Francicum Regnum Eduardum iure materno cognationisq; ſucceſſurũ. Contrà Philippus Valeſii Comes Caroli filius pernegabat ius vllum fœminis in Regnum. Iure materno niti fideréque Eduardum filium Regem, quod nullum ſit. Arrogare ſibi in rebus Francicis Anglicas fœminas, quod Burgundionibus, qui iam Franci cenſeantur, quod Francicis Matronis datum nunquam ſit, dariq; per leges patrias, per inſtituta gentis non poſſit. Secundum Magnum Clodoueum parentem Francicæ pietatis, ſemel atq; iterum orbem rerum Francicarum circumactum: primùm cum ad Pipinum Caroli Magni patrem arbitria rerum tranſlata ſint: deinde cum ad Roberti Andium Ducis, qui Odonis, alteriusq; Roberti pater, idem Hugonis Regis proauus fuerit, ſobolẽ, Regium apud Francos nomen deuenerit: vtriuſque tempeſtatis inclinatione paſſos Francos cætera potius iura diuina humanáque diſſimulari, ſilereq;, quàm legem Salicam abrogari: cũ eſſent nobiliſſimi fortiſſimiq; proceres, qui per matres, per auias, in Reges Francos origines ſuas referrent. ſe Caroli Pulchri nouiſſimi Regis patruelem agnatione, gentilitioq; iure proximum, æquius magnificentiúsque eſſe rebus cõſulere, tutelamq; pupilli, ſi naſcatur, gerere, quàm Iſabellam amitam, Eduardúmve amitinum. Contrà Anglus cauſſam ſuam etiam ipſe legibus armabat: illud ex iure ciuili fando vſurpabat, nihil peccaſſe rerum naturam, quæ fœminas gigneret: eas ad hæreditatũ iura vocandas. Diuinum quoq; ius teſtabatur, verbáque illa ex ſacris Numeris recitabat: HOMO CVM MORTVVS FVERIT ABSQVE FILIO, AD FILIAM EIVS TRANSIBIT HAEREDITAS. Quid tandem ſceleris admiſiſſet Eduardi mater, vt è Rege orta, Regúmque ſoror, ſpe Regni priuari ipſa debeat:

debeat:nec ius ſuum filio ſpemq; relinquere?Iura mulierum oppugnare longa fori conſuetudine didicerat Robertus Atrebas.De Comitatu Atrebatenſi cum Matilde amita litigabat.Controuerſiam de Regno ſimillimam exiſtimabat cauſſæ Comitatus, cuius de iure ambigebatur. Is igitur cum altercando multa iactata vtrinque eſſent, necdum contratendere oratores Angli deſiſterent, eis perpetua quoque oratione in cœtu procerum ad id coacto, in hunc modũ reſpondit· Cauſſa veſtra,oratores Regis nobiliſſimi,nobisq; amiciſſimi,& omni neceſſitudinis genere propinquitatéque coniunctiſſimi, ſimplex, minimeq; perplexa eſt.Omnis ea vna omnino in re verſatur,quòd cũ Eduardus Rex Philippi Pulchri Regis Franci ex Iſabella filia nepos ſit,idem tres nouiſſimos Reges noſtros auunculos habuerit: ſi quid ventri quẽ Iohanna fert, accidat: eum ad ſceptra noſtra vocandum contenditis, quandò illo nullus ſit vir cognatione propior ſpei Regni huius:nullâque fœmina ſanguine iunctior quàm eius mater.Ego contrà defendo nihil in Regnum hoc iuris penes mulieres eſſe:& quam ſpem mater Iſabella vẽdicare ſibi ipſa nequeat,eam nec in vita filio tradere,nec in morte relinquere poſſe.Dico etiã vt in ſpem Rerum apud nos potiendarum mulieres naſcerentur,alias his paucis annis fuiſſe propiores Iſabella,quas priores accitas ad Regnandum oportuiſſet, ſi id ius fasq; apud nos foret. Addo etiam tale à vobis omnibusq; factum præiudicium, vt controuerſia iam nulla de hac re poſſit exoriri,actámque rem agatis. Quæritis, ecquidnam admiſerint fœminæ, cur in ſolium extrahendæ non ſint? Ego neque eas male,neq; viros bene meritos dico.Deus vtro viſum eſt ſexu mortales creat:creatos accipimus:virorum imperia viri patimur:fœminarum Regna non agnoſcimus. Quod vero diuinum ius teſtamini, ne filiæ hæreditate paterna excludãtur:Dico iure item diuino ſancitum,vt fœminæ ſexum ſuum agnoſcant,intráque illum ſeſe contineant:iura gentibus ne dicant.Quòd ſi diuina oracula ſecus interdũ ſtatuiſſe dictitatis:niſi pro veſtra,oratores,prudentiá docetis id non in re priuata modò, ſed & in Regno, ac in omne tempus, & apud omnes æque gentes ratum perpetuumq; voluiſſe: nihil eſt cur cauſſa noſtra euertatur.Quinimmo verba oraculi illa ſunt,ne commiſceatur poſſeſſio ẽ tribu in tribum,vt hæreditas permaneat in familiis.De iure verò naturæ, gentiũmve,facilis ratio eſt.Quòd ſi ſequi naturam ducem placet,aut liberi ſimus,ſolutíque alii aliorum imperio:aut ſuis quiſque non alienis pareat,imperétve:Ius vero Regnorum non idem apud omnes ſancitur.Apud vos fœminæ Regiæ nobilitatis ita non regnarunt, vt Regum tamen ex filia nepotes ac deinceps ad ius Regni auiti ſceptraq; maiorum vocarentur.Ita nonnunquam iure materno apud vos Regnatur.Angli Reges è media Frãcia nati ſunt,enupta Regis Angli filia in Andegauenſium Comitum familiam, cuius in nomẽ Chriſtianum patriámque Franciam multa memorantur virtutis pietatisq; momenta.Hoc inſtitutum apud vos valeat.Nos inſtituta legésque veſtras ſanctas apud vos eſſe oportere cenſemus.Apud nos alius mos,alia exemplorum vetuſtas. Nos ita Franci ſumus,vt quantum ad legem Regiam pertinet,etiam Salii eſſe perſeueremus:nec à maiorum exemplo deſciuimus.Suus cuiq; genti ritus,ſuum cuiq; ciuitati ius auguſtum, ſanctumq; eſt.Vrbs Roma libera legẽ

» Voconiam tulit, qua excludebantur â locupletibus hæreditatibus mulieres.
» Eadem poſtea Vrbs Roma tunc cũ veteribus inſtitutis repudiatis perire cœ-
» pit,eam legem non agnouit: nec Auguſti Latini, Græcúsve Iuſtinianus repe-
» tiuere: memores fœminarum beneficio nonnulli ſe ad Imperium peruenisſe.
» Nos legem Salicam ante Iuſtinianũ Auguſtum ſanxeramus, ne fœminis Re-
» gnum mandaretur:vt gentilitium foret Regni ius. Quod vero ius non habet
» Eduardi mater,qua ratione filio tradere,lege Salica incolumi,poteſt? Regnũ
» hoc ò Iſabella, tibi filióve Eduardo petis, ſi nulla edatur ſoboles Caroli Pul-
» chri Regis,quia eius ſoror es?Finge ſterilem vterum,Philippum Valeſium pa
» truelem defuncti in Regnum ſuccedere æquum cenſeo. Tu ſoror germana,
» hoc eſt vno gradu propior es:vt ſuccedas,elaboras.Si fœminas mos ac iura di
» uina humanaq; vocant ad Regnum:interrogo te mortuo Philippo Pulchro,
» petiuiſti ne Regnum?Non petiuiſti,nec petere poteras,nec te vllius aures au-
» diſſent. Iure igitur Vtinus filius Philippi Pulchri, idem frater tuus germanus
» ad Regnũ peruenit.Præterea interrogo,mortuo eodem Vtino Philippi Pul-
» chri filio fratre tuo,nec poſthumo perennãte, iuréne an iniuria ſucceſſit tuus
» Vtiniq; frater Philippus Longus, cum filiam Iohannam Vtinus ſuperſtitem,
» quæque adhuc ſupereſt,reliquiſſet?Si iure,ergo viris omne ius,fœminis nullũ
» eſt in Regnum noſtrum.Sin iniuria,Iohanna ergo ad Regnum vocaretur,po
» tiorq; fuerit quæ Vtino iuſto Regi patri ſuo,quàm tu ſoror,ſucceſſerit. Quòd
» ſi Longus iniuſtus fuit Rex,Regnumq; non ſuum inuaſit:dic oro quanam re
» iuſtior fuit Rex Carolus Pulcher, cui te gradu proximam ſuccedere æquum
» prædicas?Numeroſam cohortem filiarum reliquit Longus:hásne tu,an illæ te
» excluſiſſent paterna hæreditate? Vides igitur nullũ ſpei tuæ locum ò mulier.
» Adde quòd decretum deliberatumq; iam de re eſt.Secundum mortem Vtini
» ac eius filii Iohãnis intra octo dies & nati & defuncti,Hagna ſanctiſſima ipſa
» fœmina,eadem diui Ludouici filia,cauſſam fœminarum ipſa mulier egit: Io-
» hannamq;,quam dixi,Vtini fratris tui Regis filiã ad Regnum vocabat.Edocta
» viros non fœminas apud nos Regnare,fœmina fœminis adeſſe deſtitit.Acce-
» dit iudicium tuum ò Iſabella, tuum etiam ò Eduarde. Cum tu mater filium
» Longo primùm, Carolo deinde Pulchro, iureiurando fidelitatis addixiſti, ab
» eoq; iure Aquitaniæ vt veſtiretur orabas,veſtitúsque ſupplex eſt:quænam erat
» cõfeſſio veſtra?Nempe eos iuſtos eſſe Reges:nec Iohannæ ius eſſe eos exclu-
» dẽdi.Non ſucceſſere filiæ patri:quo ore fratri ſoror?Nobis nec Eduardo ad-
» oleſcente tutore opus eſt:nec eundem Regem,qui gentilitio ſtemmate agna-
» tus non ſit, agnoſcemus. Illi quidem vt propinquo amiciſſimóque omnia ſe-
» cunda optamus:incrementáque cupimus:hísque,quatenus ſine publica com-
» muniq; iactura rerum Francicarum fieri licet,fauemus. Hac oratione habi-
ta,aſſenſuq; procerum perſpecto,Angli oratores cõtratendere deſtitere.Cum
puella vtero edita eſſet, Blanchæ ei nomine impoſito, PHILIPPVS VA-
LESIVS Rex ſalutatur,ſacraturq; quanta non alius multis ſeculis celebrita-
te, frequentiq; procerum cœtu. Poſt Remenſia ſacra ad Dionyſii Pariſiorum
venit,ac ibi quoque cæremoniis ſolennibus peractis,ſacerdotio ciuitatis ſacris
inſignibus velato,necnon liberalium artium doctoribus,Muſæiq; ſcholaſticis

 ad portas

ad portas opperiẽtibus:ad hæc patribus in purpura,decurionibus cum bicolore veſte:necnon authoribus ſummarum extra portas continentiáq; ac ſuburbana ædificia in equis occurrentibus:Ipſe Rex cum Regiæ ſtirpis, inclytarumq; familiarum proceribus,reliqua etiã nobilitate, & ipſa maxima ex parte torquata,& ſagulis virgatis,auroq; intertextis, equiſque magnificentiſſime inſtratis exultíſque:vrbem Regiam ſub ſacra ipſe vmbella intrans,excipitur lætis fauſtíſque ominibus,plauſuq;,omni ordine, omni ætate proſperum fœlicemq; ingreſſum apprecante: Viis(vt tempus anni ferebat)flore multo,feſta fronde,virente hærba,ſtratis:ſuperne velis vmbraculíſque honeſtantibus: aulæorum magnificentia varietatéque,ac picturarum tabularúmq; artificio exterioribus domorum parietibus veſtitis:ſplendidiore mulierũ è feneſtris ſpectantium,ſeq; ſpectandas præbẽtium,quàm virorum cultu.Nulla lætitiæ ſpecies,nullum dignitatis exẽplum non excogitatum,non adhibitum. Ita in inſulam ad ædem maximam deductus,ac diuam Virginem veneratus,in Regiã ſe contulit.Aduentitia(vt aſſolet)cœna Regifico apparatu accubuere principes illuſtréſque viri:Omnia quidem ſolẽni more,inſtitutóque: ſed hunc Regem præcipua charitate obſeruantiáque proſecuti,prædicabant eum vindicẽ Francicæ maieſtatis:legis Salicæ aſſertorem:qua vna,dignitas libertáſque Frãcici nominis conſtaret:ne alienigenarum imperio , ne exterorum ditione teneri poſſent Franci,cæteris gentibus Reges legéſq; dare ſoliti.Veſpertino igni in areis plateíſque accenſo , nocturnis funalibus concurſantibus collucente, choreis virginum iuuenũmq;,ſymphonia,voce,fidibus,ſiſtris,tibiis, vrbe perſtrepente feſti dies acti.Rex filiam Caroli Pulchri Regis poſthumam minori filio ſuo Philippo Duci Aurelianenſium matrimonio iunxit. Cõtinuò curæ ad Rempublicam verſæ.Primum omnium bellum cum Flandris geſſit,cauſſa ante ipſum Regẽ exorta.Flãdri Comites ex formula in viginti annos præſcripta debebant Franco Regi quotannis quinquagena millia aureorum.Ludouicus Comes exactores circũmiſerat,atque ea præſcriptione multo maius auri pondus congeſſerat,quàm quantum ea res poſtulare illis videbatur.Cõquerebantur fortunas miſerorum agi, ferríque:eamq; indignitatem ſi in præſentia taciti ferrent,perpetuam futuram.Petierant vt coactores redderent rationem:ederentq; quantum à quoque acceptum,quantum Regi diſſolutum. Tornacum conuentum:intra mœnia menſarii cæteríque Comitis miniſtri in oppidum deducti: vrbium procuratores legatíque in ſuburbium diuerterũt. Ignis ſeu fortuitus,ſeu ex præparato in ſuburbanis ædificiis conflatus,ea,vento,vt forte coortus erat,adiuuante,magna ex parte abſumpſit. Flandri ſe dolo incendióque petitos rati, in Comitem , Comitíſque amicos velut conflagrationis authores,domum reuerſi,ſuos quiſque populos incitauerunt. Prælio commiſſo Ludouicus captus,nec dimiſſus niſi iureiurando adactus ſe immemorem iniuriarum futurum : nec fraudi noxæ've fore popularibus ſeceſſionem feciſſe:armatos contraſtetiſſe,comprehendiſſéve: ſecundum eã diem nihil eum magnarum rerum,niſi de ſuorum ſententia , réque ad vrbium decuriones relata ſtatuturũ,acturúmve.Paruit præſenti neceſſitati.Vbi primùm liberum ei fuit,ad Philippum Regem confugit,nobiliſſimo quoque eum ſe-

cuto,atque adeo ipſo patruo Roberto,quocum antea de ſumma rerum Comitatuq; certaſſet,ſe ei comitẽ vindicemq; dante. Rex cum iã in fine æſtas eſſet,ſuadentibus permultis vt in vernũ tempus bellũ Flandricũ,reſtitutionémque Comitis differret: coacto cõcilio Valterũ Magiſtrum equitũ ſententiam interrogauit.Ille quãquã præ ſe antè multis argumẽtis tulerat,videri ſibi rem immaturã agi:tamen frequenti principum cõfeſſu,præſideq; Rege,veritus ne timiditatis argueretur:Viro,inquit,forti omne tẽpus anni ad res gerendas idoneũ eſt. Nemine deinde diſſentire auſo,Rex exurgẽs,Magiſtrumq; equitum amplexatus,ampliſſimis verbis collaudauit. Bello igitur decreto,in æde diui Dionyſii Franciæ præſidis ab Antiſtite Fani flãmulam Rex accepit:idq; vexillum Milonis Norerii fidei virtutiq; cõmiſit.Hoſtes ad Caſletum conuenerãt, quòd ea parte à Francia pateat Flandria.Diſceſſu nobilitatis, imperatore carebant. Duces bello gerendo plebiſcito delecti Nicolaus, & Hilermus Canutus:viri ſtrenui quidem & fortes, ſed humili loco nati. Rex Caſletum duxit. Hoſtes relicto quod ſatis videretur ad tutandam vrbem præſidio,in propinquo in edito loco caſtra poſuere,nec elici ad certamen poterant. Vrbem oppugnare cœpit Rex. Caſletani ſpeciẽ galli gallinacei laneam cõfinxerant, ſubiecto carmine,tunc potiturum Caſleto Repertum, cum alites lanei canerent.Philippũ Reperti nomine cauillantes,quòd eum dicerent nullam in ſpẽ Regni natum,ſed forte oblatũ Regnare. Propugnabãt præſenti animo,acerrimeq;,& præſidii virtute,& fiducia exercitus Flandrici,qui in cõſpectu vrbis erat,alacritatemq; addebat,præſentem pugnæ copiã non faciens,ſed ſuũ tempus opperiens.Vbi nihil procedit è ſententia,Rex perbonã exercitus partem diuerſos mittit ad vaſtitatẽ circà edendam: vt ea indignitate calamitateq; hoſtes permoti,in æquum locũ,campoſq; patentes deſcendãt. Omnia vri,dirui, cædi,diripi,euaſtari vident:nihil tamen mouent: nec clamor permixtus puerorum fœminarumq;:non vlulatus,nõ ſonitus fragorq; ædificiorũ ruentium, non ignis latè cuncta depopulans,non relucens flãma, non omnia pereuntia animos illos feroces indomitóſque frangunt,non flectunt, non adducunt vt puncto tẽporis citius quàm cõſtituerant,locum ſemel captũ relinquant.Vagari,circũuolitare ferro igneq; armatos hoſtes facilè patiuntur. Vbi nihil ab Regiis relictũ in propinquo vident, in quod fæuire ira poſſet,redireq; Frãci in caſtra pleni puluere,ac ſudore,ſeq; exarmarãt,tunc Flandri in omnẽ occaſionem intenti,è ſuperioreq; loco omnia conſpicati,ac quonã loco tabernaculum Regis excitatũ eſſet,exploratũ habentes:decurrũt tam rapide,vt prius penè in caſtris verſarẽtur,quàm quidnã rei foret,cognoſceretur.Sublato truci clamore,Regiũ tabernaculum petunt.Fortuna Franciæ eo die Regẽ texit. Flãmulam,& paucos præterea ſemiermes circũ ſe pro tabernaculo ſtans habebat. Hi primum impetum ſuſtinuere,quoad reliqui milites arma caperẽt. Tanta quidẽ celeritate ex omni parte caſtrorũ recurſum, ac ad caput rerum Regem conuolatũ,ſimul tãta virtute res geſta, vt tẽtoriis tabernaculíſq; momento diſiectis,velut libero cãpo pugnatum ſit.Rex equo impoſitus,ac ſuos cohortatus,exẽploq; incitãs,cruentã funeſtamq; hoſti audaciã effecit. Pugnabat egregie Nicolaus,diuq; Regios tenuit,ſuóſq; tegebat:vbi cõfectus vulne-

ribus corruit,tunc certa Regiorū victoria,cædes in hostē vertit.Ad duodeuiginti millia cecidere.Casletum repetitum,captum,direptū,incēsum. Ludouicus Comes domū restitutus,admonēte Rege ita dominaretur,vt non iterum necesse Francis foret eum domū armis reducere, de motus authoribus supplicium sumpsit:horū circitèr sex millia extitere.Canutus ad Ducē Brabātiæ refugit,ab eo Regiis reposcētibus redditus, Lutetiamq; in vinculis ductus,aç neci deditus est. Rex Flāmulam ædi Dionysii restituit: supplicationibúsq; ac gratiis Numini ac sanctis martyribus habitis,rem sacerdotū cōposuit.Prætores Regii cōquerebantur omnē iurisdictionē ab Regiis tribunalibus ad sacra delapsam:multo plures causas profanas & inter profanos controuersias cognosci diiudicariq; ab Episcopis reliquisq; sacerdotiis,quàm à Regiis Prætoribus.Quicunq;,quacūq; de re sacerdotū decreto non steterit, continuò tēplis arceri, piorūq; communicatione moueri: eoq; deuentū esse,vt qui soluendo nō sit,ei aqua & igni interdicatur.Sacerdotiū Ducibus Episcopis ad Regem cōuenit.Pro iurisdictione Regis verba Petrus Cunerius fecit:vt quæ Dei sunt, deo:quæ Regis,Regi darētur.Bertrandus Eduorū Pontifex caussam tēplorū iurisdictionemq; tutatus est:Reges,Augustósq; fando deuocauit de cælo,Magnum,Piū,Diuū:eorum opē implorauit: vt qui in vita armis texissent ecclesias,liberalitate cumulassent:nunc diuinitatis participes,desertas nollēt. Enumerauit quot Reges Ducésq; tēplorum hostes fœdū atrocémq; exitū habuerint:Quot pii sacerdotiorū propugnatores,& viui,& mortui,gloria,imperio, prolis fœcunditate, diuturnitateq; domestici imperii fructū amplissimū perceperint:Qui vero de sacerdotio victo triūphum ac palmā petiuerint, misero exitu pœnas superis dedisse. Institutis religioneq; animorū vitam cōmunē constare.Nihil exortū exoriríve posse,cur quæ per tot hominū,per tot deinceps Regū ætates seruata sancteq; culta sint,nunc demū labefactentur, euertantúrve. Regum maiestatē,iuraq; tēplorum sanctissimis moribus Numineq; sanciri,ac vtrāq; rē immortalitate donandā. Prima actione nihil cōstitutum est.Cum ampliatur, die diuo Thomæ Cantuariēsi festo,cū patrum frequenti globo Bertrādus Regem adiit,admonuitq; illū illuxisse diem,quē pro libertate ecclesiæ Thomas sanguine suo cōsecrasset.Respōdit Rex omnia sibi curæ futura.Anceps vox.Bertrādus vt cērtius lætiúsq; eliceret respōsum, orauit vt qui diuinitus vocatus fuisset ad sceptrum, ambiguo respōso non dimitteret tristes ab se sacerdotes,qui quotidie rem diuinā pro eo facerēt.Tūc Rex: Iura,inquit,ecclesiarū auxerim potius,quàm imminuta velim.Gratias vniuersi egere.Rex Catholici cognomen promeruit.Anglus iuuenis Rex nondū in Philippi Regis verba iurauerat:Ambianos venit:fidēq; suā obstrinxit nomine Aquitaniæ,quod pater maioréq; beneficiū à Francis Regibus acceptū agnouissent:ac Comitatus Pontiuēsis iure, quē eius matri Pulcher Rex pater dederat.Ambianos quatuor Reges cōuenerant,Francus,Anglus,Bohemus,Balearicus.Frācus insignia sacræ in barbarā religionē militiæ susceperit.Bellum in Bauarum à Pōtifice Maximo decretū iam cōsenuerat,quòd Petrus falsus Pōtifex à Bauaro in Germaniā redeūte Pisis relictus,à Bonifacio Pisano Comite cōprehensus,ac Auenionē ad Pontificē Maximū ductus, in perpetuā tra-

ditus custodiã fuerat. Iohãnes Pótifex decessit anno eius seculi quarto & tri- 45
cesimo. Succesſit Benedictus Tolosas. Francus classem ad sacrum bellum in
ora prouinciæ parari iusserat, eamq; ipse cum illuc se contulisset, conspexit,
auunculiq; sui Ludouici Tolosatiũ Pontificis in cœlestes relati, ac diuinitatis
miraculis illustris tẽplum iniit. Auenione de ratione barbarici belli cũ Bene-
dicto cõmunicauit: ac nequid se absente moueri domi posset, Iohãnem filiũ 50
quatuordecim annos natũ Normaniæ Ducem creauit, rebusq; præfecit: ac in
eius verba proceres iureiurãdo adegit: misitq; ad Anglum vt is se sociũ sacræ
militiæ præberet. Oratores Anglum belli Francici cõsilia agitare cognouere:
nec Catholico Regi arma procul ferẽda, sed domi exercẽda. Eduardus ætate
florebat, domesticas res cõposuerat: cũ Scotis primũ bellum gesserat: virtusq; 55
eius in illo enituerat. Iam Franciã respiciebat. Angebant eũ à Catholico rege
quædã arces in Aquitania retentæ, ac præsidiis Frãcicis firmatæ, nomine mul-
tæ patri adẽptæ, quòd Pensacensem Francis oppugnantibus contrà bello tu-
tatus fuisset: & cũ in Ambianis Aquitaniæ ius restitueret Frãcus, eas quãquã
Aquitaniæ certissimã partem, tamen reposcẽti sibi nõ tradiderat. Erat imperii 60
nominisq; appetẽtissimus, & incendit multo magis iuuenẽ cupiditate gloriæ
opũq; flagrantẽ Robertus Atrebas. Is oratione legẽ Salicã tutatus fuerat, cauſ
samq; Valesii oppugnante oratore Anglo, egerat. Quod antea fando defen-
derat, tunc armis alienis, quãdò suis nõ posset, vexauit. Nepos ex Philippo fi-
lio Roberti, qui in pugna Curtracensi ceciderat, erat: cum Matilde amita (vt 65
ostendimus) de Comitatu Atrebatensi litigauerat: causſa cognita, bonorũ pos
sessio adiudicata Matildi fuerat. Ea nupserat Othoni Comiti Burgũdiæ: vnde
quas edocuimus, editæ duæ Frãcorũ Reginæ, & Iohanna, & Blãda. Roberto,
ne omnino priuatã vitã ageret, Comitatus Bellomõtanus, multo minoris di-
gnitatis, ac opibus tenuis, attributus. Disceptatio tamen repetita, quòd veteres 70
tabulæ, quas, dum causſa prius ageretur, latuisse diceret, tunc adinuẽtæ forent:
quibus causſa ipsius, si ederẽtur, adiuuaretur. Editas in iure tabulas, cõspectáſ-
que, falsas & aduersarii arguebant, & Rex pro cõperto habere se dicebat, se-
ductũq; Robertũ hortatur, vt cõuellendæ rei iudicatæ conatu absisteret. Ro-
bertus, cum etiã falsi ab Rege insimularetur, dissimulare indignationẽ, tẽpe- 75
rareq; lingua non potuit, quin diceret, se, quicunq; tabulas cõfictas increpitare
auderet, in eum pugnaturũ, ac Marte iudice fidẽ facturum. Rex cũ eo feroci
dicto ne se quidẽ excipi crederet, tantũ certamen animi aduersus eũ susceptit,
vt implacabile execrabileq; odiũ vtrinq; insecutũ sit. Tradũt quæstione habi-
ta palàm factũ esse illis proximis diebus tabulas adulterinas confectas, quibus 80
cõtineretur, Robertũ, Roberti Atrebatiũ Comitis Diui Regis fratris filiũ, ex
Matilde Brabantini Ducis filiã procreatũ: quo die Blandã filiã Petri Britãni
Ducis Philippus ducebat, ei, speiq; sobolis cessisse Comitatu Atrebatẽsi. Ad-
dunt mulierẽ quandã Betunienſem ex veteribus ac veris Roberti senis tabu-
lis alia de re exaratis cerã integro signo transtulisse in has cõmentitias. Betu- 85
nienſem satis cõstat igni tradiã, sed obiecto præterea crimine, quòd inspecta
fronte mortaliũ, vetitisq; artibus fatidicã vatemq; se professa fuisset. Robertus
in matrimonio habebat sororẽ Regis, ac ex ea liberos. ea affinitas iras nõ per-

 mulsit.

mulſit. Vaſco Fluſſatium Comes, matrẽ ſuã, quæ ſoror Atrebatis eſſet, probri arguens, in cuſtodiam tradidit. Atrebas fremẽs frendénſq;. cũ dies diceretur, adeſſe noluit. Quicquid ſuarum rerum potuit, Burdegalã ſub ditionem Anglorũ miſit: ipſe in Brabantiã ad Ducẽ propinquũ ſe contulit. Rex eum hoſtem iudicauit. Ille ad Eduardũ, relicta vxore Franci Regis ſorore, duobuſq; ex ea filiis Iohãne ac Carolo, in Angliã tranſmiſit: fax ingens belli, minitanſq; ſe Regnũ Valeſio vt dediſſet, ita & amoturũ. Oratores vltro citroq; cõmeabant, ſi certa ſanciri pax poſſet inter Francum Anglũq;. Anglus in perniciem Scoti Regis Francorũ amantiſſimi fœderatiq; incũbebat: vrbemq; nobilẽ ac opulentam Veruicũ de eo ceperat. Euerti amicũ Regẽ, neq; fidei, neque è re ſua Frãcus ducebat. Robertus Atrebas plurimũ apud Anglos poterat: ad arcana ſanctioraq; cõſilia adhibebatur: author erat belli gerẽdi. Francus auxilia mari Dauidi Scotorum Regi miſit. Arcem Santonũ, in quã oculos coniecisſe Eduardum ſciebat, Carolus Comes Alenconii Frãci Regis frater ſolo adæquauit. Hoſtiũ duces Paracolum oppidũ in Santonibus de Franco cepere: & agros circà euaſtarũt. Fluſſas, Armeniacúſq; Francicarũ partium erãt, Alebretenſis Anglicarũ. Multæ vtrinq; excurſiones, multa leuia prælia facta: oppida ignobilia capta: & claſſis Francica in orã Angliæ tranſmiſit: incendiiſq; permulta fœdauit. Ita bellũ iam ex profeſſo vtrinq; gerebatur. Vterq; ſibi & veteres amicitias cõfirmabat, & nouas cõciliabat. Comes Burgundiæ Iohãna filia Lõgi Regis (vt oſtẽdimus) nupſerat Odoni Duci Burgũdiæ. ea vt Othoni auo materno ſucceſſerat in Comitatũ Burgundiæ, ita auiæ maternæ Matildi in Comitatũ Atrebatẽſem. Ita Odo & ſuis & vxoris opibus ingens, affinitate quoq; inclytus erat, quòd eius ſoror Regina Franciæ eſſet. Iohãnes Cauillonenſis Germanorũ auxiliis fretus, ei bellum inferebat, conqueſtus ſe vectigalibus Salinarũ ab illo fraudari, quæ in ditione eius ex fonte vberrime cõficiuntur. Chancũ duodequinquaginta dierũ oppugnatione obſidioneq; domitum. Veſontio in hyemẽ vſque vim ſuſtinuit. Authoritate Frãci Regis pace facta, ab armis diſceſſum: ſuũ ius Cauillonẽſi redditũ. Alia parte Hilermus Annoniæ Comes numeroſæ ſobolis pater, cum iam duas filias collocaſſet, alteram Ludouico Bauaro, alterã Regi Anglo: tertiam filio Brabantini Ducis collocaturus erat, ea quoq; affinitate amicitiã nouã Eduardo genero cõciliaturus. Francus iuuenẽ Brabantinũ ad ſe euocatũ, ſibi generũ adſciuit. Ad hoc longinqua quæſita auxilia, nihilq; omiſſum intentatúmve, quo iuuari Francia poſſet: veteréſq; amicitiæ nouis neceſſitudinibus cumulatæ. Iohannes Bohemiæ Rex, filius Hérici Cæſaris, poſtquã Italia deceſſerat Bauarus, Longobardorum factionibus vocatus inuitatúſq; illuc copias duxit. Cumq; eius ſpei rerum exitus non reſpõderet, oblatã deducendi exercitus fortunã non ſpreuit. Delphinus Allobrogũ bellum cum Sabaudis (vt inter finitimos aſſolet) ob finium cõtrouerſiam gerebat, bello inclytus, ſed alienarum vxorum pudicitiæ infeſtus. Bohemus auxilio illi ſocio amico; cũ ire cõſtituiſſet, filius eius Carolus (vt Pontifex Pius narrat) per quietẽ viſus eſt ſibi videre, viri diuina ſpecie præditi iuſſu, præſtanti iuuenẽ forma, editiorem in locũ raptum, detractaq; veſte exectũ: ſibiq; interroganti, cur & quiſnã tam egregia indole adoleſcens,

tam fœde atrociterq; haberetur,reſponſum, Delphinum aliena cubilia attrectare ſolitũ meritas pœnas Numini dare. Somniũ filii in præſentia eluſit pater.bidui viam progreſſus,certũ nuncium accepit,Allobrogem in oppugnatione oppidi vulnere accepto deceſſiſſe.quod minus memorabile, & fortaſſis vanum credi poſſet,niſi ſub idem tẽpus occubuiſſe telo hoſtiũ Delphinũ eius gentis Annales authores eſſent:& in agro Parmenſi,vbi nocturna quiete id obuerſatum fertur,ædem virginis,vt monumento foret, Bohemum ſtruxiſſe,locupletaſſeq; vectigalibus,hancq; rem teſtatã tabulis Bohemi Regis,legiſſe ſe Pontifex tradidiſſet.Delphino frater ſucceſſit.Frãcus inter gentes cõciliandæ pacis author,vtroſq; ſibi fœdere iunxit,militemq; mercede inde cõduxit.Iohannes Rex cũ filio Carolo in Franciam venit, filiamq; Bonam Iohanni Franci filio maiori collocauit, genitam ex Beatrice ſorore Ludouici Claromontenſis Comitis.Hic Comes diui Regis ex Roberto filio nepos,cũ auo materno in Borbonii dominatum ſucceſſiſſet, authore Rege primus omnium Dux Borbonii deinceps vocitatus eſt.Flandri timeri poterãt ne Anglis animos acclinarent.Clades permultas acceperãt à Francis, quarũ recenti adhuc memoria,vt certioré tandem pacé à Franco Rege impetrarent, miſſis vniuerſæ gentis cõſenſu Auenionem oratoribus, apud Pontificé Maximum deintegro fidem ſuã ſanctiſſimo iureiurando deuinxerunt, ſe fide officióque erga Francũ Regem non deceſſuros:vbi fallerẽt, non abnuere ſe quo minus eis extẽplo ſacrificiis interdiceretur: decies centũ millium aureorum à Frãcis multa irrogaretur.idq; oppignerandæ fidei vinculũ accipientibus Francis,piũ ſeruandumq; ſanxerat Põtifex.Nec Hiſpania neglecta.Tarraconenſis cũ Nauarræ Rege bellabat.agente Franco,conciliantéq;, ab armis nullodũ cruore, nec iritatis vltrà armis diſceſſum.Nauarræ Rex,idé Comes Eburouicum,cõſanguineus Franci,facilè voluntati eius ceſſit.Tarraconenſis fœdus amicitiãq; vltro à Francis oblatã non repudiauit.Ita Philippus Rex cõſeneſcentibus ſacri belli conſiliis,aduerſus Eduardum vndiq; firmamenta rerum ſuarũ quærebat,animo præſagiens quanta moles belli impendẽret. Nullũ enim atrocius Anglico arma Francorum exercuit:nullũ diutius tenuit:nullũ maiore cruore,contentioneq; geſtum: nullũ ſæpius repetitum: neutris fœlix lætumve :rei Chriſtianæ calamitoſum:piis luctuoſum:hoſtibus religionis exoptatum.Anglus incendente Atrebate,non arcé Santonum,non ignobilia oppida amiſſa, nihil medium,nihil humile animo verſabat:ſuum eſſe ius Frãcici Regni prædicabat:ſe Philippi Pulchri nepotẽ filia ortum,potioré eſſe qui ad ſoliũ Frãcicum inſidẽdum vocetur,qui auo,qui auunculis ſuccedat:quàm Philippum Valeſium,qui à Philippi Pulchri patre oriundus,ſtirpe remotior, Regnũ inuaderet:ſe & impuberé & abſentẽ excluſerit:ac tot retẽtis,euerſiſve Aquitaniæ arcibus, ne pacem quidẽ Ambianenſem ſanctã velit. Se antea immatura improuidaq; ætate falli circunſcribiq; potuiſſe:nunc florentẽ iam annis,& vſu rerum bellorumq; edoctum, perſecuturũ ius ſuum.Hæc & ſpõte,& Atrebate authore agitabat, prædicante, quandò iudice Philippo Valeſio in cauſſa Atrebatẽſis Comitatus victus à Matilde diſceſſerit, ſe iudicium Valeſii ſecuturum,ac matronarum matríſq; Eduardi iura,vt antea oppugnarit,defenſurũ:

& viri fortis,& ſummi Ducis,& indolis Regiæ,Eduardiq; eſſe,propoſita pari alea,potius de rerum ſumma , quàm de beneficiariis oppidulis bellum capeſſere. His ſtimulis incitatus Eduardus, clariſſimos viros in cõtinentem Legatos miſit ad ſocios armorum,amicoſq; cauſſæ ſuæ cõparandos.in Hollandiam appulere.Exin in Flandriã profecti,oppida gentis circũibant, ſi à reſpiciendo Franco in ſui ſtudium auertere poſſent. Ampliſſimo venerant comitatu,ſplendidiſſime victitabant, epulis apparatiſſime ſtructis inuitabant,accipiebantq;.vaſis argenteis expoſitis, magnificentiã luxũſque cũ comitate hilaritateq; in eis certabat:quibus artibus vulgus maxime imperitique permouẽtur,alliciunturq;.Iacobus Arteuilla,obſcuro genere ortus, apud plebem eius gentis plus poterat,quàm Comes . Anglis cupiebat , muneribus captus:nihil eius vitæ per vim obeſſe poterat Comes,quòd cuſtodes corporis præſidiũmque circa ſe habebat,plebeiorum præterea oculis vigiliaq; tutus . Nec id mirum,eius ordinis hominẽ Eduardo ſuffragari , cum nobilitas Philippo Regi ſtuderet.illud inſolẽs videbatur,quendã & ſanguine & factis militaribus nobilem Francũ,nomine Curteſienũ,Gandauum profectum, frequentem cum Anglis conſpici,ac occulta etiã ferere colloquia.Hunc ad ſe euocatũ Comes ſecuti feriri iuſſit . Continuò plebs id indignũ vociferans,ad arma diſcurrit, cædéſq; aliquot miniſtrorũ Comitis facta.ipſe Malã conceſſit:cumq; tumultus reſediſſet,per cauſſam laxãdi curis animi,venandiq;,cum canibus plagiſq; ac venabulis egreſſus,in Franciã cum vxore ac paruo filio ſe cõtulit.Anglica claſſis appulſa Chagantũ expugnauit, diruitq;, locum maritimum munitiſſimumq;,ac Comitis præſidio firmatum.vbi egregie propugnãs Henricus patruus nothus Comitis in poteſtatem hoſtiũ venit . Cõcilio Flandriæ habito, cum authore Iacobo cõueniſſent oppidorum cõſules, petentibus Anglis vt fœdus fieret,ſeq; Francorũ hoſtes profiterentur,id quidẽ publice abnuerunt: tantum decretũ,vt Flandris Anglíſq; mutua cõmercia eſſent, vltro citróque ſine noxa vtriſque in alterius gentis agros vrbéſq; cõmeare quantolibet comitatu liceret:quandò res Flandrica lanificio emporiiſq; conſtaret, arcendos Anglos nõ videri.Sed Iacobus totus Anglorũ erat: bellum graue proſpiciebat imminẽs:nec inermem quæſtũ mercaturamq;,ſed armatam Anglorũ manum iam mari affuiſſe,& terreſtres vires affuturas. Gulielmus Comes Annoniæ iratus Frãco Regi ob generum interceptũ,rationem excogitauit diſtringendi noua neceſſitudine Brabantini Ducis:inſtandoq; peruicit , vt illius ſoror Iohanna filio ſuo deſpõderetur . Dux Geldubenſis ſororẽ Angli in matrimonio habebat.Bauarus Cæſar,Annonis gener,alienior à Frãco erat,quòd conſilia Põtificum Maximorũ regi nutu Francorum ſibi perſuaſerat: nec ad eam diẽ agendo moliendóve ſupplex,armatúſve,impetrare potuerat vt ſibi à Pontifice Maximo benediceretur . Secundiſſimis igitur auribus audiuit oratores Anglos de fœdere ſanciẽdo , ſocietateq; in Francos armorum ineunda. Ipſe etiã Eduardus in cõtinentem tranſmiſit: cũ Cæſare locutus, impetrauit vt ab eo vicarius Imperii in Germania Galliaq; inſtitueretur : vt ea poteſtate Auguſta auctus, beneficiarios Imperii Romani proceres pro Imperio cogeret ad nomina danda in Philippũ Valeſii Comitẽ(non enim Regem Franciæ

vocitabat) iam à Bauaro hostem iudicatum, quòd oppida imperii Romani obtinere eum diceret, in queis Cameracũ, circumiectósque fineis. Cameracẽses alieniores à Bauaro Cæsare erant, secuti Põtificem Maxi. qui eum cõmunione piorum mouerat. A Bauaro Angloq; missi sunt qui Franco bellũ indicerent. Sub quod tẽpus Hilermus Anno Comes decessit. Eodem nomine filius successit: is, patruúsque Iohannes Bellomontensium Comes, Anglo non deerant: sed certiores acrioréque propugnatores partium Anglicarum erãt Dux Geldubensis, Marchio Iuliacensis, Põtifex Agrippinẽsis. Brabantini animus anceps videri poterat. Eduardus in eius ditionis fines profectus, peruicit vt partes Cæsaris profiteretur. ex Brabãtia Valterus Manius cum paucis Anglorum turmis profectus, Annoniamq; emensus, in Samarobrinensium fines aduolauit: repentinoq; aduentu, Tuinũ oppidum arcemq; patentibus, vt nullo tali metu, portis, ingressus, Præfectum, Præsidiumq; inermes oppressit. Nec desidebant Franci: classe oræ Angliæ appulsa Antonnem vrbem cepere, diripuere, prædaq; repletis nauibus domũ reuertêre. Anglus Rex longe maximo coacto Germanorum suorumq; exercitu, Cameracum profectus, excidiũ ciuibus minabatur, nisi sibi sacri imperii Vicario iubenti aperirẽt portas vrbis, quæ sine cõtrouersia Cæsaris iuris ditionísque esset, in quam extra fines Franciæ sitam, Philippo Francísque nullum ius foret. Nihil pacati responsum. Inerat egregium fidumq; Franco præsidium, ac cõmeatus: & ad Peronam Veromanduorum Rex Philippus confederat valido cũ exercitu: tribus præterea sociis Regibus, Bohemo, Scoto, Nauarro, in eisdem secum castris tendẽtibus, ac eandem fortunã periclitaturis. Duces sex, in quibus Britannus & Lotaringus: Sex & viginti Comites, præter cæterã multitudinẽ, quatuor milia equitum, baltheo virtutis caussa donatorũ, sub Frãco merebant. Excepto tot Regum nomine, pari dignitate, viribusq; feroces hostes, ob Augustũ etiam nomen superiores se sanctioréque gloriabãtur. Sexaginta millia pugnatorũ sub signis Anglus, cẽtum millia Francus habebat. Atrebas author Anglis erat vt Cameracũ omitteretur, ne ibi sederetur, ne mora tædioq; languesceret impetus militum. Media æstas erat, ne res in hyemẽ extraheretur, in quam obsidio vrbis munitissimæ retentura ludificaturáque esset tam delectum exercitum, Scaldem copias traducẽdas: in ipsam Franciã, de cuius iure imperioq; agatur, eundum: vires conferendas. Hac sententia accepta, collaudatoq; amplissimis verbis Atrebate, castra mota. Comes Annoniæ, vbi ad Scaldem fluuium ventum est, quo dirimitur Regnum ab Imperii iure, cum eum trãsire Anglus inciperet, cõmeatum sumpsit: se in finibus imperii Vicario Cæsaris dicto audiẽtem fuisse: in finibus Regni Francici in Francum Regem auunculum nõ pugnaturum. Mouit & Francus. Iam quatuor milibus passuum inter se aberant, cum Eduardus in castra Francorum misit, qui ad pugnã conferendáque vniuersas vires in posterum diem prouocaret. Exceptus auditúsque benigne vt fœlix optatúsque nuncius, ac cũ muneribus dimissus ab Rege cupiditate pugnæ incenso. Postridie Anglus sub ortum solis è castris copias educit, aciem instruit, opperiens hostem: cum duo equites Franci exploratum profecti propius accessere. eorum alter vbi se minime fallere sensit, circũacto equo se re-

 cepit:

cepit:alterum equus,in poteſtatem redacto freno, inuitum trãſuerſum vexit. Hoſtes continuò equitem circunſtetere,captumq; ad Eduardum produxere. Interrogatus quid Franci agerent,quid acturi viderentur, reſpondit, Regem pridie eius diei iuſſiſſe vt omnes parati eſſent ad pugnã,& nunc milites arma capere,equites equos ſternere,frenaréque: Flãmulam pro tabernaculo Regis explicatam:ſplendore armorum cuncta fulgere:alacri fremitu,mutuáque exhortatione animos ad virtutẽ excitari: Regem cum delectis proceribus,ſanctioréque cõſilio,de ordine,locoq; ſuo cuique ducum tribuẽdo, aciéque inſtruenda cõſultare. Eques is Iohanni Comitis Annonis patruo tunc forte latus Angli Regis tegẽti notus,ac veteri familiaritatis vſu iunctus erat. eo probitatis fideíque teſte,facilẽ fidem Anglo fecit: eóque redemptionis ſponſore dimiſſus & ab Rege,& ab iis qui ceperant,ad Francum reuertit,ac quæ viderat,renunciauit:ſtare iãdudum ſub ſignis hoſtes: ardore animi oculos Eduardi micare:ſigna in cãpis Anglica ſimul & Germanorũ & ſua cuiuſque Ducis & gentis vexilla,Imperiiq; aquilas conſpici:animis dextríſque omnes paratos expeditóſque,tantum non dari ad procurrẽdum ſignum,hoſtémq; quo cum confligant. Rex cõtrà eundum, prælium cõmittendum cenſebat. Procerum ſeniores veteranîque Duces orabant, ne publicam ſalutem fortunæ libidini, vniũſque prælii aleæ cõmitteret. Si pugna viciſſet,non ea re Angliam Eduardo,non Germaniã imperio adẽpturum, ſibiq; quæſiturum:ſin quid(vt bellicæ res ſunt)caſus ferret,Franciã amiſſurum. Vanis minis,inanibus animis vagarentur,circumuolitarent,per campos ferrentur:hoſtes feroces in præſentia verbis,ſpiritus paulo pòſt depoſituros. nihil eos bonæ ſpei(quæ quidem diuturna ſit)concipere animis poſſe, qui repulſi à Samarobrina,fortunam prælii periclitari cõſtituant:non eorum arbitratu res gerendas,nõ illis quod vnum, quod cupiant reliquum,ſit dandum:cæteris conatibus excluſi, prælio quoq; prohibeantur, & hac etiam fruſtratione illudantur. Roberti Regis oratores viri fortes,conſilióque validi,apud Francum Regẽ in caſtris erant:verbis Roberti orabant,obteſtabãtur,pugna ne fieret. Addunt nonnulli Robertũ mathematicis artibus compertum habuiſſe, fore vt Philippus Rex ab Eduardo Rege cladem acciperet,quantam Franci ad eam diem nunquam accepiſſent. Id fatum,ea ſors Philippum Regẽ manebat, quod aliquot pòſt annis implebitur. Anglus ſtando expectãdoq; in armis feſſus,reduxit in caſtra exercitum. Poſtridie Germani Duces qui in ſpem propinquæ gloriæ, præmiorumq; venerant,longius ſegniũſque bellum proſpicientes,maxima pars domũ ſpectare,& de reditu inter ſe agere cœpere. Anglus pigritiam etiam in vultu militũ externorum,neq; quam antè alacritatem cernens,eos dimiſit:ipſe in Flãdriam ſuos ex hoſtico deducit,ſi gentem perpellere poſſet, vt ſe hoſtes Françorum profiterentur. pollicebatur ſe illis ea tria oppida de Francis recuperaturum, quæ pignoris nomine præſidiis Françorum teneri, ac veluţ à corpore Flandrici nominis auulſa dolerent. Videbat eos vereri, ne ſuamet ipſorum lege damnarentur, quam ſibi præſcripſerant; ſi à Franço Rege deficerent, impii cenſerentur, noxámque ingenti pondere auri luerent. Ad hoc ſi in cauſſam Anglorum deſcenderent, ne forte reconciliata inter Reges pace, ipſi deſerti

omnem iram Francorum capitibus ſuis exciperent. Iacobus, vt ea dubitatio omnis tolli poſſe videretur, perſuaſit Eduardo, vt Rex nõ Angliæ modò, ſed & Frãciæ ſcriberet: vexillis, parmis, ſignis liliatis etiam vteretur: ita fore, vt ſpẽ pacis cum Philippo Rege iungẽdæ reſpicere vltrà non poſſit, tantæ rei controuerſia, tam illuſtribus monumentis, gentilitiiſq; ac immortalibus teſtata: ſimul Flandris nullam pœnam, nullam ſponſionem cõmiſſum iri, ſi Franco Regi verbis deuincti, Eduardo Regi & Angliæ & Franciæ ſcribẽti, dicto audientes fuerint. Hoc cõmento ab Iacobo fides eluſa. Anglus nullamdum terræ Salicæ partem nactus, Rex Franciæ ab ſuis Flandríſque ſalutatur. Atq; ita ſcribendi ſignandique initium fecit: ac in vexilla lilia tranſtulit. Pontifex Maximus Flandriæ ſacrificiis interdixit. Philippus Rex in oppidis hoſti propinquis valida præſidia collocauit, reliquumq; exercitum dimiſit. Et Anglus relicta Gandaui vxore Regina, ac Salberienſi, in Angliam rediit ad rem nũmariam expediendam, ex qua iam laborabat. Quam fortunã oblatam Francus non omiſit. Ad filiam ſororis, vxorem Ludouici Bauari oratores inclytarum familiarum miſit: eamq; Reginam, Auguſtámque, quod ad eam diem non feciſſet, ſalutauit: petiuítque vt Auguſtum maritum Franco nomini, ipſa Francico ſanguine orta, conciliaret: inter Francos Reges Cæſaréſq; vetuſtiſſimum fœdus interçedere, quod ipſe ſanctum & immortale optaret. Bauarus, cum Anglus quod conuenerat aurum non pendẽret, cum Francus amicitiam peteret, fœdus cum hoc percuſſit: Anglóque Vicarii nomen, iúſque, ac prouinciam quam attribuerat (vt Germani authores, quos equidem legerim, tradũt) abrogauit. Interea excurſiones vtrinq; leuiáque prælia facta, Flandris Annonibúſque in fines oppidorum Francicis præſidiis infeſſorum, & Francorum præſidiis in hoſticum delatis, prædáſque abigentibus. Salberienſis dum cũ ducentorum equitum ala circunuehitur, explorátque quanam ratione Inſulam tentare, ac aliquid egregii facinoris abſente Rege ſuo edere poſſet, eruptione præſidii circunuentus capitur ipſe, cæteris fuſis cæſis ve Lutetiam in cuſtodiam miſſus. Iohannes Regis filius primùm Scandouerium oppidum expugnauit: deinde Tuinum obſedit. tormẽtis muros quaſſabat. Præſidium noctu igne tectis iniecto, in Scalde flumine quo mœnia alluuntur, deprehenſis nauibus in vlteriorem ripam traiecere. Francus ingreſſus ignem reſtinxit. Hæc terra. Mari, anno eius ſeculi quadrageſimo, trecentarum nauium claſſis Francica, additis octoginta Britannicis nauibus, nauarchis Hugone, ac Nicolao Variobarbo, pro Cluſa Anglicarum partium oppido ſtabat, Eduardum Regem appulſu littorum prohibitura, ſimul Flandros, ne ſe rurſus illi cõiungere poſſent, intercluſura. Erant in ea vilia capita, paruóque ære merentia. Anglica claſſis ſuperuenit: in qua Eduardus, Atrebáſque, ac ſummi Duces, proceréſque, factis generéque clariſſimi erant. Pugnatum eſt acerrime ſex continenter horas: ſuperiores habiti hoſtes, vento æſtuque eorum naues concitatas in Francos ferente, & ex littore Flandris propugnantibus, ac terram præterea infeſtam Franco facientibus. Hæc pugna numero hominũ Francis, nobilitate deſideratorũ Anglis luctuoſior extitit. Vtrinq; circiter triginta millia periiſſe ferunt. Eduardi femur iáculo traiectũ. Angli terram tenuere: quod reliquum

Francis fuit, Normaniam petiit. Hugonem in poteſtatem viuum redactum Eduardus è ſumma turri mali ſuſpendit, vulnus ſuũ eius ſupplicio vltus. Exin vulnere percurato, ſupplementoq; ex Anglia accerſito, ac ex omni Germania, non publice quidem milite miſſo, ſed voluntariis contractis conductíſque, ac Flandriæ ſuperioris iuuentute vltro nomina dante, Tornacum ducit: eamq; vrbem obſidet: dum ex cõpoſito Robertus Atrebas ex inferiore Flandria ad triginta millia hominum armat. Is ad Fanum Odemari ducebat. Cum prope Caſletum ventum eſt, Flandri memores cladis quam eo loco à Francis acceperant, vltra ſe progreſſuros negant. Ille, Quæ malum (inquit) ratio eſt, hic in limine ipſo ſubſiſtere? En, quia euulgari cogitis, quæ fileri cõmodius foret, legite has literas: vt ſciatis res veſtras ſecundiores, ac magis cordi ſuperis eſſe, q̃ optare auſi fuiſſetis. Simul falſas an veras literas recitat, in quibus à proditoribus Fani Odemari vocari eum à parte oppidanorũ ſcriptum erat, quòd bilingue illud oppidum factionibus laboraret. A præſidio Francorum Ducéque Burgundiæ obtinebatur. Continenti igitur itinere eò peruentum, pugnatumq; cum erumpentibus. Atrebas inſtãdo cedendoq; ſatis procul à mœnibus Burgũdionem elicuerat: circũmiſſa turma delectorum equitum intercluſerat Duci in vrbem reditum: quòd limes, quo lõgius à mœnibus recedebatur, eo latius petebat, propius portam in arctiores cogebatur anguſtias, & flexuum circuitu oberrabat. Sed neceſſitas ac manifeſtum periculũ Duci virtutem auxit. Paucitas etiam beneficio loci par multitudini erat. Atrox fuit pugna. Fuſi Flandri, & è muris petiti: qui ab tergo ſe obiecerãt, anguſtiis quas ipſi quæſierant, impediti, multis amiſſis Hypras ſe recepere. Ad tria millia cæſi. Atrebas iram Flandrorum veritus, ad Anglum in caſtra ſe Tornacum recepit. Ea vrbs acerrime oppugnabatur. Qui Francorũ in præſidio erant, egregie propugnabant, eruptiones etiam faciebant. tandẽ clauſi mœnibus ſe continebant, eáque virtute tutabantur. nihil laxamenti hoſte dante, feſſi affectíque ope ſubſidioq; indigebant. Rex in Atrebatibus copias habebat. certior factus obſeſſos laborare, mouit, ac ſex millium interuallo ab hoſte locũ caſtris idoneum cepit, natura tutum, & flumine vna parte munitum: duoq; millia equitum delectam manum noctu in vrbem intromiſit. Id ſpem potiundæ vrbis Eduardo ademit: audiréque cœpit oratores ſocrus ſanctæ fœminæ, quos antea aſpernatus fuerat. Eadem ſoror Franci erat. illa agente inducíæ in triennium factæ inter Francũ Anglúmque. Captiui vtrinque dimiſſi. Flandris multa remiſſa. Exoratus Pontifex. Sacrificiorum ius reſtitutum. Comes domum reductus. Quinquaginta dies obſidio Tornaci tenuit. Scotus Rex domũ claſſe Francica tranſmiſit. Bohemus in Francia reſtitit. Iohannes tertius Dux Britannus ex caſtris Francorum domum proficiſcens in itinere obiit. Eburouix Comes, idem Nauarræ Rex, bellum ſacrum profeſſus, militem Francum aduerſus religionis hoſtes duxit.

XLIX. PHILIPPVS VALESIVS.

LIBER NONVS.

BELLVM INTER DVAS COGNATAS REgias, Francicam Anglicámque, velut auerſantibus ſuperis, armáque piorum in communem omnium noſtrum CHRISTIq; hoſtem auocantibus, nondum armis ad Tornacum poſitis, allatum eſt Hiſpanos à Saracenis ſemel atque iterum acie victos, opem exterorum Regum implorare. Tres ſummi Africæ Reges, quorum nobiliſſimo nomine fuit Balmarimus, in Hiſpaniam trangreſſi, ac cum veteribus Saracenis Beticam incolentibus, eorúmque Rege coniuncti, noſtros terra maríque congreſſi vicerant. Agris potiti, fugatíſque cultoribus, vrbes obſidebãt. Aduenientе cum Francis Nauarríſque Eburouice, duo Alphonſi Reges, alter Caſtulonenſis, alter Luſitanus, refecta ſpe, opéque diuina aduerſus pietatis hoſtes implorata, fortunam prælii tentauere. Signa collata. Dimicatum ſumma contentione, cum tres noſtri Reges cum quatuor Barbariæ Regibus, duplici, eáque recenti victoria, ferocibus decertarent. Vicere noſtri. Caſtra hoſtium capta, plena omnis opulentiæ Regiæ, priuatæque. Maxima pars barbarorum cæſa. Reliquis trepidis Betica receptaculum fuit: quæ ea lue purgari, niſi hac demum ætate noſtra, non potuit. Signa de quatuor Saracenorum Regibus capta, in Galliam ad Pontificem Maxi. Auenionẽ delata, templíſque affixa. Habitæ ſupplicationes: gratiæ laudéſq; deo Opti. Maxi. habitæ actæque. Eburouix morbo deceſſit. Bellum Britannicum exortum. Iohannes Dux Britanniæ, Petri Ducis ex Iohanne Ruffo filio Duce nepos Lugduni oppreſſus ruina muri, filium Arturum reliquit. Is Dux duobus deinceps matrimoniis liberos tulit: ex Beatrice Vicecomite Lemouicum, eadem domina Auenarum in Annonibus, procreauit Iohannem tertium, ac Vidonem: ex Iolantide Comite à Monteforti progenuit item Iohannẽ, cui nupſit ſoror Ludouici Comitis Flandri. Ex Vidone nata eſt Iohanna, & cognomine, & offenſo corpore Clauda. Iohannes tertius Dux nullos genuit liberos ſuperſtes fratri Vidoni. Antequã Tornacum proficiſceretur, Claudam fratris filiã nuptui dedit Carolo Comitis Bleſenſis minori filio ex Margarita Philippi Franci Regis ſorore ſuſcepto. Mortuo Iohanne tertio, eius frater item Iohannes iure materno Comes à Monteforti, prædicans ſe legibus vocari ad Britanniam obtinendam, Nanetes occupauit; fraternúmque aurum quod in Lemouicũ arce aſſeruabatur, illuc profectus, ſibi depromi iuſſit. Exin Breſtum, quod oppidum arcémque præſidium Caroli Bleſenſis inſederat, regreſſus, ad deditionem compulit. Redones etiam in poteſtatẽ redegit: & Veneti ſe aduenienti dedidere. Poſtulabat ab Rege Frãco, vt ſe in fidem reciperet. Britanniæ Ducatum eſſe beneficium Francorum Regum. Aduerſarium habebat Carolum Bleſenſem. Is vxoris Claudæ cauſſam agebat: illam eſſe Vidonis filiã: qui pater ſi viueret, ſine controuerſia ſucceſſurus fuiſſet Iohãni tertio defuncto, quòd ab eo frater ſecũdus natu foret: Iohannes vero, qui nunc fratrum reliquus eſſet, tertius numeraretur: ac æquũ eſſe eodem loco filiam haberi, quo pater ſi viueret haberetur. Hoc in multis

aliis publicis priuatiſque cauſſis conſtitutum, obſeruatúmque. Ille contrà tendebat: teſtabatur recentem etiamnum memoriam,& id quod ſecuti fuiſſent Patres Pariſienſes Franciæque Compares in Comitatu Atrebatenſi adiudicando Matildi amitæ, excluſo Roberto fratris filio. quòd ſi mulieres in hæreditatibus paternis præferuntur fratrum iam mortuorum filiis, multo æquius eſſe, ſe virum,ſe patruum, præferri fœminæ Claudæ fratris iam mortui filiæ,quandò iam in Roberto Atrebate huius cauſſæ præiudicium factum ſit,filios filiáſve patrem in Ducatibus Comitatibúſque non referre, non eodem loco,non eodem iure cenſendos. Se Iohanni Duci tertio fratrem vno gradu propiorem eſſe,quàm Clauda fratris filia ſit. Hæc pluribus verbis,ſummáque cõtentione in ſenatu,ſedentibus Comparibus,præſide Rege,acta. Secundum Bleſenſem ſententia lata: ſtatutúmque, aliam aliorum Ducatuum Comitatuúmque cauſſam nec Atrebates eodem iure agere, quo Britannos. In cauſſa Atrebatenſi palam factum, eodoctóſque iudices eodem mulieres iure quo viros eſſe ad Comitatum Atrebatenſem obtinendum: nec patrum repræſentandorum conſuetudinem in Atrebatibus receptam. Iohannes id iudicium non æquo, iuréve, ſed in gratiam Regis, qui Bleſenſis auunculus eſſet,factum ratus,relicta in Nanetibus vxore, filióque Iohanne adhuc puero, ac amicorum fideliſſimis qui res interea tutarentur,in Angliam,quò Atrebas antea pari dolore traiecerat,profectus, cum Eduardo Rege fœdus percuſſit: domúmque ad ſuos reuerſus, die ab Franco dicta, quindecim diebus antè Lutetiam ſe contulit. Accuſabatur maieſtatis, quòd eum dicerent ſe Britanniæ nomine Angli beneficiarium profeſſum, ac ea re in illius verba iuraſſe: Id ſe feciſſe inficiatus eſt. nihilo ſecius ab Rege iuſſus diem opperiri, quæ dicta ei fuerat,nocte inſequenti clàm Lutetia profugit. In eum extemplo duxit Iohannes Regis filius Dux Normaniæ,vt rem iudicatam,armis exequeretur, Bleſenſiſq; in poſſeſſionem iret. Nanetes obſeſſi,cum aliquandiu etiam oppugnati fuiſſent,tandem deditionem fecere. Captus ibi Iohannes, ac Lutetiã in cuſtodiam in arcem Luparam miſſus. Vxor Clauda filiúſque paterno nomine Iohannes in Redones ſe receperant. Mulier hæc conſilio virtutêq; amicorum bellum cum Bleſenſi geſſit. regreſſo ad patrẽ Regẽ Duce Normanorum, Hembotum profecta,in Angliã oratores miſit ad auxilia ex fœdere accerſenda. Interea Carolus Bleſenſis Redones arcta obſidione, acrîque oppugnatione ad deditionem cõpulit. Hembotum adortus, cum vna parte omni robore exercitus mœnia tentaret,Clauda relictis egregiis eo loco propugnatoribus, cũ reliquis ſuorũ alia parte ferro ignéq; armata in hoſtiũ caſtra paruo circuitu erupit: eaq; præſidio vacua nacta incendit. Tandẽ Anglica auxilia ſuperuenere: ſolutáque ea obſidio. Clemens Sextus,qui patria Lemouix, in Benedicti defuncti locum ſuffectus, Auenione ſedebat, author extitit vt induciæ de Britannicis etiam rebus in biennium fierent. Clauda cum filio in Angliam traiecit. Nobiliſſima mulier benigne excepta, cultáque, eius filio nondum puberi pacta fuit Angli Regis filia nondum adulta. Vbi dies inducíarum exiit, Clauda claſſe Anglica cum Roberto Atrebate in Britanniam reuertens, coacta eſt cum Francica claſſe pugnam inire. inter dimicandum

exorta fœda atrocique tempestate, ipsa cum suis, cum hostes altum diffecti peterent, terram tenuit. Venetos, quos aduenies recepit, paulo pòst Francis Blesensi auxilio accurrẽtibus, amisit, trepidatione iniecta, quòd Atrebas dum soluere obsidione clausos conatur, in pugna vulnus accepit, ex quo paulo pòst Angliam (vt procul à belli periculis facilius curaretur) mari repetens, mèdio in cursu obiit, ingenti Anglorum desiderio. Eduardus tali Duce amisso, Britannicum bellum per seipsum gerere constituit. Venetos obsedit. Dinanum & obsedit, & cepit. Pontifice Maximo per Legatos agente, inducię inter Anglum Francúmque in triennium redintegratæ. Iohannes Comes à Monteforti certis conditionibus dimissus, non ita multo pòst morbo decessit. Ius controuersum, caussaque dubia, vtrum patrui, an fratrum filii ad res imperiáque obtinenda vocandi sint, ingentium toto terrarum orbe motuum origo extitit. Carolus primus Rex Siciliæ, id quod edocuimus, procreauit Claudum. Is ex Maria Vngara cohortem liberorum sustulit, in primis Martellum, Ludouicum, Robertum, Philippum. Martellus Carolum progenuit Vngarorum Regem. Ludouicus se totum deo vouit. Robertus excluso Carolo Vngaro fratris maximi natu iam defuncti filio, ipse in Regnum cis fretum Siculum, Prouinciámque Massilienscm patri successit. Tres & triginta Regnauit annos, magna imperii prudentiæque gloria. Neptes duas ex Carolo filio, cui superfuit, habebat. Minoris obscura fama, Iohannam maiorem collocauit Andreæ Caroli Vngari Regis minori filio, ad se in spem hæreditatis euocato: animi conscientia & religione permotus, vt ad stirpem Martelli rediret Regnum, quo eam fraudasse videri posset. Anno eius seculi tertio & quadragesimo decessit. Ludouicus Philippi Tarentini Principis (quẽ quartum natu Claudi filium ostendi) filius & specie corporis præstans, & spiritibus ingens, se potiorem ac propiorem esse ratus, qui nepos Claudi Regis, defuncto sine virili sobole Roberto, in opes succederet auitas, quàm pronepos Vngarus foret: eum Atellæ faucibus compressis necandum curauit, altero à morte Roberti anno. Iohanna sub recentem indignámque mariti necem eidem Ludouico Tarentino nupsit: sed innocens videri voluit crimine Andreæ interempti: ad eius fratrem Ludouicum Vngarorum Regem literas dedit simulati doloris plenas, ac velut se multis verbis purgans. Ille his omnino
„ verbis rescripsit: Et vita antea flagitiosè acta, & retentum Regnum, & vltio
„ prætermissa, & subsequens matrimonium, & nullodum accusante defensio
„ tentata, hæc omnia te parricidii coarguunt. In Italiã cum copiis profectus, cum Iohãna Tarentinúsq; tribus longis nauibus Massiliã refugissent, omni cis fretũ Regno potitur. Carolũ Ducẽ Dyrrachii, ac duos eius fratres, Ludouicũ, Robertũq;, simul Carolũ ac Philippũ filios fratris Ludouici noui Iohãnæ mariti cõprehẽdit: Ducem sontem iudicatum securi percussit. Cæteros cum in procuratione rerum Italicarũ Stephanum Vaiuodã reliquisset, in Vngariã secũ duxit: eosq;, quòd consanguinei sibi, Regiúsq; sanguis essent, regio cultu habuit, tantũ Vngaria decedere vetitos. Clemẽs Põtifex Max. multiplici ignominia notato Ludouico Bauaro, cũ Germanis proceribus egit, vti tot vbiq; malis aliis super alia exorientibus, pium Cæsarẽ deligerent. Ea enim tempora

 turbu-

turbulentiſſima miſerrimâque extitere. Per Anglicarum induciarum tempus, dum quies ab armis eſſet, quæſtionibus maieſtatis exercẽdis Rex Frãcus operam nauabat. Dies in primis Lutetiam dicta nonnullis & è Britannica, & è Normana nobilitate: qui ſceleris conuicti, ceruice luêre. Gotthofredus Aricuriæ Comitis frater proditionis poſtulatus, ſui copiam in iudicio non fecit. Abſens damnatus ad Anglum tranſit, altera fax belli, ſecundúſq; ab Atrebate exul peregrinis armis patriam oppugnaturus, & magiſter militum ab Anglo creatus. De Bacchone ac Perſeio Anglicarum partium viris ſupplicium à Franco ſumptum. Iacobus Arteuilla Flandrus vſqueadeo Anglis ſe mancipârat, vt auſus fuerit Gandaui apud ſuos concionari, eóſque adhortari, vt non modò à Francis, ſed & à Comite ſuo, qui Frãcorum ſtudioſiſſimus foret, deficerent: & aut quem ipſis videretur nouum Comitem deligerent: aut quem Anglus daret, ab eo iura peterent. Mentionem huius rei vt nefarii ſceleris deteſtati, eum impetu facto interemere: ac ne ſic quidem ira exatiata, inſepultũ feris abſumẽdum expoſuere, teſtati, nihil ſibi antiquius auguſtiúſve ſuis vetuſtiſſimorum ſtemmatum Comitibus. Anglus vbi de ſuæ factionis hominibus pœnas expeti, exempláque dira ſtatui compertum habuit: ne ſui ſtudioſis nihil ſpei, nihil opis in ſe repoſitum videretur, ſtimulos præterea addente Gotthofredo, duces in Vaſconiam miſit ad res denuo mouendas. Iam Aquitania bello ardebat: Riolam, & quædam minoris nominis oppida receperant Anglicarum partium proceres. Ipſe Eduardus cum Eduardo filio adoleſcentulo in Normaniam tranſmiſit, anno eius ſeculi ſexto & quadrageſimo, Calendis Quintilibus. florem, robúrque ac dignitatem totius Angliæ atque Hiberniæ ſecum in armis ducens, Cóſtantienſium oram maritimam plus mille nauium claſſe tenuiſſe fertur. ferrum ignéſque circunferre cœpit. Carentanum expugnauit, præ impotentíque ira euertit, quòd Francus de Bacchone Perſeióque ſupplicio Lutetiæ ſumpto, eorum capita hac in vrbe conſpecto maxime loco ad terrendam audaciam propoſuiſſet. ea ipſe venerabundus refixit: exequiarumq; ac ſepulturæ honorem ampliſſimum habuit, memoriã defunctorum omni genere laudis celebrans. Fanũ Laudi, quòd ibi cõprehenſi forent, tantũ diripuit, leuiore ira, quòd extẽplo iuſſi deditionem feciſſent, aduerſo rumore Rhodulphi Magiſtri equitum Francorũ, quòd nullam ex propinquo tuliſſet opem. Ad Cadomũ tunc ſedebat: quò cum poſtea hoſtis ferox veniſſet, tunc demum eductis in aciem oppidanis ſigna contulit. Nõ diu nec ancipiti fortuna certatum. Multi enim iam anni erant, cũ Normani nullum hoſtem viderant: enſem non ſtrinxerant: virtutem non exercuerant: Angli domi foríſque res geſſerant. Cadomenſes igitur fuſi fugatíque, ac in vrbem compulſi ſunt: vnóque agmine ipſi, ac hoſtis victor tergo inhærens ingreſſi. Magiſter equitum ac Iohannes Comes Tancredouillanus cum paucis præterea nobilibus turrim occupauere, quæ ad caput pontis ſita, fluuio imminet: nec magna vi adacti ſe dedidere, cum plus cædis in vrbe fieret, quàm quantum in acie editum fuiſſet, quòd è ſummis tectis feneſtríſque domorum hoſtes peterentur, viris, mulieribus, ſenibus, pueríſque inceſſentibus. Plus quingentos viros fortes Anglus amiſerat, necdum cædis finis:

Quo dolore motus,iubebat Gotthofredo vt ignem tectis paſſim inferret,vr- 45
bemq; deleret.Ille ſe quidem facturū quicquid imperaretur præfatus,rogauit
tamen vt etiā atq; etiā videret, fierí ne id poſſet ſine maiore ſuorum iactura:
ingentem eſſe oppidanorum multitudinē:qui ſi faces ingruere ſenſerint, ma-
iore furore perciti,inulti perituri non ſint:nec prius ſuo quàm hoſtiū cruore
ignem reſtincturi.integrum ac propè illibatum adhuc Francicum bellum eſ- 50
ſe:vitæ militum proſpiciendum:ne multorum quidem hoſtium necem,vnius
Anglici militis morte emendam . Si veniæ ſpes proponatur Cadomenſibus,
ab amentia deſituros.Collaudauit,accepitq; conſilium Rex. Præconium cir-
cummiſſum, vt inermibus dedentibúſque ſe ac domos parceretur . Id vnum
officium Normaniæ præſtitit Dux oppugnādæ patriæ.Is finis cædis. Incēdio 55
huius vrbis temperatum,ea tantum direpta. Arcem qui in eius præſidio reli-
cti fuerant,nihil caſu oppidi territi,egregie tutati ſunt.Multa minoris nomi-
nis oppida capta,incenſaq;,prædáque ingens parta:ea cum captiuis in Angliā
miſſa.Francus Rex pugnæ cupidiſſimus miſit qui prouocaret ad ſigna æquo
loco conferenda.Reſpondit hoſtis ſe in finibus Pariſiorum certamen nō de- 60
trectaturum : ac teſte ſpectantēque Regia vrbe periculum virtutis facturum.
Domeſticas copias coëgerat Francus,& auxilia accerſierat externa.Iohannes
Rex Bohemiæ, ac Carolus eius filius eiſdem ferme diebus à Germanis pro-
ceribus,repudiato Bauaro, Cæſar delectus, cum aliquot turmis affuere , nu-
merus non traditur . Rhodulphus Lotaringus Dux trecentos delectos equi- 65
tes adduxit . Flandrus Comes quanuis cæſo Arteuilla perſpexiſſet populariū
fidem,non magnam tamen nobilitatis manum exciuit,ne procerum diſceſſu
moueri aliquid contrà domi poſſet. Paulo antē Comes Anno cū Friſios de-
trectantes imperium,ſe illorum dominum iure eſſe cōtendens, copiis eò du-
ctis reuocare in ditionem conatur,in acie ab illis occiſus fuerat. Eius patruus 70
Iohannes Francicarum partium propugnator,liberior effectus eſt. Lygurum
ſagittariorum duodecim millia mercede à Franco conducta . Pro Regia vr-
be,ædéque Germani ex cōpoſito Francus tetenderat Rex,hoſtem opperiens
vt ibi pugnaretur.Hoſtis alium locum denunciarat,alio dimicaturus. Emen-
ſus Normaniam,ingentíque edita vaſtitate,ad Piſciacum ſe contulit,euulga- 75
to rumore Lutetiam iri. Sed Piſciaci ſedit dum pontem in Sequana ab hoſte
reſciſſum reficeret,non magno negotio , quòd ſublicæ maxima pars integræ
ſupererāt,nec altera ripa præſidio inſeſſa erat,quod opere prohiberet.Ita tra-
duxit exercitum,fruſtratúſque expectationem Franci,in Bellouacos flexit.In
Pontiuenſem Comitatum contendebat.Ad Arenas vicum conſtitit:ægréque 80
propinquum amnem traiecit,vlteriorē ripam tenente Godemaro Faia , præ-
ſtolatus dum ab inferiore parte decedens æſtus maris vadū in flumine oſten-
deret.Tunc pulſis obſiſtentibus,Godemaróque, tranſmiſit ſuos . Vixdum in
illa parte conſtiterat,cum Philippus Rex in hac è regione conſpectus ſub ſi-
gnis,paratúſque ad pugnam. Sed reciprocans æſtus amnem refluum inflauit: 85
Francóſque circunſpectantes quanam hoſtem aſſequerētur,intercluſit: noxq;
oppreſſit.Poſtero die traductæ copiæ:tertius ad proximum oppidum explo-
rando itinere,conſilióque hoſtium circumactus:quinto Rex proceres ad vir-

tutem laudemq; incitauit,in primis ad concordiam exhortatus,in acie fraternam inter ſe charitatem præſtárent,Anglúmque in quem arma gererent,non communi tantum odio,ſed tanquam ſuum ſibi quiſque hoſtem præcipuumq; perſecutus,parem præſtanter factis gloriam, præmiaq; expectarét. Qua mora téporis interiecta Eduardus omnia cædibus,incendiis,ruinis fœdauit. Tantum ab Norella temperatum, quòd ſub ditione Margaritæ ſororis Roberti Atrebátis id oppidum eſſet. Hic honor memoriæ Ducis pro cauſſa Anglorum interfecti apud eos ſanctæ habitus. In Pontiuenſi ad Creſciacum locum caſtris cepit, muniuitq;, propinqua ſylua materiam ſuppeditante, paucitati aduerſus quantamlibet multitudinem idoneum: ſuósque incendit,vt magno animo ſe ſuaq; tuerentur:in Pontiuo eos ſtare,qui Comitatus hoſtium confeſſione Anglici iuris ſit,matri ſuæ doti à Francis datus. Prædixit etiam quem quiſque locum in acie tutaturus erat: vt animo, corpore,ſignis, armis,telis, equis, parati eſſent: nequid ſubitò aut per trepidationem ageretur. Eduardum filium primæ aciei præfecit,nondum pueritiam egreſſum,non eius virtute (quæ ingens ab teneræ ætatis indole expectari nõ poterat) fretus, ſed vt proceres quos lectiſſimos immaturo rebus gerendis rudimento adeſſe, proſpicereq; rebus iubebat, meminiſſent excellentem virtutem fidémque præſtare: dato rectore Gotthofredo Aricuria. Altera acies interior propiorq; ſyluam,ſua & ipſa nobilitate viribusq; fidebat. Ipſe Anglus Rex editiore loco tertia in acie conſtitit,vt quò res poſtularet,opem ferret, ſpectatórque foret ignauiæ cuiuſq;,fortitudinísque,magnum animorum incitamentum. Et vt triplex acies ſtabat,ita earum vnaquæque trifariam diſtinguebatur. Sagittarii primi erant, vt eminus hoſtem peterent: iidem,ſi pes conferendus,ferro ſuccincti: deinde haſtati: poſtremi equites contis horrebant. Franco Regi,accenſis ducibus,& ipſi ardenti cupiditate pugnæ,ſuperuenit cum mille equitibus Comes Sabaudus: auctaq; eſt omnibus ſuarum rerum fiducia, nec de victoria dubitabatur. Fama etiam incerto authore ſua ſponte & nata & accepta,hoſtem trepide fugere. Quem vt inſequeretur Rex,prima luce mouit. Nec recta ad Creſciacum ibatur,quia mouiſſe hoſtem opinio erat. Tandem præmiſſi quatuor nobiles explorandi cauſſa,in equis recurrentes,renunciant hoſtem paratum ad pugnam ſub ſignis ſtare. Omiſſo igitur circuitu,quà proximum erat, hoſtem petunt. Haud procul aberant,cum Dux Luceburgenſis Bohemiæ Rex Regem admonet,optimum factu eſſe, peditatum qui ſubſequebatur, cuiusq; pars non contemnenda,Lygures ſagittarii erant,in prima acie opponi hoſti habenti maximã ſpem in ſagitta: & prius quàm cum recenti integróque hoſte dimicetur, ieiuna feſſaq; corpora reficere firmaréque. Maieſtas authoris,resq; ipſa facilè Regi perſuaſit. Ad eius imperium pedites in primum procedunt, læti conſilio Luceburgenſis: remiſſisq; à præſentis pugnæ cogitatione animis,armísque poſitis, ſolutísque ordinibus,ad cibum capiendum ſe expediunt. Qui equitum in extremo agmine relicti erant, affirmant ſibi nullum viæ finem antè futurum, quàm poſteriores pedes ſuorum equorum prioribus anteſignanorum veſtigiis inſtiterint. Qua alacritate cæteri moti, exortáque æmulatione, & ipſum Regem,& Duces permouent,peruincúntque, vt dum calerent animi, pugna

committeretur. Tribus equitum agminibus tres præerãt Duces: Rex medium tutandum ſibi ſumpſerat: poſtremum Sabaudus regebat: Primum Carolus Alenconii Comes, Regis frater. Is conſilium Luceburgenſis non auſus propalam damnare, non dubitauit cunctantem peditatum, & in primis Lygures grauibus probris increpitare, nihil boni animo augurãtes, quòd plurimus imber arcuum neruos emollierat, laxarátque: & repente, tanquam Numen ab hoſte ſtaret, ex turbida minacíque tempeſtate liquidiſſima lux refulſit: & libero alacriq; hoſtium ore, nitidiſſimus ſol Francorum oculos perſtringebat. Sed cæca pugnandi cupiditas rabiésque mentem ademerat, ſanitatémque: peditatusq; à Carolo duce coactus procedit. Peditum medii Lygures graui conuitio iritati procurrunt, velut hoſte ad excitandam virtutem contrà occurſuro: clamorémque tollunt. Anglus ſilentio ſuos continet. Intermiſſo breui temporis ſpatio ad reſpirandum, virésque colligendas, Lygur iterum, & ſimili ratione tertiùm, curſum clamoremq; repetit. Hoſtis vno tantũ gradu promotus, ſimul iuſto arcu, manibúsque ſinuatis nimbum ſagittarum in aduolantem effudit, multo crebriore iactu quàm Lygures ex arcubaliſta: qui primo conatu ad animum non reſpondente, minus fiduciæ habebant in torquendi mora, miſſuq; iterando: tergáque volitantibus ſemper ſagittis dedere. Magna ſpe deſtitutus Carolus Comes, quòd non parum præſidii in huius generis milite
» Rex expectarat: ira accenſus, & ad ſuos equites verſus: Per horum, inquit, cor-
» pora, qui viam nobis ad hoſtem intercludũt, ruamus. E veſtigio per medios Lygures concitatis equis eruptionem tentãt. Nec hoſtis ſibi occaſioniq; defuit: promouénsque ſigna, tumultuantibus inter ſe maiorem tumultum iniecit. Lygures per indignationem arcuum neruos intercidebant, non pauci obtriti: maxima pars in cornua ſe recepit velocitate corporum. via Comiti data: quem ſecutus Flandrus, Viennenſis, Lotaringúsque, addenſatis turmis, admiſſiſq; equis, vt non tantum concitatione vires equis contisq; atq; impetus creſceret, ſed vt prærapida celeritate minus crebris ictibus ſagittarum expoſiti, ad hoſtem, propiorémque pugnam peruenirent. Verumenimuero quo magis torrentis modo ferebantur, frequentiorésque: eo ex aduerſo miſſæ ſagittæ altius fixæ ſedebant, & pauciores irritæ intercidebant: nec ſine multa pernicie ſuorum Comes ad interiorem periculo ſagittarum pugnam ſeſe inſinuauit. Sed haſtati in pugnam coorti, diu eum tenuere. Tandem perrupit ad huius aciei equites: inter quos Eduardus filius cum clariſſimis ducibus ſtabat. Iuſto iam prælio, veráque virtute, & pari generoſitate pugnabatur. Philippus quoq; perrupiſſe fratrem cernens, adoriendi tempus ratus, nobilitatem aulicam, cuius principes erant Comites Bleſenſis, Sacrocæſarienſisq;, in prælium ducit. Hi vrgent, inſtantq;, ſi à Comite interruptum hoſtium cuneum diſiicere penitus ac diſſipare poſſent. Vt quiſq; nobiliſſimus genere eſt, ita maxime probare virtutem ſuam præſenti pugnantiq; Regi contendit. Bleſenſis Sacrocæſarienſisque cadunt. Rex ipſe non Imperatoris modò, ſed ſtrenui militis officium præſtitit. non ſagittæ, nõ haſtæ eum terrent. dum nullum virtutis finem facit, ſuffoſſo equo ruenteq; effuſus, ægrè à Bellomontenſi Comite ſubleuatus, alteri equo imponitur. Periculo Regis quantũ Franci animos demittunt,

orantq; vt ſibi parcat:tantum Angli ſpiritus tollunt. Procerésque militi, proceribus miles fidit. Iam oſtentant tantùm pugnam Franci ea parte, ne hoſtes coire omnes, & inferre ſe in Comitem alio certamine occupatum poſſent. Et Comes Carolus,ſummiq; cum eo Duces,ſuis turmis Eduardum filiũ premebant:quem qui Angli proceres circunſtabant, ad patrem mittunt,qui eius verbis auxilium opémque imploret. Cui ille,Ecquod,inquit,mortiferum vulnus accepit?num ſtratus filius iacet?Cum vtrunque negaret nuncius,ſed periculum eſſe ne clades ignominiáve acciperetur:Redi ergo,inquit,& renuncia, omnia auxilia illi in fide virtutéque Ducum ſita,qui illi adſunt:fortunámque huius diei in eis collocatam. Hoc reſpõſum relatum magis illos ac magis ad virtutem acuit. Secunda acies Anglorum,quæ interior ſtabat integra,recentibusq; viribus, auxilio adoleſcentulo venit: primúmque inclinatam ad iniquã rem reſtituit,æquauítque: deinde cum viribus numeróque ſuperiores eſſent, haud dubie vicere,& haſtati intermiſcentes ſe hoſtibus victis,eos aut deiectos equo conficiebant, aut equos confodiebant, nullius nobilitati ſplendoríve parcentes:quod etiam Eduardo Regi indignum viſum triſtéque extitit,quòd ditior clariórque futura fuerat victoria captis quàm cæſis tot támque auguſtæ maieſtatis Ducibus. Cecidit & Franci Regis frater. Exin vtraque acies in Philippum verſa, & ad augendum vndique terrorem Eduardus excelſo ex loco deſcendens cernebatur:cum Luceburgenſis in extremo agmine certior factus Carolum filium tanta pertinacia pugnare, vt non antè virtutis quàm pugnæ finem facturus videretur,perpulit Sabaudum raptim ſigna tertii agmi nis ferre. ac quanuis maturaretur, omnia tamen animo paterno ſegniora erãt: Proinde ipſe quos reliquos ſuorum nactus eſt (nam maior pars cum filio dimicabat) iis, Ciues, inquit, commilitonésque, & eodem ſolo cælóque, ac in eandem fortunam ſuſcepti educatiq; ſumus. Non deſeram vos hodierno die, neque viuens ſpiránsque, neque ſiquid ſecus accidat. Date mihi inter vósque dextras idem vos facturos. Data & accepta fide, quæ perſancte ſeruata eſt, confertis equis via inter tumultum vi facta,cui primum hoſtium parti occurrunt,manus conferunt: omnes pariter acerrime dimicantes, nec inulti occubuere. Nullus ceſſit, diuellíve vllo terrore ab ſuis potuit. Carolus filius alio loco rem gerebat, caſus paterni ignarus. Sabaudus ſuperueniens victoriam feroci hoſti extorquere fruſtra conatur. Anglus Rex ſuum agmen in eum direxit. Continuò & aliæ duæ victrices acies impetum faciunt. Flandrus cecidit:fuga omni parte fit. Iam inueſperaſcebat. Per cumulos corporum armorúmque inſequi haſtati equitésque abſtiterunt. Nec Regem ſuum nocte iam imminente è conſpectu amittere tutum rebantur. Nec Eduardus procul à munitionibus ſuis diſcedere, tenebrisq; ſe committere audebat, tanto maioribus Francorum copiis incolumibus, quàm quantæ cecidiſſent. Philippus Rex ſe ad Broiam arcem recepit. Portæ clauſæ erant. Inclamatus arcis præfectus interrogauit quiſnam ſe vocaret. Rex nihil aliud, quàm ita reſpondit,Fortuna Franciæ. Voce cognita, receptus modicum cibi cepit, ſeq; Ambianos contulit. Eo prælio cecidit pro Rege Franco in Anglos egregie pugnans Aricuria Comes, ingenti luctu fratris Gotthofredi Magiſtri militum

Anglorum:qui poſtea pœnitentia duci viſus,quòd priuato dolore ſtimulante Franciam vexaſſet,fratrémque clariſſimum virum ſe contrà armato amiſiſſet,relictis Anglis,vincta laqueo ceruice, Regem Francum adiit,ad eiusq; pedes procubuit. Rex laqueum ſoluit. Pugna Creſciacenſis facta fuit ad decimum Calendas Septembres,quantum nulla alia funeſta Francis,nobiliſq; ſtrage Ducum. Inſequens quoque dies aduerſus fuit.Nam cum matutina caligo exorta in multum diei lucem obſcuraret, Angli quæ ſigna de Francis ceperant, locis editioribus propoſuerant. Ad quam illecebram, certiore tandem luce, qui ex Franco exercitu aut per errorem vagabantur, aut vulneribus aut ſimulata morte retenti fuerant,tanquam ad ſuos lati,ab hoſte opprimebãtur. Duces in æde maxima Monſterioli ſepulti cura Eduardi Regis. Ad volgus humãdum tridui inducię agreſtibus datæ.Ad triginta millia cecidere:in quibus mille ducenti equites,quæ ferme nobilitas eſt.Carolus Luceburgenſis nõ multo poſt domum rediit ad nomen ingens capeſſendum.Secundum tantam victoriam Anglus Itium tentauit, vnde in Angliam cõmodiſſimus traiectus. Oppugnatio parum procedebat. Obſidere cœpit: ac cum ſpes lentior oſtenderetur,hibernacula ædificauit,muniuítque.Ad exercitum in hibernis & ipſe permanſit: & vxorem domo exciuit. Vndecimum iam menſem tenebat obſidio. Francis compoſitiore exercitu, magiſque quàm ad Creſciacum ſalutaribus conſiliis prouocantibus ad pugnam æquo loco committendam,ſui poteſtatem non fecit. Proinde cum Itienſibus Francus tantùm oſtendiſſet præſidii ſpem, nec poſſet per munitiones hoſtium vim facere, perruptionémque tentare,domiti fame obſeſſi. Iratus ab longinqua obſidione, ſuíque apud eos contemptione,victor graues conditiones imponebat.Niſi omnia ferro igniq; miſceri vellent, ſex ciuitatis primores ad ſupplicium producerentur: cæteri oppidani cum ſingulis ąbirent veſtimentis. Cum in ſenatu ciuitatis inter neceſſitatem indignitatémque animi ancipites diſtinerentur, ſilentiúmque ac torpor cæteros defixiſſet: qui eorum primus ſedebat, ſurrexit: ſéque iræ hoſtium offerre, ac patriæ vitam condonare profeſſus,æmulationem pietatis reliquis iniecit. Ita ſurrexit ſecundus, & deinceps cæteri, quoad iuſtus numerus eſt effectus optimatum pro communi ſalute ſe deuouentium.Sua eos pietas,Numénque ſeruauit, placabilémque Regem vel ſua Regiáque natura,vel fortuna præbuit. Philippa Regina vterum gerens, productos eos,reſtéque illigatos forte vidit:precibus vitam miſeris ab Rege marito impetrauit,authoritate etiam ſuorum Ducum deterrito, ne in oppidanos, præſidiúmve Francorum quicquam durius ſtatueretur. vt ſunt res humanæ, exemplum in Anglos fortaſſis verſurum, ſi obſeſſis & fame edomitis fœda etiam mors oppetenda ſit. Præſidium Francorum in Angliam tranſportatum, vt pecunia redimerentur. Coloniam ê ſuis popularibus Rex Anglos eò deduxit. Extorres Itienſes Francus Rex coluit: nec prius quicquam liberalitatis vlli alii impertiuit, quàm illis omnibus conſuleret. Ad ſolatium rerum aduerſarum, Vmbertus Delphinatium Princeps, dolore amiſſi vnici filii, ſtatuit cœnobio Prædicatorum ſe ſacrare: dominatúmque ſuum, cuius caput eſt Vienna Allobrogum,eccleſiæ ac Pontificibus maximis non magno precio addicere.

XLIX. PHILIPPVS VALESIVS. Gentis

Gentis eius nobilitas, Regum quàm Pontificum signa sequi malebat: & quòd à Comitibus Sabaudis bello (vt inter finitima imperia assolet) continenti vexarentur, persuasere vt Francorum fidei tutelæq; traderentur. Placuit, filii Regum, vt quisq; in proximam spem Regni susceptí essent, Delphini vocarentur, iuraq; Delphinatibus redderet. Ludouico Flandro in pugna Cresciacensi cæso successit Ludouicus filius. In Britannia etiam res aduersæ. Carolus Blesensis, ac vterque eius filius Iohannes & Vido capti, ac in Angliam missi: nec idcirco debellatũ. Eius vxor reliquam spem, caussamq; suam minime muliebri animo tutabatur, ac gentem in fide cõtinebat. Rex Anglus lacrymis vxoris suæ Reginæ, quæ Captiui consobrina esset, expugnatus, Carolum patrem dimisit. Filii remansere captiui quidem, sed indulgenter habiti, cultique. Rex Frãcus obiit annõ eius seculi quinquagesimo: reliquit liberos IOHANNEM Regno & aduersis rebus nimis nobilem: ac Philippum Aurelianensium Ducem, nec vlla re gesta insignem, & nullo in opes ex se successore. Inducię cũ Anglo in biennium factæ. Iohanne Philippi filio Rege, Rhodulphus, quem Magistrum equitum Anglus ad Cadomum in potestatẽ redegerat, ex Anglia domum regressus, securi percutitur, cum proditionis reus non satis purgare se videretur, inauspicatis noui Regis primordiis. Et Angli prius quàm dies inducíarum exiret, arcem Guinensem, pecunia corrupto arcis præfecto, ceperant: expostulantiq; Franco responderũt, rerum coëmptione religionem inducíarum non violari, confessione Franci. eum enim per inducias solicitasse Præfectum Itii: commercii felicitatem illi defuisse: sui sibi cõsilii euentum datum, pari vtrinq; conatu. In Rhodulphi Magistri equitum locum suffectus est Carolus cognomento Hispanus. pronepos erat Ferrandi, cui Castulonensis Regis filio nupserat Hagne diui Regis filia. In matrimonio habebat Blesensis Comitis filiam. Inter hunc Hispanum & Carolum Nauarræ Regem, eundem Iohannis Regis generum, simultates intercedebant, præter æmulationem aulicam eò etiam exacerbatæ, quòd Engolismensis Comitatus, quem suum Nauarrus Rex esse defendebat, ab Rege Franco donatus Hispano fuerat: quo viuo aduersario, omnia sibi infesta ducebat: ab eóque capiti suo insidias factas credi voluit. Hunc Nauarrum Comes Eburouix ex Iohanna Ludouici Vtini Regis filia sustulerat, idemq; materno iure ad Regnum Nauarræ peruenerat: quo minime contentus, Campaniam Bryámque in eadem caussa qua Nauarram, esse dicebat: quòd auia ipsius materna omnia ea possedisset, proauiq; obtinuissent. Ad tanti viri querelas sedandas Medunta & quædam circumiecta oppida attributa ei sunt, & certa pecunia partim præsens, partim quotannis numerari iussa. Quæ fiebant ad eius dolorem leniendum, ea magis iritarunt: His enim perpaucis delenimentis frustrationibũsque demi sibi posterísque omnem spem nobilissimorum Comitatuum recuperandorum ratus, omnem iram in vnum Hispanum Regi acceptissimum gratissimumq; effudit: eúmque ad Aquilam Normaniæ vicum, submissis percussoribus, nocturna vi nihil tale timentem occidit: continuóque, vt ex præparato, literas ad proceres misit, hostem iure ab se cæsum, à quo se petitum insidiis comperisse se diceret. Atrox facinus: visaque Francorum maiestas, Magistro equitum cæso, læsa.

Quæſtio decreta:dies dicta:ad quam non affuit,contrà iudiciorum exempla, niſi accepto obſide Ludouico Andium Comite Regis filio,quem in Eburouicibus Philippo fratri cuſtodiendũ tradidit.ita quem dare vades,qui ſiſterent lueréntve,oportuerat,is animum Regis ſibi accepto in poteſtatem filio oppigneratum habuit:eaq; ſuperbia contumaciaq; non multo minus quàm cædes audaciaq; Francum offendit,mouitq;.Lutetiæ cauſſam Nauarrus dixit præſide Rege:deprehenſis inſidiis quæ ſibi ab Hiſpano fierẽt,neceſſariò inſidiatorem occupaſſe:non contemptu maieſtatis in Magiſtrum equitum quicquã auſum: ſe per patrem matremq; Regiæ Francorum propinquum.Manifeſtam vim fecerat: factam paratámve ſibi ne leui quidem argumento confirmabat. Leges erant,Iudicia fiebãt exercebanturq;, quibus florentibus indicta cauſſa clariſſimum virum ſuſtulerat.Cõſtitutum eſt cædem illam perduellionis teneri.Reſpectus dati obſidis cruentas in præſentia pœnas ſumi prohibuit:vt tamen iudicii ſpecies aliqua foret,Iacobus Ducis Borbonii frater,nouus Magiſter equitum manũ iniecit,duciq; à Lictoribus iuſſit.Ex cõpoſito factum videri poteſt. Extẽplo tres Reginæ intromiſſæ,Iohanna Nauarri amita,quæ Caroli Pulchri Regis vxor fuiſſet:& Blancha eiuſdem Nauarri ſoror,eadem Iohannis Regis nouerca,ſed maternæ indulgẽtiæ: ſimul & altera Iohanna,eadẽ filia Iohannis Regis,& Nauarri vxor.Hæc patrem,vt quem maritum ſibi dediſſet, eundem ſibi condonaret:illæ vt veniam daret, hocq; viduitatis ac ſolitudinis ſolatium ſibi reliquum eſſe vellet:omnes ad pedes proſtratæ orabant.Ad hoc ipſe Nauarrus & Rex & gener & conſanguineus,vt ignoſceretur ſibi,ſupplicabat.Ita cum quatuor capita, quæ corona Regia redimita fuiſſent, demiſſiſſime precandi finem non facerent, Francus veniam dedit. Cæterum Nauarrus ſuſpicatus dolorem Regis potius dilatum quàm poſitum: cum Angli diuiſis copiis,alii à Burdegala Toloſam, alii ab Itio Iſdinum vſq; excurſiones feciſſent: Rexq; coactis tribus ordinibus,ſacerdotio,nobilitate,plebe,ſubſidia rei pecuniariæ peteret, Nauarrus intercedebat: eóque contrà tendente decretum tamen eſt Regi æs militare in triginta millium armatorum ſtipendium. Quod dum cogitur, in Atrebatibus ſeditione orta, plebs conqueſta iniquam collationem,leuari diuites,premi tenuiores: correptis armis, duodeuiginti primorum occidunt.Arnulphus Doderegus ab Rege cum ducentis equitibus illuc miſſus,de ſontibus ſupplicium ſumpſit:réſque compoſuit.Aes deinde militare ſine recuſatione vbique collatum: & fama apparatus belli apud Francos permotus Anglus ſe domum recepit. Interea Iohannes Rex interceſſionis ac audaciæ Nauarri memor,magíſque iritatus, quòd qui gener ingens ſcelus ingenti officio expiare debuerat, ac iram ſoceri pietate obſeruantiáque placare,is atrocitatem priſtinam noua indignitate licentiáque cumularet: recepto Ludouico filio, Carolum Delphinum filium Normaniæ Ducem dedit: ad quem cum eius gentis proceres officii cauſſa Rotomagum ſine metu ſuſpicioneq; conueniſſent, inter quos Nauarrus, quòd idem Comes Eburouicum eſſet, quæ ciuitas Normanis contributa eſt: Iohannes Rex cum delectis profectus Lutetia,prouolansq;,Nauarrum Iohannemq; Aricuriam è menſæ luxu, vt cum Delphino aduentitia cœna feſtiꝰ diſcubuerant, abſtrahendos curauit.

Extemplo Iohannes Aricuria,vt conſiliorum ſocius ſecuri percuſſus.Nauarrus in cuſtodiam Lutetiam mittitur.Cumq; Rex & Aricuriarum & Eburouicum oppida in poteſtatem redigere conatur,eaq; antè præſidiis firmata deditionem facere abnuunt, tota Normania in expectationem rerum nouarum erecta eſt: excitusq; in Normaniam Anglus,eius ſeculi anno quinquageſimo ſexto.Dux Claudioceſtriæ cum non contemnenda manu traiecit.Huic continuò Philippus Nauarri frater,Gotthofredusq;,redintegrata ira,quòd Iohannis ſecuri percuſſi patruus eſſet,ſe iungunt.Hi ergo Franci Regis aduerſæq; factionis fines vrunt. Vernolium arcémque expugnant, cædem faciunt. Aduenienſq; Rex eos coërcuit. Bretolium,Tegulariámque recipit. Certa erat hac parte victoria,niſi Angli copias Francorum aliò vertiſſent.Altera manus Anglorum Duce Principe Valliorum Eduardo, Eduardi Regis filio, vt à Duce Claudioceſtriæ Regem Francum auerteret, Burdegala mouit. Duo equitum & octo ſagittariorum gentis ſuæ millia ducebat. Secuti ſunt Vaſconum voluntarii,belli ſtudio concitati milites proceresq;.Pictonum Biturigumq; fines populantur.Romarentinum expugnant. Paruam Francorum manum arcere populatores conatam fundunt fugantq;. Iohannes Rex relictis in Normania copiis quantæ ſatis eſſe poterant in illum hoſtem,per Cenomanorum Turonumq; fines in nouum hoſtem ducit,qui velut compos voti,quòd certū præſensq; exitium à Nauarro Aricuriisque ac Duce Claudioceſtriæ auertiſſet, in Vaſconiam reditum parat:lætúsque Pontificis maximi Legatum Cardinalem Petrocorienſem agentem de pace in caſtra admiſit,audiuitq;.Duræ conditiones ab Iohanne Rege,vt irato indigneq; laceſſito ferebantur.Re infecta in Pictonum vrbē propinquā Legatus ſeceſſit.Princeps quatuor milibus paſſuum inde cōſedit,loco opportuno,ac ita munito,vt non facilè à tergo lateribúsve circūiri poſſet:& vineæ erant ſepesq; & opera ruſtica velut de induſtria obiecta,quæ equitatum, qua parte belli inuicti Franci habebantur, impedirent: & quicquid præterea deſiderabatur, opere militari conſilio Ducum adiectum. Princeps cum indignas conditiones paciſcendi Anglis Francus præſcriberet, concionem apud ſuos habuit, faſtum, ſuperbiam, impotentiam increpitauit. Confinxit etiam ſibi certis authoribus cōpertum exploratumq;,apud Francos conſtitutum eſſe,vt in poteſtatē redactos Anglos,partim extortos cruciatosq; interimant:partim quibus mitiſſime conſultum velint,dextræ pollicibus præciſis,virgisq; cæſos dimitterent.perſæpe virtutē delectæ paucitatis,de ſpiritibus vanitateq; multitudinis victoriam reportaſſe.ſiue vincerētur ipſi pauci,ſuperfuturam parentū,liberorum,fratrū,domi multitudinem,qui ſe vlciſcerentur: ſiue vincerent,nihil reliqui Francis eſſe:cū tota Francia ſe ac Regem Ducesq; ac ſummam rem aleæ cōmittat. Omnibus permotis, ex neceſſitate virtus augeſcit:& quod numero viribusq; deeſt,cura rationeq; explent.Nihil medium, aut vincere aut emori in animum inducunt. Ducibus maxime dicto audientes milites inter ſe fraternis ſenſibus agunt:Duces nihil niſi de communi ſalute,de ſua gloria cogitant. Adſunt,circunſpiciunt quæ ſuis ſecunda,quæ hoſtibus ſecus ſint. Nihil curæ, nihil de contentione animi remittunt. Franci cum non procul ab hoſte conſediſſent,viderentq; eum ſe munitiſſimis caſtris con-

tinere, faciléque factu eſſe, inſeſſis omnibus viis quà commeatus comportari poſſent, hoſtem ad inopiam redigere: moræ impatientes, ſi iuſto prælio ſui poteſtatem hoſtis non faciat, quacunque ratione pugnare conſtituunt: & velut minime dubia victoria, vt omnis gloria nobilitatis foret, vulgi peditatu repudiato, in equeſtri ordine præſidium omne ſibi collocant. Equites treis in partes diuiſi: vt primæ parti præeſſet Brenus Magiſter equitum: Secundæ Delphinus: Tertiam firmaret Rex. Ita cū tres eſſent acies, vt ex ſingulis centeni equites deligerentur: quod robur Francici nominis videretur: quæ ala trecētorum equitum quanta maxima vi poſſet in hoſtes rueret, perrumpénsque munitiones, primósque hoſtium ordines, viam ſubſequentibus aperiret: cæteri primæ aciei equites, omiſſis equis, reſciſſisq; intra quinq; pedum modum lanceis, calcaribus liberi, in turbatos equeſtri procella Anglos impetum facerent. Cum â Ducibus equites inſpicerentur, qui cæteros virtute anteirent, ſpeq; dignitatis communis tegendæ præſtarent: ac pectorum ſuorum oppoſitu reliquos ad hoſtem ferocem, præſidio præterea munitionum fidētem perducere poſſent: vnuſquiſq; initio vt trecentorum primus, deinde vt in trecentis numeraretur, poſtulabat, elaborabatq;. Arma, equos, tela, dextrā oſtentabant: ſua maiorumq; facinora prædicabant. Ambitio ad pericula exarſerat. Vix ſtudia incitata ad gloriam, coërceri imperio verecundiaq; Ducum, ac diſciplina militari potuere. Delectus plurium indignatione quàm gratulatione habitus. Cæterorū dolorem Rex ſedare lenireq; tentauit: ne repulſam ſe paſſos exiſtimarēt, ſe quoq; in trecentis cupidiſſime futurum, & vel ſparo pugnaturum fuiſſe, nec dextra nec animo cuiquam conceſſurum: ſed maioris rei conſilio teneri. Cum in nobilitate Francorum, tam multorū tam par ſit ſpecimen, vt iudicium præſtantiæ difficile ſit: neceſſe fuiſſe non tam illos ad primordia pugnæ ſecerni, quàm hos ad ſummam vniuerſamq; rem tutandam ſecum reſeruari. ſe omnium voluntatem collaudare: quam virtutem inter trecētos præſtaturi erant, eam, vbicunq; forent, præſtarēt. Irrita ſolatia, vanæ exhortationes. Trecenti Magiſtro alæ Euſtathio Ribomontano, & ſuopte ingenio feroces, & teſtimonio Ducū, & mutua æmulatione, & pollicitatione Regis ſublatis animis, ante ſigna procedunt. Vbi ad rem gerendam ſigno dato ventum eſt, ſubditis calcaribus cōcitant equos, per vineas pedamentaq;, per depreſſiſſimas ſcrobes, per altiſſimas foſſas, per ardua, per prærupta enituntur, euadere conātur: nullo clamore, nullo vulnere, nulla peſte præſenti imminentíve à decore auertuntur: in dextra ſua Franciæ ſalutem poſitam exiſtimant. Equi ſagittis vndiq; volantibus pauci imperterriti ad equites hoſtium perrupere. Nec dubiū erat, quin ſi cæteri agi impelliq; poſſent, cladem hoſti inferrent. Sed maxima pars in poteſtatē redactis frenis, ſpretisq; calcaribus, alii ſeſe circumagunt, alii erectis prioribus pedibus equitem excutere contendunt: tumultumq; inter ſe inſanamq; trepidationem conſternati edunt: peditemq; etiam perturbāt. Et erumpentes pari ferme numero hoſtium equites, integri, recentibusq; viribus, per intermiſſa munitionibus ſpatia, vanum prælium trecētorum fecere. ac ſuccedenti primæ parmatorum aciei, decurtataq; lancearum longitudine intra fuſtium breuitatem armato militi occurrunt, oneratumq; immobilibus armis adorti, cedere primos

ordines cogũt. Laxataq; tota acies: & poſtremos etiã pauor perſtrinxit. Altera Anglorum ala propinquum tumulum cum mille ſagittariis circumuecta, in apertum latus ſecundæ aciei impetum repente fecit: nec diutina fuit pugna, difficilisve res aut ambigua. Qui Francorum poterãt, prius ad pugnam equos repetebant: mox cum iuſtæ lanceæ deſiderarentur, pugnaq; fuſtium parum virium hoc loco aduerſus hoſtem, non ſudibus, ſed iuſtis armis telisq; armatum, ac vltro irruentem haberet, nec incitare in hoſtem equos demptis calcaribus poſſent, de ſalute cogitabant. Tunc Eduardus Princeps cum reliquo equitatu peditatuq; Regium agmen adoritur. Præſentia Regis ne ſtatim in fugam inclinaretur, effecit: cum duas victas acies cõſpiceret miles. Rex animo dextraq; non deficit. Alibi fuſtibus, alibi ſtrictis gladiis dimicatur. Legati fratris filium cæſum Eduardus Princeps conſpicatus, iuſſit corpus ſcutis imponi, portariq; ad patruum, renunciariq; eum violaſſe ius gentium, quòd fratris filium in eos armarit, ad quos orator iuiſſet. Eduardum parem mercedẽ gratiamq; referre, ac hoc domeſtico cadauere remunerari. In medio ardore pugnæ nõ vacauit imperatum exequi: mox etiam procerum authoritas valuit, ne animo Cardinalis tantum vulnus infligeretur, prius quàm ſciretur, eá ne in re patrui culpa eſſet: quem poſtea cõpertum eſt ipſum extra noxam eſſe: iuuenem à ſene patre multo antè traditũ Regi. Sed auguſtioris maieſtatis viri cecidere, qui mori in veſtigio ſtantesq; malebant, quàm terga fugæ dare, aut ſe hoſti dedere. Cæterum cum trecẽtorum virtus maior quàm felicior enituiſſet, cumq; fuſa prima ſecundâque acie, omnes vires hoſtis in Regem verſæ acerrime pugnarent: cædes procerum facta eſt. Philippus filius Regis cognomento Audax, à patre tegendo diuelli non poterat: miram virtutem præſtitit: tandem circumuentus, captusq;. Rex militis fortiſſimi ſtrenuiq; munere fungebatur. Anglorũ nullus gloriam manus in eum impune iectæ tulit. In Atrebatis poteſtatem venit. Dionyſius Myrobrechus Atrebas cæde domi facta exul, apud Anglũ honeſtum ordinem ducebat: & Atrebatium fidem virtutemq; Princeps probabat, commendatrice concilianteq; Roberti memoria. Hic Dionyſius Regem in tumultu pugnæ agnouit: viaq; vi facta, propius accedens, Francica lingua hortatus eſt, vt circũfuſa tanta Anglorum multitudine, inter tot furentia tela, neceſſitati pareret: certa præſentiq; pernicie, tempori cederet: ſeq;, quoniam ſibi ipſe minime parceret, ſuis, fortunæq; Franciæ remedia malorum allaturæ, reſeruaret. Principem requirebat Rex. Ille alia pugna occupabatur. Atrebati dextram Francus dedit. Necdum finis periculi. De captiuis inter victores certabatur: nec modò inter ſingulos, ſed inter gentes, Anglos, Vaſconesq;, & qui ex reliqua Gallia ſigna Angli ſequebantur. Rex à prehenſantibus huc illucq; diſtrahebatur. In eius oculis Francorum aliquot nobiles dilaniabantur, cædebanturq;, quòd qui hoſtiũ pertrahere ad ſe tot eluctandis manibus captiuum non poterãt, ii eum potius inter manus occidebant, quàm vt alii cederet. Rex periculi exemplo permotus, manu nutuq; ſedabat iras: ac vbi exaudiri poterat voce, negabat tumultuãdi cauſſam eſſe: ſe vnum omnium virtuti domuiq; locupletandæ eſſe. & forte nobiliſſimi Anglorum Vaſconúmque aduolantes cum turma delectorũ, voce præconis, cum furcæ minis, verbis Principis pro-

nunciauere, à corpore Regis faceſſerent præpropere qui circunſtabant: præ- 45
mia ſuæ cuiuſque fortitudini fœlicitatiq; ab Rege principeq; deſtinata. ipſi ad
edictum ſubmouente ſeſe turba, deſilientes equis Regem adorauere: reueren-
tiſſimeq; ad Principem ducebant: qui iam re allata, venerabundus occurrit, in
tabernaculumq; perduxit: nullo officii humanitatisve genere omiſſo. Nec pu
gna vlla cruórve poſthac fuit. Capti nobiles ad mille quingentos, multo mi- 50
nore quàm ad Creſciacum cæde. Quinq; omnino millia armatorum deſide-
rata. Speciem nobiliſſimæ omnium victoriæ captus cum filio Rex præbuit.
Pictones vrbe recepere primos fugientium: mox metu, ne ſimul victor irrum-
peret, portas clauſere. Diſſipati in fugam, totam Franciam luctu impleuere.
Delphinus aliquot turmas prælii facti ignaras, ac tanquam ad principia rerum 55
occurrentes, nocte quæ diem pugnæ inſecuta eſt, in eam vrbem miſit. Cœnam
Regi Princeps caſtrenſi apparatu, ſed exquiſitiſſimæ comitatis dabat. Ille Re-
gio pectore dolorẽ premebat. Nullæ vocis querelæ exaudiebantur: ſed miſer-
rimis rebus, non ita abditos incommodorum ſenſus diſſimulare poterat, quin
in vultu extarent indicia pugnantis cum animi magnitudine malorum acer- 60
bitatis. Quem eo modo affectum, venia dicendi petita, poteſtateq; facta, ita al-
» loqui auſus eſt Princeps. Nulla cauſſa eſt, Rex omniũ clariſſime, cur ſolici-
» tus ſis. Arma tua tuorumq;, fortunæ Numiniq; ceſſere. Nobilitas inuiolata, di-
» gnitas integra, maieſtas ſancta, ac quæcunq; vere tua erant, tibi incolumia per-
» manſere: nec vlla dies vísve delebit, minuétve. Deus Opt. Max. ſui omnino iu- 65
» ris arbitriiq;, vt omnia, ita & fortunã belli ſtatuit eſſe. Maiores tui terra mariq;
» præclara facinora geſſere. Tota Europa, totus Oriens, omnia propinqua, o-
» mnia longinqua, referta ſunt trophæis victoriisq; Francorum. Pietatis religio-
» nisq; cauſſa, & nominis Chriſtiani dignitas amplitudoq; à vobis aduerſus va-
» lidiſſimos opulẽtiſſimosq; Duces impiorum Imperatoresq; defenſa adauctaq; 70
» eſt. Nulla monumenta non inciſum habent tuorum nomen. Nulla ætas non
» prædicabit grata recordatione laudes veſtras. Nulla gens non fatetur, Francis
» ſe aliquando debuiſſe. Nulla non ſperat ſe aliquando beneficio incrementoq;
» accepto debituram. Vnum aut alterum tandem prælium inter innumerabiles
» triumphos paulo minus proſperum è ſententiâque ceſſit. Caſus ita tulit, qui 75
» equos, tela, arma, debilitare poteſt. Pectus tuum inuictum, animi robur inſu-
» perabile, ſola magnitudo tua præſtare poteſt. Neq; hic dies tibi tuísve quicquã
» detrahet. Et hæc terra Francia, quæ multos maiorum meorum procreauit, a-
» luitq;, ſentiet me & in ſe pium, memoremq; natalium: & erga maieſtatem tuã
» demiſſiſſimum, ſi hoc nomine gloriari me pateris, cognatum. Omnes cauſſæ 80
» neceſſitudinis inter te patremq; meum intercedunt. Noui intimos patris ſen-
» ſus, affectusq;. Facilè inter te illumq; conueniet. Neq; me ſuum, filiũmve agno-
» ſcat, niſi te pari atq; ſe ſanctitate, eodemq; loco venerationis pietatisq; habeam.

Cognouit Principem Iohãnes generoſum victorem: nec ille officioſius lo-
cutus eſt, quàm re præſtitit. Franciam vrere deſtitit: pacatoq; agmine Burde- 85
galam Francum duxit. Ibi ſeditio orta, nec Vaſcones paſſi ſunt, niſi muneri-
bus pollicitationibusq; Principis pleni, Iohannem in Angliam tranſuehi. My-
robrecho quinq; milia aureorum præſentia in ſumptum cultumq; numerata:

vbèriora præmia ab Eduardo patre expectanda. Et in Angliam magna classe, exploratisq; omnibus transmissum: quia timeri poterat, Francos maritimis viribus statuisse recuperare Regem. Luctu occupata erat Francia. Apparatissime magnificētissimeq; ab Anglis exceptus est Rex Iohannes. Quem cum hostes tantopere colerent, Delphinus filius recipere contendens, pietatis sapientiæq; laudem tulit. Lutetiam tota ex Francia optimates conuenerant: ad eos de rebus restituendis tutandisque relatum. Quinquaginta ex illis lecti: iiq; ad diui Francisci congressi, summotis cæteris, de re pecuniaria primùm, deinde de reliquis rebus consultarunt. Delphini ætati diffisi, petebant ab eo iusiurandum, non enunciaturum quæ ex se audiret. Ille non esse maiestatis suæ arbitratus, vlla iurisiurandi religione se suis obstringi, iuraturum se pernegat: iubetq; sibi iniurato ea dicere quæ sentirent. Edunt nomina summorum aulicorum, quos peculatu diuites factos criminabātur, pecunia multandos videri: vnde tantum auri confici posse confirmabant, vt cōmuni saluti consuleretur. Ad hoc Nauarræ Regem custodia liberandum. Petebant præterea, vt sacerdotium, nobilitas, plebs, ex corpore ordo quisque suo senos legerent: vt duodeuiginti virorum cōsilio eius adolescentia niteretur. Hoc iuueni videbatur non opem ferre, sed leges imponere, præceptáque dare, ac præbere seditiosis audacem præpotentémque ducem. Sed propalam coarguendi tempus non erat. Tantum dissimulanter cōsilia quinquaginta virorum disiecit, iussis illis certa die in curiam adesse, vti de postulatis eorū cognosceretur. Illa dies sublata est, caussante Delphino allatas ex Anglia à patre literas de rebus quas differri non oporteret. Exin aliis atque aliis frustrationibus dum dies trahitur, tota res ardenter cœpta elanguit: ac moræ tædio quinquaginta viri domum diuersi reuertêre. Apparuitq; multitudinem Rege parenteq; orbatam, omnibus seditionum licentiæq; procellis agitari. Parisii primas totius Franciæ cōciliorum partes sibi vendicabant. In primis apud Delphinum questi sunt nouum nummum non iustæ probitatis, sed magni ad cōmercia rerum intertrimēti percussum. Furto etiā è custodia subductus à suæ factionis hominibus Nauarrus, res magis turbauit: nec defuit Anglus. Inducias in biennium, sed cum exceptione, cū Francis fecit, vt liceret sibi & opem Nauarro ferre, & in Britannia contra partes Blesensis pugnare. Solum Numen Franciam texit. Nauarrus non fractis custodia spiritibus, sed ira aucta, concionem Lutetiæ habuit: indignitatem, iniuriam, contumeliam, conquerebatur: studióque dicendi eo processit, vt negaret se à iure diadematis esse alienum: significarétque se etiam legibus propiorem esse nonnullis qui iure controuerso armis de Regno decertarent. Neminem fefellit quò spectaret ea ostentatio. siue mulieres ad sceptra peruenirēt: Iohanna mater Nauarri, eadem Ludouici Vtini Regis filia, prior vocanda fuerat, quàm Isabella mater Eduardi regis, eadem eiusdem Vtini soror. siue lege non ipsæ vtiq; fœminæ, sed earum filii ad auita Regna vt cognati reciperētur, Nauarrus ante mortem Caroli Pulchri Regis natus, controuersiam de iure Regni Francici mouere non dubitasset, vt Anglum filia Philippi Pulchri Regis ortum excluderet post Caroli Pulchri Regis obitum, ipse Vtini soboles. id quod timuisse Anglus videtur: nec magna auxilia illi misit: vt hoc bellū velut

lenta tabe paulatim cõficeret quicquid reliquæ spei Francis erat: quasque ipsi videretur, leges Iohannes Rex Delphinusq; acciperent. Et extemplo permouere conabatur. Dauid Scotorũ Rex ab eo captus aliquot antè annis fuerat: tunc dimisit decem millibus nummûm aureorum pactum, iureiurandoq; adactum, se apud suos omni studio elaboraturum vt Regnum Scotorum beneficiarium Anglorum sit, eisq; dicto audientes sint. Non dispares conditiones Iohanni legesq; præscribebat. Frãcus de auro nihil recusabat: ius Regni quale à parentibus accepisset, tale liberis se relicturum: nec ab hac sententia vlla re aduersa, necessitatéve, aut mortis vllo cruciatúsve genere desciturum prædicabat: nec suam filiiq; ac aliquot præterea procerũ salutem, qui mortales sint, tanti esse, vt immortalitati dignitatis Franciæ non prospiciatur. Et hæc Angli cupiditas ad cõcilium vniuersæ Franciæ tresq; ordines delata, omnes indignitate mouit. Et Delphinus omissis Parisiis reliquas ciuitates circumibat, opem rebus afflictis & patri petẽs. Apud singulas perfecit; quod apud vniuersas nequiuerat. Ocitani authore Armeniaco Comite, non expectatis precibus Delphini, aurum matronarum, & omnia ornamenta contulere. Legem etiam sumptuariam, & de mundo muliebri repetiuere: octo millia bellatorum armaturos se tutaturósque professi sunt quoad domum Rex restitueretur. Eos Campani secuti sunt. Quem secundiorum rerum cursum Parisii inhibuere, factionum studia Nauarro excitante; non summo tantum Duce, nobilissimóque nomine, sed magno per se viro; ac doctissimo eloquentissimóque; nisi iis artibus abuteretur: & erat popularitate ingens. Eo contratendente maiestas Delphini vilis erat. Multa cõcilia & ad diui Iacobi, & aliis locis habita. Re infecta vndiq; discessum. Quædam etiam cædes factæ: & confugientes ad templorum tutelam, abstracti, iugulatiq;. Violatores templorum cum mox ab aduersa factione cæsi essent, sacra sepultura prohibiti à sacerdotio: nec pax funeri data. Secesserat Delphinus, ad auunculumq; in Germaniam se cõtulerat. Lutetiam orantibus Parisiis reuersus, vitæ periculum adiit. In eius oculis nonnulli aulici cæsi. Præpositus mercatoribus Stephanus Marcellus, ne quis in Delphinum per imprudẽtiam manus iniiceret, insigne Parisiensium partium Capitiũ ei imposuit. Factio ea bicolor erat. Quo facto, tantos sibi spiritus Stephanus sumpsit, vt ad cæteras ciuitates publice literas mittere non dubitaret, vt se cum Parisiis consociarent, gererentq; insigne quo Delphinus vteretur. Partes Nauarri in Normania finitimisq; locis præualidæ formidolosæq; erant, & fauore Normanorum, & auxiliis Anglicis, &, quæ maior vis erat, decẽ milibus Nauarrorum accitis, in oppidaq; quæ propinqua Parisiis in potestate habebat, diuisis. Et ne quid misero rerum statu domesticæ pestis deforet, omni propè Francia plebs à nobilitate secesserat, quòd eius superbia euersam Franciam dictitarẽt, inopemq; plebem seruorũ loco haberi. In Bellouacis agrestis multitudo ex professo ab vrbana defecerat. Antequam latius id malum serperet, Delphinus Parisiense insigne abiicit: relictaq; Lutetia, nobilitatis manum quam maximam potest, cogit. In Bellouacis ad tria millia agrestium cæsa. In Meldis cum agrestis vrbanæ plebi se iunxisset, aliquãto maior vtriusq; strages à Delphino facta. Quo metu cæterarum ciuitatum plebs ad sanitatem, quotidianumq;

tidianūmq; laborem, ac aratrum rediit. Et reliquæ vrbes indigne ferentes Pariſios ſibi authore Marcello ſummam rerum arripere, Delphino aderant. Ex his triginta millia armatorum confecit. Confluentes Matronæ ac Sequanæ in poteſtatem redegit, vti hoc freno Lutetiam inhiberet. Nec in difficili res fuit. Ad Fanum Dionyſii ſuos Nauarrus duxerat à Pariſienſibus accitus. Sed vbi in colloquium cum Delphino venit, ſuſpectus illis eſſe cœpit, id quod per colloquii ſpeciem Delphinus captauerat. In Stephano, iuſtóve prælio ſpes ciuibus nulla. Nam leuibus præliis experti non paruo ſuo damno fuerant. Inſidiis etiam quædā manus excepta. Qui integri erant à factione Nauarri Marcelliq;, animos ſuſtulere: ac ad diui Antonii portam Stephanum noctu, cū eius portæ claues peterent, isq; denegaret, occidunt: Delphinúmque cum exercitu ex cōpoſito patefactis foribus recipiunt. Duobus ſeditionis authoribus gula fracta, multitudo ad concionem inermis vocata, grauibus verbis increpita eſt. Reſtabat cum Nauarro bellū. Is Meduntam ad inferiorem partem fluminis Sequanæ in poteſtate habebat: ſimul ad ſuperiorem eiuſdem fluminis partem extorſerat à ſorore Blancha Meledunum: quod oppidū illius Reginæ viduitati attributum fuerat. Anno inſequenti, qui fuit eius ſeculi vndeſexageſimus, cum exiuiſſet induciarum dies, & Frācos Anglus prælio victos, bello inuictos adhuc cerneret, nec domeſticis malis frangi flectíve poſſe, Itium tamen tranſmiſit, Remos tentat. A Burgundionibus centum millia aureorum nummûm exegit, ne eorum euaſtaretur ager. Ad Gentiliacum ſuburbanum Lutetiæ vicum copiam pugnæ fecit. Nihil fortunæ commiſere Franci. Sua vri vaſtariq; malebant: & ille omnia ferro flammaq; miſcet. Ei cordi erat aut vaſtas ſolitudines Franciam facere, aut in poteſtatem redigere. Cum vſto agro Pariſienſi, Carnutum fines popularetur: Dux Claudioceſtriæ auſus eſt eum hortari, vt bello Francico finem imponeret. Nudum, inquit, ſolum, vaſtumq; relinquere « Francis potes: ipſi Franci cæſis patribus ſuccreſcentes ſoboleſcentesq;, ac iam « efferati, & malorum aſſuetudine indomiti, te in rebus nullo exitu gerendis o- « mni vita tenebūt. Et ſors authoritatē Ducis iuuit. Cum nondum verborum « finem dux feciſſet, repentina tempeſtas cum horrendo cæli fragore miniſque ſæuis exorta, ita terruit, vt portenti loco miraculoq; Anglis eſſet: quorum etiā nonnullos frequenti inſolitæq; magnitudinis grandine, ac ignibus cæleſtibus exanimatos ferūt. Rex ad virginis Carnutum Præſidis ædem verſus, procumbensq;, veniam incendiorum, cruorisq; hauſti popoſcit: æquamq; pacem terræ hominibusq; daturum ſe voto mente concepto, verbis etiam nuncupauit. Ad Britiniacum vicum vtriuſque gentis proceres conuenere. De Pontiuenſi Comitatu nulla controuerſia fuit, quo minus Anglo cederet, quòd dos materna extitiſſet. Vt ſancta pax reliqua videretur, & non temporū iniquitate extorta, placuit initium huius fœderis par fieri ei fœderi quod cum diuo Rege Angli ſanxiſſe dicebantur: vt duo Eduardi Rex filiúsque remitterent Regi Franco ſi quid iuris in Andes, Turones, Cenomanos, Normaniámque haberent. Anglis redderetur Aquitania, ſed iis finibus, vt ei Vaſconia, Pictones, Sanctones, Petrocorii, Lemouices, Cadurci, Engoliſmenſes, Ruteni, hæc omnia cōtributa forēt. Additū, vt caueretur illa eo iure omnia Anglus haberet, quo qui optimo.

Rex Francus intra certam diem,ea plus quàm annua erat,ſummò in Aquitanos imperio iureq; cederet. Eaq; omnia ita futura, Rex Francus Delphinusq; ac omnes proceres Regii generis iureiurando ſancirent. Iureiurando itidem ſolenni Anglus exueret ſe iure,ſi quod illi in Regnum Franciæ,ſummúmque dominatum,ſpémque hæreditarii diadematis extitiſſet. Numerarentur etiam Eduardis tricies centum ſcutatorũ milia:deducerentur vtrinq; exercitus,præſidia,milites. Interea darentur obſides duo filii Iohannis Regis,Duces Andiũ Biturigumq;:cum alteris duobus Ducibus,Alenconio,Borbonioq;. His conditionibus, ac datis quos conuenerat obſidibus,quarto q̃ captus fuerat anno reuertit Iohannes Rex. Ciuitates quas dari placuerat,facere deditionẽ Anglo abnuebant. Aegre peruicit vt tempori cederetur. Deducta præſidia cum in vnum coiiſſent,fortunas reliquas agreſtium agebant,ferebantq;,paci agrísque infeſta,ac vrbibus formidoloſa. Pontificem inuiſens,ſacram militiã profeſſus eſt,& pietatis cauſſa, & vt omnem Galliam ea lue liberaret: illosq; in verum hoſtem duceret. Mortuo interea Philippo Burgundiæ Duce,eodẽ item Burgundiæ,Atrebatiumq; Comite,in Burgundiã ſe contulit. Filiam Longi Regis maximam natu,quæ iure materno Burgundiæ,eadẽ iure auiæ maternæ Atrebatium Comes fuit,nupſiſſe Odoni Duci Burgundiæ oſtendimus:quo ex matrimonio eſt editus Philippus:ex hoc alter Philippus: quo ineunte adoleſcẽtia defuncto,Burgundionũ Annales (quos equidem euoluerim) produnt illã aliam Longi Regis filiã,quæ Flandro iuncta fuerat,in Comitatus Burgundiæ Atrebatiúmque:Francum vero Regem Iohannem, quòd ex Iohanna magna Philippi Ducis amita à Philippo Rege procreatus eſſet, in Ducatum ſucceſſiſſe: illumq; filio Philippo Audaci dono dediſſe. Franci Annales nihil aliud quàm Regem in Ducatum ſucceſſiſſe cõmemorant:Audacemq; iam Ducem Turonũ,poſt obitum patris relicto Turonũ Ducatu,à fratre Carolo Quinto Rege Ducem Burgundionum creatum. Iohannes Rex ad reliquas res, antequam in religionis hoſtes moueret,perficiendas,Itium ad Anglos redit,atque Londinium tranſmiſit: ibiq; morbo correptus obiit,anno eius ſeculi ſexageſimoquarto:relictis liberis Carolo Quinto,Ludouico Andium, Iohanne Biturigum,Audace Turonum an Burgundionum Ducibus:ſimul Iohanna Nauarræ Regina, Maria Roberti Ambari Ducis, Iſabella vxore Iohãnis Galeatii Mediolanenſis. Huic dos Comitatus Virtutum eſt attributus. Is dominatus eſt in finibus Campaniæ Francicæ. CAROLVS QVINTVS cognomine Sapiens, primum omnium relatum ex Anglia patris corpus ad Dionyſii Pariſiorum ampliſſimo funere extulit. Exin Remis more inſtitutoq; maiorũ ſacratus,Lutetiam regreditur: ibiq; omne propè quo regnauit tẽporis ſpatium egit,per præfectos fratresq; bella gerẽs. Bertrandus Geſquinas genere Britannus,vir bello egregius,de Nauarro Meduntam,Mulanchumq; cepit,eúmque acie deuicit:ſimul ſaluo fœdere Anglico,in Britannia res geri poterant,quòd pace Britiniaca neq; cautum neq; exceptum erat quo minus Iohanni à Monteforti Iohannis filio, Caroloq; Bleſenſi ius ſuũ armis perſequi,ac inter ſe decertare liceret,auxiliáque vndecunque accerſere. Id eo conſilio factum videri poterat, vt qui bello aſſueti turmatim cateruatímque vagabantur, ex reliqua

Francia in Britanniam dulcedine belli abirent:fruſtra contendente Petro Luſiniano Cyprio Rege:qui ex Oriente ad nos profectus author erat,vt ſacrum bellum ab Iohanne Rege deſtinatum,eo defuncto nihilo ſecius ſuſciperetur, gereturq;,cæteris interea bellis omiſſis,curisque depoſitis. Qui Francicarum partium fuerant, ad Caroli:qui Anglicarum, ad Iohannis ſigna ſe contulere. Bleſenſis commiſſo certamine,in acie cecidit,ſancta poſt obitum ſui memoria:& ab hoſte quoque victore ampliſſimis verbis collaudatus: tranſactióque mox conſenſu facta. Iohannæ viduæ,cuius nomine id bellum geſtum,redditus Principatus Pontiberæ, ac non pauca præterea contemnendáve oppida. Iohannes,Dux Britanniæ dictus,Franco Regi ſe iureiurando deuinxit. Iam ad aliquod externum bellum ii qui domeſticæ paci graues ſupererant,abducēdi erant. In Hiſpaniam itum. Petrus Caſtulonenſium Rex primùm fœdus cum Francis percuſſerat,affinitatémque iunxerat,Blancha Borbonii Ducis filia,eadem Reginæ Franciæ ſorore,in matrimonium ducta. deinde Anglorum ſtudioſior factus,vxorem indignum in modum habebat,maléque tractabat,pellice Padilla infimulante,eam thori æmulæ impatientem,cingulum aureis bullis quibus vis magica ineſſet, Iudæo quodam authore conficiendum curaſſe:quo vxorio munere accepto ſi vir Rex ignarus doli cingeretur, mente minutus & corpore,in poteſtate vxoris foret. Obiit Borbonia fato ſuo, an fraude aliena. Tarraconenſium quoq; Rex à Caſtulonenſi bello vexabatur,Francorum cupidus. Simul Henricus frater Caſtulonenſis,nothus,in Franciam refugit,domo exactus,oppidisq; exutus,quæ à patre Rege aſſentiente Petro iuſto filio accepiſſet,multosq; annos nemine cōtratendente obtinuiſſet. Geſquinas per Tarraconenſis Regis fines in Caſtulonenſem duxit,ac Henricum domum reſtituit. Petrum exegit. Is cū liberis ex priore vxore Luſitani Regis filia ſuſceptis Burdegalam ad Anglum profugit. Princeps Anglus anguſtiis Roncæuallis ſuperatis,duce itinerum Rege Nauarræ,ad Pompellonem peruenit. Exin prægreſſus Nauarrus Rex,interceptus ab Oliuerio Manno gente Britāno,ſed Francicarum partium:ac Tarraconē ductus. Anglus ſuſpicatus eſt eum volentem captum:ac vltro ſe Francis obtuliſſe. Nihilo ſecius Petrum in Regnum reſtituit: Geſquinatem acie vincit,capitq;. Henricum fugat. Mox cum Petrus militi ſtipendia(vt conuenerat)non diſſolueret,copias deduxit. Nauarrus dato obſide filio dimiſſus,Geſquinas precio redēptus. Henricus cū Franciam ex fuga repetiſſet,nouo exercitu adiutus,domumq; regreſſus,ac deſtitutum Anglicis auxiliis fratrem hoſtem adortus,victor occidit:rerumq; potitus, Rex conſenſu ſalutatur,coronaturq;. Dux Leceſtriæ Principis frater, cœlebs maiorem filiam Petri Regis in matrimonium accepit, Comes Cantibrigienſium minorem. Princeps Aquitanis noua & inſolita genti vectigalia imponebat,tam magnis rebus geſtis egens. Iam gentem liberius viuere aſſuetam Anglici tædebat imperii. Ciuitates ab Iohanne Rege Anglis traditæ, flagrabant deſiderio Franci Regis:deplorabant præſentem rerum ſuarum ſtatum. Minime omnium pati poterant ſingulis tandem focis tributum indici, cogíque à Principe. In primis Comes Armeniacus,cum veteribus legibus iura non reddere Principē conquereretur,Francum Regē appellauit,ad eum prouocauit.

Primum Rex Frãcus eas diſceptationes aſpernabatur. Deinde Dormanus iu-
riſconſultus, cuius prudentia quamplurimum Rex vtebatur, author fuit Ar-
meniaco vt cauſſas agi in conuentu Pariſienſi ante pacẽ Britiniacam cœptas,
Rege Franco Pariſienſiq; ſenatu cognoſcente perſequeretur: quandoquidem
diceret futurũ, vti hac feneſtra patefacta, lux rebus obſcuris exoriretur. Nihil
prius motum, quàm obſides Francorum qui apud Anglum aſſeruabantur, vt
ſuos interuiſerent, dimiſſi, domum reuerterunt. Cum Armeniacus nullum fi-
nem faceret de Principe Anglo conquerendi, iuraq; prouocationum, & leges
Francicas implorandi: miſſus Burdegalam quidam Caponellus ex Belſica no
bilitate, Principi diem dicere auſus, in præſentia ſine noxa dimiſſus: cum in fi-
nes Agenenſium peruenisſet, ex itinere retractus eſt: alter ſubinde in Angliam
mittitur cum literis, ignarus in illis bellũ denunciari ipſi Regi Anglo. Is illæ-
ſus dimiſſus, & incolumis domum rediit. Continuò Comitatus Pontiuenſis
oppida conſiliis antè præparatis ad Francũ defecere. Simul diuerſo loco Ca-
durcorum vrbs, ac omnia in eorum finibus oppida in fidem rediere, excellẽti
Epiſcopi ciuitatis opera. Anglus domo Burdegalam copias tranſmiſit. Excur
ſiones paruæ, ac non magnæ expeditiones factæ. Nec modò nobiliſſimis viris
vis inſidiæq; parabantur: ſed Iſabella Ducis Borbonii mater, eadẽ ſocrus Re-
gis Franci, cum frequenti grege matronarum virginumq; ad Bellamperticam
captæ, ac aliquãto pòſt grandi pecunia receptæ. Biturigum Dux Lemouices,
ipſis ſe dedentibus, recepit. Maior moles exercitus Itium claſſe appulit. multis
paſſim locis vagati, ad Iudæam ſuburbanũ Lutetiæ vicum caſtrametati ſunt.
Magiſter equitum Maurellus Fiennus imperium depoſuit. In eius locũ Geſ-
quinas ſuffectus, Anglis Franciam vrentibus, nihil per trepidationem egit: op-
portunis locis adortus, carpensq; poſtremum agmen, modò etiam à latere ac
tranſuerſus inceſſens, ita affecit, vti eos conatus audaciæq; puderet tandem, pœ
niteretq;. Qui horum ſuperfuere in Pictonibus, iis ſuorum ſe coniunxere, qui
magno ſatis numero in præſidio vrbis erant. Lemouicum vrbem Angli rece-
pere, ac ob iram defectionis direptã incendêre. Hæc in continenti: ſed & mari
res geſtæ. Claſſis Francorũ claſſi Hiſpanæ ab Henrico auxilio miſſæ coniun-
cta, expugnat quinque & triginta hoſtium naues ad Rupellam: quo in oppido
trepidatum fuit, quòd inter Anglicum præſidium oppidanosq; ſuſpicio mu-
tua, diffidentiaq; eſſet: actumq; aliquid memorabilis facinoris fuiſſet, niſi claſſis
Francorũ curſum direxiſſet ad oram maritimam Angliæ euaſtandam. Interea
Rupellanorum animi adeo confirmantur, vt dum Geſquinas Fanum Seueræ
obſidet, redeuntem ad diſtinẽdas vires hoſtium claſſem Francicam Rupellani
per ſe ſuſtinuerint, intra arcem continẽte ſe præſidio. Qui vero Angli præſi-
dio Pictonibus erant, cum opem Fano Seueræ ferre conantur, vtrobiq; offen-
derunt. Pictones enim leuati metu ſeſe Biturigum Duci dedidere: & repulſo
noui hoſtis aduentu, Fanum Seueræ Geſquinas cepit. Biturigum Duci Rex
Comitatum Pictonum Santonumq; vtendum fruendumq; conceſſit. Et Ru-
pellani deditionem fecere deplorata omni ſpe, quòd Capitalis Buziorum, ita
Principem ſuum Buzii (Vaſconiæ ea regio eſt) vocitant, nobilis bello Angli-
carum partium Dux, ſubſidio cum magna manu veniẽs, ipſe captus à Francis

fuiſſet,cæteris vel fuga dilapſis,vel cæde ſtratis.Iohannes Dux Britãniæ quòd Angli Regis gener erat, popularium animos auertere à Francis elaborabat. Proceres gentis tres,Roanus,Lauallus,Cliſſonus,denunciauere,niſi quam iureiurando Francis fidem dediſſet,ſeruaret,ſe ab eo defecturos:nec ea re vllius ſe noxæ fraudíſve conſcios futuros. Igitur minime tutum ratus ſe illis credere,in Angliam tranſmiſit,ad excitãdum inde maiore vi bellum.Interea ſummam omniũ rerum Britannicarum Roberto Canolo ſummo ~~armis~~ Anglicis duci,qui ampliſſimum patrimonium in Britãnia habebat, ac gloria belli ſanguiniſq; nobilitate præſtabat,tradidit.Franci Britanniam ingreſſi complu-
ribus ducibus,alii alia oppida arcéſque adorti ſunt oppugnare. Breſtum maritimum oppidum Robertus Canolus tutabatur.Subigi ad deditionem terra oppugnantibus non poterat. Eodem tẽpore obſidebatur oppugnabatũrque Deruallum,quod oppidum patrimonii Roberti cenſebatur,eius conſobrino Hugone defendente.Is pactus eſt deditionem ſe facturũ,niſi intra duos menſes ex Anglia tantũ copiarum aduenirẽt,vt poteſtatem pugnæ æquo loco facere,ac ſe obſidione eximere poſſent: interea ſe neque militem intra mœnia recepturum,neq; cõmeatus:ac ad fidem promiſſorum duodecim obſides dedit. De Breſto in eadem ferè verba & Robertus pactus eſt.Ex Anglia auxilia mari intra conſtitutã diẽ aduenere:caſtriſque naualibus munitis,ac loco idoneo capto, maritimæ Anglorũ copiæ prouocabant ad pugnã Francos terra prælium non detrectaturos.Procul à nauibus cãpis patentibus ſe non cõmittebant.Francus dimicaturũ ſe profitebatur,ſi(vt cõuenerat)pari ſimiliq; prælii genere,æqua conditione certaretur, ſoluereq; obſidionẽ virtute illi conarentur.Die circumacta,Angli nauibus Breſtum à Roberto recepti ſunt. Denuncianti Franco ſe in obſides Deruallenſium animaduerſurum, renunciari iuſſit Robertus,Hugonis vnius arcis præfecti pactione nõ teneri ſe,qui ſummam rerum Britannicarũ obtineret: pactionis verò ſuæ cõditionem cõmiſſam non eſſe,quandò auxilia intra ſpatium tẽporis cõpoſitum adueniſſent,& ad pugnam prouocaſſent,nec Breſtum ingreſſa ſint,niſi poſt tempus quo nõ licere cautum fuiſſet.Deruallum familiæ ſuæ oppidum, vt minis territus tradat,cõmiſſurum ſe non eſſe:ſin ſæuiretur in obſides,ſe quoq; ſumpturũ ſuppliciũ de totidẽ numero captiuis,quos ex Francica nobilitate haberet.Apud ſummum Pontificẽ fidem Frãcorum inuiſam facere ac deteſtabilẽ omnibus gentibus conabãtur Angli oratores, quòd à Britiniaco fœdere diſcedere eos dicerent:quod vtri priores violaſſent,eos fulmine iraq; ſacroſanctæ poteſtatis feriendos cõueniſſet:idq; amborum iuſiurandũ Authore Pontifice pium habitum.Frãcus orator & memoriã Iohannis fraude liberauit, & Quinti factũ à crimine periurii vindicauit.Reliqua erat duplex diſceptatio de iure & Regni,& belli:quam cognitionẽ Pontifex non recepit.Tantum audiuit Francũ de Flandria agentẽ.Comes enim Flandriæ Ludouicus filius Ludouici ex Lõgi Regis filia,eadẽ Matildis Atrebatiũ,& Othonis Burgũdiæ Comitũ nepte ſuſceptus,vnicã filiam Margaritã Ammonio filio Angli Regis deſponderat: petebatq;,vt cum ob propinquã cognationem patrũ ſanctionibus matrimonio iungi vetarentur,legibus ſacroq; impediméto ſoluerentur:qua re,Flãdria

& alii dominatus ad Anglorum opes accedentes,magnum momentũ rerum futuri erant.Ne in eam cauſſam pronior foret, animũ Pontificis Francus exorauit:quòd Flandria,cõfeſſione etiam Angli, beneficium Francorum eſſet: æquiuſque videretur eam origines ſuas reſpicere, quàm hoſti conciliari,materiã initiumq; noui belli futurã. Margarita nupſit Philippo Audaci. Comes eo minus generum Audacem Ducẽ aſpernatus eſt, quòd paciſcendis his nuptiis ſibi reddebãtur illa tria oppida, quæ Francũ de Flandris pignoris nomine obtinuiſſe memorauimus.Fuere qui hac in re ſapiẽtiã Regis deſiderarint: eumq; perſæpe cognomen ſuũ rebus geſtis æquaſſe, illi imparẽ in Flandricis nuptiis extitiſſe dicerent:qui cum initio optionẽ habuiſſet,vtrum filiã Ducis Borbonii formoſiſſimã,an Flandrã, pulchram quidẽ,ſed multo minoris venuſtatis, vxorem duceret:amores affectúſque ſuos cõmuni vtilitati antetulerit:cum Flãdra nobiliſſimis Comitatibus dotalibus adeo adauxerit maritum Ducem,vt ſoboles eius formidoloſa Regibus,ac propè exitio extiterit:æmulatione rerum adminiſtrandarũ,ac ingenio mortalium ita ferẽte, vt pro opibus quiſque ſpiritus gerat,animóſque.Rex Francus cũ Nauarro amicitiã redintegrauit.Paulo pòſt,quod Nauarri ſcelus ignoratum fuerat,indicio patefactum eſt,cõpertumq; eum quoſdã ſolicitaſſe,corrupiſſeq;,vt Regi Franco venenum miſcerent.Venenarii deprehenſi pœnas dedere. Mortua erat Nauarri vxor,eadem Franci ſoror : cuius lacrymis permulta mariti ſcelera condonata fuerant.Rurſus igitur Francorum hoſtis iudicatur . De illo Eburouices recepti.Cæſaroburgum fruſtra tẽtatum. Anno eius ſeculi ſexto & ſeptuageſimo Eduardus filius, inſequenti Eduardus pater Rex, deceſſere . Ricardus Eduardi iuuenis filius,duodecim annos natus, auo Eduardo Regi , qui moriens ita iuſſerat,ſucceſſit,nulla mota à patruis clariſſimis Ducibus cõtrouerſia.Sub quod tẽpus Francus Rex memor captiuo apud Anglos patre,iuuentæ ſuæ vt rectores darentur,Lutetiæ tentatum , ac quamplurima per licẽtiam popularium facinoroſe impotenterq; facta,frequenti procerũ patrumq; conuentu,lege de filiis Regum ſanxit,vt mortuo patre Rege,maximus ſtirpis filius cõtinuò ſuccederet ,iſq; ingreſſus quartumdecimũ ætatis annum & coronaretur,& extra tutelã foret,réſque adminiſtraret . Eam legem eò etiã latã ferunt,ne diuturniore tutela res nouæ orirẽtur , tam multiplici cæcaq; mortalium cupiditate.Pius ſapienſq; pater habitus,gloriam etiã optimi iuſtiſſimíque Regis ſolidam aſſecuturus,ſi cõmuni ſaluti proſpexiſſet:ne ſub Rege filio ætate florente,ſed mente minuta,res ipſæ peſſum ire poſſent.Geſquinas in Aquitania fuſis fugatíſque multiplici prælio Anglis,Cõdatum,Bergeracum, Fanum Fidei,Caſtellionem,Canderetum,Fanum Macharii,Lungonẽ, partim vi, partim ipſorũ voluntate recepit. Duraſſi arcem alterum & viceſimũ obſeſſam diem,cõpulit ad deditionem. Dux Audax Anglos Itio crebrò erumpentes,crebris prælíis deuicit:circumiecta oppida cepit:hoſtes intra Itii mœnia cõpulit.Angliæ ora maritima à Francis euaſtata,quædam etiã oppida capta,direptâque,ac igni abſumpta.Ad neceſſitates belli ea tempeſtate vectigal ſali ac promercali vino impoſitum. Tota Britannia, excepto vno Breſto,in fidem Franci redierat.Florebat Caroli Sapientia Regnũ,cum Angli proceres

vniuerſum terrarum orbem circũmittendis legationibus ſibi conſociare ſtudebant,auertere à Franco,inuidiã illi conflare.In Germania tanto aſſenſu auditi ſunt,vt cũ Carolus Auguſtus,qui Franci Regis auunculus foret, ac Venceſlaus à patre Auguſtus cooptatus,propè ſoli Franco ſtuderent, bellũ Germanicum in expectatione foret. Miſit igitur & Francus oratores in Germaniam,vt fraternũ inter Francos Germanóſque nomen ſancte à parẽtibus cultum,repeterent:refellerenturq; Anglorum in Francos probra iacta.Conuẽtu procerum dato,cũ præſiderent Cæſares pater filiúſq;,Princeps legationis Anglorum ita exorſus eſt: Cauſſam apud Põtificẽ maximum hanc eandẽ egi, « Cæſares non minus iuſtitia ſancti,quàm dextra inuicti:Sed quia cũ belli legibus ea diſceptatio coniuncta videbatur,ſanctiſſimus vir maluit arbitrii ſui rẽ, « ſummorũ Ducũ, Regum,Imperatorũ exiſtimationi relinquere,quàm arteis « militares,& Martis iudiciũ, ab armorũ peritis Auguſtæq; maieſtatis proceribus,ad Pontificia,pacíſque ſtudia reuocare.Nunc cũ & Põtifex maximus,& « omnes gentes quid tanta de re ſentiatis expectent, ac in vos oculos coniecerint:& ego apud quos,& quo in cõcilio orationem habeã,meminero:& vobis,quos nullum vnquã belli fulmẽ terruit, certò ſcio nullam rem antiquiorem potioremq; religione immortalitateq; nominis veſtri futuram. De pace « Britiniaca cognoſcendum vobis eſt,quæ diuturni belli finiendi, amicitiæque « inter duo potẽtiſſima Regna conciliandæ cauſſa facta, ſi dirimitur infirmatúrve,eadẽ mala renaſcantur neceſſe eſt, quorum tædio cõpoſita fuerat. Sin « qua pietate iuncta eſt,eadẽ ſeruatur:& quod ſecus factũ eſt,nutu veſtro, Cæſares,reſtituitur:ingentes cædes, antequam exoriantur, extinxeritis: & noſtra « hæc ætas feſtam pacẽ,& poſteritas ſecuritatem ſuã vobis acceptam feret.Vi- « ribus impares ſemel atq; iterum acie viceramus:& quoties aperto Marte,veráque virtute pugnandi copia fuit,toties rebus noſtris humana ope deſtitutis, « ac tantum bonitate cauſſæ ſuæ fretis, Numen euidentiſſime affuit.Infirmi in- « ualidiq;,firmos præualidóſq; vicimus: clementiſſimeq; vſi victoria fuimus:nec « quas iure belli licebat,victores leges victis captíſque impoſuimus.Quãti bel- « lum nobis ſteterat,impenſas perſolui placuit:& fœdus quod florente re Frã- « cica Diuus Ludouicus Rex cũ maioribus noſtris, rebus noſtris inferioribus, « percuſſerat,reuocari confirmariq; conuênit:vt Aquitania ad nos rediret,quæ « parentum noſtrorum fuerat:nec id gratuitò,ſed in mercedẽ ac velut permu- « tatione cederemus Angli Francis iure quod maiorum noſtrorum per multas « continenter ætates fuerat,in Normanos, Cenomanos, Turones, Andes:quæ « Franciæ terræ nobiliſſima opulentiſſimaq; pars eſt. Præterea Põtiuenſes ha- « beremus, quæ cõfeſſione Francorum materna dos Regibus noſtris eſt. Hæc « quæ rem cõtinerent,in primis erant. Et quia ſanciebatur,vt ea haberemus eo « iure,quo qui optimo:viciſſim cõuênit,vt iure Regni Francici,hæreditatéque « ac ſucceſſione cederemus:qua in re & cauſſa non inferiores, & fortuna belli « ac iudice Marte ſuperiores eramus, & exemplo multorũ nobiliſſimorumq; « Regnorum,quæ vel fœminas, vel Regiæ ſtirpis fœminarũ filios ad Regnum « vocant.Regi noſtro primo Henrico nõ ſucceſſit Matildis filia,ſed Henricus « ex eadem Matilde nepos nobis iura dixit. Beneficiarii Francorũ Comites in «

» media Francia nati,ſceptra noſtra tenere poſſunt: Regia noſtra ſpem amittet
» externorum dominatuũ? Sed Angle,cum initio de Regno ageretur,eras ſu-
» perior iure cauſſaq; Cæterum cum in Philippi Valeſii verba iuraſti,vltro iure
» tuo tunc te exuiſti. hoc enim Francus crebris ſolet vſurpare ſermonibus. Si
» abſque exceptione iuraſſem, tamen infirmitas ætatis qua eram,in integrũ re-
» ſtituta æquis iudicibus fuiſſet:Sed his verbis iuraui,vt ius meum,ſi quod præ-
» terea mihi in maiorem rem erat, imminui non poſſet:vt illud iuſiurãdum in
» ſummã regni ſpem ne mihi obeſſet teſtarer. Quas ob res in fœdere Britinia-
» co cum iure Regni Francici ceſſurum me profeſſus ſum, id maxime omniũ
» tibi optabile erat. Cedo tibi Normanis, Turonibus, Cenomanis,Andibus.
» Reddis mihi diui Regis tui fœdus,felicibus rebus tuis ictum. Condono tibi
» ius Regni aut certum,aut non minus in me quàm in te probabile:& iniquas
» conditiones conquereris,dignaq; tibi cauſſa videtur,cur obſides ad fidẽ pro-
» miſſorum datos à me,in diem certã eblanditus,cũ ea circumacta repoſco,nõ
» reddas:ac ne iura quidẽ gentium ſerues.Cum Rex Regi bellum indicit,mit-
» tuntur fœciales,qui propalã res repetant:ac niſi reddantur, bellum indicant.
» Tu quos miſiſti?Nullius nominis hominẽ,ignarum quid ferret, legaſti. Hæc
» eſt,Auguſti,expoſtulatio noſtra.Regem Iohannem bello cepimus:coluimus,
» vt domi magis coli nõ potuerit.Aequiſſimas leges, quaſq; pari vtrinque for-
» tuna ſcribi par fuiſſet,ſcripſimus:obſides accepimus:Proceres Regii inter Frã
» cos generis,omnes ſe iureiurando in fœdus Britiniacum obſtrinxerunt. Pa-
» cem, Iohãnemq; reddidimus. Is'que domum regreſſus,turbatas res cõpoſuit:
» Burgundiã ditionis ſuæ fecit.Feſtam pacem fœlicitatemq; conſtituit. Floruit
» liberis,opibus,imperio,quantum pari tẽporis ſpatio nullus ætatis ſuæ,quantũ
» nullus vnquam gentis ſuæ Rex. Ad nos,vbi cultus fuerat,regreſſus,in com-
» plexu filiorum Ducumq; obſidum mãdata dans,bona ſpe poſteritatis migra-
» uit ẽ vita. Filius eius Rex quod fœdus & ſuo & paterno & Regiæ nobilita-
» tis vniuerſæ iureiurando ſanxerat,violat,receptis arte obſidibus, bello nullo
» more gẽtium indicto.Pontiuenſem Comitatum,maternã dotem meã:Aqui-
» taniam iam inde à Leonoræ matrimonio,& poſſeſſione maiorum meorum,
» & cõfeſſione priſcorum Franciæ Regum,& fœdere recenti meam,furto oc-
» cupauit.Ego ſiqua eſſet in terris Auguſtior maieſtas quàm veſtra,Cæſares,ad
» eam querimonias deferrem in cauſſa qua maior incidere nulla poteſt. Nunc
» cum maximi,inuictiſſimi,ac ſanctiſſimi ſedeatis,totius terrarum orbis animis
» in expectationem iudicii veſtri erectis, obſeruantibúſque quid valeãt affectus
» veſtri,quid integritas,quid religio:annuite,quàm ſancta apud vos fœdera ex-
» titere,tam inuiolata inter cæteros eſſe debere:& quæ rerum adminiſtrandarũ
» præcepta ex vetere ſummorũ Imperatorum memoria petiuiſtis,ea reliquos à
» vobis petere oportere. Angli orationem excepit Francus orator: atque ita
» diſſeruit. Non diſſimulo, Auguſti,nos pacem Britiniacã iureiurando ſan-
» xiſſe:fœderaq; apud mortales.ſancta eſſe oportere, quòd eorũ religione pie-
» tas animorum,fidéſq; rerum Superis deuinciatur. Quòd ſi fœdus Britiniacũ,
» Angle orator clariſſime vir,cum ego graue cẽſerem,tu leue exiſtimaſti:cur in
» ea tranſactione,in quam vterque cõſenſeramus,mihi ſanctã eſſe vim ſponſio-

nis

nis poſtulas,quæ tibi vilis eſt?Cauſſam fidei datæ, quam apud ſummū ponti- "
ficem obtinere non potuiſti,Cæſaribus te probaturum cōfidis? Nec ille eam "
ab ſe ad quenquam reiecit: ſed cum inferior in controuerſia religionis inue- "
nireris,ad iuſque belli & diſceptationem de Regno tranſires: hāc rem ſui ar- "
bitrii non oportere eſſe cenſuit.Ita apud Pontificem de bello, apud Cæſares "
de pietate agis.Nec nūc Auguſti in nos iudices ſedent:neq; te accuſante cauſ- "
ſam dico.Exiſtimatio eorum,non iudicium eſt:quibus tamen & ipſis, & per "
eos omnibus mortalibus ſatisfactum, & nos perpurgatos volumus. Quòd ſi "
cauſſam noſtrā per ſe ſatis firmam ſentiēt, magnitudinē Auguſtiſſimorū ani- "
morum eam fore confidimus, vt affectus eorum plus valeāt ad calumniā ab "
innocentia propulſandam, quàm pudor ne imperitis videātur aliquid gratiæ "
cōceſſiſſe,abſterreat ab æquitate nobis impertiēda,quam alieniſſimis præſtāt. "
Non ſtare me fœderi criminaris.Si id tibi ratum eſt,ego quoque non reſcin- "
do.Sin frangis:deſine aliis neceſſitatem ab eo diſcedēdi imponens,in nobis id "
vitio vertere,quod tibi fraudi eſſe non vis. Spopondiſti te quāprimum exer- "
citum deducturum:viuo Iohanne Rege nō deduxiſti,non deportaſti.Relicti "
abs te inter nos tanquam in hoſtico milites tui infeſtiorē nobis pacem fece- "
runt,quàm bellum fuiſſet:pluriſque eorū diſceſſum coēmimus,quàm quanti "
vnquā nobiliſſimi exercitus opera in bello nobis ſteterit. Hoc de milite tuo. "
Illud vero vtique tuum eſt.Oportebat frequēti vtriuſque gētis cōcilio te ſo- "
lenni verborū nuncupatione cedere iure Francici Regni,quod tuū eſſe con- "
tenderas:doce id abs te factum,quod ſola conceptione verborū,corrogatiſq; "
proceribus fieri poterat.Cum in tātis rebus pax Britiniaca apud te nullas vi- "
res habuerit,cur indignaris me meum ius retinere ſtatuiſſe? Tibi Comes Ar- "
meniacus diem dicendā curauerat.Miſſus eſt qui tibi denunciaret. Non mit- "
tebas qui aut iure defenderet,aut excuſaret:& bellū inſuper minitabaris.Miſ- "
ſum eſt ad te decretum,quo hoſtis Francici nominis iudicareris. Expectabas "
vt fœcialis,aut aliquis è proceribus legaretur. Tu qui beneficiarīus meus es, "
in cognitione cauſſæ qua apud me reus es, Duces internuncios ne præſtole- "
ris.Sed vna atque altera victoria te ferocem facit.Fateor cum trophæis Fran- "
corum Oriens Occidenſq; refertus ſit,interdum nos fortuna prælii inferiores "
diſceſſiſſe.Abs te nunquam bello victi ſumus,ne nimis iudicium Martis am- "
plectaris,iūſque belli cum iure cauſſæ confundas.Cōmuni concilio Franciæ, "
cuius iudiciū eſt,te Regni ius poſtulāte,hæc cōtrouerſia dirēpta eſt.Fœminis "
Regiæ ſtirpis,neq; ipſis neq; maieſtate earū filiis Regnum noſtrū cedere,palā "
factū eſt.Et quod ſacramentū Regi Philippo Valeſio dixiſti,nō circumuen- "
tus adoleſcentulus dixiſti,nec inter eos qui paſſuri eſſent te circumſcribi:nec "
deteriorem cauſſam tuā feciſti,vt reſtitui te in integrum oporteat: nec iis au- "
thoribus, quos perfidiæ ſecordiæ've criminari conueniat . In Ambianis eras. "
Aderant,ne meos enumerē,Dux Lotaringiæ,Rex Nauarræ, Rex Balearicus. "
Aderat parens veſter , Auguſti,immortali nomine Rex Bohemiæ . Aderant "
quatuor millia equitum:nec iuraſti niſi accepto Ducatu Aquitanico.Eadem "
qua cæteri beneficiarii formula, fidelitatem mihi præſtaturū te iuraſti, téque "
mihi alligaſti.Sed quòd oſculum,quod ex conſuetudine datum oportuerat, "

„ omittebas,consuleréque domi tuos peruelle dixisti,eiusque rei veniam dedi-
„ mus,regressus in Angliam,conuentuq; gentis habito,ad eos retulisti quid fie-
„ ri abs te placeret. Re per multos dies agitata, de omnium sententia oratores
„ in continentem misisti,qui osculi libationem ferrent,profiterentúrque verbis
„ tuis te mihi beneficiariũ,me tibi Regem iustum legitimumq; esse. Qui Scæ-
„ uolæ consultius egissent,quàm tu tam grauibus tuis alienísque authoribus? &
„ à liberis Augustis damnari parentis Regis fidẽ authoritatemq; postulas,quam
„ tota Anglia terra tua sanctam iudicauit: cuius ne te quidem ipsum antè pœ-
„ nituit, quàm Robertus Atrebas Francus exul ad te transiit: caussamq; tuam,
„ quam damnarat,non verbis,quibus controuersiæ regnorum minime dirime-
„ rentur,sed armis agendam persequendamq; dixit. Tunc demum legibus vi-
„ ctus ad bellum descendisti:vt nunc bello inferior,leges imploras. Pontiuen-
„ sem Comitatum fateor ita à me in te profectum beneficium dotemq; fuisse,
„ vt summus dominatus penes me esset. Quod te caussa cognita amisisse indi-
„ cas,téque voce tua prodis:cum te beneficiarium meum in latus meum stri-
„ xisse ferrum,victoriámque de me reportasse, hoc loco audientibus Augustis
„ confiteris:vt non sit certior fides cõfessionis tormentis quàm conscientia ex-
„ pressæ. Normaniam, Cenomanos,Turones,Andes,nobis te remisisse prædi-
„ cas:vt fœdus diui Regis tibi,Aquitaniáq; restitueremus. Sed diuus Rex sum-
„ mum dominatũ imperiumq; in omnia sibi posterisque retinuit. Tu vero ver-
„ bo remisisti ea quorum possessione multis antè ætatibus, legibus cecideras:
„ quæ continenti multorum annorum vsu tenebamus. Aquitaniæ si primam
„ caussam spectes, videas ad Leonoræ tuæ patrem Comitem Pictauensem tres
„ tantum Præfecturas,Burdegalensem,Agenensem, Baionensem, beneficiarias
„ à maioribus nostris peruenisse:cæteras ciuitates vi temporum ab eo eiúsve fa-
„ miliæ Gulielmis occupatas, vt Rolo Neustriam armis suam fecit, & Notho
„ filio reliquit,contrà Francorum instituta:vt Martellorum, Fulconúmque ac
„ Theobaldorum familia Turones ac Cenomanos inuasit, occupatis Regibus
„ nostris aut domesticis aut externis bellis: ac ita posteros eorum tenuisse con-
„ stat,vt multis monumentis testata foret perpetua expostulatio nostra:nec vl-
„ la temporis lõginquitas, nulla vetustas,à iure publico Regióve aliquid vi ra-
„ ptum,eodemq; vitio retentum, reclamantibus iustis dominis vsu capere pos-
„ sit. Et quoniam diui Regis nomen iactas:diuus Rex cum fratre ac tot proce-
„ ribus,tantóque exercitu captus à fero cupidóque hoste,minore pondere au-
„ ri cum omnibus suis redemptus est, quàm quanti vnum Iohannem de te be-
„ neficiario nostro redemimus:cætera nobilitate tantidem, atque adeo pluris,
„ recepta. Et vtrum Rex Iohannes ad victores Anglos reuersus,ab eisque rece-
„ ptus,apud eósque,qui coluisse videri volunt,defunctus,nos séque omni reli-
„ gione(siqua forte reliqua tenebamur) liberarit: an etiam in fato functos iura
„ belli valeant,iudicium difficile non est. Quos viuos nobis obsides reddidisti,
„ etiã si eos se ad te redituros vel sua vel aliena fide tibi obligasses:noua tamen
„ illa nudáque pactio,vetere caussa sublata,nulla noua suborta spondendi ma-
„ teria,eos non teneret:& cum pace dimissos,ipse tibi bellũ redintegrans, nul-
„ lo exẽplo iuréve vel ciuili vel bellico reuocas. Reliqua oratio facilis sit:Re-

gium ſummumq; apud Francos dominatum, Regiáque iura minui, diuidi nō licere, non poſſe: neq; vt Pontifenſes ſilentio prætream, Aquitaniam iis finibus quibus eam metiris, dimidiam propè Regni noſtri partem, à ſceptro noſtro auelli Lege Sálica incolumi poſſe. Quod vobis, Auguſti, probaſſe ſatis ſit, Britiniacum fœdus non violauimus priores. Religionem noſtrā ſuſpicione periurii apud Pontificē liberauimus. Controuerſia iuris Regni ſublata eſt. Captiuos, bellum cauponante Anglo, pluris redemimus, quàm leges belli ferant. Obſides, quos ſemel miſſos fecit, cur redeāt, cauſſa nulla eſt. Hæc eſt purgatio noſtra: quam ſi vobis Cæſares probauerimus, orbi terrarum ſatisfeciſſe nos non dubitabimus. Senſus enim veſtros humanum genus ſanctos ducet, quorum ſapientiā fidemq; perſpexit. Quæ per me agi Rex maximè Chriſtianus apud vos, ò Cæſares, voluit: eadem ipſe, ſi per valetudinē liceret, præſens egiſſet: idq; magis perſpicue, ſapientiúſque, ac amātius. Neque enim ab Anglo Rege propinquitate voluntatéve alienus eſt. Cauſſarum temporumq;, non animorum hæc diſiunctio fuit. Ad vos Normaniæ Dux venit: veniret Rex: inuiſeret neceſſitudines has ſuas, fraternumq; nomen publice redintegraret: ac corā ſanctiſſime obſeruaret, quos animo ſtudioſiſſime abſens colit. Hæc oratio iuſtiorem Cæſaribus cauſſam apud proceres gētis præbuit, vt id quod taciti concupiuerant, iam poſita diſſimulatione profiterentur, ſe in Franciam profecturos, daturóſque operam, vt res componerentur: bellum inter duas clariſſimas præpotentéſque Regias funeſtum, ac rei Chriſtianæ lugubre, finiretur: ſacrorumq; armorum agitarentur conſilia: quorum obliuio nimis diu pectora tenuerat. Magno ſplendidoq; procerum comitatu profecti, occurrēte pari dignitate Francorū Ducum Comitumq;, fines regni ingreſſi, quaſcunque per vrbes iter faciebant, apparatiſſime, magnificentiſſime, officioſe, amanterq; excipiebantur. Infirma & morbis confecta valetudine Quintus Rex Auguſtis ad Dionyſii portam in lectica occurrit. Quæ res ne ei pudori foret, Auguſtus pater ætatem podagramq; excuſans, lectica & ipſe Regiam vrbem ingredi voluit. Filius Auguſtus patris latus in equo ~~texit. Feſti dies aduētu~~ Cæſarum celebréſque ~~acti. vinctis dēpta~~ vincula, cuſtodiæ emiſſæ. De pace agere iam cœperant: cum prius Reginæ Francæ, ac propè cōtinuatis funeribus, filiæ Regiæ mors, actionem eam interpellauit. Igitur atrata funeſtaq; Regia, Cæſares domum ſe recipientes, ac Rex Francus Lutetiæ morbo luctúque retentus, Gandauum oratores miſere, quò & Angli legati ex compoſito conuenerant, vt de pace cōmodiore loco ageretur. Affuit & Pontificis maximi Legatus Archiepiſcopus Rauennatium, qui ad ~~id venerat~~. ~~Id~~ quoque colloquium diremit nouus quaſi terrarum omnium motus, ſchiſmáque ſacræ eccleſiæ in triginta annos exortum: de quo deinceps dicere ordiar, quandò res humanæ ſemel loco moueri inclinaríve ſede ſua cœptæ, quo maiores ſunt, eo ægrius ſeriúſque veſtigio reponuntur, ſiſtuntúrve. Sedes Pontificum maximorum ex Vrbe Roma Quinto Clemente Pontifice in Galliam delata, plus ſeptuageſimo pòſt anno in Vrbem reuertit. Sed non diu in tranquillo manſit ſacra nauis: nouis fluctibus atrocibúſque procellis agitari cœpit. Gregorius Vndeciмus Pontifex Maximus Auenione ſedens, cum Italia bellis aliis ſuper alia re-

nascentibus arderet, nec modus vllus finisse inueniretur, aut remedium sanandorum leuandorúmve malorum, consilium cepit suæ Vrbi Romæ sedis reddendæ: impulsus etiam libero cuiusdam Episcopi responso, qui ab eo interrogatus, eccur tandem sedē suam non inuiseret? Abs te, inquit, omnes pendemus: te sibi quisque proponit ad imitandum: exemplo, non oratione tua orbi terrarum opus est. Si genus humanum te roget, cur vrbem tuam Romam tot iam ætates à Pōtificibus suis desertam, tandem ipse non adeas? multo minus habeas quod respondeas, quàm ego, qui non tam excelso loco sedeo, vt in me vnum omnium oculi conuertantur. Hæc intrepida vox velut Numine, non humanitus missa, eos stimulos in animum Pontificis demisit, vt scelus nefarium existimaret eo sese crimine non liberare, quod in alio damnasset. In Italiā cum perbona parte Cardinalium, reliquis Auenione manentibus, transiit, tanta gratulatione, vt nullus illuxisse lætior dies videretur: reliquumque Pontificatum Romæ egit. Anno eius seculi duodeoctogesimo decessit. Sacro solio vacuo, Romani magistratus optimatésque veriti ne Roma iterum desereretur, Auenio repeteretur: magno illustríque comitatu Purpuratos patres adeunt, supplices orant, vti sedi Romanæ Romanum genere Pontificem, aut vtique Italum redderent: ni id fieret, adeo commotum esse populum Romanum, vt verendum sit, ne quid atrocis rei contingeret. Romæ quatuor omnino Italico sanguine patres erāt, tredecim Galli, sed hi æmulatione discordes. Quatuor deinceps nouissimi Pontifices maximi Lemouices patria fuerant: Clemens sextus: Innocentius sextus: Vrbanus quintus: Gregorius vndecimus. Vndetriginta continuos annos à Lemouicibus genus humanū sacra petierat iura. Factio ea in purpurato sacróque collegio multum adhuc maiestatis viriúmque habebat. Retinere, vt fama est, ingens summumq; decus in sua sibi gente contendebant, vt quintum Pontificem maximum Lemouices haberent. Reliqui Galli in medium cōmunéque vocabant: & populi Romani perstrepentia exaudiebantur arma: vnaq; illa vox circunsonabat, Aut Romanum, aut Italum volumus. Nec videbatur populus armatus nisi voti compos manibus tēperaturus. Inclinauit igitur res, vti Bartholomæus Neapolitanus ciuis Archiepiscopus Barensium Pōtifex maximus declararetur: Vrbanum sextum dixere. Apud Pontifices maximos Auenione in gratia, apud omnes authoritate summa à prima iuuenta fuerat: vt & Itali & Galli suum existimare possent. Baldus perituissimus iuris ciuilis Pontificiíque interpres, super tanta re eáque recenti consultus, aliquanto pòst edidit Vrbanū sibi verum videri Pontificem, quòd Purpurati in ipso negocio prædicassent, vt orbi terrarum consulerent, simul quòd Bartholomæum scirent Pontificio culmini ferendo esse, ac sacræ aulæ peritū, iccirco se illum deligere. Præterea eo mouetur Baldus, quòd Vrbanus loco summæ sedi velut natali sederet: quòd post designationem eius, cum inter tumultum diuersi patres alii in arcem Hadriani, alii extra vrbem cōcessissent, reliqui in Vrbem in ædes quisque suas se recepissent, conticescente tādē tumultu ad Vrbanū regressi, eū insignibus summi Pōtificatus magna excoluerint cæremonia: quòd his verbis, his factis, his sententiis omnes regiones repleuerint, vt totus ferè terrarū orbis

ita sit opinatus. Hæc fere Baldi verba. Iohannes quoque Lignanus sacri iuris consultus causſam Vrbani scriptis defendit. Contrà ædis Vedasti Abba, idem à consilio Regis Franci, monumentis literarum Vrbanum dãnat, vt in re tanta tamq; ancipitis cõiecturæ Purpuratis vniuerso nomini Christiano post tertium mensem scribentibus, quarum literarum exemplum extat, se ad mortis periculum euitãdum, Bartholomæũ delegisse: ratos illum ea esse religione, vt se in sacrosanctã sedem nõn intruderet. Froſſardus eius ætatis & ipse author memoriæ mandauit, sub recentem Vrbani electionẽ Cardinalem Gebennensem, qui postea Clemẽs fuit, quiq; electioni Vrbani affuerat, ac suffragium tulerat, ad Flandrum Comitem scripsisse delectum Vrbanum consensu ritecq;. Scripsere continuò & purpurati Romani purpuratis Auenionẽsibus in eandem sententiam cõmunes literas, quarum exemplum extat. Flandrus ac Britannus literis Gebẽnensis adducti, ab Vrbano vita deinceps omni stetere, Gebennensi ante exortã æmulationẽ affirmanti potius quàm cũ postea dẽ pontificatu certaret, neganti, credentes: ea tamen religione, vt testarẽtur se vniuersi concilii, si quod forte cogeretur, placitò sententiã suã moderaturos. Qui de Pontificũ vitis scribũt, tradunt, cũ Vrbanus vitia tẽporum corruptissimorum tollere, moresq; deprauatos emẽdare conatus, iubet purpuratos à donis muneribusq; accipiendis, & à Simonũ ambitu labecq; abstinere: tunc demũ illos insolitæ seueritatis tædio adductos, ac põtificis ab se creati pœnitẽtia subeunte, maximam partẽ causſatos Vrbanos æstus, pestilensq; anni tẽpus, cõmeatu sumpto, post tertiũ à designatione mẽsem Anagniã, atq; inde Fundos (quæ vrbs erat partiũ Reginæ Iohãnæ à Francis Regibus oriundæ) secessisse. Annales Francici authores sunt purpuratos quãplurimos post delectũ Vrbanũ extemplo ad Francũ Regem misisse, ne fidẽ vllam haberet literis nunciisve Vrbani se Pontificẽ maximum creatũ prædicãtis: eosdẽ, vbi Fundos ventum sit, Gebẽnensem delegisse: Regẽ ad hortos Vicenarum sanctiore cõcilio patrum procerumq; ac doctissimorũ virorum habito, de eorum iuratorum sententia causſam Vrbani vt vi vitioq; creati auersatũ, agnouisse Clementẽ Põtificem vt piis liberis Fundanis comitiis lectũ: qui Auenione vt sancta iam, & Vrbis Romæ æmula vrbe sedẽ sibi delegit. Eidem purpurati Auenionẽses, simul ex Regibus Scotus Castulonẽsisq;, vterq; Franco fœderatus, se tradidere: sed Scotus cõstanti inexpugnabiliq; voluntate. Tarraconẽsis variauit, prius Fundana comitia, quæ & Cathalani, qui & ipsi Hispani sunt, secutus: postẽa Romana, quæ Itali, Germani, Vngari, Angli sanctiora ducebant, & ex eadem Hispania Lusitani. Annones neutri partium se addixere. Eam ob rem Cantor sanctæ ecclesiæ Parisiensis Episcopum Cameracensem neutras partes adsciscendas prædicantem, ausus est literis, quæ extant, subincusare, quòd cum semel atque iterum Lutetiæ habitum fuerit ecclesiæ Gallicæ concilium; vbi idem Episcopus sedisse credatur, mox tamen eius synodi decretorũ immemor videatur. Priore enim conuentu, qui mense Septembri coactus sit, consessũ sex Archiepiscoporum, triginta Episcoporum, complurium Cœnobiorum patrum, simul theologiæ, iurisque & ciuilis & Pontificii professorum, constitutum, Cardinalibus Romana Comitia fando improbantibus non assentiendũ;

nisi maiore consilio grauiorêque deliberatione. Posterius concilium mense Nouembri coactum,sed id infrequentius: iccirco priori standum sibi visum: nec eam ob rem, cum duo existant qui se Pontifices maximos contendant, » neutrum sequendũ.Etenim siue Cardinalibus,inquit,credis,neutrius esse non » potes:siue non credis, prioris concilii Parisiensis decreto standum tibi est. Is tamen vir primò Clemẽtem,quem & Rex,deinde Vrbanum secutus,ac Romam profectus est.Antoninus Pontifex Florẽtinus refert, cum genus humanum duos vno eodemq; tempore Pontifices Maxi. habere non possit,tunc, quòd vtraque caussa haberet quod sequeretur: præclara ingenia, sanctósque viros,& eorum quosdam diuinitatis signis miraculóque illustres, iudicio inter se dissentientes, alios ab Vrbano,alios à Clemente stetisse:quò iustior nobis venia sit,si nudam rem,vt ab eius tempestatis potissimum authoribus accepimus, prodendam simplici enarratione summáque religione censuimus: inter discrepantia studia sententiásque nihil nostri edentes: nisi quòd Numine peccatis temporum succensente, id euenisse arbitramur. Extiterantq;, qui velut spiritu diuino afflati vates id præcinerent.Iohannes Theologus Minor, antequam Gregorio Pontifice purpura in Italiam remigraret, Auenione ductus in carcerem fuerat, quòd ea in vrbe grauibus concionibus vitia temporum coarguere,veterique fabulæ nouum cõmentum affingere auderet.Fuisse diem per ambages dictitabat, qua cum omnia quæ gignere natura potest, » genera volucrum iam in lucem edita,ac vestita suo quæque decore ornatuq; » essent,apparuerit diuina specie auis,sed ea implumis,atque iccirco quæ volitare,séque alere vagando non posset: verùm miraculo maiestatis, miseratione néque inopiæ adductas cæteras volucres,ne fame miseriáque periret, ex suo » quamque corpore aliquid plumarum pennarumq; reuelliſſe, in illámque cõtuliſſe,quo ad cibum capiendum ferretur, victitarêtque. Hanc vbi sese tanto » honore dignitatêque esse haberiq; sensit, fastu, spiritibúsque inflatam,tantam » in se cæteris alitibus iram mouisse,vt consensu spoliata, redactáque ad pristinam sit egestatem. Persimili ratione procerum ecclesiæ ordinẽ diuinitus in» stitutum,sed initio inopem,deinde à mortalibus locupletatum,per superbiã, » & quæ minime deceret,ætatem agere. Si odium iudiciúmque mortalium ad » quos venissent,minime vererentur, si,quandò opibus iam præstent, terrarum » illis nullus metus,nullus pudor foret,at Deum cuncta acerrime intuentem, à » quo ad hominum genus pietate demissioneq; animi imbuendum legati sint, » tandem timendum sibi ducerent: qui quo tardior,eo grauior vindex, quàm » mortales,vltor futurus sit. Illum enim dextram in proceres ecclesiæ suæ ful» mine armare:vt,quod ab homine fieri nefas sit, ipse non exuat modò,sed vt » exurat,scindat,dissipet. At proceribus ecclesiæ sacræ minabatur:apperentesque pœnas denunciabat: Regibus, Ducibus, Comitibus, cæteris terrarum principibus parcebat?Minime ille quidem.Florente re Francica,sibique ante Pictauensem cladẽ perfidente Iohanne Rege,non dubitauit vitia aulæ grauiter publicéque increpitare, ipsi'que capiti rerum Regi in primis ingens insolitúmque malum canere. Vrbanus, quòd numero Purpuratorum Clemens præstaret,ne ea re inferior foret,triginta creauit Cardinales.Sed schisma Põti-

ficium totum propè terrarum concuſſit orbem. Primum omnium pax inter Regna conuenire non potuit. Britannus Dux, qui princeps legationis Anglicæ de pace cum Francis iungenda in Flandriam miſſæ fuerat: ſoluto Gandauenſi cõuentu, cõpoſitioníſque mentione, ac actione ſublata, & contentione ſchiſmatis magis exacerbatis odiis, in Flandria apud Comitem remãſit, quòd eius amitinus erat. Id Francus moleſte tulit, Francorum hoſtem iudicatum, à Flandro Francorũ beneficiario haberi, coliq;. Acceſſit & alia cauſſa, cur animus Quinti Regis noua indignitate moueretur. Mittebat enim oratorem in Scotiam Petrum Bonecellum, virum cum diuitem, tum diuitiarum oſtentatorem. Is Cluſæ quindecim dies ſubſtitit ventum expectãs: nec tantiſper Brugas Comitemq; interuiſebat. Tũc Dux Comiti, Quin accerſimus, inquit, hoc ſuperbum caput? Prætor Cluſenſis iniecta manu iuſſit eum Brugas ſe cõferre. Vbi in conſpectum venit: En, inquit, adſum captiuus veſter. Extemplo ſuſtulit vocem Flandrus, aitque: Quia te videre optaui, euocauiq;, ea re te captũ dices? Excepitq; Britannus: Hæ ſunt dominatrices linguæ, quæ Regis animum perditiſſimis artibus poſſident, auertuntq; ab Regiæ cognationis proceribus. Apparebat cõcitatos indignatione eſſe, ſuccenſereque quòd non veniſſet niſi coactus. Ille quàm demiſſiſſima orationis lenitate iram illorum in præſens permulſit: ſe Cluſæ ſediſſe ſemper in littore expectantẽ idoneam ad nauigãdum tẽpeſtatem: vt, quæ priuatæ nobilitatis partes ſunt, fidem operamq; ſuam probare Regi, à quo legaretur, poſſet. Dimiſſus Cluſam rediit: cumq; diſceſſum ſuum obſeruari à ſpeculatoribus Anglis cõperiſſet, omiſſo petẽdæ Scotiæ conatu, ad Regem Quintum rediit, ac de Flandro Britannóque grauiter conqueritur. Rex malum Comiti minatur, ſi vltrà hoſtem Francorum Britannum à cæteris pulſum, apud ſe habeat, iuuẽtve. Ille in Angliã traiecit: claſſéque accepta Britãniam repetit. Veneti cupidiſſime eũ receperunt. Ad octó millia Anglicæ iuuentutis, duce Thoma Ricardi Regis patruo, Itio mouere, Franciamq; metiri ſub ſignis cœpere. Infeſtum iter Andium Dux per occaſiones faciebat, vetitus à fratre Rege æquo loco ſummã rerum fortunæ prælii cõmittere. Hoſtis tandẽ in Britãniam euaſit: Ducíſque opes validiores effectæ. Geſquinas Magiſter equitũ dum obſidet Caſtrũnouum, quod ab Anitio Aruernorum octo millibus paſſuũ abeſt, ac ab Anglicæ factionis hominibus inſeſſum erat, morbo correptus in caſtris deceſſit. Lutetiam relatũ eum Rex ſepeliendum curauit ad pedes eius ſepulcri quod viuens ſibi ponẽdum curabat. Nec Flandria conquieſcebat. Gandauenſes cõquerebantur, à Comite ſuo noua & inſolita vectigalia mercibus quæ nauibus ad eos ſubuehérentur, impoſita: ſimul cognitiones rerum capitalium, iudiciáque, ab eo ipſius arbitratu fieri, contrà atque conſuetudo ſuperiorum temporum, eorumq; iura ac leges, in quas iuraſſet, ferrent. Brugenſibus æquiorem ſe præbebat. Hi foſſas ducébant quibus fluuium Lizam per fines Gandauenſium vrbem'que mediam fluentem, in agrum ſuum ex parte deriuarent. Hinc bellum conflatum. Gandauenſes Duce Iohanne Leone arma corripiunt, albã capitia induunt: vt id eſſet factionis inſigne aduerſus Comitem, Brugenſeſque. Hi cum allatum eſſet in ſe iri, ab opere diducendóque flumine diſcedunt. Comes etiã

petentibus per legatos Gãdauenſibus,vt portoria tollat,vtque quem ſuorũ ciuem nauicularíam facientem in cuſtodiam coniecerat,ſibi reddat:vt ipſi de eo ſuis legibus,cauſſa cognita, ſtatuãt:illum è vinculis exemptum legatis tradit:polliceturq; priſtinam vectigalium immunitatem ſe reſtituturum:tantùm tumultuandi finem faciant,capitiaq; ponant.Id multitudo libens factura erat. Leo veritus ne omne conſilium Comitis ſpectaret in ſuum vnius caput: Capitia hæc,inquit,ſalutis veſtræ cauſſa extitere. vt accepta vos in libertatẽ vindicauere,ita depoſita,rurſus vos in ſeruitutem redigent. Albati in amentia perſtant : Rogeriumq; Comitis Prætorem cum ducentis equitibus ampliſſimam vrbis aream occupare conantẽ occidunt.Hæc agebat imperita inquietáque multitudo,ac quorum fortunæ omnes,fidéſque,in manu, quotidianóque quæſtu verſantur.Optimates vero,ac qui rem habebãt,duodecim è corpore ſuo oratores ad Comitem Brugas mittũt,qui ipſi inſontes, ſtrati ad pedes rogẽt vti miſereretur vrbis furore percitæ :ſaluam quàm euerſam mallet: remedia ſanandorum animorũ inueniri poſſe. Placabilẽ ſe præbebat Comes lacrymis optimatium:qui nihil ipſi fide ſua indignum egerant.Leo rurſus ſuſpicione perculſus fore vt de ſe vno piacula iræ , pœnáſq; Comes expeteret: antequam legati redirẽt, perpulit Albatos vti in ædes quas in ſuburbio Gandaui ingenti ſumptu magnificentiſſimas extruxerat Comes,plenæq; precioſæ ſupellectilis erant,impetum facerent,diriperentq;: vt noua inſuper noxa exacerbatus Comes, cũ vniuerſa plebe bellum gereret:ita in cõmuni cauſſa periculum ſuum facilius propulſari poſſe.Aedes direptæ,incenſæq;. Ita mentio reconciliationis veniæq; interpellata:coactiq; ſunt Brugẽſes,cum Comes Teneræmundæ abeſſet,adueniẽtem cum exercitu Albatorum Leonẽ mœnibus recipere,ac obſides dare.Exin Dãmum profecti intra mœnia recipiuntur.Ibi Leo deceſſit,magna ſuſpicione veneni:nec iccirco bellum finitum. Omnem Flandriam ſuarum partium efficere Albati cõtendebant . Hypras obtinebãt aliquot milites equitéſq; Comitis:Gandauenſibus oppugnãtibus egregie oppidum tutabantur,quoad plebe portas Albatis aperiente, tẽpori cedere coacti ſunt. Aldenarda oppugnantibus obſtitit, maioreq; validioréque Comitis præſidio defenſa.Audax Dux quicquid Flãdriæ ſocero periret,ſibi ſpeiq; ſuæ perire ratus,exorauit Fratrem Regem vt ire ſe in Flandriam, ac cõditionibus recõciliare gratiam inter Comitem popularéſque pateretur.Iuit Tornacum: inde ad Albatos miſit oratores.Gens ea æquiorem ſe futuro Comiti ſuo Audaci,quàm veteri Principi præſtare viſa.obliuio iniuriarum ac maleficiorum fando ſancitur.Aedes Comitis ſumptu publico Gandauenſium reſtitui iuſſæ. Ab armis vtrinque in præſens diſceſſum.Comes Gandauum ſe cõfert:in ſpeciem reuerentiſſime excipitur.Ad concionem in Forum vocat. Conueniunt frequentes:ingenti aſſenſu auditur,longa oratione diſſerẽs,qua lenitate Principes eſſe erga populares conueniat:qua in illos hi pietate obſeruantiaq; agere debeant.Petebat vti factionum inſignia deponerentur. Id Albati aſpernati ſunt.Indignum Comiti viſum,belli nomen tolli,inſignia iritamentaq; remanere. Nobiles ei ſtudebant . Oliuerius Rogerii Prætoris ab Albatis interempti conſobrinus, vir ampliſſima familia ortus, globo clientium ſtipatus,me-

mor iniuriæ,quadraginta naues,quæ cõmeatus non paruam vim Gandauũm flumine ſubuehebant,intercipit. Paulatim bellum inter nobilitatẽ Albatóſq; excitatur.Melius feliciúſque in Francia res geſtæ.Semina malorũ in ipſo exortu extincta:& licentia,cõtumaciáq; coërcita.Frater Regis.Dux Andiũ grauiſſime vindicauit ſeditionẽ ad Montem Peſſulanum motã. Peſſulani occiderant vectigalium Regiorum exactores. Sceleris authoribus gulã fregit:cæteram multitudinẽ ſupplicẽ,ac ad pedes procũbentem,vita donatã,ære multauit.Ocitanos prouinciã Rex fratri Biturigũ Duci primũ dedit,deinde iuſſo eo,quòd male audiret,inde decedere,eam Comiti Fluſſati attribuit,quem ſciebat ab ea gente expeti.Rex Carolus Quintus deceſſit anno eius ſeculi octogeſimo.Tres reliquit liberos,Carolũ, Ludouicum, Catharinam. Carolus tertiũdecimum annum ingreſſus erat. Proceres Regni optimatéſq; Lutetiam cõuenere.Dux Andiũ Rector Frãciæ,Borbonius Audaxq; teſtamẽto Quinti Regis tutores inſtituti fuerant. Authoritate ſanctorũ ſummorumq; virorum effectum eſt, vt primo quoq; tempore CAROLVS SEXTVS Rex ſacraretur, coronareturq;:in eius verba iuraretur:res militares ciuiléſq; eius nomine adminiſtrarentur:eius ſigno literarũ diplomatumq; fides cõſtaret : Audax patruus,ac Borbonius auunculus pupillos educandos curarẽt, inſtituendóſque iis artibus,quibus futuri optimi Principes Regeſq; erudiri ſolẽt: Dux Andium patruorum maximus natu,Rector Franciæ diceretur:maxima quaq; de re ad ſanctius procerum cõſilium referret:ipſéq; ſententias rogaret.Hac ratione & ſua Ducibus dignitas ſeruari, & forma Regni cõſilio optimatiũ tẽperati inſtitui,& ſuprema ſapientis Regis voluntas rata haberi viſa.Oliuerius Cliſſonus genere Britãnus,Magiſter equitum ab Rege de cõſilii ſententia dictus.Remis coronationis die quum ſacris magna(vt aſſolet)cæremonia factis, ad epulum in ædes Archiepiſcopi peruẽtum eſſet, ſummumq; locum Rex lotus cẽpiſſet:cõtentio de proximo aſſidendi iure nata:quòd Dux Andium, idem & Rector Franciæ,& patruorum Regis maximus natu,cũ honore nominis,tum ætatis veneratione anteiret.Audax ſe Ducem Burgundiæ, atq; ea re Principem Parium Franciæ,ſecundas ab Rege partes dignationis obtinere ſe æquum eſſe cõtendebat.Frequentes proceres aderãt.de eorũ ſentẽtia Rex decreuit,vti cùm is dies,is locus,id epulũ feſtum celebreq; religione,maieſtatéque coronationis eſſet,qua in re præcipua Parium munia forent, Burgundiæ Duci Parium nemo in præſentia anteferretur.Sed iam lateri ſiniſtro Regis Dux Andium iunctus aſſederat:Audax proſiliens,medium ſe inter Regẽ Rectoremq; velut interſeruit, inculcauítq;:vnde illi Audaci cognomen inditum ſunt qui ferunt.Cæterum in acie,vt oſtendi,& rebus bellicis,ac defenſo, quoad per fortunã licuit,patre,id partum magnificentius ſit, quàm rixa fraterna, menſæq; iurgio . Lutetiã regreſſo Rege,primùm omniũ de rebus Britannicis actum fuit. Angli(vt oſtendimus)Franciam emenſi, Britanniã intrauerant.Nanetes oppugnabant,defendente nobilitate Francica, quæ in præſidio vrbis erat.Abire infecta re coacti ſunt,quòd eruptione facta Franci quoſdam nobiliſſimos illorum occiderant : ſpemq; ademerant vrbem expugnari poſſe.Ducem Britannum ab Anglis ex profeſſo ſtantem populares orarant;

vt ſe fidei Franci Regis committeret:ſe in Francos non pugnaturos:ac ſi ipſe in eos arma caperet,ab illo defecturos. Veneti precibus Ducis permoti, Anglos mœnibus receperant: ſed in eam conditionē prius iureiurando adactos, ſine maleficio ſe & vrbem eā ingreſſuros, ac quintodecimo q̄ illis denunciatū à ciuibus eſſet die,ſine fraudē deceſſuros, copiaſq; omnes deducturos. Frācum enim Regē reſpiciebant. Dux tot neceſſitatibus impulſus,pacē per oratores à Franco Rege petiit, deprecāteq; Rectore impetrauit vt in fidem reciperetur,eoſdem hoſtes amicóſque,quos Franci,habiturus:cautumq; vt Angli illæſi dimitterētur. Incolumes mari domum trāſmiſere. Nouo iureiurādo fidelitatis Britānus ſe deuinxit. Peruinci(vt edocui)nulla vi potuit, vt de Clemente idē quod Franci ſentiret, quòd fide humana ſe Francis obligari teſtaretur,religione animi ſoli Numini addictū. Rector totus Clementis erat: & Clemēs ſe Regem eū effecturum pollicitabatur. Siculū Regnum, quod iuris ſacroſanctæ poteſtatis eſſet,illi vltro offerebat: quandò Vrbanus Vngaros in Italiam euocabat,incūbens in pernicié Iohannæ Siculæ Reginæ:qua ſolicitatrice exortū ſchiſma coarguebat, quòd ad ſe Fundos clàm euocaſſet Purpuratos patres,eorumq; cōſilia & conatus confirmaſſet,opem ſuā vireſq; Siculi Regni pollicita. Hæc mulier (vt oſtendimus) obnoxia crimini necati mariti Regis,iram vindicū Vngarorum , impetumq; fugiēs,in comitatū Prouinciæ ſuæ Phocēſis mari ſe cōtulerat. Auenionē vrbem ſuæ ditionis Clemēti ſexto Pontifici Maximo addixerat,nomine eius pecuniæ quæ ingens à Siculis Regibus debebatur,aliquot annis vectigali non penſo,quod dari cōuenerat. Ita Auenio Pontificum facta eſt,& Iohanna à Pōtifice Regina dicta. Ex Gallia Comitatúque in Italiā Regnumq; redierat, variis caſibus & cōpluribus connubiis nobilis. Quo anno Sapiēs Rex Frācus in Gallia obiit,Ludouicus Vngarus Rex exercitū in Italiam aduerſus Venetos miſit , Duce Carolo arctiſſima ſibi cognatione cōiuncto , quíque oriundus à Carolo Claudo Mariaq; Vngara Regibus eſſet. Vrbanus Vngaro perſuaſit , vt omiſſo Veneto bello, memor Andreæ fratris ſcelere Iohannæ necati, Carolum mitteret ad gentile Regnum Siculum armis repetendum, ac à muliebri fœdoq; dominatu vindicandū. Contrà Clemens ne Regina ſui ſtudioſiſſima euerteretur, author fuit vt illa Regina Ludouicum Rectorē Franciæ in ſpem Regni adoptaret. Pulchrius Duci cupido imperii videbatur Regem quàm Rectorē dici. Ingentes copiæ in Italiā parandæ:quòd hoſtes habiturus erat Vrbanū Vngarumq;:lōginquo & ambiguæ aleæ bello, ingenti & exercitu & pecuniæ vi opus erat. Cæteri Frāci Duces nō moleſte ferebāt, ſpecie honoris nouiq; Regni parādi procul ablegari Andiū Ducē,Rectoriſq; nomē graue & inuidioſum procul amoueri. Placet ope iuuari ſummum virū,Clemētiſq; cauſſam. Duodeuicies cētū millia nūmū aureorū Quintus Rex moriēs reliquiſſe dicebatur:nec parui refert, quæ fama diuitiarū apud ſocios hoſteſq; increbreſcat. Ad nouum in Italiā exercitū parandum,nō ambiguo rumore, ſed vero auro erat opus:idq; vbicunq; abditū foret,eruendū. Cardinalis Ambianēſis multū Rege Quinto potuerat:author fuiſſe grauiū tributorū, ac ea ex re ipſe creuiſſe inſimulabatur:& ab illo Carolus Sextus ſe viuo patre nō ſatis officioſe ac pro maieſtate

obſeruatum habitúmve arbitratus, vbi Regnare cœpit, Sauoſo Gazæ cuſtodi, Nunc ab hoc, inquit, Ambiano ſacerdote liberi agemus. Id dictũ vbi iactari accipíq; Ambianenſis audiuit, Auenionẽ ad Clementem ſeſe ſubripuit. Sed mox & Sauoſus theſauro cedere Rectori coactus: nec iccirco ſtipẽdia veteri militi perſoluebantur: nouuſq; conſcribebatur: agreſtes vexabãtur: nec vrbana plebs conquieuit. Lutetiæ audaciſſimus quiſq; coit: domoq; extractũ Prætorem mercatorũ circunſiſtunt: iubentq; magno plebis comitatu Rectorem adeat, agatq; de tributis abrogandis. Superuenientibus nonnullis optimatibus aulicíſq;, ac, vt intermiſſo ſpatio impetus repentinus væſanæ turbæ ſpõte langueſceret, fando permulcẽtibus, ſuadentibúſque vt concio in poſterũ differretur diem: quidã ſutor veteramentarius ait, Neceſſariis rebus exui plebem, vt pauci magnifice excolantur: eundum ad Ducem: deplorandas tenuiorum calamitates. Itum igitur ad Rectorẽ, proceréſq;: habita oratio de miſeriis plebis: eam nomine vectigalium, nomine ſubſidii pecunia ferendi, ac collationibus aliis ſuper alias ad extremam inopiã redactam, Rege Carolo Quinto demiſſiſſime oraſſe, vt oneribus, quæ vltrà ferri non poſſent, leuarẽtur. Illum omnia benigne pollicitum. Eo defuncto filius adoleſcẽtulus Rex, fidẽ ſapientiſſimi patris indulgẽtiſſimiq; præſtaret: ac memoriã cineréſq; eius fraude noxaq; liberaret. Dormanus iuris Præfectus reſpõdit nihil noui exempli cõſternatione opus eſſe: poſtero die certius illis reſpõſum datum iri. Nox interiecta curã nihil remittit. Poſtridie iuſſu Regis Iohannes Mareſius vir facundia clarus, qui in iudiciis cauſſis orandis aduocari ſolebat: cũ rurſus frequens plebs in cõcionem vocaret, verba fecit: Bella neceſſariò geſta, ſubſidio rei nũmariæ indiguiſſe: prouidẽtia Regum, fide popularium ſalutẽ dignitatemq; Regnorũ cõſtare. temporibus parendũ fuiſſe: ac Carolo Quinto Rege ingẽtem alendũ exercitum, quò cõmunis ſalus in tuto foret: ne Francia prædæ expoſita, hoſtibus pateret. nunc quoq; ſine milite ſtare res non poſſe: precibus tamen & voluntati ſuorum Regẽ tributa remittere: domũ quiſque ad cõiuges liberóſque redirẽt, pleni bona ſpe. nouo enim Rege, nouas leges, nouaq; gaudia fore.

Ea mente perditiſſimi quiq; cõuenerant, ne blanda oratione permulſi, manibus tẽperarent. Iudæorum domos adorti, foribus effractis omnia miſcent; prædantur: maritos, vxores, liberos abſtrahunt. Id odio ſuperſtitionis peruicacis factum defendi poterat: ſed & in menſarios publicanóſq; impetu facto, æs, aurum, argentũ, diripiunt: libros rationum nominumq; ac ſyngraphas diſcerpunt. Aegre edicto Regis factum eſt, vt Iudæorum patresfamilias matronæq; dimitterentur, iiſque parui liberi reſtituerentur. Exẽplum licentiæ totã Franciam peruaſerat. Omnes vrbes tributa collationéſque pecuniæ detrectabant. Ocitani Comitem Fluſſatem Prætorẽ habebant: eiuſque moderatiſſimo imperio regimineq; læti, miſſum ad ſe iterum Prætorem Iohannem Biturigum Ducem aſpernabãtur: eum non cupiditate gloriæ incẽſum, eam prouinciam ab Rege puero, vt ſibi redderetur, extorſiſſe: ſed vt (id quod & Rege fratre antequã ea prouincia ſubmoueretur, fecerat) multo plus auri ex Ocitanis locupletiſſima regione ſibi ſpoliis miſerorũ cogeret, quàm ex Pictonibus, Santonibuſq;: quos vtendos fruẽdóſque à fratre Rege acceptos, omni genere ex-

torquendæ pecuniæ exhauriret. Comes aduenięte Iohanne Duce in armis ſe oſtendit: leuiq; prælio aliquot cohortes eius fudit, fugauítque: deinde abiecto belli cõſilio, author etiam Ocitanis fuit, vt patruum Regis Prætorem cõſenſu acciperent, eique parerẽt: obſequentia potius quàm contumacia & cõtrà tendendo animũ eius ſibi conciliaturos, vt genti imperium ſuum ſalutare velit eſſe: vinci paruo prælio potuiſſe, bello non poſſe. Dux & Comitẽ & gentem tradentes ſe in fidẽ accepit. Hunc Ducem mire coluiſſe virtutes, fouiſſe ingenia ferunt: & crimen cupiditatis, liberalitate munificentiaq; aut diluiſſe, aut obſcuraſſe: verecundiaq; datos illi Ocitanos, & id Aquitaniæ quod Francis pareret, Prouinciam, quòd cum Dux Andiũ Rector Franciæ, Borbonius Audaxq; tutores Regis teſtamẽto Quinti Regis, ac iudicio procerum haberentur, ſolus ipſe ex Ducibus inhonoratus præteriretur, qui Audacem ætate, Borbonium propinquitate, ac gradu Regiæ cognationis anteiret. Dux rector res Italicas cogitatione, conſiliis, ſpe, cõplectebatur: Clemens incitabat: nihil ei denegabat: ſacras decimas ei in ſumptũ belli exigendas dederat, magna ſacerdotũ indignatione: multis paſſim expoſtulationibus, appellationibus, prouocationibus, teſtationibúſq;: ſed ~~decumano~~ auro infœlici. Eo præterea mouebantur homines, quòd cũ Clemens ſex & triginta ſuæ factionis Cardinales haberet, eorũ cupiditati propè ſola Francia propoſita erat: quòd reliquus terrarum orbis lõge maxima ex parte Vrbanũ vnicũ Pontificẽ maximũ agnoſceret. Purpurati vero Clementẽ ſecuti, ſacris Frãciæ beneficiis, vt quæq; opulentiſſima erant, ita maxime ſpe, conatu, expectationũ, reſeruationũ muneribus imminebant, nullo ſanctitati honore habito, literarũ Muſæiq; Pariſienſis nullo reſpectu. Iohãnes Geſſoriacus theologus cauſſam ſcholaſtici ſacerdotii libera oratione apud Regẽ egit: in exactas decimas, in mores, in tẽpora inuectus, re verba ſentientáſq; ſuppeditãte, magno propoſito argumento, lato dicẽdi cãpo. Qua re offenſus Rector, quòd ea Italici belli cõſiliis aduerſa erat, noctu hominẽ ex Muſæo raptũ in cuſtodiam coniecit. Orta luce ſchola vniuerſa affuit. Redditus Geſſoriacus ad Vrbanũ in Vrbẽ ſe cõtulit: à quo benigne exceptus, ac liberaliter cultus. Rectorẽ quoq; ſcholaſticorũ Rector Dux cõprehendi iuſſerat, quòd ab Vrbano literas breues accepiſſet, ac in vniuerſæ ſcholæ cœtu recitaſſet. Fuga periculũ vitauit. Quare aliquot millia liberaliũ diſciplinarũ ſtudioſi, Lutetia alii aliò dilapſi ſunt. Sed cauſſa Clementis expugnari non poterat hac ſtudiorũ contentione. Maius pondus erat in Regũ ab Vrbano ſtantiũ maieſtate. Oratores Regũ ſub vnum idemq; tẽpus, vt annales Francici tradunt, ex diuerſiſſimis regionibus affuere, Caſtulonenſiũ, Vngarorumq;. Cõmemorabant Reges ſuos procerũ popularium q; ac ſacerdotũ & vniuerſæ gentis cõuentu habito cauſſam Vrbani ſanctã iudicaſſe: petebãt vti Francia cũ reliquis Regnis ſentiret: ſchiſma tolleretur. Nefas eſſe pios Reges cum ſchiſmatis ſtudioſis aut fœdus iũgere, aut iunctũ ſeruare. Reſpõdit Dux Clementis cupidiſſimus, ipſum quoq; Francũ Regẽ Sapiẽtem Carolũ Quintum, cõuentum ſuorũ habuiſſe: de eorũ ſententia ſtatuiſſe, Vrbanum minis terroreq; Romanorum delectum. Fundana vero comitia, vbi liberis ſuffragiis creatus ſit Clemens, ſanctiora Romanis videri. Filiũ Regẽ patris Sapientis ve-

ſtigiis inſiſtere. Hoc in commune reſponſum: Caſtulonenſi proprie velut exprobratum eſt, quòd cum beneficio Francorū regnaret, ſua à Francis conſilia ſepararet. Vngaro dictum, vetuſtiſſimum fœdus inter Francos Vngarosq; intercedere, non vtilitatis cauſſa, tanto terrarum ſpatio interualloq; diremptos, ſed cognationis nobilitatisq; gratia. Sed Carolus Dux exercitus Vngarici, à Ludouico Rege Vngaro in Venetos miſſus, ac in Iohannam Reginam ab Vrbano euocatus, pace cum Venetis compoſita, iam in Hetruriam peruenerat, & Arretium inteſtina ſeditione laborantes facilè occuparat. Romæ ab Vrbano Regiis inſignibus decoratur, anno eius ſeculi primo & octogeſimo. Iohanna omnem ſalutis ſpem in Duce Andium repoſuerat. Nupſerat poſtremū Othoni Duci Brunſuigenſi. Is contra ſtudium illius Vrbano cupiebat: in bello tamen fidem vxori aduerſus Vngarum præſtabat. Mira viſa Vngari fœlicitas: vrbes aduenienti ei victoriam acclamantes, deditionem faciebant. Neapolin receptus, Iohannam in Arcemnouam incluſam obſedit. Otho vrbem, obſeſſoremq; vxoris obſidet. Erumpente Vngaro, ac prælio commiſſo, egregie pugnauit: tandē ruente ſaucio equo comprehenditur, & Iohanna amiſſa iam omni ſpe, deditionem fecit. In cuſtodiam coniecta eſt. Dedita Iohanna, & captus Otho multum dignitatis addidit cauſſæ Vrbani: vt Numen ipſum ſtare ab eo, oppugnare damnareq; conſilia Clementis videretur. Non demiſit tamē animos Rector Francus, quin Siciliæ Regnum appetere perſeueraret. Anno eius ſeculi altero & octogeſimo in Italiā proficiſci magno belli apparatu cōſtituit: ſperans multitudinis animos à ſuperiore contentione reſediſſe: nomine Regis rerum venalium viceſimam indixit. Pariſii, Ambiani, Rotomagenſes in primis id detrectarunt. cæteræ vrbes exemplum harum ſecutæ ſunt. Conatur nihilo ſecius Rector alia ratione pecuniam conficere per Iohannem Mareſium, ac Petrum Riparium, alterum diſertiſſimum, alterum ampliſſima Lutetiæ cognatione: vt non tributi appellatione, non vectigalis, inopiam Fiſci iuuarent, ſubleuarentq;: opem rei pecuniariæ, ſubſidii ſpecie, nominéque minus inuidioſo, quo Sapiens Rex vſus fuerat, ferrent. Hominum quanuis populariū, oratio nequaquam popularis viſa: non fallebat multitudinem bellū immenſi ſumptus, & longinquum, & non neceſſarium ſuſcipi: ſed ſemel conſcripto exercitu, palàm factis conſiliis, turpe erat cum externis ferociſſimisq; hoſtibus pugnaturum, tanto antè à ſuis inermibus, à plebe domeſtica vinci. Stat ſententia, æs in vrbe Regia cogere. Cum Rex Meldis abeſſet, à viris inītium factum non eſt. In olitorio foro à quadam Petronilla Maurella naſturtium venum exponente coactor Regis obolum poſtulabat: cum iam conuitio flagitaret, exigerétque, mulier fidem virorum implorat. Ad quiritantis mulierculæ vociferationem concurſu facto, exactor à turba oppreſſus, obtrītúsque eſt. Inermis plebs ad ædes publicas impetu fertur. Deiectis foribus arma, teláque (in quibus plumbei mallei erant, qui fabricati fuerant vt ad Magiſtrum equitum mitterentur, vt eo etiam telo militem armaret) corripiunt. Exactores, redemptorésque, quoſcunque vrbem peruagati adipiſci poterant, plumbeis malleis conficiebant: quendam etiam in diui Iacobi ad Lanios ædē mactant, ſimulacrum Virginis amplexantem. Viis vicisq; catenas prætendunt.

Carcerem Regii iuris inuadunt:cuſtodias emittunt:vinctos ſoluunt.Pontifex Regiæ vrbis & optimates Lutetia procul à væſania faceſſunt.Plebs Pontificiæ coerctionis carcerem irrumpit: ea ex cuſtodia in primis rapiunt Ambrotum: eumq; ſibi ducem præficiunt:ac iubent Sequanæ ac Matronæ cõfluentes occupare:ne Regii ea parte Lutetiam,id quod antea fecerãt,frenarent. Ambrotus magni in aula nominis,creatusq; Regiæ vrbis Prætor fuerat:magnifica opera facienda curarat:egregios muros ad diui Antonii portam perduxit:pontem ſublicium ad Michaëlis, ſimul via fornicata & Ponticulum & Caſtellũ quod paruum dicunt,extruxit.Sexto Rege adoleſcẽtulo reus factus eſt,quòd de Numine parum pie ſentiret:quòd Hebræarum puellarũ confuetudine teneretur.Quæſtione habita,Pontifex Pariſienſis impietatis damnatũ in perpetuam cuſtodiam tradiderat:vnde nũc ſeditione Pariſienſi exemptus,ac inſperatæ ſaluti redditus, omnia plebi pollicitus, cum domum deductus eſſet, poſtridie rediri ad ſe,ac res geri iuſſit:gnarusq; quãtam peſtem furor populi ducibus ſuis afferat,noctu profugit.Plebs vero Rotomagenſis commota, quendam nomine Craſſum ſellæ curuli impoſitum per vrbem circunferunt:Regẽ per licentiam ſalutant:iubent eum pro poteſtate propoſito edicto,vectigaliũ ius abrogare:ſubſidiorum nomen tollere.In arcem vrbis præſidio Regio inſeſſam,vim facere conati,reiiciuntur.Pariſienſis multitudo Ambroti fuga cõperta,Mareſii authoritati ſe dedidere,vt malis mederetur.Is,ac quicquid optimatium in vrbe Regia reliquum erat,qui nihil ipſi mouerant, Regem adiere habitu reorum,cum lacrymis miſerabili oratione ſtrati ad pedes orarunt,obſecrarunt,vti veniam vel errore lapſis,vel furore impulſis daret.Spes veniæ oſtentata ea lege,vti multa ſexaginta millium aureorũ cæteris irrogata,authores ſeditionis, iiq; qui cuſtodias inuaſiſſent, capite luerent. Mareſius Lutetiam renuncians legationem, cætera multitudini expoſuit, de fontibus puniendis clàm habebat: noctu corripi ſinguli cœpere;ac Sequana demergi. Plebs rurſus,dum ſibi quiſque timet,concitatur:ſupplicia intermiſſa:pecunia tamẽ exacta.Rector aduerſo rumore Auenionem ad Clemẽtem profectus,ab eo coronatur,ac Siciliæ Hieroſolymorũmque Rex ſalutatur.Prouinciam Phocenſem,quòd ea in ditione Iohannæ fuiſſet, hortatus vt ſibi ab Iohanna in ſpem ſucceſſionis adſcito ſe dederent, imperiũ detrectantes,metu,vi,malo domuit. Ad triginta millia equitum (numerus peditum incertus eſt) in Italiam traduxit.In Vrbanum ducere noluit:ne vniuerſam Italiam ex profeſſo hoſtem haberet.In Picenum flexit,ac protinus per Marſos Regni fines ingreſſus, ſperabat hoſtes poteſtatem pugnæ facturos,ac ſe tanto exercitus robore facilè breuiq; victoria potiturum . Contrà Carolus hoſtis, quo maioribus copiis veniſſet Ludouicus,eo citius ad inopiam omnium rerum deuenturum rãtus,ſi cõtrà atque ille petat,res cunctando gerat,moramq; temporis,ac tædium feroci hoſti obiiciat . Interea Iohanna in cuſtodia Vngarorum vi iniecto faucibus puluino,anima intercluſa deceſſit:nec ſupererat mater,pro cuius ſalute pugnaret Ludouicus:quæ bellandi gloria, ac pietatis quæſita laus, plurimum dignitatis ei addiderat.Reliquũ erat vt pro imperio ſuo ſibi pugnaret.miſit ad Carolum vti cederet Regno ſibi ab Regina Iohanna dono dato:parêret decreto

Clementis:ab eo enim ſe Regẽ Siciliæ creatum. Reſpondit Carolus,Ius non fuiſſe Iohannæ,ſpe Regni fraudare reliquam ſobolẽ Caroli primi Siciliæ Regis,à quo ipſe ſit oriundus:nec penes Clementẽ eſſe arbitrium dandi adimendíve Regni:eum nõ eſſe verum Pontificem,ſed Pontificis hoſtem. Dum trahitur tempus,in Apulia,morbo an veneno (vtrunq; traditur) deceſſit Ludouicus. Corpus proceres exercitus in Franciam retulere,nullã ex aduerſo vim, nullas inſidias experti,maieſtate nominis Francici tuti. Vulgus militũ diſſipati, nemine vno Duce,ac propè ſinguli domum & ipſi incolumes reuertêre. Decem equitum millia,cum vt auxilio eſſent,Alpes tranſgreſſa in Hetruriã peruenisſent,Arretiumq; opera exulum cepiſſent,comperta morte eius cuius gratia in armis erant,Arretio Florentinis ceſſere,quadraginta millibus aureorum pacti. Arcem Caroli miles Vngarus obtinebat:& is duodeuiginti millibus aureorũ acceptis,ea ceſſit. Is finis tumultus Gallici fuit. Ludouicus duos reliquit filios,Ludouicum,Carolumq;. Vngarus quatuor annos in Italia regnauit. Ludouicus Vngariæ Rex cũ maiorem filiã Mariam in ſpem Regni Sigiſmundo Cæſaris filio deſpondiſſet,deceſſit. Eliſabetha Regina ſuperſtes,iudicium viri ſecuta,vt gener adoleſcentulus Regnaret, elaborabat. Perbona pars militariũ procerũ,viro ætatiq; rebus adminiſtrandis maturæ vt parêrent, Carolũ rerum recenti gloria bello Italico geſtarum ſplendentem accerſunt,vno iam Regno virtute parto,non aſpernandum viſum:alterum vltro oblatum. Neapoli reliquit Margaritam vxorẽ, ac duos paruos liberos,Ladiſlaum ac Iohãnam cum fidis amicis. ipſe in Vngariam profectus,coronatur. Eliſabetha muliẽbrem dolorem ſimulatione fraudeq; atroci armat:illum vt cæteri adorat:viduitatis ſuæ ſolatium vocat. Sed parato domi percuſſore, cum ad eam ille ſe cõtuliſſet de magnis rebus acturus,in ſinu propè ſuo occidendum curauit. Sigiſmundus ab Vngaris, Ladiſlaus Neapoli, Reges agnoſcuntur. Interea in Flandria bellum gerebatur,Carolo Sapiente Rege ortum. Oliuerius (vt oſtendimus) Rogerii Prætoris à Gandauenſibus occiſi conſobrinus, quadraginta naues, quæ commeatu onuſtæ Gandauum petebãt,intercepit. Id authore Comite factum Iohannes Prunellus vnus è Gandauenſium tribunis ratus,cũ Comes Inſulæ ageret, Aldenardam magnã Albatorum manum duxit: repẽtinoq; aduentu vrbẽ eam patentibus, vt in nullo metu,portis ingreſſus, duas portas, & quod muri inter eas Gandauum ſpectat,diruit, foſſasq; explet: ac in fœdanda ruinis vrbe duodetrigeſimũ iam diẽ verſabatur. Id vbi accepit Comes, miſit Gandauum qui id arguerent,oſtenderentq; factum contra pacis authore Audace cõpoſitæ placita. Reſponderũt iniuſſu ſuo id actum:neq; ea de re Iohannẽ ad plebẽ tuliſſe:nullũ ſcitum factum. in eo maxime hærebãt,refellebanturq;,quòd iam menſem Aldenardæ Prunellus cum Albatis demoliendo ageret:ipſi eum edicto à cœptis nõ reuocarent. Tantùm pari crimine Comitẽ inſinuabant,quòd Oliuerii de ſe latrociniũ non perſequeretur,tantam prædã,quadragintaq; naues auerſurum:bellumq; ſibi denunciare,niſi gnaro Comite,auſurũ nõ fuiſſe: neq; diſſimulare Comitem illud factũ velle,qui de ſontibus pœnas nullas ſumat. Cũ perſequeretur ille Oliuerii audaciã,tunc demũ æquum fore,vt ab eis Iohannes reuocaretur,pœnasq; daret. Superbũ Comiti videri poterat,tam ex

æquo ſecū à ſuis popularibus agi: moleſtia deuorata, vt Aldenardā recipere-
tur. Sæpenumero mutuis apud cæteros maleficiis impunitas data, ac ſceleribus
ſcelera condonata, vt memoria iniuriarū tolleretur: tunc exilium aduerſariorū
exilio chariſſimorū quæſitum. Hinc Oliuerius, illinc Iohannes ſolū verterunt:
graui edicto, ſiquis de reſtituendis ferret, agerétve. Aldenardā receptā Comes
reſtituit, firmauitq; præſidio. Cumq; Iohannes in Brabantiā ſibi exilium con-
ſciuiſſet, ab eius gētis Duce, ſocio, amicoq; ac cognato impetrauit vt ſibi lice-
ret illū prehēdere, ac vinctum Inſulam ducere: vbi ceruice cæſa, rotæ inſertus
eſt, eademq; ratione & Brugis & cæteris in oppidis, quicunq; conſilia cū Alba-
tis conſociarant, horum alii alio tempore ad ſupplicia à Comite tradebantur,
tam acri præteritorum recordatione, vt Gandauenſes, qui duces turbandarum
rerum fuerant, merito terrerentur, ne in poteſtatē illīus venirent. Nullam fidā
pacem, nullum ſanctum fœdus, nullam certam ſpem ſibi à Comite proponi
poſſe. Antea tenuiores à locupletiſſimis plebeiorum diſſenſerant: tunc in cō-
muni metu vnū idemq; omnes ſentire, conſpirare, in mediū pro ſe, pro facul-
tatibus quiſq; conferre: quicquid opis, operæ, conſilii, induſtriæ, ſolertiæ, viriū,
dignitatis, rei, haberet: patriam, libertatem, vitam ſuam, ſuorū tegere. Ludibria,
ſupplicia, cruciatus, ſuperbiam, indignitatem, vt vitarent, effugerēt, in authores
auerterent, alii alios hortabantur. Nobilium domos quos à Comite ſtare con
ſtabat, ſolo adæquare, bona diripere. Speciem reipublicæ inſtituunt: in claſſes,
in centurias, in decurias diſtribuuntur. Tribunos qui præſint, habent & ciuiliū
& militarium artium peritos. Norat vnuſquiſq; quibus, quotq; imperaret, cui
pareret. Nemo erat expers muneris, nulla vacatio. Bellum illud ſeptem annos
tenuit. Plus ducenta millia virorum abſumpſit, ſalutē popularibus, dignitatem
Comite futante. Hypræ Albatæ factionis erant. Haūd dubium erat eas obſeſ-
ſurum Comitem. Gandauenſes tria millia ſuorum illis ſubſidio miſere: ſimul
ipſi nouem millibus armatorum profecti Curtracum, atq; inde Rolerium pe
tiere, vt Comitem cum viginti millibus pugnatorum Hypras tendentem abs
tergo adorirentur: eodemq; tēpore Hyprenſes cum præſidio vrbe egreſſi, alia
parte premerent: vt vndiq; circumuentū male multarēt. Conſiliū in eos vertit.
explorata re Comes adueniētes Hyprenſes poſitis inſidiis excepit: ad duo mil
lia & quadringentos occidit: fugam effuſe fecit: ac tantum terroris vtriq; hoſti
iniecit, vt & Hypræ & Curtracum deditionem fecerint. Comes Hypris de ſe-
ptingentis ſupplicium, à Curtracenſibus ducētos obſides ſumpſit. Nec multo
pòſt longe maximis copiis Gandauum obſedit: ſed nō ita circumuenire, pre-
merēve potuit, quin duæ ſemper vrbis portæ apertis foribus agerent, ac auxi-
lia reciperēt, præcipue à Bruxellenſibus Eburonibusq; miſſa. Tantum animo-
rum Gandauenſibus fuit, vt ad eorum mœnia Comite hoſte ſub ſignis ſtan-
te, excidiumq; minitante, cum parte Albatorum altera portarum, quæ nō ob-
ſidebantur, egreſſi, Teneræmundam petierint, eamq; expugnauerint, resq; ita
geſſerint, vt eorū audacia permotus hoſtis vltro ſoluerit obſidionē. Aliquan-
to pòſt cladē acceperunt, cum duo tribuni copias diuerſi ducerēt, ac alterum
eorū Comes adortus eſſet ea natura loci, vt intercedēte palude alter opē ſociis
ferre non poſſet: ſex circiter millia & quingenti deſiderati, partim in acie cæſi,

partim,cum in proximum fanum confugiſſent,incenſi.Multitudo tribunorū viſa eſt officere rebus bello gerendis: ſummū imperium vni mandatum.Philippum Arteuillam Ducem bello gerendo,pacíve iungendæ creauere:filium Iacobi,quē Philippo Catholico Rege occiſum à ſuis popularibus oſtēdimus. Nomen die Luſtrico ei impoſuerat Philippa Anglorum Regina. Is primum omnium de cōpoſitione paceq; cū Comite facienda egit, adiutoribus deprecatoribusq; Pontifice Eburonum,Duceq; Brabantiæ,ac Alberto Annone Comite.Tornaci conuentus habitus.Philippus omnium rerum ius arbitriumq;, præterquam vitæ mortisq;,Comiti permittebat:exilio,fortunisq;,quos vellet, multaret:Cruori miſerorū ſupplicumq; parceret. Non audiebat:petebat ſine exceptione omnia ſibi permitti:maiores quindecim annis viri, mulieres cum ſingulis veſtimentis vrbe exirent: reſti ceruice inſerta procumberēt ſupplices: tunc demum cōſtituturum ſe.Hac renunciata legatione,Philippus vocata ad concionem multitudine,cum cætera expoſuiſſet: Res,inquit,noſtræ eo ſtatu ſunt,vt à fortuna trium rerum electio proponatur: ſacráne confeſſione purificati,ſacroſancto q; viatico ſumpto,tēplis vltro incluſi,quandò iam cōmeatu deficimur,mortem oppetamus,noſtri memoriā illuſtrem relicturi,veluti martyrio defuncti,ac in cauſſa vindictaq; libertatis nulla re æqua impetrata:an illaqueatos nos,quanuis irato,homini tamen,& non feræ,nec omnes vtiq;,nec vna vniuerſorum ceruice necaturo,tradamus:an armis ipſum Comitem adoriamur,nihil minus quàm nunc vim noſtram metuentem, ac Brugis ſedentē. Quodcunq; vel minimum malorum,vel optimum factu cenſueritis,in id exequendum me Ducem profiteor. nam & pro iuſtitia ante aras emori, & caput meum pro patria ſecuri ſubiicere, & vertere periculum in ſuum authorem paratus ſum. Vbi finem dicendi fecit,vndiq; ſucclamatum eſt,eum dediſſe optionem:idem eligeret.Tunc,Lego,inquit,quod virorum eſt:aut ferro vincamus,aut cum gloria virtuteq; cadamus: miſerebitur noſtri Numen,qui â mortalibus deſtituimur,deſerimurq;. Quinq; millia Albatorum delecta ex omni numero ſunt: iter ingrediuntur,proſequentibus, non procul tamen ab vrbe,qui remanſuri erant: Deumq; Opti.Maxi.precantibus,vt eorum virtuti felicem exitum daret: In veſtra erga patriam charitate,dextraq; ſita eſt noſtra reliquorum ſalus.Si vincitis,vitam lucemq; nobis reddideritis.Sin quid ſecus, vrbem publice,nosq; in ea incendemus:idem noſter ac vniuerſæ ciuitatis rogus. Ita à parentibus,coniugibus,commilitonibusq; cum lacrymis votísque dimiſſi,Brugas cōtendunt.Exin duplex fama eſt.Satis conſtat duce Philippo, ac non magno exercitu captas Brugas:ſed alii tradunt repentino aduentu patentes portas ingreſſos Gandauenſes,cum oppidani feſto ſanctóque die ſacris dediti eſſent. Alii ſcribunt improſpectam rem non fuiſſe. Comitem cognita profectione, paucitatéque hoſtium,per contemptum etiam alieno loco prælium commiſiſſe: victum intra mœnia refugiſſe,Albatos victores fugientium tergo inſtantes,oppido potitos. Philippū imperaſſe,vt Comes perquireretur, illæſusq; ac ſine dedecore ſeruaretur:eo conſilio, vt honorificentiſſimē habitum,Gandauum duceret:vitam,veniam,pacem,tolerabiles parendi leges exoraret.Apud inopem magnoq; natu mulierē cum latitaſſet,antequā omnes ex

oppido exitus intercluderentur, viam fugæ celeritate expediuit: ſe Inſulã contulit. Philippus quicquid alienigenarũ hominũ Brugis degebat, violari vetuit: ne Regum, Ducumq́; ac exterarum gentium in ſe odia concitaret. De aduerſæ factionis Hyprenſibus ingens parta præda: & Comitis Gaza in poteſtatem venit: nec ſegniter vſus victoria Philippus, Dammum, Cluſamq́; ad cõmeatus expediendos miſit: Hypras, Caſletum, Bergas, Borburgũ, Furnas, Poperingas, Curtracum recepit. Aldenardam imperata facere abnuentẽ obſedit. Ad centum millia bellatorum in armis habuiſſe eum tunc ferunt, quòd pro cõmuni ſalute, pro libertate omnium res gerere ſe prædicabat aduerſum tyrannidem, ſuperbumq́; ac immodicũ & intolerabile Comitis imperium. Ipſe dux egregius hactenus videri potuit. Albatorũ aliquot turmæ cohortesq́; excurſiones ad mœnia vſq; Inſulæ fecere: ac cupiditate prædæ, ſtudioq́; bellandi in Tornacenſium & Franci Regis fines ferrum ignesq́; intulere. Ea demum indignitas Francos iritauit, perpulitq́; vt de iuuando Comite cogitarent. Sapiens Rex nõ moleſto animo tulerat, neſcio an minus bono conſilio, & exemplo in Francũ Regem verſuro, eum à popularibus vexari, cõpertum habens illum quanquã affinitate cum Audace iuncta, Anglicarum tamen partium eſſe. Nunc Comes re neceſſaria adactus, opem fidemq́; Sexti Regis implorabat: ſe beneficiarium Frãcorum teſtabatur: Flandriam Franciæ beneficium: ſummum imperium in Flandros, penes Regem: eius iuris muneriſq́; eſſe, furentes ad ſanitatẽ reuocare, officioq́; decedentes coërcere: bello contumaciam licentiamq́; perſequi. Eius preces Audax gener iuuit. Auxilia Comiti vtcunq; merito promiſſa. Rex ſacrã Flammulam ex diui Dionyſii æde à Fani antiſtite ſumma religione acceptam Petro Villario tradidit. Sĩmul martyrũ corpora ex inferiore ſacrario deprompta, & ſupra editiorem aram triplici feretro repoſita. In Atrebates copiæ ductæ. Lizæ fluminis pontes Flandri cæteros perfregerãt: vnum omnino ad Cominas (id propinqui oppidi nomen eſt) aſſeruabant. Præmiſit Rex Magiſtrum equitum ad eum occupandum. hoſtes ex citeriore ripa, propioreq́; pontis capite virtute reiecti, pontem interciderunt, ne Regii tranſirent. Magiſter equitum telis tormentisq́; inceſſens, in ſe verſos hoſtes tenuit, quaſi de tranſitu, reficiendoq́; diſpoſitis operis ponte decertans: ſed eo conſilio, vt interea delecti milites procul à conſpectu nauibus traducti, nihil tale expectantes Albatos ab tergo adorirentur. Nec id vanum euaſit. Circumuenti, cæſiq́;, ac ponte refecto exercitus traductus. Ad tria millia hoſtium cæſa, quibus cuſtodia pontis credita à Philippo fuerat. Philippus allato aduentu Regis, relictis quod ſatis copiarum videretur ad continuandam Aldenardæ obſidionem, cum ſexaginta milibus pugnatorum Francis ad Roſæbecam occurrit. ibi concurſum. Miraculo fuit, quòd cum caligo denſa lucem obſcuraret, longinquumq́; proſpectum adimeret: vbi Villarius ~~Flammulam explicare cœpit~~, mira ſerenitas reddita, omnia circà procul q́; patefecit: ac vterque exercitus alterum oculis metiebatur. Flandri generatim conſtiterant, ſub ſuæ quiſq; ciuitatis ſignis: vt inter ſe noti, cognationeq́; ac neceſſitudine iuncti, ſe atq; chariſſima pignora tegerent: mutua exhortatione incenſi, domeſticos teſtes, quod maximũ incitamẽtũ foret, ſuæ quiſq; virtutis habituri. Nec ſinguli modò, ſed & populi inter ſe

ardore defendendæ communis ſalutis,æmulationeq; certabãt. Præceptum in primis eis à Philippo fuerat,vti denſis ordinibus,iunctiq; decertarent:diſiungi alios ab aliis,diſſipariq; ſe non paterentur:inſtarent hoſti: mori q̃ cedere malent:meminerint Iohannem Regem in Pictonibus à paucis Anglorũ millibus captum.Capiendis hoſtibus tempus non cõſumerent:non ſe illigarent.Regẽ vnum, ſi fortuna ac virtus ferret, viuum caperent. Cæteris minus parcerent. Captis Brugis elapſum Comitem,atq; ea re nondum libertatem ſuam ſtabilitam.Rege captiuo,finem periculorũ futurum. Rex tunc primũ arma induerat: conſilii ſalutisq; cauſſa delectiſſimis proceribus latus ſuum ſepſerat. Tres inſtituerat acies.quæ earũ numero nobilitateq; ac virtute præſtabat,in ea conſtiterat:hancq; ſe primum oſtendentẽ hoſtes impreſſione facta loco mouere. Id apud Regios malum,in bonum vertit. Dum inſtat ferox hoſtis,ſe victorẽ vniuerſo prælio ratus: duæ reliquæ Francorum aciẽs dextra læuaq; hoſti circunfuſæ,non tam ferro dimicare, q̃ vrgere,premere,impellere: in anguſtum, in arctum cogere eum cœpere:ne impetu animi roboreq; corporis fretus,expedire tela,pugnareq; pari atq; Regii fortuna,conditione,locoq; poſſet. Suomet ipſorũ tumultu laborabant:alii alios interturbabant.Dum ſibi quiſq; viã facere in hoſtem,eximere à ſuorum trepidatione conatur,cõſternatio væſana augetur.Alii hoſtium dextra cadunt,alii cõcurſatione ſuorũ,ruinaq; oppreſſi procumbunt,conculcantur.Non minus negocii à ſe ipſi, q̃ ab hoſte habent. Ad triginta millia in prælio deſiderata:in fuga plus decem millia cæſa.Secundum victoriam Rex Philippum conquiri iuſſit.Inuentus eſt in cumulo exanguium corporũ grauiter ſaucius,ſed ſpirans.Colligari vulnera,curariq; iubẽte Rege,omnẽ curationem aſpernatus,ac non ſupereſſe ſe ciuibus pro libertate cæſis velle prædicans,deceſſit.Corpus furcæ datum.Hæc victoria parta anno eius ſeculi altero & octogeſimo,ante quintũ calendas Decembres. Aldenardæ obſidio vltro ſoluta.Dãmum,Brugæ,Hypræ,Caſletum,Borburgum,Grauelingæ, Furnæ, hæc atq; ignobilia præterea oppida, Præfecturæq;, in fidẽ rediere.Curtracum receptũ Franci incenderunt per iram, cũ in æde ſacra viderent affixa aurata calcaria Frãcorum procerum prælio Curtracenſi cæſorum octoginta antè annis,cũ Robertus Atrebas cecidit. In ædibus publicis repertæ dicuntur literæ aliquot Malleatorũ ad Albatos datæ.Regreſſus victor Rex ad Dionyſii Deo Optimo Maximo laudes meritas, martyribus gratias egit. Flammulam Petrus Villarius reſtituit. Triplici acie, ſub ſignisq; Lutetiam ingreſſus Rex,occurrentes reuerẽtiſſime Decuriones,Prætoremq; mercatorum ad ſe non admiſit. Virgini vota perſoluit. ad concionem in Regiam inermes ciues incolasq; vocauit.Verba Præfectus iuris pro ſtatua Philippi Pulchri fecit. circunfuſis inermi multitudini armatis, atroci acerbaq; oratione inuectus eſt in Malleatos:infidelitatem,crudelitatem,ſeditionem, defectionem,furorẽ, coarguens. Vbi perorauit,procubuit ad Regis pedes,rogitãs,diceréne ea iuſſiſſet?Reſpondit,ſe vero ea dici iuſſiſſe,dictaq; velle:ac leuius quàm pro atrocitate ſcelerum dictum.Patrui pro Regia vrbe,cuius optimates, nobilitásque conſilia cũ ſceleratis non conſociaſſent,procumbentes deprecabantur.Simul ad crepitũ armorum territa plebs, miſerabili fletu ſupplicíq; omnia impleuit.

Trecenta nomina edidit Sextus. Ii capite luerunt: cæteri ære multati. Catenæ reuulſæ, ac in arcẽ Luparam latæ. Suos deinceps Decuriones, Prætoremq; mercatorum habere creareq; vetiti. Quinto pòſt anno ſua Regiæ vrbi maieſtas, iusq; redditũ creandi Decuriones, Prætoremq; mercatorũ. Creatus eſt Iohannes Iuuenalis Vrſinus, ciuis ipſe Pariſienſis, ſed patre è proceribus Romanis: qui in Galliam ductus à fratre Neapolione Pontifice Mediomatricũ, pro gloria imperioq; Francorum bello Anglico præclare res geſſerat. Interea Albati Gandauenſes, nondũ malis perdomiti, fœdus cum Anglis percuſſere. Flandria Angliaq; Vrbano dicto audientes erant: Franci à Clemente ſtabant. Decumas ſacras Vrbanus Anglis conceſſerat, vt eius cauſſam ab hoſtibus tegerent. Traiecerant in Continentẽ Duces Angli octingentos equites, decem millia peditum. ſe Gandauenſium amicos profeſſi, cæteræ Flandriæ bellũ inferebãt, fuſis fugatisq; qui arcere illos finibus conabantur: indignabanturq; ſe Vrbani ſtudioſos vexari ab Anglis Vrbani partes armis æreq; ſacro defendere ſe iactantibus. Illi nihil hac expoſtulatione moti, victoria feroces, Borburgo Grauelingaq; in poteſtatẽ redactis, Hypras obſedere, accitis Gandauenſium auxiliis. Certiores facti Francum Regem aduẽtare, incenſis quæ extra mœnia ædificia erant, re illa infecta cum abiiſſent, Caſletum oppugnant. Ad famam Magiſtri equitũ à Franco Rege miſſi, appropinquantis, incenſis caſtris Grauelingam ſe recepere. Mox ea à Francis vi expugnata, Anglis per auerſam portã Borburgum repetentibus, quod & ipſum paulo pòſt obſeſſum, ac deditum pactione eſt, vt Anglis ſine fraude abire liceret. Sub quod tempus Comes Flandrus ad Fanum Odemari morbo deceſſit. Inſulæ in æde diui Petri ſepultus eſt. Margarita eius filia, eadem Audacis vxor, ſe hæredẽ dixit. Audax & ſuis & vxoris opibus ingens, cũ Gandauenſes adhuc in armis eſſent, reliquæ Flandriæ, ſimul Mechlinienſibus, Atrebatibus, Raſtellenſibus, vtrique Burgundiæ iura dabat. Iohannes eius filius Comes Niuernenſis Margaritã Alberti Annonis Comitis filiam, Rex Francus Eliſabetham filiã Ducis Bauari ex filia Bernabouis Mediolanenſis procreatã, in matrimonium duxere. Harum publice, cæterarumq; rerum feſtã lætitia in ſecordiã verſis Dammi murorũ portarumq; cuſtodibus ab Audace impoſitis, abſenteq; ad celebrandas frequẽti procerũ cœtu nuptias Præfecto præſidii, Franciſcus Atremus Gandauenſium dux, illud oppidũ ſcalis in muros euadens occupauit. In Aruernis, Lemouicibus, Pictonibus, perditiſſimus quiſq;, coniuratione facta, duce quodã Petro Bruerio, in nobilitatem, in ſacerdotes arma ceperat. Eos Dux Biturigum congredi auſos deuicit: alii tunc ferro, alii paulo pòſt reſte pœnas dedere. Ita latrociniũ verius quàm bellum ſublatum. Sed & in veros iuſtosq; hoſtes bellum paratum. Bellum Anglicũ animo conſilioq; agitabat Rex: claſſem multis locis, ſed in primis Cluſæ inſtrui ornariq; iuſſit. Qui eam incenderẽt, Atremus aliquot ſummæ audaciæ ſubmiſerat. Re per indicem palam facta, Rex fontes comprehendi iubet. Senſere ſe delatos. fuga cum ſibi conſulerent, eorum alii retracti, ceruice pœnas dedere: alii Dammum effugêre. Franci Dammum obſederunt, integrũ ibi menſem interdiu oppugnãtes retenti. Cum deſperata diuturniore propugnatione, Atremus nocte concubia profugiſſet, luce orta oppidũ ceperunt, euerteruntq;.

teruntq;.Alia parte à classe militeq; Franco Selandensium ager euastatus,quòd Albatos iuuarent.Tandem Gandauenses publice veniã pacemq; demississime petentes, in fidem accepit Audax, clementi habiturus imperio. Turrim Rex Clusæ extruxit arcis instar tutandis nauibus.Iohannes Viennensis multo antè dux bello mari gerẽdo ab Rege Franco creatus,tunc in Scotiam ad amicum fœderatumq; Regem sexaginta nauiũ classe copias transportare iussus,vt inde Anglos premeret,magna expectatione iuit:impigre res gessit:oppida aliquot de Anglis cepit,antea inexpugnabilia Scotis visa. Ferrum,ignesq; circuntulit: cõmuni cum Scotis animo consilioq; in communes hostes initio res gerens: deinde dissensione disiunctioneq; exorta,non bene Francis conueniebat cum Scotis:nec Scotia terra externo exercitui diu alendo est:& Iohannes Viennẽsis dicitur cum Regiæ apud Scotos nobilitatis fœmina stupri consuetudinem habuisse:eaq; re à proceribus gẽtis metũ illi iniectum. Multiplici igitur caussa deportauit exercitum in continentẽ.Qui ad regem reuersus,de moribus viribusq; vtriusq; gentis interrogatus: Noster,inquit,in Scotiã aduẽtus,primùm « pergratus omnibus fuit:deinde Regi,mox & proceribus,postremò omnibus « æque mortalibus inuisus.Cõspirationibus in nos factis,indicio mulieris in au- « la gratiosæ detectis nobis insidiis,reduces sumus.Scotia externis diu hospitalis « esse nequit. Posita tandem simulatione ad ingenium redeunt. Vires vniuersæ « Scotiæ vidi quingentos equites:triginta millia semiermium militũ.Cum vni- « uersis Anglorum copiis cõgressus,sexaginta millia peditum vidi,octo equitũ. « Angli domi facilè vincuntur, foris ægre. Et nunc florem Anglicæ iuuentutis « Dux Lecestrienſis, quócum nupta est Petri Regis Castulonensis ab Henrico « fratre Notho auxiliis Francorum cæsi maior filia,in Hispaniam transuexit,vt « iusti Regis soboles domum in Regnumq; restitueretur. Hæc summi viri o- « ratio Regem permouit,vt ipse longe maximis viribus in Angliã transmittere cuperet. Tunc,quod prius cõstituerat,Lutetiæ Catharinam sororem filio patrui sui Iohannis Ducis collocauit, cum Clemens Pontifex cognationis vinculum lege soluisset.Exin ipse cum altero patruo Audace Clusam se cõtulit, quòd eo in portu,circumiectaq; ora maritima stabant circitèr mille ducentæ naues ad bellum Anglicum instructæ,ornataeq;:ac omni ex Francia eò copiæ conuenerant.Audax instabat,vt primo quoq; tempore transmitteretur.Expectabatur alter patruus Iohãnes,& ætate & authoritate maior.Lutetiæ cũ filio nuruq; ludis festaq; celebritate tẽpus terebat, auersus à consiliis belli Anglici. Literis,nunciis,precibus Regis accersitus,tãdem proficiscitur: iter cunctanter facit. Clusam vbi peruenit,ibi etiam alias super alias moras nectit: ad postremum posita simulatione,se nunquam authorem futurum testatur,vti Rex omnes vires Franciæ, omnem nobilitatem, dignitatem, seq; in primis fortunæ, alienoq; orbi terrarum committat:præsertim cum iam hyems impendêret:in eam enim propinquam consultò rem differendo traxerat.Addebat se cõpertum habere,Anglos pacem affinitatemq; cũ Castulonensi iunxisse, filia Leceſtrienſis Ducis nuptui data Henrico Henrici Regis Nothi ex Iohanne filio, nepoti: Simul in Anglia ad centum millia sagittariorum, decem millia equitum cõscripta:tanto maiore numero, quàm posse Anglos Viennẽsis iactarat.

Iohānis Ducis authoritas apud proceres valuit:claſſis exercitusq; dimiſſi:belli
conſilia depoſita:aduerſa apud vulgus Iohannis Ducis fama,quòd antequam
bellū tanto ſumptu appararetur,quid ſentiret,expromere libere,audacterq; eū
oportuiſſe diceret.Anno inſequēti,qui fuit eius ſeculi octogeſimus ſeptimus,
proceres Mediolanenſes noua iuncti ſunt Francis affinitate.Ludouicus Turo-
num Dux Regis frater Valentinam filiam Iohannis ~~Galeatii~~ in matrimonium
accepit.Rex cum Ocitanos inuiſere ſtatuiſſet,Auenionem ſe cōtulit.Ibi Cle-
mens Ludouicum Ducem Andegauenſem filiū Ludouici Regis Italicō bello
mortui,Siciliæ Hieroſolymorumq; Regem nuncupat, coronatq; : vt haberet
quem Vrbano , Ladiſlaoq; Caroli filio à proceribus Neapolitanis Regi ſalu-
tato,opponeret. Bellum Neapolitanum in aliud tempus dilatum. Prouincia
Phocenſis ſub ditione Andegauenſis erat.Exin Francus Rex Fluſſates inuiſit,
in verbaq; ſua Comitem iureiurando adigit . Ocitanis rurſus conquerentibus
Ducis Biturigum eius Prouinciæ prætoris cupiditatē, ſtudiumq; cogendæ ex
popularibus pecuniæ multo maius quàm pro ipſorū facultatibus,præeſſe illis
iterum Fluſſatem iuſſit: ſed ſuſcipere inuito Duce Regis patruo Comes eam
prouinciā non eſt auſus,nec ipſe Rex,quòd profuſiſſimus,prodigentiſſimusq;
eſſet,modica vi auri contentus eſſe poterat.Nullus in eo largitionum modus.
Authores ſummarum,cum rationes in fiſcum referrentur,eas magna ex parte
inducebant,tabelliſq; quibus nomina muneraq; data cōtinebantur,hæc verba
ſubſcribebāt,&,IMMODICE DATVM.&,REPETATVR.Nec minus
inuiſum ſuis Nauarrum grauitas tributorum reddebat . Incendio abſumptus
eſt fraude ſuorum conflato,an ~~fortuito.~~ Optimates intolerabilia tributa con-
queſti,alii compedibus vincti,alii extrema metuentes,nihil non auſuri per de-
ſperationem erant:& ſola morte Nauarri liberari poterant: quæ & in tēpore
inſecuta eſt,eo miraculo,vt fides rerū commēto fabulæ adumbrata videatur.
Ad ſexaginta,vti ferunt,natus annos,ac intemperantia libidinis viribus exhau
ſtis,vt reficeretur,toto corpore excalfactoriis medicamentis delibuto, cū de-
cubaret,iuſſit ignem in ænea pila ſtrato linteiſq; calefaciendis inferri.dum im-
prouide infertur,trepidantq; miniſtri,ſcintilla in ipſum forte prolapſa,cōtinuò
fomenta illa inflammauit:ac eum ita affecit,vt quintuſdecimus dies toſto finis
vitæ fuerit.Annales Francici parum abſimili ~~argumento~~ aliam famam edunt:
inductum eum inſutumq; linteis ~~aqua vim~~ Naphthæ habente,quamq; idcirco
Franci ardentem dicunt,perfuſis,cum qui inſuerat,candelam ardētem filo ex
acu exurendo admouiſſet,flamma protinus fuſa,ita ambuſtū,vt intra biduum
expirarit,miro popularium gaudio,non magno ſuorū luctu.Odio enim fue-
rat ſororis ſuæ viro Fluſſati.Is bello ceperat Alebretenſem,dimiſerātque fide
Nauarri,pactus certo auri pondere,quod poſtea ſoluit quidem,ſed Nauarro,
vt is ſponſor fidem ſuam liberaret:qui belli neceſſitatibus adductus,& magna
nouaq; ſemper moliens,aurum ſibi retinuit. Tunc Comes vxori, antea etiam
» non bene cōuenienti,nec pellicis potentiam ferenti, Abi,inquit,ad ſceleſtum
» fratrem : nec redeas niſi re ab illo rabido monſtro perſoluta. Comitatus eſt
filius in aliquot dies matrem:& illa viri imperiū, inclementiaq; in ipſum ver-
» ba renunciauit . Nauarrus redeunti ad patrem adoleſcentulo, Accipe hunc,

 inquit,

inquit,puluerem:quem ſi ignaro patri in potione miſcueris,continuò flagra- «
bit deſiderio vxoris, vltróque reuocabit. Credidit auunculo imperitus mi- «
ſeráq;,proq; amatorio mortiferum venenum accepit. id in olfactoriolo,quòd
in adoleſcente hæ quaſi deliciæ ſuſpectæ eſſe non poterant,abditum gerebat,
expectans occaſionem inſcio patri dandi. Deprehenſus à patre,nothum filiũ
in honore deliciisq; habente, in vincula coniectus,ac mori coactus eſt. Hinc
magis exarſere propinquorum domeſticorumq; in Nauarrum odia. Comitẽ
Armeniacum haud dubie arma bellumq; Italicum ſuſtulit. Florentini armis
Mediolanenſium premebantur.metu ſeruitutis,fidem Franci Regis implora-
bant:ne pateretur vrbem iam inde ab initio Francici nominis amantiſſimam
libertate ſpoliari, ac alieni iuris arbitriique fieri. Dux Turonenſium in ſoceri
gratiam contendebat,ne Florentinorum preces audirentur: reſpiceretur po-
tius florentiſſimi viri Iohannis Galeatii ſocietas, amicitia, propinquitas,affini-
tas. Quàm magna peregre proculq; Francis incrementa quærenda ſint,docu-
mento eſſe Rectorem Franciæ ducem Andium. Tam recenti exemplo ſibi vi-
deri externa bella externis armis geri, non ſanguine Francico, conuenire. Io-
hannem Galeatium antea generum Regum Francorum,nunc ſocerum Regii
Francorum ſanguinis,vno tenore in ſocietate amicitiaq; permanſiſſe: ac per-
multis officiis promeritum vt Francorum auxiliis iuuetur potius quàm oppu
gnetur. Peruicere patrui Regis,vt Comes Armeniacus qui auro Florentino-
rum permotus eam ſibi prouinciam depopoſcerat, educeret è finibus Regni
perditiſſimorum hominum manum. Feſſis enim bello Ducibus Regibúsque
Franco Anglóque,ac ſponte ſua tacitis exortis induciis,dimiſſisq; exercitibus,
qui militum rem laremq; familiarem habebant,ii ſe domum receperant,cor-
pusq; è labore,animum â ſolicitudine reficiebãt.quibus vero fortunæ omnes
in dextra,audaciáque ſitæ erant,ii coitionibus factis,diuiſiq; in turmas cohor-
tesq;,ſuos duces,ſua ſigna,ſua vexilla habebant. loca munita arcésque inſede-
rant,& (vt qui iuſti milites,iuſtaq; arcium præſidia videri vellent) ſe locorum
regionúmque ac mortalium propugnatores dictitabãt,vt ſancta præſcriptio-
ne dum omnes ſe metuendos ipſi præbent,ſinguli eorum duces ex vniuerſo-
rum metu quæſtum ſibi ſuisq; facerent. Pacem enim, qui circumcolebant,ab
eis redimebãt, vt tutò agros colere, manereq; domi cum coniugibus liberisq;
ſibi liceret: ingentemq; pro ſe quiſque mercedem paciſcebantur eo nomine,
vti ab iniuria maleficioq; cæterorum prohiberentur.Iiq; pactitii vocitabãtur.
Igitur iuſti locorum ab his inſeſſorum nobiles domini ſupra Florentinorum
aurum pergrandem pecuniam Armeniaco cõtulerunt in ſtipendium horum
militum quocunq; liberet educendorum. In Aruernorum autem potiſſimũ,
Lemouicum,Rutenorum,Cadurcorum finibus conſederant. Quindecim ex
his millia equitum,decem peditum conſcripſit,in Subalpinosq; Comes duxit.
Authores erant legati Florentinorum, vt traiecto Pado, quà proximum eſt,
Hetruriam peterent: ſeq; veteribus Florentinorum copiis coniungerent. Ar-
meniacus ſe à tergo tantum hoſtem,tamq; nobilem fluuium non relicturum
dixit, ſed rectà in Mediolanenſis imperii fines ſigna laturum, & copiam pu-
gnandi facturum.Iacobus Vermis Præfectus Mediolanenſium copiarũ,rebus

ſuis minime ſalutare ratus cum tam recentis animi ferociæq; hoſte quamprimum dimicare, Alexandriam ſe incluſit, paſſus aduenientem eum circumuolitare, prouocaréque fruſtra ad comminus conſerendas manus. Ille vbi nemo cõtra tendebat, circumiectos vicos, caſtellaq; capit, diripitq;: ſuósque, velut iam debellatum eſſet, ac tanquam nullo hoſte, præda onerat: ac vt in ditionis ſuæ finibus vagatur. Tunc omnibus exploratis, Vermis in diſſipatos incõpoſitosq; impetum repẽtinum facit: ad ſex millia eorum occîdit: cæteros fudit, fugauit. Comes ſaucius captus, paulo pòſt ex vulneribus obiit. Mericus Fœneracus domum reliquias ægre reduxit, Alpinis parantibus vlciſci edita in ſe in petẽda Italia huius militis exempla. Tandem reduces quietius reliquam ætatem egere. Hic talium hominum caſus bono Franciæ fuit. Sed nõdum ea perpurgata erat ſceleratis hominibus. In Lemouicibus Vantadoram arcem Capito Niger gente Britannus obtinuerat. cum morbo deceſſiſſet, ſucceſſere duo fratris filii iuuenes impigri, armis inuicti. dum etiam dolo capere conantur, capti dolo ſunt. Aſſueto patruo agreſtibus pacem precio accepto dare, ipſi nobiliſſimos viros fraude circumuenire ſtudebant. Cum duos egregios ordinum ductores in ſe à Biturigum Duce mitti cõperiſſent, Hilermum Vtricularium, ac Iohannẽ Blonaſonem: ſubornant qui nunciaret, ſi ſibi præmio foret, vltro traditurus arcem: decem millibus aureorum acceptis portam arcis ſe patefacturos. Conſilium eis erat, ingreſſos cum auro Francos Duces comprehendere, nec niſi altero inſuper pondere auri redemptos dimittere. Contrà ingreſſi portam occupauere, datoq; ſigno iis quos in inſidiis noctu collocarant, & arcem & ambos Capitones in poteſtatẽ redegere. Arx liberata. Capitones reſti pœnas dedere. Et alia Italiæ regio Lyguria in ſanctiorẽ cauſſam cogitationes Francorum vertit: ſacriq; belli mentio renouata. Afri oram Italiæ inſulásque Inferi maris claſſe aſſidui ac prævalidi hoſtes vrebant. His Genuenſes, ſi iuſto tantum bello agendum ſit, non cedant: tantum gloria nauali valebant: ſed vtrunque, & bellare cum hoſte nullum metu vacuum tempus reliquum faciente, & in longinqua diuerſiſſimarum regionum emporia mercaturarum cauſſa nauigare, non poterant: qua ex re opes nomenq; illius vrbis conſtat. Si bellum ex mari in Africam tranſferatur, domíque ac ſuis in ſedibus barbari affligantur: obliuio maritimarum rerum eos capiat. Id ſuis viribus Genuenſes præſtare non poterant. Igitur Legatos principes ciuitatis in Franciam ad Regem miſere, quorũ maximus natu poteſtate dicẽdi facta ita dicere exorſus eſt.

» Fuit, inuictiſſime Rex, cum huius maxime omnium Chriſtiani ſolii maie-
» ſtas, ſolo nominis ſui terrore tanquam belli fulmine Turcas Saracenosq; non
» modò procul ab Europa arceret, ſed intra Tauri montis iuga contineret: aut
» ſiquando væcordia moti, egredi finibus auderẽt, armis Francicis in Orientem
» tanto terrarum ſpatio interiecto illatis, penè prius opprimerentur, q̃ famam
» conſiliorum ſuorum ad nos perueniſſe ſuſpicarentur. Itaque per multas con-
» tinenter ætates idem apud illos Francorum quod Chriſtianorum nomen ex-
» titit: ac apud eos Franciæ nuncupatio, non gentis, ſed religionis habita. Paula-
» tim dum vos aliæ neceſſariæ occupationes à rebus Orientis reſpiciendis auer-
» tunt, Chriſtiana religio tanto decremẽto imminuta eſt, quanta acceſſione, fide

armisq; Francorum adaucta accumulataq; fuerat. Quondam arma Frãcorum «
Euphratem iugum ferre cogebãt, Nilum coërcebant: nunc circa Euphratem «
Nilumq; nati hostes nostri florente Francia Asiæ Africæq; imperant. Illinc in «
Europam transgressi, Byzantio certa spe imminent, Vngaros terrẽt. Hinc Be- «
ticam tot iam ætatibus obtinent. Se terrarũ dominos dictitant, nec ea cõtenti «
re, mari etiam insultant. ante oculos Francorum classe feruntur. Narbonensis «
Prouinciæ maritimã oram præteruolant, oraq; ex littore spectantium tuorũ, «
remis respergunt. Id minus indignũ, sed tamen & indignũ, & miserũ, quòd nos «
continentemq; Galliæ Lyguriam, atq; vno omnino amniculo diremptam, in- «
sulasq; in conspectu vestro nostroq; sitas, infestas piratica latrociniisq; faciunt: «
velut sorte diuina cõmuni semper vtraq; fortuna Francis cũ Lyguribus sacro «
bello. Franci enim sanctam vrbem Hierosolyma de impiis recepere, in partẽ «
periculi gloriæq; receptis Genuensibus: nec ea ex tempestate finem vnquã fe- «
cimus sacra Frãcorum aduersus impios arma, virtute, pietate, officio iuuandi. «
Nos illis maioribus orti, quibus, vt vos quidem dicebatis, armorũ sociis: vt nos «
existimabamus, comitibus: pro religione pręclara facinora maiores vestri sum- «
ma gloria edidere: sacrum bellum aduersus Afros impiosq; necessariò coactiq; «
gerimus. illi enim nos vltro petũt, nobis non se tantùm ostentant, nõ metum «
solum iniiciunt, sed malo premunt, igni ferroq; vexant. magis enim illis patet «
Lyguria, magis exposita est, in nos plus audẽt, nec vrimur premimurq; ab illis «
nisi quia Christiani, quia, vt ipsi dicere solebãt, Franci sumus. nomen enim Ly- «
guriæ illis ignotum inauditumq; est. Quod bellum sacrum nobis necessarium «
est ac domesticum, id tibi finitimum est, ac in oculis tuis positum: necdum te «
tuósve vrens, sed susceptum abs te nunc pro dignitate, ac pro religione gloriã «
ingentem fructumq; attulerit multo maiorem, q̃ si necessitas expectetur. Nos «
mari aliquid possumus. Vos omni re, sed maxime terrestribus viribus inuicti «
estis. Quàm facile, q̃ non magno nauigationis cursu ex Africa ad nos ferũtur, «
prouinciæq; Narbonensis oram maritimã præteruehuntur: tam nõ ægre, tam «
breui traiectu iri in Africam ex Gallia potest, ac in sede sua hostis opprimi «
queat: ne te ætate, gloria tua, maiorũ maiestate, tuorũ virtute, maximo omniũ «
inuictissimoq; Rege, oculis tuorum insultare, illudereq; effœminatissimus tuus «
religionisq; ac in primis nominis Francici hostis vltrà possit. Pollicemur tibi «
stationes, portus, littora, oram, vrbes, oppida, classes nostras, copias nostras, na- «
uales socios, nos ipsos, non segnem operam nostrã. Susci pe hoc sacrum bellũ «
in conspectu ac propè sinu tuo positum: ad quod ex propinquo te memoria «
sanctissimorum Regum maiorum tuorũ, ac propè voce sua Deus opti. max. «
vocat, non dubia, nec difficili, nec tarda futura victoria fortissimorũ virorum, «
bellatorumq; de excursoribus, de fugacissimis, si veras vires tantùm viderint, «
de his qui latrocinio victitãtes, iustũ bellũ nec inferre, nec propulsare possunt. «

Magno assensu auditus est Genuẽsis. Frater Regis eã prouinciã deposcebat, ardens cupiditate gloriæ. Patrui veterano Duce opus esse aduersus vafram, & fraude potius perfidiaq; q̃ vera virtute nitentem gentẽ prædicantes, authores fuere, vt Borbonius Dux secundo loco se sacro bello gerendo vltro imperatorem offerens, exercitui præficeretur. In hanc militiã nobilitas Francica cer-

tatim nomina dabat:ingẽsque ardor inceſſerat. Tranſit æmulatio virtutis in Angliã.In trienniũ factæ induciæ,anno eius ſeculi nonageſimo cõfirmantur. Proceres iuuentutis Anglicæ cũ valida manu Sagittariorum in Franciã tranſmiſere,cõſilia cõmunicauere,vires animosq; conſociauere.Superantur Alpes. Itur vno vtriuſq; gentis agmine Genuã.Claſſem inſtructam ornatamq; vidẽt: à Venetis auxilia ad hoc bellũ miſſa,tãtis modò Genuenſium hoſtibus:ſed in cõmuni religionis cauſſa gratia reconciliata.ac ne ſchiſmate Pontificio animi diſtinerentur,iureiurando inter ſe adiguntur,nullã mentionẽ,nullã memoriã fore cæterarũ rerũ,cõtẽtionúmve:de ſolo hoſte Saraceno vel tollẽdo,vel ſaltẽ coërcendo intra fines Africanæ barbariæ,cogitaturos.Tuneta Vrbẽ Regiã, caputq; Africæ curſum direxere.Vbi ex alto terrã in cõſpectu habuere, vidẽt Barbaros ſub ſignis ſtantes,vt littore prohiberent.Francici annales tradunt ſagittariorum Anglicorum virtute effectũ vt deſcenſio pateret.Expoſitæ copiæ iam victrices ſe exiſtimabãt,quòd Africam tenerent:quã rem magni cruentiq; certaminis futurã ſibi propoſuerãt.Barbarorum Rex partẽ copiarum in vrbe in præſidio reliquerat,cũ parte in propinquo caſtra poſuerat, munieratq;:copias in aciem educentibus noſtris,ſeſe loco tenebat:nec quicquã fortunæ cõmittebat.Vrentibus agros mapaliaq;,Numidas velociſſimũ ac maxime pernix equitum genus immittebat: qui grauẽ armaturã cataphractumq; equitem noſtrum procul vagari nõ ſinerent. Et erat maxime impar certamen.occurrentibus enim cedebãt:cedentibus inſtabant:multiplíciq; ludificatione,ac,vt vſus erat,modò tenebant: modò terrebant:modo longius eliciebant,quò grauius diſiunctos à ſuis paucos ipſi plures circunfuſi premerẽt.Optimũ igitur viſum omiſſis leuibus præliis,cũ de ſumma re in certamen nõ deſcẽderet Barbarus, vrbem obſidere,oppugnareq;.Inerãt & multi & nobiles delectiq; propugnatores.Vrbs Regia & egregie tentabatur,& egregie defendebatur.Rex noſtros primum in mœnia verſos à tergo adoriebatur: deinde cum diuiſis copiis alii oppugnarent,alii ſub ſignis cõtrariam in partẽ verſi ſtarent,ſiqua exterior vis ab Rege fieret,nihil mouere audebat:atq; atrocior oppugnatio vrbem adoritur. Præfectus præſidii petit vt ſibi cũ imperatore Chriſtiani exercitus colloqui liceat.Iuſſus igitur egredi,id quidẽ abnuit:nec propius muros Borbonius Dux accedat, niſi cũ tormentis egregioq; milite, cauensq; ne peti è muris circũueníríve inſidiis aſtúve poſſit.Nonnulli Genuenſium Punicã linguã probe norant.His interpretibus Præfectus præſidii quæſiuit quænã cauſſa,qui dolor Francos Anglosq; tam procul ab Africa incolẽtes, quæve iniuria in Afros armaſſet.Conſenſu reſpõſum eſt,Genuenſes eſſe vnã Chriſtiani nominis ciuitatẽ:iisq; odio religionis ab Afris bello latrocinioq; vexatis,non minus offenſos Francos Anglosq;,q̃ ſi Lutetia,q̃ ſi Londiniũ oppugnata forent. Hoc verborum initio de cõpoſitione agi cœptum.Simul rex Barbarus legatos miſit.Cõuênit vt Afri finibus ſuis ſe cõtinerent:abſtinerẽt ora maritima Italiæ Galliæq;, ac inſulis Africæ Europæq; interiectis:captiuos Chriſtiani nominis redderent: decẽ millia aureorũ præſentia numerarẽt.In has leges fœdere icto deportatus Genuam vnde ſoluerãt exercitus:Frãciq; ac Angli inde profecti,ſancta feliciq; expeditione potius q̃ bello,ad ſuos quiſq; cum gloria gratulationeq; rediere.

REX IAM AETATE FLOREBAT, SImul cæteræ Regno contributæ regiones feſta pace lætæ degebant. In Britannia verò parum abfuit quo minus veterum malorum orbis repeteretur, quæ Carolo Bleſenſi in acie cæſo, de iure illius Ducatus armis decertãte, extincta omnino videri poterãt. Eius enim filii duo apud Anglos captiui erant. hos ingenti pondere auri redemit Magiſter equitum Francorum: híſque reducibus, eorum maiori filiam deſpondit ipſe genere Britannus, nobiliſſimorúmque ibi oppidorum dominatu præpotens. Ea res curam Duci acuit. æmulos Ducatus ſibi obiectos, diſſimulato in præſentia dolore, velut alia acturus, gentis proceribus conuentũ Venetos indicit. Magiſter equitum, vt vnus ex eorum numero, & ipſe ex propinquo affuit ex oppidis ſuæ ditionis, vbi tum forte ab Rege aberat. Eo in concilio nihil actũ, niſi de re communi Britanniæ: nulla aduerſa ſuſpicio iniecta Magiſtro equitum. Dimiſſo conuentu, vocatus ad ſolenne conuiuium cum ſummis viris iuit. Id magna hilaritate ſplendoreq; ac comitate celebratum. Poſt epulas petit Dux, vt ædes quas magnificentiſſimas ipſe inchoarat, ille inuiſeret, ac ſi quid artificii ad pulchritudinem magnificentiamq; ac commoditatem deeſſet, antequam planè abſoluerentur, admoneret, harum non minus elegantiarum, q̃ militarium rerum peritus. Eas cum perpaucis amicorum, vt nullo tali metu, ingreſſum, qui ad id ipſum armati ſtabant, comprehendunt. Rege per oratores grauiter incuſante, teſtanteq; id crimine maieſtatis teneri, defendebat Dux ſe iniuria in inuidiam vocari. Fas ſibi fuiſſe hoſtem ſuum in poteſtatem redigere, qui Britannus in Britannia in ſe Ducem Britannum nefaria conſilia iniret. ſimul illum iure pœnas daturum fuiſſe, niſi magiſterii dignitati, ac Regiæ maieſtati id honoris habitum eſſet, ne in caput noxium ſæuiretur. Id primum Regi non probabatur: bellumq; imminere videbatur. Deinde cum ſtudioſiſſime Dux Burgundiæ Audax Britannum tegeret, veterem ſocium amicumq;, ac vxoris cognatum, permulſa Regi ira, purgatio accepta, dimiſſo Magiſtro equitum, neq; id niſi multo auro, ac non contemnendis finibus multato: quos non multo pòſt illi agente Rege reſtituit Dux. Ita gliſcens in graui cauſſa tumultus, in ipſo propè exortu oppreſſus. Hæc ante Africum bellum. Poſt illud acceſſit res vix memoratu digna, niſi exiguum admodum initium, magna rerum moles foret inſecuta. Petrus Crao ampliſſimæ familiæ vir, Andium Britannorumq; Proceribus propinqua cognatione iunctus, in aula Francica plurimum poterat, & in primis apud Regis fratrem Ludouicũ, mortuo Philippo Mediolanenſium Duce, omiſſo Aurelianenſi Ducatu Mediolanenſem Ducẽ creatum. Sed nihil incertius aura aulica. perleui momento ea gratia circumagitur. Aurelianenſis non contentus Mediolanenſi thoro, Pariſienſibus formis capiebatur. Non fefellerunt externi amores anxiam vxorem. Ea mulier briter indignante, nec quicquam diſſimulante, cognouit Dux Craonem extitiſſe indicem arcanarum deliciarum: adeóque exarſit & iuuenis præpotens,

& amator, vt eo apud Regem item iuuenem agente, præconis voce Regia vrbe aulaq; interdiceretur Craoni. Is ignarus ſe à Valentina proditum, ratusq; hanc ſibi iniuriam ignominiámque iniunctam à Magiſtro equitum, cum quo nobilem ſimultatem exercuerat, ſeceſſit in Andes, atque inde in Britanniam. Vtrinq; aliquot delectis ſummæ audaciæ hominibus, noctu Lutetiam ingreſſus Magiſtrum equitum ex aula redeuntem adortus, cum ille ſe ſua ſuorumq; virtute tutaretur, grauibus tandem vulneribus affectum pro mortuo reliquit, in Andesq; propere rediit. Vulneribus ægre percuratis Magiſter equitum impleuit noua Regem ira, non in Craonem modò, ſed in Britannum, quo authore ſcelus perpetratum exiſtimabat. Aedes quas Lutetiæ Crao magnificas habebat, ſolo adæquatæ. Cœmiterium diui Iohannis in glarea eam aream vocitant. Rex tantum animo certamen imbibit, vt omni cogitatione in vnam vlciſcendi curam verſus, immemor aliarum rerum, neque cibum neq; quietem caperet. In Cenomanos profectus, eò copias vt Britannū euerſurus conuenire iuſſit, nec Britannos legatos perpurgantes neque authore neque gnaro Duce Craonem facinus auſum, admitti ad ſe voluit. Ad quintum Calendas Iulias, anno eius ſeculi altero & nonageſimo, ex Cenomanorum vrbe, obſecrantibus Ducibus medicisq; vt maneret, æſtuoſiſſimo die, feruenti Sole, ſub meridianum tempus, leui galericulo capite operto in equum inſiliit, iuſſis ſe ſequi quibus cordi foret. Vixdum ad alterum ab vrbe lapidem peruenerat, cū penitus conuulſa mente, furoréque percitus, ſtringit repente gladium, vnum atque alterum comitum occidit, complures male multat, quoad laſſitudine confectus, equo delapſus excipitur. Ferunt quendam inſolita miráque ſpecie eremitam ei occurriſſe, prehēſoq; habenis equo, dixiſſe Quò miſer ruis? proderis. Ad eiusq; conſpectum mentem immutatam, ſiue mortalium cuiuſpiam vera ſpecies, ſiue oculorum ludibrium, præſtigiæq; ei ſe obtulere, abiereq;, præ præſenti pauore nemine prehendere, aſſeruaréve, aut inſequi auſo, percontaríque quis, vnde, quid afferret: ſiue Rex eam ſpeciem animo concepit. Idq; argumentum alienatæ mentis, non cauſſam alienandæ extitiſſe. Pro mortuo inter manus Cenomanos reportatur, ibiq; per multos curatus dies, cum initio neq; ſe nec ſuos noſſet, paulatim conualeſcere ac reſipiſcere cœpit. Reſtitutus ita animus, vt ſemper diffideretur ſanitati pectoris per interualla temporis periclitantis, titubantisq;. Ad Fanum Maclouii ſtabat Britannus metu aduentantis Regis in naues chariſſimis quibusq; rebus impoſitis, cum vxore liberisque in Angliam tranſmiſſurus, cum audito caſu Regis conſilium ſoluendi depoſuit. Is aduerſus Regis caſus Britannum ab hoc quoque periculo liberauit. Et Magiſter equitum aduerſo rumore erat, quòd præter id auri quo Bleſenſis filios captiuos de Anglo, ac rurſus quo ſe de Duce Britanno redemerat, cum è vulneribus æger dubia ſpe vitæ teſtaretur, tantam vim auri precioſæq; ſupellectilis legabat, vt id non potuiſſe illum cogere, niſi ſpoliatis paſſim populariibus, vulgò fremerent. Ea vtique res quantam inuidiam illi conflauit, tanta Britannum leuauit. Quam velut indignitatem contumeliamq;, vbi conualuit, quòd præſens ferre vir nobiliſſimus nequiret, in ditionis ſuæ fines ſe recepit. tunc animo Ducis à gentis proceribus, vti ſaluti communi proſpiceretur, ex-

pugnato,obliuio iniuriarum vtrinque ſancitur, ac gratiæ reconciliatio factã, ſanctéq; culta. Sed hæc aliquanto poſtea.Nunc Lutetiam Rege è Cenomanis reportato,conuentus de ſumma rerũ adminiſtranda habitus.Dux frater Regni procurationẽ,vt proximus gradu,ſibi petebat.Denegata eſt iuuentæ tãta rerum moles.Patruis arbitrium rerum demãdatum. Qui verò ſoluti publica procuratione, vtebantur Regis intima familiaritate,illi ferme æquales,ad illũ oblectandum, aut noua ludorum luſuumq; oblectamẽta ipſi adinueniebant, aut obſecundabant qualiacunq; excogitanti: vt & illud,ſi modò ipſius,ac nõ in ipſum alterius id fuit cõmentum. Adulta virgo nubebat nobili,& in aula gratioſiſſimo adoleſcenti:nocturnisq; ludis Rex cætero ornatu depoſito,vultu in leonini oris imaginem perſonato,reliquum corpus picc delibutũ,multoq; lino depexo,ac in villos conſecto ita contexit,vt hiſpidi ac ſẽmiferi portenti ſpeciem ſpectantibus præberet ipſe, eodemq; habitu quinque præterea nihilo ſaniores in cœtum principũ matronarum virorumq; prodeunt, in orbemq; reſte data,choreas pedibus plaudunt,feſcennino carmine modulantes. Tota ex Regia concurſus fit ad picatorum ſpectaculum.Aurelianenſis ſtudio clarius viſendi correptã facem propius admouit. Scintilla ex ea in Regẽ forte incidens,repentinũ in omnes illos effuſa flamma conflauit incẽdium.Duo inopes auxilii conſiliiq; pertinaci conflagratione miſerabili vlulatu periere, toſti,fœdóque nidore.Duo inter manus elati,cum biduum animã traxiſſent, expirauere.vnus ruens in propinquã Promi cellam, aqua vinoq; ſe perluens, ſalutem ſibi peperit.Concurſu ad Regem facto,vxor Biturigis Regem,antequam ad viuum flãma iam corpus lambens perueniſſet, veſte vt caudata fluxâque erat inuoluit,ac ignem reſtinxit.Aurelianenſis errorẽ imprudentiamq; excuſans, crimine ſe liberauit. Exin valetudo mentis Regis multo magis ſuſpecta mortalibus fuit,nec vlla piacula cœleſtium placandorũ omiſſa. In primis ſchiſmatis cõponendi cura inceſſit.Secundum Clementis obitum,Franci Duces cũ Auenionenſibus purpuratis per legatos agebãt, ne feſtinarẽt in defuncti locum ſufficere,vt interea iniretur ratio Schiſmatis finiendi. Hactenus Ducum voluntatem reueriti ſunt,vt pro ſe quiſque eorum perſancte iuraret, ſe,ſi eligeretur,Pontificatum depoſiturum, modò Romanus idem faceret:vt totius orbis terrarum cõuentu ſacræ ſedi certus imponeretur Pontifex.Delegerunt Petrum Lunam,genere Cathalanum,ampliſſima familia ortũ. Benedictus vocitatus eſt.Iam maior res,quàm quæ per oratores ageretur.Maieſtate opus erat.Cum Duces illum eò profecti orarent, vt pacẽ terris Eccleſiæq; redderet,memor iuriſiurandi quo antequam Põtifex ſalutaretur,ſeſe obſtrinxerat,cogendũ Patrum Concilium curaret, in cuius authoritate fore ſe profiteretur,ac ſi eis videretur,inſignibus Pontificatus nomineq; ſe exueret:multa de iure cauſſæ ſuæ verba fecit,perorauit,ſe non deſerturũ Dei viuentis Eccleſiam,nauimq;,ad cuius clauum electus gubernator ſedeat.Cum finẽ obſecrandi non facerent ne antiquiorẽ cauſſam ſuam duceret totius orbis terrarum conſpirante conſenſu,nihil impetratum.Re infecta dimiſſi Duces. Apparebat eos ira ſuccenſos.Ad quam mitigandam Regi ius Decimæ de ſacerdotibus cogendæ in annum dedit,ſummis hominum querimoniis, expoſtu-

lationibúsque, Benedictíque nomine in dies magis inuiso. Tandem à Franco milite Regióque Prætore obsideri oppugnarique cœpit: edictúmque ne quis sacra beneficia, expectationumq; munera ab eo peteret. Qui eius sectam sequerentur, iis interdictum iure vectigalium, reddituumq; ecclesiasticorum. Proinde secessio ab eo facta, & solitudo circa eum. Quo metu ignominiaq; permotus, ne à quoquam violaretur, sacrosanctum Domini corpus præ se ferens in Cathaloniam ad natales suos Tarraconensesq; concessit. Ad quã gentem Francus Rex oratores miserat, qui agerent caussam Ludouici Andegauensis, Regnum Tarraconense legibus ad se venire defendentis. Petrus iunior Rex Tarraconensium duos filios procreauit, Iohannem, & Martinum. Tres præterea filias, quæ nupsere Castulonensi, Vrgelensi, Lusitano. Ex his filii, deinde nepotes. Iohannes maximus stirpis in regnum patri succeſſit. progenuit Iolantillam, quæ nupsit Ludouico secundo, vnde nati Ludouicus tertius, Renatus, Carolus. Iohanne Rege defuncto, non filia Iolantilla, sed Martinus frater rerum potitur, qui liberis iustis, cum genuisset, orbatus, decessit. Continuò de hæreditate ambigebatur inter amplissimas familias, multiplici caussa, cognationis, agnationis, propinquitatis, stirpis, capitum iure controuerso. Ad arma res spectabat. optimates peruicere, vt armis positis sanctissimi viri consultissimiq; deligerentur, qui caussa cognita iurati statuerent: simul qui contendebant, iurarent se in eorum authoritate futuros. Ius Regni adiudicatur Ferdinando Regis Castulonensis ex Helionoræ Iohannis Castulonensis filia filio minori. maior iam decesserat relicto Regno filio Iohanni. Andegauensis iniuriam & hoc iudicio factam vxori, Ludouicóque ex ea filio conquerebatur, & iam inde ex quo paterna hæreditate à Martino patruo fuere excluſi. Quid delectissimi viri secuti sint, non constat: In quibus extitit Vincentius prædicator diuinitatis miraculis insignis. Authores sunt Benedictum authoritate quamplurimum apud iudices potuisse, Castulonensiq; fauisse, Hispanum Hispano. Venceslaus Augustus in sedanda seditione ecclesiæ nihil memorabile gessit, nullum specimen religionis, magnive animi præbuit: tantum Iohannem Galeatium socerum Aurelianensis ingenti pondere auri exoratus Ducem Mediolani designauit, contributis latissimis finibus. Anno eius seculi nonagesimoquinto Rex Angliæ Ricardus Calitium transmisit, cum Franco Rege in colloquium descendit. Isabellam filiam septennem Francus ei despondit, ac in manum tradidit. Oppida Brestum ab eo, & Cæsaroburgum recepit, alterum Britanniæ, alterum Normaniæ contributa. In Angliam cum virgine Ricardus regressus, coitionibus suorum coniurationibusq; coactus, de sontibus suppliciũ sumpsit. quorum præterea fides suspecta erat, eos in exiliũ summouit, in quibus Henricũ Leceſtrem, qui cum in Franciã se contulisset, non multo pòst ignaris Francis domum reuersus, concursu popularium ad eum facto, Ricardum Regno deiecit. Ita Henricus quartus Dux Leceſtriæ Rex salutatur. Virgo in continentẽ ad patrem Regem remissa, nupsit Carolo Aurelianensis filio. Audacis filius Iohannes aduersus Turcas auxilio Sigismũdo Vngariæ Regi exercitum duxit, præmissis ad Germanos proceres, qui tutum transitum peterent iter sine iniuria maleficióque in Vngariam facturis.

Conſeneſcentibus apud nos ſacri belli, Aſiaticarumq; rerum conſiliis, & aliis ſuper alia bellis inter noſtros exorientibus, poſtremò & Schiſmate Pōtificio, æterni hoſtes Turcæ mala noſtra ſuam occaſionem rati, ſpiritus, qui piorum in eos armis initio ceciderant, ſuſtulere. Veteris apud illos nobilitatis indole gloriáque exoleſcente, nouorum hominū familiæ quatuor ſunt exortæ, quæ ſibi nomen ingens dextera fecere. Hi erant Aſambaci, Candelori, Caramani, Othomani. Othomanorum fœlicitas lōge omnium maxima extitit. Domeſtico Græcorum Procerū bello, ab ea parte quæ ciuili certamine impar erat, acciti, Orchane Othomani filio imperatore in Europam traiecere. Amurates Orchanis filius Bulgarico bello Græcis petentibus opem tulit: illudq; bellum de induſtria diutius trahens, per ſpeciem ſupplementi ex Aſia tranſportandi, Callipolin ad fauces Helleſponti, ac nonnulla circà oppida occupat: longiúsque progreſſus, nō paruam præterea Thraciæ partem ſibi ſubiicit, latosq; in ea fines multitudini ad incolendum deſcribit. Adrianopolin Regiæ ſedem capit, cum Pruſia Bithyniæ Regia ei antea vrbs fuiſſet. Cum Bulgaris ſuo nomine bellum geſſit. Filius Pazaites etiam Vngaros bello continenti vexabat, regiones Vngariæ attributas finitimâsve vrens. Ceperat Bulgariæ nobilem vrbem, eodem quo & in Epiro & Aſia aliæ ſunt nomine, Nicopolin. Burgundio iam Budam peruenerat, copiásque cum Sigiſmundo iunxerat. Ibi conſilium de ratione belli gerendi habitum. Placuit primo quoque tempore in hoſtem mouere, & vti ardore militum pugnam & hoſtem poſcentium. Danubium tranſeunt. Vbi in Bulgariam atque hoſticum ventum eſt, ignobilia oppida præſidiis Turcarum inſeſſa expugnant. Sui fiducia, ac hoſtium contemptus in dies augetur. Vno etiam ſatis magno prælio Franci victores captiuos interemere, nullius virtuti, nullius nobilitati parcentes: ac quaſi certa vniuerſi belli victoria, in omnem luxum, laſciuiam, libidinémque effunduntur. Auditas etiam apud noſtros eorum voces Iohannes Vngarus ſcribit, Illis haſtis quæ in Turcas ferrentur, non modò hominem non metuendum, ſed & cælum ruens ſuſtineri ac fulciri poſſe. quam dicti ~~væcordiam~~ vindex cæleſtium vis magna piorum cæde vlta eſt. Ad Nicopolin caſtra noſtra caſtris hoſtium collata ſunt. Sigiſmundo placebat, vt Vngari Turcicarum rerum periti, prima in acie conſiſterent, Franci agmen clauderent. Id ignominioſum ſibi ratus Audacis filius Audax, in Turcas cum ſuis ruit, priúſque concurrit, quàm ê caſtris Sigiſmūdus ſigna ~~efferret.~~ pugnauerūt tamen Frāci egregiè: cúmque hoſtium ſagittis èqui confoderentur, ipſi cataphracti ex equis deſiliunt. Plures quàm pro ſuorum numero occidunt hoſtiū: nec dubia victoria erat, ſi ſecundæ Turcarū aciei recenti integræq; Vngari & ipſi recentibus illibatíſque viribus occurriſſent. Sed Frācorū equi vacui, vt ſtrati frenatiq; erant, in caſtra conſternati reuertentes errorem iniecere. Rati enim Vngari cæſos ſocios amicóſque, ſeſe fugæ mandarunt: quā victor mox hoſtis infeſtā cruentámque illis reddidit. Captus Iohannes Burgundio cum multis ſuorum. Sigiſmundus ex effuſo curſu nauim in Danubio nactus conſcendens nō prius fugæ finem quàm in Euxinum Pōtum delatus fecit. Thomas Mocenius nauium Venetarum, quæ forte illuc appulerant, Præfectus, receptum coluit.

ipsum, ac eos Procerum qui longinqua fuga cum eo se texerant, incolumes in Dalmatiam tanto terrarum marísque circuitu restituit. Sed is Rex nihilo fœlicior domi quàm bello Turcico fuit. Adolescens æmulum Regni Vngarici Carolum Neapolitanum Regem habuerat, quem in eius absentis ignaríque gratiam authore Regina Isabella eius socru Nico Garensis occiderat. paulo pòst ab vltoribus Regiæ necis ipse Isabellaque occisi. Rebúsque velut hoc interregno perturbatis, multa superbe auaréque facta sunt. Rerum potitus Sigismundus, de duobus & triginta nobilibus sontibus supplicium sumpsit. Hi maximis cognationibus clientelísque erant. Ea igitur ex re maximam sibi conflauit inuidiam, sed eam ante Nicopolitanam cladem dissimulatam: rebus nunc aduersis, vt assolet, eius maiestas minus sancta popularibus, & in primis nobilitati fuit. facta coniuratione comprehensus à duobus Stephanis summæ potentiæ proceribus, custodiendus traditur duobus iuuenibus filiis Niconis: quòd cum pater Nico cæso Carolo Rege nomen sibi ingens fecisset, filii fidi custodes Sigismundi Regis viderentur. Euocatus à coniuratis ex Italia Ladislaus Rex Neapolitanus Caroli occisi filius, memor paterni casus cunctabatur. Interea mater iuuenum Garensium iubebat eos meminisse, Ladislaum, si extincto Sigismundo re Vngarica potiretur, sæuiturum etiam in eius liberos, à quo pater per nefarium scelus esset occisus. Præterea ne nobilitati suæ inustam eam ignominiæ notam vellét perpetuam, vt Regum hostes dicerentur: Liberatores potius Regum (quo quid amplius, magnificentiúsve?) salutarentur. Igitur dimissus Rex Stephanos in potestatem redactos securi percussit. Hæc apud Vngaros à Turcis victos. Iohannes Audacis filius ducentis millibus aureorum numeratis Turcæ, ad suos rediit cum multis simul & captis & dimissis. Fœlix igitur tam nobili victoria Pazaites? At victor multo ac multo infœlicior victis fuit. Tam fallax rerum humanarum fides. Turcarum in pios ingruentem procellam, maius in orbem terrarum fulmen inhibuit. Tamerlames Scytha magna vi animi corporísque, ex gregario milite, audendo, agendo, moliendo, fortunam conatibus industriæque parem nactus, eò amplitudinis euasit, vt quadringenta millia equitum, sexcenta peditum sub signis haberet. Parthorum Regna imperata fecere: nec desunt qui eum genere Parthum prædicent. Sed & Parthi suas primas origines ad Scythas referunt. Frenare impetum hominis nulla gens poterat. Prædæ illi oriés extitit. Emporia frequenti mercatorum conuentu celebria, & pecuniis opulenta, aurum metu impendente defoderant, ne auaro tetróque hosti expositum ad diripiendum foret. Nouo & inaudito ad eam diem astu circumuenit. Antequam aduentum eius longinquæ integræque adhuc vrbes formidarent, in eas misit qui specie commerciorum partas direptione copiosissimarum vrbium magni pretii merces ingenti mole camelis inuecherent, vilíque, sed præsenti pecunia diuenderent, quæ tenebris oculi, telluréve obrui æque non poterant. ita iam plenus auro, vetere rursus præda repente opprimens potiebatur. Ea ratione ditissimæ ciuitates, in quibus Damascus, ludibrio, direptioni, cædi fuere. Aegyptó tenus ea procella omnia peruasit. Ad deditionem vocans, antequam mœnia adoriretur, primo aduentu signa candida

conſpecto maxime in loco proponebat. Qui eo die imperata facerent, ſine inſigni iniuria in fidem eos recipiebat. Poſtero die purpurea, vt cruentam mortem ſibi obeundam ſcirent. Tertio atra, velut vndique funeſta: vt ſimul & hominum & mœnium tectorũmque excidium cæde, ruina, igne opperirentur. Ab hoc nefario inſtituto mens effera nullis precibus reuocabatur. Virgines pueróſque cum velamentis inſignibúſque ſupplicum, miſerabilíque alio habitu ad deprecandum patriæ interitum, aut ſaltem ſibi veniam petendam prodeuntes, tantum abfuit vt immitis animus ad genua cum procumbere conarentur admitteret, vt conculcandos obterendóſque frequenti equitum alæ præberet. Pazaitem ex Europa in Aſiam ad ſua tutanda regreſſum, prælio victor cepit, ac ad gentis viríque ſummi ignominiam, cauea ænea, radiis item æneis intermiſſis feneſtellis clathrata quadrupedem velut feram incluſum coërcuit. Cibum capiens, in catenis emiſſo, inter canes, & ipſi tanquam cani de menſa partes obiiciebat. Equum aſcenſurus, ſubſternentis ſe tergo pedibus inſiſtebat. Bellum circunferens, ſuis hoſtibúsque oſtentabat, hos præſentis exempli triſtíſque ſpectaculi documento terrens, illos ad virtutem tantæ victoriæ memoria acuens. A Latinorum familiari vſu non abhorrere viſus, quendam genere Genuenſem (nomen in obſcuro eſt) qui Scythice ſciret loqueretúrque, in comitatu ſuo agere facilè patiebatur. Hunc perblande auſum rogitare, eccur victoria (quod munus cœleſtium foret) multiplici de hominibus parta, ipſe etiam homo humanius non vteretur: toruo vultu intuens, Ecquid te fallit, inquit, in hac dextra (dextram intendebat) diras peſtémque terrarum verſari? Sed procul abi in malam tuam « tuorúmque rem: ne cum hac inſana percontatione tua, quas ea merita eſt « pœnas, tu mihi luas. Pro immortali beneficio fuit Genuenſi, licere ſibi incolumi è furentis poteſtate faceſſere. Ille feſſus potius quàm ſatiatus cruore vaſtitatéque terrarum, in Scythiam reuerſus, vrbem Mercantin nomine condidit, magnificentiſſimam: ex ſubactíſque gentibus delectis qui eò coloni deducerentur, frequentiſſimam exornauit ſpoliis & trophæis nationum Regũmque deuictorum. Mortuo duo ſucceſſere filii, neque fortuna, neque indole eadem, ac inter ſe parum cõcordes. Proinde velut quiete tantiſper piorum imperiis data, Palæologus Græcus Auguſtus Venetias claſſe delatus, inde terreſtri itinere in Franciam perrexit, ſpe noui aduerſus communes piorum hoſtes ſubſidii. Pro maieſtate ſummi nominis apparate magnificéque exceptus cultúſque, ob recentem cladis Nicopolitanæ memoriam, cum ſpe magis quàm auxiliis dimittitur. Latinum Auguſtum Venceſlaum ſordibus ac ignauia iam infamem, vt dehoneſtamẽtum cæſarei nominis, Germani proceres Imperio exuunt, anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo. Robertus Bauariæ Dux Cæſar dictus, in Italiam in Mediolanenſem duxit, eum pernegans Ducem, quem largitione corruptus dixiſſet is cui ob indignitatem imperium ſit abrogatum. Acie congreſſus, victúſque, in Germaniam rediit. Biennio pòſt Mediolanenſis deceſſit. reliquit Valentinam, & tres præterea

filios, duos iuſtos, Iohannem & Philippum, magni deinceps vtrunque in
Longobardia imperii: ac vnum nothum Gabrielem, dominatu Piſarum,
ſed eo perbreui, nobilem. Hos omnes Marias cognomine dictos. Genua
in fidem Franci Regis veniens, miſſum ab eo præſidium Prætorémq; Buſ-
ſicaudum mœnibus arcéque recepit. In Aula Regia gliſcebant factiones, aliis
Aurelianenſem, aliis Burgundionem affecto Rege ad rerum regimen vo-
cantibus. Multiplices ſimultates modò ſumptæ, modò in ſpeciem ac in bre-
ue tempus depoſitæ. Anno Domini milleſimo quadringenteſimoquinto de-
ceſſit Audax. Maior irarum moles inter patrueles, quàm inter patruum fra-
triſque filium. Vtraque pars ſuas clientelas & domeſticas & externas habe-
bat. Vrbs Regia in contraria factionum ſtudia ſcindebatur. Anno eius ſecu-
li ſeptimo Audacis filius Iohannes Dux cum à Regina ex puerperio decum-
bente multa iam nocte rediret, occiditur. Percuſſores, ne quis à tergo vltor
inſequeretur, murices poſt ſe, dum in ædes Burgundionis ſe reciperent, ſpar-
ſere. Inde ſe ex vrbe in Atrebates recepere. Author ignorari diu non po-
tuit. Igitur Dux & ipſe in ditionis ſuæ oppida profectus, nouam armorum
cauſſam nactus, in Eburones exercitum duxit, Epiſcopo ſuo infeſtiſſimos,
quòd cum eſſet ex familia Bauarorum Ducum, Annonum præterea & Hol-
landorum comitis frater, cuius item ſoror Iohanni Burgundioni nupſiſſet,
ipſe omnino Hypodiaconus maioribus ſacris ordinibus initiari nollet, infla-
tus ſpe in opulentiſſimos dominatus morte ſuorum ſuccedendi, auerſus à
ſacerdotio. Eam fruſtrationem Eburones indignè ferebant. Pugnatum. ſe-
ptemdecim millia ex ea gente cecidere. Victor Burgundio formidoloſior
factus. Interea Valentina cum liberis ex Duce occiſo procreatis circumibat
Proceres Francos: Regis fidem implorabat, ne fratris cædem inultam pate-
retur. Ad diluendum crimen Dux Iohannes comitatu non inermi, vt par eſ-
ſet, ſi quid aduerſarii contrà molirentur, affuit. Defuncti manes infectatus,
poſtulabat vt iure cæſus diceretur. eum à Pontifice maximo contendiſſe, vt
ius Regni abiudicaretur à Rege, quòd is non magis regno dignus foret, quàm
Chilpericus fuiſſet, à quo ius regnandi Pontifice Adriano authore ad Pipi-
num tranſlatum fuiſſe diceret. Magia etiam arguebat ab illo mentem Regis
tentatam: Veneficii quoque Valentinam, ipſum Tyrannidis incuſabat. in ta-
lium ſcelerum noxios nullam vim iniuſtam. ſe vt à Tyrannide patriam vin-
dicantem, triplici præmio remunerandum, gratia, honore, diuitiis. Iohannes
cognomine Paruus, profeſſione minor, in cœtu Procerũ præſide Rege cauſ-
ſam Burgundionis egit. Exitus fuit, vt non cauſſa probaretur, ſed venia
nobiliſſimo Duci daretur, gratiâque delicti fieret. Nec iccirco certamina ani-
morum extincta ſunt. Varii rerum motus, multiplices hominum conatus,
temporum conditio miſera, qualem fides ſit eſſe Rege mente affecta, Duci-
bus diſſentientibus, pace incerta, domeſtici belli expectatione. Eóque con-
tentionis deſcenſum, vt etiam Lanii, cruori aſſuetum hominum genus, in par-
tes reciperentur. Burgundionum cauſſæ ſe iunxere. Delphino nupſerat Bur-

 gundionis

gundionis filia. Is generi maiestate partes suas firmiores effecerat, Regis, Reginæ'que potens. Bituriges, obsidente oppugnantêque Burgundione, propugnante Aurelianensi, expugnari non potuere. Re infecta discessum, & nomen pacis inter partes redintegratum. Turmæ aliquot & cohortes Anglorum mercede conductæ ab Aurelianensi Duce, vbi pacem iunctam audierunt, conquesti nec stipendia sibi persolui, nec ea præstari in quorum spem euocati fide accepta venerant, Comitem Engolismensem Aurelianensis fratrem secum in Angliam transportarunt. Ibi duos & triginta retentus est annos. Redierat ex Italia Bussicaudus, qui prætor Genuæ fuerat. Is relicto in ea vrbe non satis valido præsidio, cum cæteris copiis Mediolanum in spem maiorum rerum profectus, mœnibus quidem recipitur, in arcem non admittitur. Nonum diem ibi agens, nuncium accepit Genuam defeciſſe, amissumque præsidium, nec tutam in Longobardia moram, non satis æquis Mediolanensium animis, quòd permoleste ferrent Gabrielem Mariam pecunia à Florentinis accepta, relictis Pisis, Genuâmque mari delatum, securi ab eo percussum. Ita quod reliquum copiarum erat, in Franciam reduxit. Nec finis Italicorum aliorúmque super alios motuum, & re Ecclesiastica seditione lacera iam inde à primordio Vrbani Pontificis, quo defuncto Bonifacius Nonus Ciuis Neapolitanus succeſſit, Huic Innocentius tertius Sulmonensis. Eo defuncto, tædio Schismatis, Purpurati Romani, id quod Auenionenses feciſſe priores ostendi, pro se quisque sanctissimo iure-iurando adigitur, se, si deligeretur, in authoritate Concilii, quod cogeretur, fore, ac Pontificatu abiturum: vt eo velut interregno comitia haberentur. Sin falleret, dira caput suum detestatione execratus. Delectus Angelus Venetus anno eius seculi sexto, Gregorium duodecimum nomen edidit. Iusiurandum quod verbis conceptis purpuratus nuncuparat, Pontifex confirmatum in acta referri iussit. Cæterum cum locus congressui Patrum consensu deligendus esset, nullus proponi poterat, quem probaret, nisi quem Benedictus, qui & ipse euocabatur, auersaretur. Collusio tamen hæc visa, & vterque in sacra causſa præuaricator. Sanctius egere Patres. Conuênit inter vtriusque partis Cardinales, vt Pisas conuenirent. Ibi vtrique Pontificatus æmulo ius sedis clauiúmque abrogatum. Delectus Petrus minor Theologus, genere Cretensis. Tarraconenses, Scoti, Armeniaci in Benedicti fide manſere, ac Carolus Malatesta Gregorium Arimini tegebat. Ita hoc remedio non sanata, sed grauius affecta, multiplicata velut tricipiti seditione, res Ecclesiastica. Alexander sacræ sedis hostem iudicat Ladislaum Regem, quòd vrbes imperii Pontificii, suæ ditionis faceret. ius Regni adiudicat Ludouico Andegauensi Ludouici Andegauensis bello Neapolitano mortui filio; Regémque ac Beneficiarium nuncupat. Bononiæ moritur octauo sedis

ſuæ menſe. Ibi ſuffectus Baldaſſar Coſſa Neapolitanus, Iohannes Viceſi- 42
muſtertius dictus. Continuò per literas author proceribus Germanis, vt
Sigiſmundum Regem Vngariæ Turcico bello, ſanctiorémque fœlicio-
rem Cæſarem crearent, eius gratiam tanto iudicii conſiliíque beneficio
iniuit. Ludouicus Andegauenſis copiis ex Prouincia Cenomaníſque ac
Andibus excitis, ſimul Florentinorum Pontificíſque auxiliis ſubnixus, 47
Ladiſlaum in Regni Neapolitani fines ex agro Romano, quem aſſiduo
vrebat bello, compulſum, ac in certamen æquo marte deſcendere coa-
ctum, tanta clade affecit, vt ſupplex à Iohanne pontifice pacem legéſque
acceperit, Gregorio deſerto, à quo ſteterat. Nec diu in officio manſit.
Tarraconem miſit legatos ad Alphonſum mortuo Ferdinando nouum 52
Regem,& gratulandi cauſſa,& de ſocietate belli aduerſus Andegauenſem
à quo eum alieniorem exiſtimabat,memorem cõtentionis de Regno Tar-
raconéſi magno certamine animorum habitæ. Reſpondit Alphonſus de
gratulatione gratias ſe agere: amicitiam Ladiſlai non repudiare, quam
ſciat etiam vltro expetendam. Cum Ludouicis Andegauenſibus ſibi o- 57
mnia neceſſitudinis iura intercedere, Patrem affinem, filium cognatione
iunctum. hunc competitorem extitiſſe, hoſtem nunquam. quod com-
munem amicum deceat, ſe potius pacis, ſi iungi poſſit, authorem, quàm
armorum fore. Nec ideo reparando bello deſtitit, infeſtus rurſus Ponti-
fici, Florentiníſque. ad hæc Longobardia in armis erat, in ſingulis pro- 62
pè vrbibus exorientibus Tyrãnis. Proinde Ladiſlaus ſpem conceperat vni-
uerſæ Italiæ Regno potiundi. tam opportune obiit, vt veneno ſublatum
non abſit ſuſpicio. Succeſſit ſoror Iohanna minor, nihilo illa ſuperio-
re Regina Iohanna ſanctius fœliciúſve Neapolitanis nomen. Regina ſa-
lutata, extemplo oratoribus vltro citróque commeantibus in matrimo- 67
nium pacta eſt Iohanni Tarraconenſis Regis fratri. Lætus adoleſcens ve-
lut ad certas nuptias, Regnúmque dotale profectus, ex itinere ad ſuos re-
diit, allato nuncio Neapolitanam nupſiſſe Iacobo Borbonio Marchiæ
Comiti præſtanti corpore formáque, nec virtute inferiori. In Betica res
aduerſus CHRISTI hoſtes Duce belli Ferdinando egregie geſſerat. 72
Hanc indignitatem Tarraconenſes ſuo tempore vlciſcentur. Interea con-
curſus oratorum totius nominis Chriſtiani fiebat ad Cæſarem, quòd eum
intelligerent ſuſcepiſſe gereréque patrocinium rei eccleſiaſticæ compo-
nendæ, quam dirimebant quos authores eſſe iungendæ oporteret. Con-
ſenſu denunciatum eſt Iohanni pontifici, vt ſine fruſtratione voluntati 77
omnium gentium morem gereret, conciliúmque haberetur. Iam Ger-
manos,Gallóſque ad Cæſarem conueniſſe. Aut dicto audiendum, aut of-
fendendum erat genus humanum. Duos Cardinales eligit, quos in Ger-
maniam leget, híſque nomina edit vrbium quò coiri placeret. neque
enim ei tutum videbatur, quolibet conueniri. Numen tandem reſpexit 82

LII. CAROLVS SEXTVS.

res humanas, tricipiti eas ambitione prodente. Iam legatos dimissurus, iam illis eum valere iussuris, mutata repente voluntate, libera illis mandata dans, Ite, inquit, quod è fide vestra videbitur, agitote. discerptísque quæ scripta ediderat nominibus, Vrbium dimisit. Id illi, abrogationi pontificatus: terris omnibus saluti fuit. quis enim seditionis modus, si de loco teneat contentio? Delecta igitur Constantia, miro gaudio Augusti, in cuius fide vrbs ea erat. Haudquaquam dubium erat Italici generis Patres eò conuenturos, in potestate conuentus futuros, Iohannem, Gregoriúmque, vtrunque Patria Italum. Benedicti animus peruicacior. Duces Franci eum de sententia non mouerant. Sigismundus si sua præsentis regia augustáque maiestate adducere posset, vt consentientis nominis Christiani fidei se crederet, experiri statuit. Perpauci Cæsares in bello vt de hoste victoriam ferrent, tot labores adiere, quot Sigismundus bello infœlix vt pacem ecclesiasticam constitueret. Perpenianum Tarraconensis ditionis oppidum se contulit, quò ex composito Tarraconensis Rex Benedictúsque in colloquium congressi sunt. Actum est cum Benedicto, vt cum tantus consensus generis humani sine numine esse non potuerit, ac iam certatim Constantiam Dei ecclesia confluat, non alienum à religione sua existimaret, profiteri se in authoritate totius nominis Christiani futurum, id quod Iohannes iam fecisset, Grægoriúsque aut sponte, aut coactu conspirantis orbis terrarum facturus sit. Septuagintaseptem annos natus erat Benedictus, facundia literaturáque præstans, qua vel priuatus nemini suorum temporum cederet, voce, latere, spiritúque animi magnitudinem adæquante. Septem continenter horas caussam suam orauit. Peroratio ac summa res hæc fuit, vt contenderet se verum esse Pontificem, ac se etiam si Pontifex non sit, solum omnino ex omnibus Cardinalibus supereſſe, qui aut à Gregorio Vndecimo certo Pontifice, aut à superioribus eo Pontificibus donati purpura sint: reliquos à controuersi iuris æmulis creatos, non certos dici conuenire Cardinales. Quod si sedes Pontifice vacet, si interregnum sit, si ex vsu dignitatéque rei Christianæ sit Pontificatu cedere. penes se vnum, nonnullósque Canonicos Romanos, quos ipse nominaret, ius Pontificis eligendi fore. Dicendo diem eximebat: nec aduersus tam obstinati animi orationem tot annis commentatam, Cæsari Regíve quid contrì fando contenderent, occurrebat, nisi, vt ne diffidere caussæ suæ videretur: hæc eadem vel per legatos Constantiæ, vel eò profectus ipse coràm prædicaret. si persuaderet, sanctius glorioſiúsque iure clauium vsurum: Sin quid secus è re Christiana videretur, nouáque Comitia haberi placeret, non desperandum: cum in eo sint hæ animi pectoríque dotes, quas in Pontifice esse oporteat, fore vt consensu terrarum deligatur: aut, vt omnia aduersa fingantur, proximum à Pontifice venerationis maiestatíque locum ei non defuturum, ac ampliſſimas per-

petuásque legationes. Expugnari fando non potuit. Re infecta collo- 42
quium diremptum. Rex suos rursus edicto vetuit sacra iura, beneficiáve à Benedicto petere. Constantiam iri placere, ac illi sacro cœtui parendum. Benedictus Panoscholam concessit, exprobrans Ferdinando, iudicium quo dictus ille sit Rex, muneris sui fuisse: se authorem deligendorum iudicū, ac ita pronunciandi extitisse. Nunc pro summo beneficio gratiam 47
minime parem referri. Augustus reditu suo Constantiæ inuenit tam frequens iam concilium, vt discrimina & velut classes essent faciendæ, diuisis in quinque partes Patribus. Itali, Hispani, Angli, Galli, Germani præcipuæ dignationis erant. In has quinque classes sui cuiusque gentis Patres coibant. Cæteræ nationes aliæ aliis harum adscribebantur. Quod tri- 52
bus harum generatim placebat, id reliquæ ratum sanxere. Ex singulis classibus Quini delecti, qui cum Cardinalibus conglobati Pontificem eligerent. Iohannes Pontifex, amicis dehortantibus, eò se contulit. Gregorius Carolum Malatestam legatum misit cum tam liberis mandatis, vt ei facultas iúsque cedendi Pontificatu daretur. Is insignia Pontificis indu- 57
tus, in augustissima sella consedit, ac velut Gregorii personam gerens, depositísque sacris insignibus, ac relicta sella, se abire Pontificatu effatus est. Gregorio ius pilei redditum, Legatione Piceni attributa. Non diu superfuit. Iohanni multa crimina obiecta, in quibus & homicidium. cum non satis se purgare videretur, in custodiam coniectus, Pontificatu ab- 62
rogato ei, & Benedicto. Otho Columna ciuis Romanus Pontifex anno eius seculi quintodecimo creatur, Martinus Quintus dictus, quòd die diui Martini festo designaretur. Eo concilio acta trium Pontificatus æmulorum, concordiæ ~~gratia confirmata~~, quòd iure hactenus ambiguo, ignorationem ac ~~errorem mortalium~~ fraudi cuiquam esse non conueni- 67
ret. Iohannes ac Hieronymus Bohemorū doctores viui igne cremati. Placuit præterea vt ex ea die quinto pòst anno Concilium haberetur, Alterum septimo, Tertium decimo. Exin perpetuum id esset, legitimúmque, vt decimo quoque anno conuenirent in vnum Patres omnium gentium. Ex quatuor Cardinalibus qui à Benedicto steterant, citatíque non af- 72
fuerant, cum nunciatum esset Martinum consensu lectum, duo ad eum transeunt, duo Panoscholæ permansere. Iohannes ê custodia elapsus, Florentiæ Martinum, à quo antè adoratus fuerat, adorauit, Pontificem eum salutans. Pileo vti iussus, in gratiáque ac honore deinceps habitus. Quo anno Pontifex creatur Martinus, eo in Francia nondum veteribus 77
malis sublatis, noua exorta. Henricus Quintus quarti filius Rex Anglus Catharinam Franci Regis filiam per Oratores nuptui petebat. Responsum, eo tempore neque Ducibus vacare, neque Regi operæ esse ea de re agere. Hanc repulsam interpretatus, ac veluti ignominia ac-

 census

census,domesticis malis, ægra re Francica in Normaniam hyeme appetente transmisit. Arefluctus obsidionem oppugnationémque paucos dies sustinuit. exin deditionem fecit. Rotomagum frustra tentatum,iam Franco milite vndique conueniente. Calitium versus flexit. Somonam amnem traiecit. Ad Blangium assecutus est Magister equitum Alebretus. Eo die iusto prælio pugnatum non est, maiorum copiarum expectatione, quæ postridie affuturæ erant. Nocte proxima Alebretus Ducésque de instruendæ aciei ratione consultant, qui Ducum primam,qui secundam, qui tertiam ducerent,quo quisque miles loco consisteret. Vulgus militum, quòd nox prægelida forte ingruisset, & in castris & propinquis locis ingentem struem è propinqua sylua lignorum accenderant, ita vt omnia perspicua hosti forent. quæ contemplatus Anglus,orta luce,cum iam sub signis staret miles Francus,non omnes direxit continuò in oppositam aciem copias, sed partem in eam circummisit semiermium turbam, quæ extra castra noctu sibi circa ignes locum delegerant. Ea,irruente repente hoste, partim nullo certamine cæsa, partim refugiens ad signa,tumultum ac trepidationem suis iniecit. Vtcunque tamen pugnatum, sed dispari Marte, euentúque. Ex Anglis ducenti ferme cum fratre Regis Duce Eboracensi cecidere. Nequaquam pari clade defuncti Franci. Francorum decem millia,id vulgus militum fuisse crediderim, quòd alii authores sunt quatuor nobilium virorũ millia cecidisse. Sed maior quàm pro numero cæsorum clades visa,quòd capti Duces Aurelianẽsis ac Borbonius, Busscaudus præterea,ac nobilissimarum familiarum Proceres permulti. Victor præda grauis,exercitúque captiuis pleno, Calitium,quò initio profectus erat, copias duxit. Sigismundus Cæsar vir sanctus vt ecclesiæ pacem reddit,ita inter duas nobilissimas Regias sedare iras conabatur. In Franciam venit comitatu nobilissimo. Ad eum excipiendum prosequendúmque Franci sibi nihil reliqui fecere,quo Cæsareum nomen apparatius magnificentiúsque coli posset. In curia præsedit. caussæ actæ,~~orationes habitæ~~. Ambigebatur in primis de Præfectura ~~Bellocarensi~~. Erat inter duos contentio. eorum alter cæteris omnibus superior, vna re vincebatur, quòd equestri balteo donatus non erat, quo insigni alter decoratus, ea maxime fiducia nitebatur. Caussa vtrinque perorata,ne virtute superior, insignium virtutis expers, Præfectura deiiceretur,vocatum eum ad se,ense,balteóque Cæsar donauit. Constituebat etiam Comitem Sabaudiæ magna celebritate Ducatus insignibus exornare. Intercesserunt Regii magistratus, ne in Regno Francico quicquam pro imperio agere decerneréve posse viderentur Augusti. Permoleste id tulit Cæsar. Eum Rex Angliæ honorificentissime coluit, & Calitii, & Londini. eò enim cupidissimus iungendæ pacis transmisit, frequẽtissimo etiam comitatui victu cultuq; gratuito præbito. Pax inter Regias reconciliatore Augusto conuentura erat: sed eius rei prospere agi cœptæ interpellauit nuncius, in continente ad quadringentos Anglorũ à Francis collatis signis occisos,nõ magno incõmodo præ magnitudine bellantiũ inter se Regũ,sed tẽpore alieno, ne si

pax eo rerum cardine fieret, videretur ingenti ad Blangium prælio victor, ob paruam iacturam ſuccumbens leges accepiſſe. Qui Francorum cum Iacobo Borbonio Iohannæ Reginæ viro Neapoli erant, initio à Iohanna comiter benignéque habebantur. Magiſtratus procurationésque eis mandabantur, nobilitate Neapolitana id permoleſte ferente, Ducibúsque his qui ſub Ladiſlao res geſſerant, & Reginæ animum ante eius nuptias quò commodum illis erat, impellebant. Auſus eſt etiam Sfortia Dux bello egregius Iacobum qui à Francis Rex ſalutabatur, Comitem ſalutare. Ob quam contumaciam eo in cuſtodiam coniecto, ſeditio oritur. Iacobus iuſto bello, non inteſtinis armis aſſuetus iactatur. Iam eò res proceſſerat, vt eum Tarentinorum Principatu, ac geniali duntaxat Iohannæ toro contentum, cætera rum rerum adminiſtratione, Regióque nomine abſtinere iuberent. Iohannæ Reginæ nutu omnia fieri. Vir ratus de vxoris ſententia hæc agi, capútque conſpirationi ſubtrahendum, de quibus viſum eſt ſupplicium ſumit, Iohannam in ordinem coactam, in arcem includit. Illa per diſſimulationem doloris gratias etiam marito agit, quòd ſeditioſos coërceat, ſéque cura rerum tanta mole agendarum leuet, quæ virtutem ſummi viri poſtulent. Sibi tranquillitatem animi quietémque à fluctibus & externis & domeſticis præbeat. Ita recondita indignatione muliebri, ſe aulicis luſibus ludísque, ac deliciis & amplexui mariti dedit. Appellata etiam de coniuratione in Iacobum facienda ab his qui non ex vultu præſente, ſed ex fallaci eius ingenio non dubitabant ira flagrare, rem ad maritum defert, authórque eſt vt fontes capite luant. Nulla iam vxor fidelior viſa. liber quocunque egreſſus illi permiſſus, libera cum quibuſuis colloquia. Tunc certiore validioréque coniuratione facta, è cuſtodia eximitur Sfortia, Iacobúsque quam in arcem vxorem clauſerat, in eam compulſus obſidetur. Mox, cum mari Arx alluatur, nauim nactus Tarentum defertur. Rurſus obſeſſus, certo pondere auri accepto, nulla ſpe ſe oſtendente, ea vrbe relicta in Franciam rediit. Iohanna quòd Pontifici Duces ſubſidiáque polliceretur aduerſus tyrannos qui permulti ſacræ ſedis vrbes ſui iuris facere contendebant, ab eo in fidem recepta, eo authore coronatur. Borbonio viuo nubere alteri non poterat, nec eo tanto terrarum tractu dirempto, iuſtos liberos gignere. adoptione adſciſcere poterat. Tarraconenſium Regem, cuius fratri ſpem connubii Regniq; oſtenderat, Sardiniam præterea, ac Siciliam inſulam in fide habentem adoptat, euocátque: cum iam Martinus Pontifex conqueſtus ab Iohanna non quantas ſpoponderat copias auxilio aduerſus eccleſiæ hoſtes mitti, Ludouicum Andegauenſem Regem Neapolitanum, beneficiariúmque ſacræ ſedis nuncupaſſet, ísque protinus Calabriam nulla contentione in poteſtatem redegiſſet. Alphonſus Neapolin delatus, matréque ſalutata, à Pontifice contendit vt & ipſe in fidem recipiatur, ſacramentóque fidelitatis ſedi Romanæ deuinciatur. Abnuebat id Martinus. Expoſtulanteq; eo ſibi non idem cõceſſum filio à Iohanna in ſpẽ Regni adſcito, purgauit, ſe non potuiſſe nõ agno-

 ſcere

ſcere Regem beneficiariúmque Ludouicum iam ab Alexandro quinto & Iohanne vicęſimotertio in fidem eo nomine receptum: Sanctæ'que ſedis eſſe, beneficiarios ſuos confirmare, non tollere. His verbis teli atrocioris metus obiectus. Ex decreto Concilii Cõſtantienſis, cõuentus Papiæ habendus erat, quò vndique oratores mittebantur. ſuos etiam miſit Alphonſus, qui poſtularent vt cauſſa Benedicti, qui ſuperſtes Panoſcholæ ſedebat, nec Concilio Conſtantienſi præfuerat, interfuerátve, agatur, cognoſcatúrque. Ea tantæ rei mentio abſterruit Pontificem, vt, velut renaſcẽte Schiſmate, nequid denegaret Alphonſo: ac viciſſim Alphonſus gratiam continuò retulit. Benedicto enim ſub idem tempus mortuo, duo eius Cardinales delegerant Aegidium Canonicum Barchinonenſem, eum Clementem octauum Pontificem appellantes. Et viri & loca in ditione Tarraconẽſis erant. mittitur Alphonſus Boria, qui poſtea Caliſtus quintus fuit, Panoſcholam. Is peruicit vt Aegidius nomine Pontificio cederet. Creatus eſt Epiſcopus Balearicus. Qui eum crearant, in ſeditioſa ſententia permanentes, quòd & iam Martino vniuerſa eccleſia parêret, ac Alphonſus ei dicto audiens eſſet, vndique excluſi, coniecti in cuſtodiam ſunt. Is finis Schiſmatis tot annorum certus, vno iam certo Pontifice. Ex eo tempore parum ſancta ſocietas Regni inter matrem vario mutabilique ingenio, & filium non genitum, ſed aſſumptum. vtrinque querimoniæ iactatæ. vterque ſe inſidiis petitum inſimulat. Duæ factiones vrbem præcipue Regiam diſtinebant. Alteri Tarraconenſium partium, alteri Andegauenſium dicebantur. Alphonſus infirmitatem animi. materni veritus, ſtatuit eam procul ab vrbe Neapoli ſubmouere. Id non fefellit mulierem, ſeu per ſe id ſuſpicatam, ſeu indicio facto. arce ſe continebat. Alphonſus per cauſſam ſalutandæ matris ingreſſurus arcem, excluditur, idque haud abſque periculo, prioribus equi cui inſidebat, pedibus tantùm non inſiſtentibus capiti pontis quo vrbs portæ arcis iungitur: quòd qui portæ cuſtodes impoſiti à Regina fuerant, retracta catena pontem ſublimem egiſſent. Simul qui Tarraconenſium Siculorúmque Neapoli erant, comprehenduntur. & præſto affuit Reginæ cum copiis ex propinquo Sfortia, & Alphonſo claſſis ex Sicilia Hiſpaniáque. Capit etiam Alphonſus permultos aduerſariorum. Permutatio facta. Regina vt ingrati animi Alphonſum abdicat. Ludouicum Andegauenſem tertium Secundi filium adoptat. Adoleſcens magno comitatu veniens, partes ſuas, matriſque ſuperiores, Alphonſi inferiores reddit. Extemplo à matre Calabrorum Ducatu donatus. Pater Ludouicus præter eum tres liberos habebat, Renatum, Carolum, Mariam: hanc nouo Delphino nuptam: nam vetus deceſſerat. Renatum Ludouicus Dux Ambarus magnus auunculus, domeſticæ nobilitatis ſtirpe virili agnationéque deficiente, hæredem inſtituit. Tarraconenſis claſſe aduolans Maſſiliam Andegauenſium Ludouicorum vrbem repentino aduentu cepit, diripuítque, nec claſſem niſi præda onuſtam reduxit. Ludouicus Secũdus ex Italia in Franciã reuerſus, quòd patruelis Regis, quòd ſocer Delphini foret, quòd cæteros Proceres prudentia & vſu rerũ anteiret, tantum maieſtate poterat, vt omnia eius conſilio agerentur, nec eius Francos pœniteret. Id nõ fuit diuturnũ. Eius morte, mala Franciæ quæ inter-

quieuerant, recruduere. Armeniacus Magister equitum in locum Alebreti suffectus, in aula cum perpaucis atque his nouis hominibus dominabatur. In primis auaritiæ & impotentiæ flagrabat inuidia. E templis pecuniam sustulit: quam ingentem, quò sanctitate loci tutior foret, Regina deposuerat. Ea indignatione accensa, cætera simul aulæ vitia caussata, Turones secessit à marito Rege, abducta etiam Catharina virgine filia: Burgundionémque euocat, qui valido exercitu non paucis receptis oppidis Sequanam traiecerat, se prædicans omnium rerum vectigaliúmque, præterquam salis, immunitatem afferre, ac miseriarum omnium finem. Hac popularitate splendentem ipsum Reginámque Carnutes & alia regione Tricasses mœnibus recepere: cum Normania bello arderet, quòd descensione facta Cadomum Anglus Cæsaroburgûmque deditionem facere coëgerat, ac Rotomagum caput eius gentis, vbi parum oppugnatio processerat, obsideret. In dies factio Burgundionis maiores vires nanciscebatur. Iohannes Villarius proditione vnius portæ vrbem Regiam noctu magna manu ingressus, eam regémque, ac aulam omnem Burgundionis arbitrii fecit, ægre Delphino elapso. Qui Ducis insigne non sumebant, ii periclitabantur. Id est crux obliquis radiis commissa. Andreanam vocant. Eo tumultu occisus est Armeniacus, & Erix præfectus iuris. Recepti Parisii, rem totam inclinabant, nec vllus futurus malorum modus, nisi morte Burgundionis, videbatur aduersæ factionis hominibus: quorum qui Delphini animum circunstantes possidebant, instando peruicerunt, vt Delphinus Dúxque cum denis omnino comitibus colloquii specie tanquam de pace acturi congrederentur, fide & data, & accepta. Ex composito Monterigolum in pontem flumine subterlabente vtrinque conuentum est. In decem Delphini comitibus delectissimis erat Tanaquinas viribus corporis animíque robore ferociſſimus, quem vrbis Regiæ Prætorem nocturno tumultu Villariani exturbarant. Ab hoc, id quod ipse omni deinde vita inficiari solebat, cæsus Dux fertur. Torpentibus pauore, cum in Delphini oculis res ageretur, totidem numero Ducis comitibus, cæde cædem expiatam prædicabant, ac manibus Aurelianensis egregie parentatum. Verum enimuero exacerbata sunt odia, quæ alioqui tollere longa dies vel lenire potuisset. Philippus occisi Ducis filius Dux, acerrimus necis paternæ vltor extitit. Rotomagum septem mensium obsidione famèque domitum Anglus receperat: cum eo Dux fœdus icit: cunctáque prona ei ad victoriam reddidit. Vrbem Regiam, Carnutes, Tricasses, Regem, Reginam, Catharinam virginem, quæ omnia in potestate patris fuerant, & nunc in manu hominum suarum erant partium, ei incruenta victoria nullo negotio tradit, tam atrox telum indignatio præbet, anno eius seculi duodeuicesimo. Vtque Delphinum, in quem mirum in modum excandescebat, à spe Regni paterni excluderet, Lutetiæ voce præconis citandum curat, diêque dicta absentem pronunciandum indignum qui succedat in regnum, cuius fide in colloquium de pace descendens propinqua cognatione iunctus Dux, per fraudem circunuentus ac cæsus sit. Præterea in Tricassibus Catharina patre qui nec sui, nec regni, nec mentis potens foret, nihil detrectante, nubit

Henrico, his legibus, vt Rex gener, ſi ſocero Regi ſuperſtes foret, liberíve ex Catharina procreati, in Regnum Franciæ ſuccederent. Interea rem Francicam adminiſtraret gener Anglus, Rectórque Franciæ diceretur. Eo nomine bellum gerens adiuuante Duce Senones, Meledunum, Meldos cepit. Maiore igitur fœlicitate, quàm cuius ſpem ex Anglia ſoluens animo conceperat, rebus geſtis, relicto fratre Clarentiæ Duce in procuratione rerum Francicarum, qui reliquias belli perſequeretur, cum vxore Franca domum tranſmiſit. Exceptus eſt quanto plauſu gratulationéque nullus ad eam diem ex continente victor Rex. Frater Dux Rothomago in hoſticũ mouit, in Andes peruenit: mœnibúsque obequitans, ad certamen præſidium quo firmata vrbs erat, prouocat. Illis intra muros ſe tenentibus (neque enim pares viribus erant) ignauiam increpitans, vt latius belli terrorem funderet, copias ad propinquum vicum duxit, vbi Scotos, qui Delphini ſtipendiis militabant, ac aliquot Francorum cohortes eſſe afferebatur. cum his, quòd numero multo ſuperior eſſet, contemptim manus conſeruit. Ex inſigni facilè agnoſcebatur, quòd in Caſſide aureum orbem gẽmis diſtinctum gerebat. Impetu in ſe multorum ruentium cecidit. Permulti exin capti. longe tamen maxima pars amiſſo Duce, ſine trepidatione, ſeruatóque agminis ordine ſeſe in Cœnomanorum fines recepere: ſumptáque Francorum inſigni Cruce alba, cum interciſum pontem offendiſſent, collectos proximorum agrorum cultores coẽgerũt cæſa raptim materia pontem reficere: quibus deinde partim abductis, partim, quòd repugnarent, cæſis, ne finitimis concitatis, ſe correptis armis inſequerentur, incolumes in Normaniam peruenere. Ad nuncium occiſi fratris Henricus Rex relicta domi vxore Franca, & ex ea filio bimulo Henrico Sexto, in continentem rediit ſpe in Franciam debellandi, eius ſeculi viceſimoprimo anno. Inſequens fuit eius vitæ poſtremus. cum quadraginta omnino annos natus eſſet, in hortis Vicenarum morbo deceſſit. Reliquiæ in Angliam deportatæ. Procuratores reliquit rerum Anglicarum patruum Ducem Leceſtrem, Francicarum fratrem Ducem Betfortem, obſecrans ne vllas vnquam conditiones pacis cũ Delphino, niſi retenta Normania eo iure quo qui optimo, acciperet. Tres & quinquaginta dies ſuperſtes illi Francus Rex fuit. Ad Dionyſii illatus eſt. Catharina vidua nupſit Tederrho iuuentutis Valliorum nobiliſſimo, ſed & formoſiſſimo iuueni. Annum primum & viceſimũ agebat CAROLVS SEPTIMVS Sexti filius, cum iam Ocitanorum animis confirmatis, quos Arauſicenſis Princeps vt ad Burgundionem deficerent ſolicitabat, Delphinatium iuuentutem conſcripſiſſet, & ex Italia milite mercede conducto in Aruerniam ſe contuliſſet, réſque ibi à Iohanne ſaltuario turbari cœptas, pulſo authore compoſuiſſet. Allata morte patris, maiore iam conatu res gerere conſtituit, ratus in primordio Regii nominis à ſe ſuſcepti poſitum eſſe qualis apud ſuos maieſtas, quãtus apud hoſtes terror, an cõtemptus imperii ſui foret. Aderant egregii exercituum duces, ac milites ex his ciuitatibus quas integras ab aduerſariorum factione ac dominatu Anglorum ſua vel virtus fidésque, vel fortuna ſeruarat. Erant etiam nonnullæ, hæq; illuſtres familiæ, quæ quòd opes oppidaq; habebant beneficiaria Regum, alia

Henrici,alia Caroli,cogebantur aut alterũ ſecutæ alterum offendere,aut ancipiti gratia diſtineri. Hercembaldus Buziorum Princeps à maioribus relicto quamplurimorum oppidorum dominatu, ducta vxore è familia Comitum Fluſſatium, magno incremento opibus adauctis,quatuor filios procreauit. Horum duos,Iohannem & Vaſconem,quòd indole præſtanti ſpecimen virtutis militaris præberent,ad Francum duxit,orauitq;,vt vtrum placeret deligeret, cuius fidem ſibi iureiurando deuinciret. Iohannem delegit, & is maximus ſtirpis erat. Iohannes Francicarum, Vaſco Anglicarum partium acerrimi propugnatores extitere. Obſidebant Angli Crepantum. Butatius Magiſter equitum eximere clauſos obſidione conatus,duobus ſuorum millibus deſideratis,reliquis ſibi fuga conſulentibus, capitur. oppidum amiſſum. Nec hoc tanq̃ triſte in noui Regis auſpiciis omen, militum reliquorumq; animos demiſit. Aduerſis obluctandum viſum. Hoſtes ex Andibus Cœnomanísque prædam ingentem maxime pecorum in Normaniam abigẽtes Francus in finibus Sagienſium aſſecutus,præda exuit,ad mille quingentos occidit. Fanum Michaelis, cuius excelſæ arcis radices Oceano alluuntur, hoſtis obſidebat. aſcenſu arduo, quà paulo mollior cliuus facultatem dabat, præſidia diſponit, turrésque ex materia excitat,& munitionibus circundat. Præterea in ſtatione naues agebant, ne inueheretur commeatus. Britannia enixe rem Francicam iuuit. inde claſſis profecta, hoſtium naues fudit, fugauitq;. frumentum, cuius inopia laborabatur,importauit. Claſſiarii iuncti oppidanis præſidióque,munitiones expugnant,cæde facta obſidionem ſoluunt. Simul ex Scotia quinq; millia egregiæ iuuentutis auxilio affuere. Variante belli fortuna, Vernolium hoſtes capiunt,cum auxilio Francis occurrẽtibus,initio pugnæ victi,tandem eripuiſſent victori victoriam,prædæ magis quàm reliqui certaminis memori. Quinque ferme millia cecidere. Dux Alenconius ferro captus,ac paulo pòſt auro redemptus. Ferox victor Cœnomanos oppugnat,tormentis partem vrbis mœnibus nudat. Deditio facta. Mox cum non ſatis valido præſidio relicto ad continendam in fide officióque vrbem diſceſſum eſſet, oppidani Regios euocant, mœnibúsque recipiunt. Præſidium miſſo ad ſuos nuncio quo ſtatu res foret,conglobati turrim peropportunã interea ſaluti tutandæ occupant. Breui Tallebotus Anglicæ nobilitatis clariſſimus bello Dux affuit. Regiis pulſis,de authoribus defectionis ſupplicium ſumptum. Ligerim vſq; imperium Anglorum peruenerat. Carolum Biturigum ~~Regem per ludibrium~~ vocitabãt. Nec cuiquam dubium erat quin Aurelianum nobilem ad Ligerim vrbem tentaturi eſſent. Ciuium fides eo bello enituit. Suburbia, quòd inſtar vrbis erãt,ſolo adæquant,ne his ab hoſte occupatis,inde ipſi oppugnarentur. Saleberienſis Comes eò exercitu ducto,nihil reliqui fecit quo maiore terrore circũfundere vrbem primo aduentu poſſet. Nihil profecit. Ciuibus diuiſis inter ſe partibus,ad omnia præſenti ac imperterrito animo occurrentibus,eo conatu repulſus obſidere cœpit. In vlteriore ripa propugnaculum ad caput pontis quo Siligonia aditur,occupat. mœnibus(ea in citeriore ſita ſunt)ne ingreſſus egreſſusve cuiquam pateat, munitiones obiicit,turrésque & caſtella, quorum vnum ob eximiam magnitudinẽ ab vrbis in Anglia Regiæ nomine

Londinum dictum. In Biturigibus erat Rex. Ex finitima ciuitate ſpes auxiliorum cõmeatusq; perdiu clauſos ſuſtinuit. Vbi tempus extrahitur, faméſq; ingraueſcebat, de ſalute conſultant. Stat ſententia, non dedere ſe Anglo. Eò deſcẽdebatur, vt ſe fidei Burgũdionis crederent. cum memorem tandẽ fore originum ſuarum, è Regia Francorũ nobilitate ortum, ſtirpis in ſpẽ regni editæ. Nec abnuebat Burgundio in fidem nobiliſſimam vrbem recipere. Saluo fœdere Anglico id non poterat niſi authore Anglo fieri. Saleberienſis rẽ aſpernatus, diſſimulare non potuit, quo minus diceret minime conuenire, cum ipſe plagas feris tetenderit, captura alteri cedere. Clementius reſpõſum reddi poterat nobiliſſimo duci, quòd cum tantum belli ſupereſſet, ſegniorem tantum ſocium amicumq; nõ redderet. Eamq; ferociam etiam euentus dãnauit. Comes enim è mœnibus tormento ictus, biduo pòſt deceſſit. Iam mortales, immortaleſq; rem Frãcicam reſpiciebant. Iohanna Lotaringa puella duodeuiginti circitèr annos nata, ſub patre oues paſcere ſolita, ad Regẽ ducitur, prædicans ſe mente diuinitus admonita venire, profiteriq; ſe Anglos Francia exacturam. Mirabundo Rege, multiplici percontatione procerum verſata, ſemper ſibi conſtitit, nullumque ei verbum niſi pudicum ſanctumq; excidit. Conſilio Ducum ſanctorumque non aſpernanda res viſa. Militari ergo habitu, accepto ab Rege exercitu, ducibusque, traiecto flumine, obſeſſis per intermiſſas hoſtium munitiones ſeptimum iam menſem clauſis auxilia commeatuſque intulit, crebriſq; eruptionibus obſidionem ſoluit: circũferendoq; bello variis Ducum conatibus circũiecta oppida, quæ hoſtis occuparat, recepit, leuibus præliis, quæ tamen in ſummã vniuerſæ rei ſpem proficerẽt, Anglo fatigato. Ad tria hoſtium millia in Belſia cæſa, anno eius ſeculi vndetriceſimo. Nec fortunæ ſe offerenti defuit Francus Rex. vtque auguſtior ſuis, hoſti formidoloſior foret, authore ac Duce puella Remos ad Sacrũ Chriſma, regniq; inſignia ſuſcipienda profectus, quòd ab Altiſſiodorenſibus commeatu ſubleuaretur, pacato agmine per eorum fines inceſſit. Fanum Florentii & mœnibus admiſit, & commeatu iuuit. Ad Tricaſſes nouẽ dies hæſit, quam vrbem Angli præſidio tenebant: deinde conuênit, vt præſidium incolume abiret, ciues ſe dederent. Catalaunum nullam ſe reddendi Regi moram interpoſuit. Remi ſummo plauſu, fauſtisq; acclamationibus exceperunt. Sacratus coronatuſque Sueſſiones recepit. Betfortis Anglus Dux cum duodecim ſuorum millibus Regi Pariſios proficiſcenti obuiam procedit ſpecie prælii conſerendi, ſed variis ludificationibus fruſtrans tempus terebat: apparebatq; cunctando id quærere, vt conſeneſcente bello impetus Francorum langueſceret. Ad vrbem igitur regiam copiæ ductæ. Saleberienſis in eam regreſſus, diligentia virtuteque nullum locum omnia attentanti hoſti opportunum reliquum fecit. Vulnus etiam ad portam Diui Honorati accepit Iohanna, req; infecta copias reduxit, ac bellum ad Fanum Petri Moſteriẽſis vertit. Dũque ea regione ſedet, hoſtes Compẽdiũ, quod in fide Regis erat, circunſidũt. Puella recepto Moſterio, fruſtráque tentato Caritatis Fano, caſtra inde mouet, vt obſeſſo Compendio opem ferret. Longe aliam fortunam nacta eſt;

quàm qua Aurelianum ſeruarat. in oppidum quidem irrupit : ſed eruptione poſtea facta,in poteſtatem hoſtium venit.Rotomagum ducta , ab Anglis ſuperſtitionis falſæq; religionis inſimulata, igne cremata eſt,hoſte iudice,nemine eo loco pro captiua contrà hiſcere auſo.Aurelianēſes puellæ ſtatuam poſuere. Eam ſummis efferunt laudibus. Pius pontifex maximus,ac Antoninus Pontifex Florentinus eam admirantur.Obſidio Compendii, virtute præſidii erumpentis,& auxiliis exteriore parte aduenientibus, ſoluta eſt. Meledunenſes præſidium Anglorum, quòd minus validum , quàm vt oppidum continere in fide poſſet,in arcem compulere,ac Regiis euocatis coëgerunt illud ea relicta ſibi ſalutem paciſci. Coruolium ſine certamine receptum,ac maxima præterea Bryæ pars. Angli verò vt maieſtatem partibus ſuis conciliarent, Henricum ſextum quinti ex Catharina Franci Regis filia filium ex Anglia euocant.Lutetiam Regio comitatu venit.annum duodecimum agens,in æde ſacrarum maxima coronatur,operante Cardinale Viceſtrienſi . Nec id Francos terruit quo minus curſu rerum ſecundarum vterentur. Carnutas arte recepere . Nocte prope vrbem abditis opportuno loco militibus , præmiſſoq; ſub lucem agitatore cum curru,qui tanquam in macellum piſces importans, cum in porta per ſpeciem promendi donandiq; cuſtodi piſcis,conſiſteret:antequam cataracta demitti poſſet,aduolauere inſidiatores,occupataque porta, maioribúſque mox ex compoſito ſub ſignis accurrentibus copiis , vrbe potiuntur.hoſtibus partim cæſis, partim qua cuique parte facultas fuit, elapſis, ne ab vrbis quidem pontifice, quia gente Burgundio erat, temperatum. Dux verò Philippus minus iam acer defenſor Anglicarum partium propiora reſpiciebat . Renatus Dux Ambari habebat in matrimonio Iſabellam vnicam filiam Caroli Ducis Lotaringi , ex qua procreauit quatuor liberos, Iohannem , Ludouicum, Iolantillam , Margaritam. Antonius Comes Vallemontenſis beneficiarius ac frater Caroli Ducis Lotaringi, Ducatum Lotaringiæ gentilitio iure morte Caroli ſuum prædicabat , fratriſque filiam excludendam . Renatus vero ius vxoris cognationisque defendebat.Armis agi cœptum . Vallemontenſis ſuis viribus impar,auxiliis Philippi Ducis ſubnixus prælium commiſit . Captus Renatus , ac ad Burgundionem ductus . In Normania Caleti ab Anglis iuſſi in Francos pugnare, armis in Anglos verſis, cum Franciſque iuncti,& Fiſcanum & circuniecta munita loca hoſti ademere.Alia parte Fanum Dionyſii,tam prope Lutetiam ,Duces Franci noctu adiuuantibus oppidanis,pulſiſque Anglis, occupauere , ſeq; tutati egregie ſunt, cum ex vrbe Regia Angli maioribus copiis adorti recuperare conātur.Opes Francorum maioribus in dies augebantur incrementis . Sed vniuerſa Francia belli mala ſentiebat . Cultu agrorum intermiſſo , vaſtitas in agris , in vrbibus inopia : & ad extremam famem veniebatur , ac armorum cædisq; aſſuetudine efferabantur animi mortalium . Anglorum edicto , qui fundos, rem ve paulo maioris pretii ſub eorū imperio habebant, aut bonis abſentes exuebātur,ſi apud hoſtē permanebāt:aut ab eo diſcedere cogebātur.Ea neceſſitate adacta permagna nobilitatis pars,quā Anglici tædebat imperii,ſe ad Burgūdionem

nem contulere,quòd cum is Anglorum ſocius amicusq; diceretur, inſimulari non poterant infidelitatis. Hi apud Philippum Ducem in magno erant honore,prædicabantq; Carolum Regem de Burgũdionibus & præclare ſentire,& amice loqui,ac ad omnem mentionem cæſi Iohãnis ducis ingemiſcere,nec eius cædis authorem,conſiliorúmve fuiſſe participẽ. tunc eum rerum ſtatum fuiſſe,vt in ſuorum poteſtate potius eſſet, quàm vt eorum potens foret.multa illum diſſimulaſſe,ac inuitum pertuliſſe.Ita ducis ira deflagrante,ac odiis cruore vaſtitateq; exatiatis,ſimul duobus Romanis legatis Cardinalibus viris ſanctis vltro citroq; commeantibus,efficitur vt in Atrebates Anglorum ducum(Rex enim Henricus in Angliam è continenti tranſmiſerat)Franciq; Regis,ac Burgundionis ducis oratores conuenirent. Ibi de pace agi cœptum,anno eius ſeculi triceſimoquinto.Anglo Regni Frãciæ æmulo ſatiſfieri non potuit.is è medio colloquio diſceſſit.æquiorem Burgundio reſpiciendis ſanandisq; patriæ malis ſe præbuit,nec quicquam Francus propinqua cognatione iũcto duci denegauit.Primum omnium memoriæ Iohannis ducis honores habiti.Conuênit vt quàm proxime fieri poſſet,vbi cæſus dux Iohãnes fuit,ibi templum Rex ædificaret, collegiumq; ſacris faciendis inſtitueret. Conſtitueretur præterea vnde ſumptus in cultum ſacerdotum ſuppedĩtetur. Simul augeri ducis imperium ipſi,legitimæq; in omne tẽpus proli. Matiſconem Fanumq; Gengonis cũ contributis vtriq; finibus habenda tradere eo iure,quo pares beneficiarii Regi deuinciuntur.Prætorem ſuum apud ſe hi duo dominatus Matiſcone habeant, magiſtratusq;,qui de cæteris iura dicant.quarum vero cauſſarum conditio mosq; id vtique poſtulabit,de his ſtatuat Curia Pariſienſis.Altiſſiodorum quoque Duci cedat.eum illius comitatus nomine, eo item iure religionis deuinctum Regi eſſe, quod à iuriſiurandi ſanctitate omagion apellant: nec Altiſſiodorenſes,vt ad eam diem factum erat,à Senonenſi prætore iura petere:ſed domi ſuos iudices habeãt,eaq; omni ducis Philippi vita,ac poſt eum filii in ducatum ſucceſſuri ſeruari, deinde in priſtinam cauſſam reuocari. Eadẽ propẽ formula præberi placuit duci oppida quæ amni Somonæ circuniecta ſunt, cũ ſuis quæq; finibus. Sed hæc interea velut oppignerata haberi,quæ lui ius foret quadringẽtis millibus veteris notæ ſcutatorum. Ex horum interea omnium nullo Rex vlla vectigalia cogeret. Libera eſſent ab omni munere iuſſu Regis fungendo :commoda duci filióque obuenirent. Sacra beneficia maiora, minoraq;, quæ patronum Regem agnoſcerent, in patris primùm, deinde in filii ducis patrocinio cenſerentur. Hæc erant quæ maxime rem continerent. Cætera recenſere nullum ſit operæprecium:quæ per ſe quidem magna: ſed diſſociandus ab hoſte Dux præpotens erat,ac gratia quanticunq; reconcilianda. Et eo facilius conceſſa,quòd ea oppida nondum receperat Rex,ſed maxima ex parte Burgundionũ ac nonnihil Anglorum præſidiis tenebantur, quæ etiam perbreui ſui omnino arbitrii ſine certamine Dux effecit.Ita indignatio quæ ſumpta Anglos Franciæ dominos impoſuit,eadem depoſita Francos ab externo dominatu vindicauit. Ad famam pacis Atrebatenſis in primis Regia vrbs animos ſuſtulit,optimatésque paulo apertius præ ſe ferre quid ſentirent.coitiones conſpirationéſque factæ;

ac aliquot eorū ad regios Duces clàm profecti, accepta fide nemini defectionem vllámve rem ſecus factam fraudi fore, rationem tradendæ vrbis compoſuere. Traiectis ſub noctem ponte ad Piſciacum copiis, duces Regii prima luce ad portam diui Michaelis cum peruenisſent, optimates ex cōpoſito multitudinem ad capienda in Anglos arma concitant. Simul Anglis tumultu vrbano & hoſte pro mœnibus perſtrepente territis, Regii aliam portam refringunt, alii adiuuantibus ciuibus in muros ſcalis ad hoc præparatis euadunt. Fit Anglorum fuga. Eorum nemini animus ad pugnandum, cohortandum, confirmandum ſuppetit. Proceres pro ſe quiſq; ad portam diui Antonii in arcem euolant, euentum expectatūri: reliqui deſerentibus ducibus pauidi trepidant. Ciues catenas viis vicisq; ad impediendam fugam prætendunt, ferro premūt, è tectis feneſtrisq; mulieres ac imbellis ætas lapidibus tegulisq; inceſſunt. cædes paſſim fit. permagna tamen pars ad arcem ſe recepit, pactiq; incolumitatē inde ſine fraude dimiſſi. Ita vrbs Regia ad priſtinum rediit imperium, & Burgundionum ad eam diem inuiſum nomen, fauſtum fœlixq; factum, ac memoria factionum ſublata. Villarius vt in intercipienda vrbe operam præcipuam Burgundioni nauarat, ita in reddenda Regi virtutem præſtitit ſingularē. Burgundionum militiæ Iohānes Ducis Aurelianēſis cæſi filius nothus omni hoc bello inter belli duces ſibi gloriam conſilio virtuteq; peperit. Burgundio Calitium obſidet: ſed ibi plus negocii ei aduerſus ſuos quàm hoſtes fuit. Terra egregie vrbem premebat. portum obſtructurus, in eius faucibus naues multa ſaburra graues ſuppreſſerat, ne externis auxiliis ingreſſus egreſſusve clauſis pateret. cæterum æſtu recedente è breuibus, facilè mole obiectæ ab obſeſſis detractæ, liberatūq; oſtium portus, & claſſis ex Anglia copias egregias trāſuehebat: ad cuius aduentantis famā vetus miles, & in primis dux nihil territus, permanendum, ac fortunam prælii tentandā cenſebat. Tyro miles in Flandria tumultuario delectu eductus, domum ſpectabat, nec imperio precibúsve retineri potuit. Coactus dux obſidionē ſoluit, haud iram diſſimulans. mutua exorta ſuſpicione dux copias ſub ſignis ducebat Brugas. oppidani quod viſum eſt copiarum introire, atq; ipſum ducem paſſi, cum plures quàm tutum videretur, ingredi conarentur, fores portæ obiecerunt, turrimq; armati tutabantur, excluſi tumultuabātur. Dux incluſiq; altera porta refractis clauſtris ſibi exitū repererunt. Maiori ſuccenſus ira dux, vrbem commercio cæterarum, ac commeatu omni prohibitā, fame domuit. Veniam impetrauere ingentē vim auri pacti, ac quāplurimis demiſſiſſimorū animorum legibus obſtricti, nudatis pedibus, aperto capite ex vrbe ſuppliciter occurrentes Duci ſub ſignis adueniēti. Iam ſua dignitate Franciæ reſtituta, quanuis pars belli Anglici reſtabat, tamen pars curarum bellum in Italicum Neapolitanásque res verſa. Ludouicus tertius Andegauenſis deceſſerat. Iohanna eius per adoptionem mater, annum ei ſuperſtes fuit. Ferdinandus in Sicilia erat, vetere iam Tarraconenſium regno. Ad eum propiorem à ſuarum partium hominibus oratores iuerunt, qui eum maturare iuberent: & ad Ludouici tertii fratrem Renatum venere, qui eum omnium propè votis expeti dicerent, Iohannæ teſtamento hæredem ſcriptum. Bello captus, vt oſtendimus, à Vallemontenſibus

Burgundionibúsque fuerat. cum Vallemontano ante obitum fratris facilè transegerat,affinitate cõtracta,collocatáq; illi maiore filia, velut animo auguranté eo coniugio ad Vallemontanos peruenturum Lotaringiæ Ducatum,dè quo armis certabatur. Nondum à Burgũdione liber erat,cuius item captiuus erat, cum morte fratris locupletior factus, Ducatúque Andium, & comitatu Prouinciæ auctus, cogebatur, vt multo quàm cum captus fuit,ditior,multo ac multo pluris se redimere. Ad expediendum pro redemptione aurum domum dimissus fuerat,obligata iureiurando fide: eaq; salua,quæ illi antiquior Regno extitit,procul abire,bellumq; Neapolitanum capessere,nisi auro persoluto, non poterat. Isabella vxor,virilis animi mulier,cum duobus ex eo filiis Ludouico & Iohanne in prouincia militem classemq; parabat. Alphonsus interea classe ex Sicilia profectus, Neapoli excluſus,validioribus aduersariorum partibus,insulam Aenariam tenuit: ac deinde Caietã prouectus,euocatis proceribus suæ factionis,eam vrbẽ terra mariq; obsedit. Genuenses mercatores,quòd ea in vrbe magnam partem fortunarum suarum habebãt, professiq; iam partes Andegauensium, ne Caieta captà ipsorum quoq; bona diriperentur,peruicerunt apud Philippum Mediolanensem ducem,in cuius fide Genua erat,vt præsidium Caietam terrestre mitteret,iam sponte Iohannæ Reginæ antea tegendæ,ac tunc Andegauẽsibus acclinatiorẽ. In senatu quoque ciuitatis obtinuere,vt classis instrueretur,ornaretuŕq;, neu paterẽtur Lygurũ nomẽ Cathalanis Tarraconensibusq; ludibrio esse. Aduersus hunc Lygurum apparatum Alphonsus ex regno Neapolitano suarum partium iuuẽtutem conscribit. Simul ex Sicilia Hispaniaq; milites,& in primis omnẽ propè domus suæ regiã nobilitatem exciuit, vt in tãtæ maiestatis oculis meminissent milites naualesq; socii summa virtute sibi esse pugnandum. Vterq; hostis longe plurimas naues habebat,sed numeri ratione neglecta, earum etiam propugnatorũ nautarumq; delectum habuere. Inter Caietam & Pontias cõcursum. Erant in regia classe vndeuiginti eximiæ magnitudinis naues,vndecim triremes,vna biremis. harum singulis præerant singuli summæ nobilitatis duces. in ea quæ cæteras magnitudine anteibat, vehebatur Alphõsus cum sexcentis egregiis militibus. Genuensiũ classis numero nauiũ magnitudineq; propè dimidio minor, præclaris nauarchis, præfecto classis Blasio Agereo, nõ genere,sed factis virtuteq; nobilissimo. Initio pari vtrinq; spe,æquoq; marte certabatur: procedente certamine,tres Lyguſticæ naues simulato metu cessim in altum reuersæ: vnde cõcitatiore cursu à puppi ventum increbrescentẽ nactæ,in hostem repẽte impetu facto,cæteras interrupta acie dissipauere: eam vero in qua suos ad virtutem hortabatur Alphonsus, in læuum latus irruentes adeò labefactatam in dextrum inclinarunt, vt ipsa multum aquæ acciperet,& parum abesset quo minus supprimeretur. Insana vtique trepidatio iniecta militibus huic generi pugnæ haudquaquam assuetis. Simul in omnes viua calx effundebatur,vt velut densa nube ~~oculis offusa,~~ lux conspectusque eriperetur. tragulis eminus configebantur. Ad hæc permistus clamor & pauentium & terrentium, imperia ducum gubernatorúmque exaudiri prohibebat. Præterea concursatio militum, ministeria nautarum impediebat.

Nauarræ Rex Alphõſi frater omni ſpe deplorata,cuius iã nauis manu ferrea iniecta, deiectisq; propugnatoribus tenebatur ,deditionem fecit. Alphonſus eadẽ neceſſitate adactus in poteſtatẽ venit.ex duobus reliquis Alphonſi fratribus alter itidẽ captus, alter antequã circunueniretur nauis qua vehebatur,euaſit. Et Antonius Salernitanus Princeps ſcapha exceptus. Venit etiam in victoris poteſtatem Princeps Tarentinus,& Sinueſſanus, & Fundani filius. Caietæ obſidio extẽplo ſoluta. Blaſius Reges & trecentos ferme ampliſſimo genere captiuos Mediolanum ad Philippum duxit. Tota Italia expectatione euẽtus erat ſuſpenſa,ecquanam ratione Dux tam nobili victoria vſurus eſſet. Eius imperii finitimi,quibus etiam antè illius opes formidoloſæ fuerant, in metu erant,ne hæc illum fœlicitas Italiæ dominum imponeret. Ille periculoſæ ancipitisq; aleæ ſpem,ac rem a ſummis Regibus ducibúſq; ſæpe tentatam, ſed nunquam ex ſententia cedentem,omiſit, ſtatuitq; longe maximo beneficio ſibi,teſte terrarum orbe , deuincire clariſſimos Reges proceresq;. Qua re maius nullum firmamentum imperio ſuo parare poſſet , eos magnificentiſſime exceptos coluit vt ſocios,vt amicos:cum muneribus ampliſſimis dimiſit, omnia præterea a ſe pollicitus ad opes eorum recuperandas,firmandaſq;. Cũ aſſenſu etiam audiuit Alphonſum diſſerentẽ magis è re Mediolanenſi eſſe, Regnum Neapolitanum Tarraconẽſibus parêre,quàm Renato,quẽ diceret, ſi rerum Neapolitanarum potiatur, non antè finem rerum in omni Italia nouandarum facturum,quàm aut Fanco Rege,aut Ducum aliquo ad quod reliquũ Italiæ foret occupandum euocato: Iohanni Galeatio patri duci ſapiẽtiſſimo ſuſpectos ſemper fuiſſe Gallicos ſpiritus . Hæc dicebantur cum iam Iſabella Caietam claſſe delata,receptaq;,inde Neapolim profecta, conuentũ haberet ſuarum partium procerum frequẽtem. Longe alio cõſilio alter Philippus Dux Burgundiæ in Renato captiuo ſuo egit, nec eum religione iuriſiurandi prius ſoluit,quàm valle Caſleti , quã ille in ditione habebat,ab eo accepta,Flandriæq; contributa. Tũc Renatus Neapolitanum bellum ductu auſpiciisq; ſuis gerere cõſtituit, cũ Genuẽſibus amicitia inſtituta. Hi enim ægerrime tulerant ſudore ac periculo ſuo parta ad Pontias victoria de clariſſimis Regibus ducibúſq;,non modò præmio quod ex ea opulentiſſimum quærendum erat,ſe fraudari,ſed & gratiam gloriamq; dimiſſorum cũ muneribus auxiliisq; captiuorum,vni Philippo Mediolanenſi cedere: odium verò in ſe vetus Cathalani nominis Tarraconẽſisq; Regiæ non extinctum , ſed noua inſuper inuidia conflagrare. Genuam vrbem toto terrarum orbe fama illuſtrem, de nomine Chriſtiano optime meritam, quæ Orientem , Regũq; Reges terruerit,cuius vires virtutemq; nullum mare non formidarit , à duce non in fide,ſed in ſeruitute haberi:quicquid virtute ac Marte quærat ,id velut à ſeruis partum domino cedere. Hac indignatione permoti à Duce deſciſcũt, ſe in libertatem vendicant. Renatus ſua eorumq; claſſe Neapolim nauigat , tenetq;, Rex ſalutatur,res gerere incipit. Eugenius Pontifex Iſabellã copiis egregiis iuuerat. Renatum ſanctitate magis nominis q̃ viribus iuuabat , ſuarum iam rerum anxius cura. Martinus ſupremo ſedis ſuæ anno, qui eius ſeculi triceſimus erat, Baſileam Cõcilium indixerat ad mores mortaliũ deformatos ad veteris

sanctitatis specimen formandos, necnon ad Bohemos qui à cætera ecclesia dissentirēt, in fidem officiūq; reuocandos. Legārat etiam Basileā Iulianū Cæsarinum Cardinalem, qui Concilio præesset. In Martini demortui locum Eugenius gente Venetus suffectus habebat in animo illud Bononiam transferre. Sigismundus Cæsar, quanuis ab Eugenio Romæ coronatus, cōtrà tēdebat. Iā ex Hispania, Gallia, Germania, Pannonia in vrbem à Martino destinatam conueniebatur. Hi Eugenio denunciabant, nisi eò se conferret, constituturos se in illum quod in desertores sacræ causſæ pontifices decerni conueniat. Pōtifex Cæsarinum legatum confirmat, peragereq; Cōcilium iubet. Qui coierāt, quòd euocatus Pontifex sui copiam non faceret, quòd dicto non parêret, fremunt deponendum, abrogato iure sacrarum clauiū: nouū substituendū. Sigismundus Cæsar ita animatis superuenit. Consiliū eius rei, vt præceps, detestatur, iubet meminisse quā multa, quā magna intulerit incōmoda nomini Christiano superius schisma post tot Pontificum ætates ægre sedatum. Obiit Sigismūdus anno eius seculi tricesimoseptimo. Insequenti Rex Francus in Biturigibus in cœtu Francorum Patrum Pragmaticam Sanctionem (ea erant placita Basilienſis cōuentus) recitari, ac ex ea ius dici iussit. qua ex re Eugenio in conferendis sacris beneficiis, causſisq; eorum cognoscendis, ac controuersiis diiudicandis, Pontificatus maximus propè in ordinem cogi videbatur, & Albertus Austrius Vngariæ Bohemiæq; Rex nouus Cæsar designatus nō tam acrem propugnatorem pacis ecclesiæ se præbebat. Inter hæc sibi præmetuens Pontifex, Basilienſe Cōciliū Ferrariam transferre se pronunciat. Ad id edictū Cæsarinus legatus, & cum eo ex septem aliis Cardinalibus qui Basileam conuenerant, quinq; Ferrariam trāseunt. Duo perstitere. Præscriptio mutandi loci fuit spes aduētus Iohānis Palæologi imperatoris Græcorū, qui cū Patriarcha Byzātino, magno præterea tota ex Græcia patrū comitatu ad Romanū Pōtificem profectus dicebatur ad dirimendā controuersiā, siqua residua erat inter ecclesiam orientis, nostramq;. Hi classe maxima ex parte Venetorum deferebantur: quibus maiori è dignitate videbatur, cum ad componendas res coiretur, Ferrariā, vbi caput ecclesiæ nostræ pōtifex esset cū suo purpurato cœtu, quàm Basileam animis iam disiunctis conuenire. Proinde Græci Ferrariā delati, ibiq; culti sunt. & quòd pestis ibi exoriretur, Florentiam itum. Ibi alto in suggestu Eugenius, aliquanto demissiore loco dextra læuaq; Cardinales sedebāt. è regione Augustus sedit, sua illi maiestate seruata, plurima vtrinq; erudituſſimorum hominum corona. Sanctum Spiritum à patre filioq; procedere conuincendi erant Græci, non nostris, sed illorum sanctis authoribus, Athanasio, Cyrillo, Didymo, Chrysostomo, & in primis Basilio sancto & magno sine controuersia viro: cuius cum à nostris græce pariterque latine eruditis exemplaria proferrentur Byzantio Latinis allata, vbi legebatur ab vtroque Spiritum sanctum procedere, Græci exemplaria vitiosa esse dictitabant. sua ipsos promere nostri iubebāt. aliquot proposuere, sed ea variæ lectionis. Alia a patre filioq; procedere testabantur, alia à patre, nec præterea quicquam addebant. Cum Cæsar multa se in Græcia eiusmodi habere diceret, Cardinalis Cæsarinus, Auguste, inquit, cum in certamen sciret Maiestas tua sibi suisq;

» deſcendendum, oportuit arma non domi relicta, ſed in contentionem alla-
» ta. Hoc ita actum author eſt Archiepiſcopus Florentinus, ſeq; interfuiſſe ſcribit. Patriarcha Byzantius ſumma ſenectute ſub idem tempus obiit. Epheſius Pontifex expugnari cedereq; noluit. in perſuaſione priſtina cum ſuis permãſit. Cæſar & reliqui Græci in ſentẽtiam noſtram de Spiritu ſancto deſcenderunt, ac principem ſedem Romanam agnouere, anno eius ſeculi vndequadrageſimo. Baſilienſe Conciliũ diſceſſu Cæſarini purpuratorũq; magis iritati q̃ territi damnato Eugenii nomine, Amodeum Sabaudum Pontificem ſalutauere, Fœlicem quintum nuncupantes. is primum Comes, deinde Dux Sabaudiæ quadraginta annos fuerat. Reliquit filio ducatũ, ac eremo ſe dicauit, ſex ſenioribus ex ſuorum nobilitate comitibus. Id Eugenii fœlicitati tributũ eſt, quod nulli antè póſtve ad hanc diem põtifici, vt duo Cæſares Græcus Latinusq; eum adirent, parentem orbis terrarum profiterentur. Armenios quoq; eadem veneratione veniſſe cõſtat, Aethiopas etiã ferunt. Sed & Baſiliẽſes vẽturum ad ſe Græcum fuiſſe contendunt, niſi ancipitem eius animũ Eugenius ad ſe auertiſſet à Baſilea reſpiciẽda. Eugenium gente Venetum Dux Mediolanenſis Amadei gener Venetorum hoſtis oderat. eidem Alphonſus infenſus erat, initio cauſſam Renati ſummo ſtudio defendenti. Sed & hi obiectum Eugenio æmulum lætati, non idcirco Sabaudum venerari animũ induxere. Nec Pontifex Renatum vltrà ex profeſſo tegebat: qua maxima ſpe ſubnixus ad eã diem Renatus cum præclara facinora toto bello Neapolitano bellum circunferens edidiſſet, Neapolim ab hoſte compulſus eſt. Hoſtis antea eandem vrbẽ obſederat: ſed egregie tutante Renato, Petrum fratrem ictu è muris tormenti amiſit, obſidionemq; ſoluit: deinde refecta ſpe rurſus obſedit. tranſfuga quodam ingreſſum occultum ſubter muros per cloacam oſtendente, vrbem nocturno furto ingreſſus cepit, eodem propè fato, atq; tot antè ſeculis à Beliſſario recepta de Gotthis fuerat. Renatus conatus vrbem defendere, vbi plenã hoſtium vidit, ac muros occupatos, in arcem ſe recepit: ac nulla reliqua ſpe incolumitatem ſibi ſuiſq; diſceſſu pactus, ad Eugenium Florentiam, atq; inde in Franciam conceſſit, anno eius ſeculi altero & quadrageſimo. Renati frater Carolus apud Regem magna in gratia erat, eius nutu agebantur omnia: id quod permulti proceres ægerrime ferentes, Delphino authores fuere, vt ex aula iniuſſu patris cederet, relicto Comite Marchiæ ſibi a patre iuuẽtæ rectore dato. In Borboniorum fines ſe cõtulit: ac ex propinquo ſolicitabat Aruernorum nobilitatem, vt in eius verba iurarent. Reſponſum, iuraturos ſe ea duntaxat exceptione, ne quid in regem moueretur. Continuò & Rex cum copiis affuit. Filii adoleſcentiæ pater ignouit, de principe conſiliorum audaciæq; notho Borbonii filio ſupplicium ſumpſit. Mox Delphinus peccatũ virtute obliterauit. Taleboto Anglo Diepam obſidente, cum exercitu profectus obiectas oppidanis munitiones perrupit, commeatũ intulit, obſidionẽ ſoluit. Burgundio verò ſummo iure in captiuo ſuo Renato vſus, in alieno captiuo Duce Aurelianenſi, anteq; de Anglis redimeretur, longe antiquiſſimum duxit ſibi eum reconciliare: vt Burgundioniſſimus, ac Aurelianiſſimus, noua in ore mortalium, ac deteſtanda Francis nomina, tollerentur. cũ iam par vtrinq; do-

lor eſſet, inuiſius nomen Burgundionũ eo tempore,poſt diremptam armorũ ſocietatem inuiſum Anglis erat.Negocium id iniungitur ducis vxori, fœminæ Regia maieſtate.erat enim filia Regis Luſitani.ei maritus attribuit prudentiſſimos viros,quorum conſilio vteretur:& quid fieri placeat, oſtendit, more præcipue in Gallia recepto,vt authoribus mulieribus res magnæ gerantur.Ea agendo moliendoq; peruicit vt oratores ab Anglo Rege Calitium,ac inde in finitima oppida conuenirent,quò & ipſa ex Flandria ſe contulit.Ibi primum de communi pace agi cœptum,re ingentis molis,ac lentioris ſpei:deinde copia loquendi cum Aurelianenſi facta,quem ad id Calitium Angli ea rogante tranſuexerant,cum eo conuênit, vt obliuio iniuriarum ſanciretur, & cælibe toro duceret Margaritam filiam Cleuẽſis Ducis ex ſorore Burgũdionis procreatam.proinde quadringentis millibus ſcutatorum redemptus, opera Burgundionis poſt annos vigintiquinq; in patriam reſtitutus, perſancte affinitatẽ amicitiamq; coluit.Hoc rerum ſtatu & Renatus ex Italia rediit.Calitii Anglica pax cõiungi non potuit. Induciis primùm in duodeuiginti menſes,deinde cum longior dies placeret, in triennium factis,vtraq; Regia inter ſe affinitate iungitur.Anglo Margarita Renati filia deſpondetur.Virginis amita erat Frãca Regina,ſponſi auunculus Rex Francus. His pignoribus neceſſitudinis deuinctus in gratiam ſoceri Renati intra certam diem pollicetur ſpõſæ ſuæ patruo Carolo,quòd is paterno dominatu Comes Cenomanus diceretur, Cenomanis ceſſurum ſe.Ita Cenomani aliquanto pòſt ad Francos rediere,quanuis præſidio Anglorũ ægre cedente, magnaq; inuidia Regi Anglo apud ſuos cõflata.Interea ne miles bello viuere aſſuetus,grauis agris,infeſtus vrbibus domi foret,externum bellũ quæſitum, rogatuq; Renati in Tullenſes Mediomatricesq; itum.Spinale dedẽtibus oppidanis receptũ,vrbs Mediomatricum obſeſſa.Ibiq; Rex ſubſtitit cum parte copiarũ. Cæteras ad viginti millia equitũ, decem peditum,Delphinus duxit in Baſilienſium fines,quorum in vrbe Cõcilium etiam tum habebatur Eugenio infeſtum.cum Heluetiis vrbi auxilium ferentibus manus conſeruit,quibus eo præterea nomine infenſus erat, quòd moleſti erant Auguſti fratri Sigiſmundo Auſtrio Duci,quo cum ſibi fraternũ nomen intercedebat.Duæ enim filiæ Regis Scoti,altera Delphino Franco,altera Sigiſmundo Duci nupſerant.Ad quatuor eorum millia occidit,reliquos fudit, fugauitq;. interiores eorũ fines penetrare aſperitas locorum prohibuit. proximis euaſtatis,ad patrem Regem in Lotaringia quintum iam menſem ſedentem rediit. Mediomatrices ducentis ſcutatorum millibus pacem redemere.Mortuo Eugenio Thomas patria Sergianus Põtifex eligitur, vir vtiq; ſanctus,anno eius ſeculi quadrageſimoſeptimo.Nicolaum nomen edidit. Albertus Cæſar biennium imperauerat, ſucceſſorem habuit Fœdericũ Auſtriæ Ducem.Eius authoritate,Franciq; Regis,ac Burgundiæ Ducis permotus Fœlix ſacroſancta inſignia ac nomen pontificium depoſuit. Legatio ei apud gentem ſuam demandata. in ſedandis ſacræ cauſſæ cõtrouerſiis magnam laudem religionis,prudentiæ,diligentiæ tulit orator Francus Remorum Põtifex Iuuenalis Vrſinus.diuturnis in Francia induciis miles in Italiã miſſus.Philippus Mediolanenſis vſq; adeo Venetorum armis premebatur,vt iamiam amiſſurus im-

perium videretur. Sororis filio Duci Aurelianenſi Comitatum Haſtenſem, ſi auxilia ſibi aduerſus hoſtem mitteret, daturum pollicebatur. Miſſa ſunt decẽ millia partim equitum, partim peditum, Duce Reginaldo. Haſtam recepere, prætore vrbis eam tradente, eo forte die quo dux Philippus Mediolani morbo corporis, ægritudineq; animi confectus deceſſit. Mediolanenſes variis alioqui partium voluntatibus, conſenſu tamen, tædio ſeruitutis in libertatem ſeſe vendicarunt, rem magnis populis ſaluberrimam, ſi quis ea moderate cõſpirãtibusq; ordinibus vtatur. Reginaldus æquum prædicãs eſſe, Ducem Aurelianenſem auunculo in ducatum ſuccedere, non expectatis nouis ex Frãcia copiis, tanquam impetu, non etiam conſilio bella gerantur, in Alexandrinorum agrum contendit: admonentibusq; amicis, caueret, nondum obliterata memoria cladis ad Alexandriam acceptæ, ne noua inſuper calamitate nobilioré locum redderet, timiditatis hanc ſententiam increpans, oppidum nomine Boſtum oppugnat. Mediolanenſes Bartholomæum Culleoné Bergomaté præſtantem bello virum è cuſtodia, in quam à Philippo Duce coniectus fuerat, educunt, iubẽtq; lucis ac libertatis ſibi redditæ memorem, tueri communẽ libertatem. Is coniunctis copiis Nouarenſium Alexandrinorumq; ac Dertonẽſium, Reginaldum caſtris exuit, maiore militum parte amiſſa, reliqui Haſtam ſeſe recepere. Frãciſcus Sfortia ſuæ tempeſtatis omniũ bello clariſſimus Dux Blancham Philippi Ducis Mediolanenſis filiam in matrimonio habebat dote copioſiſſima vrbe Cremona, ſed eandem non iuſto natam toro. Is aduerſus Venetos bello gerendo a Mediolanenſibus imperator delectus, Venetos ad Carauagium ſignis collatis fudit, fugauit, caſtris exuit. Re ſecunda ſublatis ſpiritibus, & ab ineunte ætate auidiſſimus imperii, cum exercitum recenti victoria ferocem, & ſpoliis opulentum, ſibi dicto audientem haberet, icto cum Venetis fœdere, à Mediolanẽſibus deficit. Vrbes Inſubrium aliæ aliò trahebant, quædam Mediolanenſium imperium aſpernabantur, nonnullæ ſe Franciſco vltro dedebant, perpaucæ in officio manebant. Ea igitur tanta vrbs nõdum docta vti ad moderationem ciuilem libertate, ac factionum contentionibus feſſa, & foris cõmeatu prohibita, aſſidẽte propè mœnibus Sfortiano milite coacta fidei Franciſci ſeſe permiſit, Ducemq; eum ſalutauit. A conſiliis Italicarum deinceps rerum Carolum Regem Francorum auertit rupta fides Anglicarum induciarum. Franciſcus cognomine Tarraconẽſis partes Anglicas profeſſus, induciarum die nondum circũacta, repentina irruptione cepit Filicerias oppidum opulẽtiſſimum Britanniæ contributum, idem Normaniæ finitimũ. Qua de re Britãno expoſtulante, Francus Rex miſit ad Sõbreſſetũ rerum Anglicarum in continente adminiſtratorem, qui reddi oppidum iuberet, ac de iniuriis ſatiſfieri. Reſponſum, id iniuſſu regis ſui factum. ſed Filiceriæ non reddebantur, & Tarraconenſis erat ex intimis amicis Henrici. Proinde Franci Pontemarcẽ (id nomẽ eſt oppidi in flumine Sequana ſiti, ponteq; vtriq; ripæ iuncti) arte ceperunt eadem ferè qua Carnutes interceperant, præmiſſo prima luce curru tignis onuſto, ſubſequentibus, nequa ſuſpicio ſubeſſet, ſatis magno interuallo militibus raris habitu materiariorum cum ferramẽtis fabrilibus. ab his Aurigaq; occupata porta, ex compoſito affuere vlteriore citerioreq;

citerioreq; fluminis parte duces cū copiis noctu itinere confecto. Ita arx pōsq; ac oppidum captum. Vernolium, prodēte piſtrinario oppidano partem muri ab Anglo ſibi cuſtodiendam noctu attributam, receptum. Arcē Angli aliquandiu tutati, tandem coacti deditionem fecere, incolumitatem ſibi pacti. Pons Audemari vi, Lexouii voluntate ipſorum recepti. Per inducias exire cōſueuerant Medunta perſonati, qui ab aliis ficti vultus appellabātur, ipſi ſe Armeniacos dictitabant. Ab his Meduntini defecere. Illi tūc ſe Anglos confeſſi, conceſſo iure res ſuas auferēdi, ſine fraude dimiſſi. Vernū, Anglis qui in præſidio erant, pactis niſi intra certam ſibi diem auxilia Rotomago venirent, abituros ſe, ea die præterita deditur. Conſtantia, Fanū Laudi in fidem ſine certamine rediere. Terror vndiq; Rotomagum circunſtabat, & inducię haud dubie ruptæ, & ſpes pacis ſublata, quòd inclinatiore ad eam animo Regis Henrici cum Auunculo Rege, Renatoq; ſocero iungendam, proceres Angli aſpernabantur omnes conditiones pacis, niſi certa Franciæ parte Henrico attributa, optimo habenda iure, ſolutaq; omni Franci Regis in ſe imperio. Id pernegabat Francus. Vt rebus ſecundis maieſtas Regum ſanctior habetur, ita aduerſis vilior. In Anglia non defectiones quāprimum à Rege, ſed in eos qui apud eum plurimum poterant, impetus factus. paulatim audacia increuit, & Ducū inter ſe æmulationes ſimultatéſq;, ad poſtremum & domeſtica bella exorta, & in ipſum Regem vis intentabitur. Interea Francus Rotomagum obſedit. Inerat validum præſidium, & egregii duces. Carolum Regem Ciues circunſpiciebant. Angli eo intentius omnia circunſpicere, ne prodi, ne capi, ne circunueniri poſſent. In tanta vrbe inuitis animis oppidanorum erat difficile vndiq; omnia cauere. Aliquot ciues in colloquiū clam Anglis deſcenderūt, req; cōpoſita noctu duas turres, & quod inter eas muri eſt, occupauere, ac Francos ex compoſito demiſſis ſcalis recipiebant. Senſit Anglus, occurrit, & qui conſcenderant, deiicit, & qui conſcendebant, deturbat, proditores obtruncat. Ciues poſtridie duce Archiepiſcopo grege facto Sombreſſetum in publico circunſtant: alterum & quadrageſimum diem ſe clauſos omnium rerum inopia laborare conqueſti, orant, vt ſuæ vrbiſq; ſaluti proſpiciat, mittiq; patiatur oratores ad Francum, qui ſalutem illi vrbiq; paciſcātur. Hac circūfuſa multitudine ipſe cum paucis forte tunc ſuorum in præſentia iuſſit facere quod è re cōmuni videretur. Itū ad Regem, nihil ciuibus denegatum. Impetratum eſt etiā vt Anglis abire incolumibus vrbe tradita liceret. Renunciata legatione non probant Angli conuenta: occupant arcem, & quod vocant Palatium, arcis inſtar emunitum locum armis telis firmant. Nihilo ſecius Frāci intra mœnia recepti. Angli eruptionem tentant. Coërciti, ac in obſidionem iuſtam clauſi, cum peterent vt (quemadmodum placuerat) incolumes dimitterentur, reſponſum à conuentis eos diſceſſiſſe, cum munitis locis inſeſſis vim contrà parārint. Nouis legibus illigatur dux Sombreſſetus, vt ex quinq; Normaniæ oppidis decederet, deducerétq; præſidia, Caldebeco, Monuillari, Iuliabona, Tācredivilla, Areſluctu. Ad fidē promiſſorum obſes Talebotus maneret. Ita dimiſſus cum reliquis dux. Cætera quæ conuenerat oppida reddita: Areſluctum præfectus redditurū ſe initio negauit, obſeſſus oppugnatúsq; & terra & ma-

ri nõ multis pòſt diebus dicto paruit. Ad Faleſiam plurimus labor fuit, quòd egregius miles eam tutabatur. Id oppidum Henricus ob ingentia merita Taleboto dono dederat. Conuênit vt Talebotũ Franci recepta Faleſia dimitterent. Exin ex Anglia auxilia venere ad tria millia nouorum militum, & mille circitêr veteranorum ex præſidiis oppidorum quæ fidem non mutarant, collecti. Cum hac vtraq; ſimul manu pugnatũ Carẽtum inter ac Baiocas ad vicum Forminiacum. perpauci Anglorum euaſere, cæteri cæſi, captiq;. Tam ſecundis Francorum rebus Tarraconenſis ad Francum tranſit, Filicerasq; reddit. Circũferuntur arma, ne in Normania quid belli reliquũ ſit. Ea haud magno deinde negocio prouincia confecta, placuit perſequi cætera, & in Aquitaniam recenti terrore mouere, ac omni ex continẽte hoſtem exigere. omnes copiæ vndiq; contractæ, ac mox quatuor in partes diuiſæ. Vno eodemq; tẽpore quatuor oppida obſidebantur, oppugnabanturq;, Arquæ, Rio, Froncia-cum, Caſtellio. Ita dum diſtinentur conſilia viresq; Anglorum, Burdegalenſes ad Francum mittunt de conditionibus tradendæ vrbis: quibus ex ſentẽtia conceſſis, & comes Fluſſatium, & princeps Buziorum in fidem veniũt: quorum exemplum obſeſſa oppida ſequuntur, præſidiis ſine fraude dimiſſis. Iam omnis Aquitania recepta præter Baionam. eò itum. cũ erumpẽtibus pugnatur. acie vincitur. Suburbanus locus permunitus expugnatur. de deditione oppidani cum Franco agunt. In cœlo candida crux conſpicitur, ~~id quod~~ nubium natura ferre poteſt: in religionem etiam Angli vertêre. Depoſita rubra cruce candidam conſenſu ſumpſere. illud enim Anglorum, hoc Francorum bellicum inſigne. Nec diu in fide Burdegala manſit. Inſequenti anno ad coniurationis factæ clandeſtinum nuncium Talebotus quinque millia peditum tranſmiſit: vrbemq; recipit, ac circunjecta pleraq; oppida. In eum miſſus Iohãnes Borbonii ducis filius, gener Regis. Ad Caſtellionem caſtra poſita. ſuperuenit repentino aduentu hoſtis, terroremq; ad munitiones vſq; intulit. Centũ etiã ferme ſagittarios occidit metu torpidos. Erumpente ê caſtris nobilitate, ſigna collata. Inter pedites Talebotus ætate ingraueſcente eques, ſuos ad virtutem acuebat. eo magis hoſti conſpicuus, & expoſitus tormentis, ictus cecidit. antequam expiraret, haud dubia iam victoria Francorum, filio ſuadebat, vt dum facultas foret, in tutum ipſe ſe reciperet. Neganti ſe patrem deſerturũ, Ego, inquit, fili multis rebus fortiter geſtis, mori ſine decore nõ poſſum. te vixdum puberem, nec mors clarum, nec fuga infamẽ facit. Adoleſcens mortem, occumbente patre, vitæ fugæq; prætulit. Minor quàm pro nomine Ducis victoria fuit. minus duo millia deſiderata: amplius duo millia propinquo receptũ Caſtellionẽ conceſſere, ſed & hi mox dediti. Supremum eo bello prælium rem vniuerſam decreuit, poſſeſſionémque certam reſtituit Francis vrbis Aquitaniæ principis, quam per tot deinceps ætates Angli obtinuerant. Burdegalà enim cum oppugnationem aliquot dies ſuſtinuiſſet, conceſſit tandem in nouas aliquantoq; grauiores cõditiones. Angli dimiſſi, Ciuibus venia data: ac ne reſpicere vltrà poſſent Anglos, duplici arce firmantur. & quæ defecerãt, in fidem rediere. Miti victoria Angli vndique ſine noxa dimiſſi: anno eius ſeculi quinquageſimo ſexto, eóque Francis fœlici, nulla re in continenti Anglis

reliqua præter Calitium,& ei contributos anguſtos fines. Id gaudium ne ſolidum eſſet, Delphinus à patre commeatu in quatuor menſes petito, in Delphinates ſeceſſit certo conſilio non redeundi viuo patre, cauſſatus impotentiam eorum quorũ fide virtuteq; pater tanto bello victor euaſerat,quòd hos meritorum fiducia omnia ſibi arrogare diceret, nec in paterno animo locũ filio relinquere. Quibus diebus bellum Anglicum ad Burdegalam conſtitit, eiſdem Gandauum à Philippo duce defecit. Conqueſti nouum ſibi ſalis vectigal imponi,& iura ciuitatis imminui, contrà tendentem vrbis præfectum à Duce impoſitum interemere:nec dubitabant ea ex re ſibi bellum imminere. Eorum quamplurimi quaſcunq; res cariſſimas habebãt, in propinquo Aldenardæ apud ſuos quiſq; amicos depoſuere. Dux nihil per præcipitem iram egit contra præualidam vrbem:quo temporis interuallo Brugenſes Hyprenſesq; miſerati fortunam Flandriæ,memores auitorum malorũ, libertatisq; ſæpius quàm fœlicius tentatæ:ſacro ieiunio,frequẽtiſſima legatione miſſa,principe legationis Cartuſienſi quodam verba faciente, die Domĩno paſſo ſancta in templo ducem ad aras ſupplices ſtratiq; obſecrarũt,vt veniam errore furorẽve lapſis Gandauenſibus daret. Mite,ac tempori locoq; conueniens reſponſum tulere. Qui Gandauenſiũ Aldenardæ res ſuas depoſuerant,illuc vno globo profecti,mœnibus arcentur ab vrbis præfecto,negante iniuſſu ducis tantã ſimul mortalium multitudinem ſe recepturum. Cum iuſto exercitu & tormentis iuere,vrbemq; obſedere. Exteriore parte adueniẽs ducis miles, & erũpens præſidium,obſidionem magna obſidẽtium cæde fugaq; ſoluit. Iam bellum ex profeſſo geritur. Audẽt hoſtes Annoniam & finitimos agros vrere,& oppida tentare,leuibus præliis interdum victores. Sæpius à veterano duce militeq; temere collecta multitudo fuſa. Vno prælio viginti millibus ſuorum amiſſis,qui modò pro patriis legibus libertateq; mori,ſanctiſſimum,ac vita potius exiſtimarant, leges graues accepere, multati inſuper prægrandi pecunia, & præſenti,& certis penſionibus perſoluenda. Rex cum ſuis popularibus fœlicius an conſultius,atq; ideo,vt ferè vſu venit,fortunatius egit. Intermiſſis aut conſeneſcentibus bellis, metuq; hoſtili ſublato, conſueuerant milites paſſim vagari, resq; miſerorum agere,ferreq;. Auaritiæ ac libidini eorum nihil clauſi, nihil ſancti eſſe. Militare vectigal inſtituit Rex,vnde quinq; millia peditũ alerentur, ac mille quingenti equites delecti cataphracti cum ſuo iuſto comitatu,vt horum virtus cæteros ab iniuria maleficióque prohiberet,hiq; in præſidiis quarum videretur vrbium collocarentur. Finem licentiæ facerent. ſi quis quicquam ſecus auderet,in eum animaduerteretur. Ita diſciplina militaris tam ſanctè coli cœpta,vt qui miles infeſtus antè fortunis agrorum vrbiumq; & in primis mercatorum fuerat, is vnicus vindex graſſationum ſcelerumq; foret, nullumq; tutius quàm cum milite cõmercium. Euiſceratores antea dicebãtur, milites rurſus dici cœpti. vrbesq; certatim apud ſe milites in præſidiis locari iam expetebant,longe aliis ea tempeſtate atq; nunc moribus. Proinde ſumma voluntate vectigal militare penſitabatur. Id vero minus ſecundis animis inſtitutum,vt vino minutatim vendendo grauior precii pars fiſco inferretur,quæ antea fuerat leuiſſima. Duo millia equitum, quorum nomina in præſidia vr-

bium recepta nõ fuerant, permiſſu Regis in Francia conſcripſerunt. Florentini aduerſus Alphonſum bello Hetruriam vrentem,vbi ea parte debellatum eſſet, bellum in regnum Neapolitanum tranſlatura Duce Imperatoreq; Renato,qui oblatam eam fortunam non aſpernatus,hunc exercitum trans Rhodanum ducens,à Ludouico Sabaudiæ Duce tranſitu Alpium arcebatur,profeſſo ſe Alphonſo ac Alphonſi fœderatis Venetis amicũ,Florentinis ac Sfortiæ hoſtem. Delphinus filia Sabaudi Carola ducta ,ſocerum exorauit,vt per ſuæ ditionis fines tranſitum daret auunculo,quẽ Aſtã vſque ipſe duxit,peruicitq;,vt Ferratenſis antè Sfortiæ infeſtus armis abſtineret,ſocietate Venetorũ relicta. Ea expeditione nihil memorabile geſtum,nec in Alphonſum ductus Francicus equitatus,ſed in Venetos.Id turpe ſibi ratus Renatus,non ſuo bello,ſed alieno ſe res gerere,ac alienis auſpiciis quaſi mercenarium,ne imperare quidem, ſed Mediolanenſi merere, in Franciam ſe recepit. Et à Turcis capta Conſtantinopoli triſtis nuncius religionem piis animis iniecit bellorum atroci animo inter nos gerendorum . Simul authore Pontifice bellum lugubre feſta Italiæ pax excepit. Vindocini vero Rex Francus procerum conuentum habuit,cauſſaq; Iohannis Ducis Alenconii cognita.quòd conuinceretur Anglos clàm ſolicitaſſe vt rurſus in continentem claſſe exercitum tranſmitteret, eũ maieſtatis dãnauit , homini ſupplicium remiſit. Delphinus iam quartũ annum aberat,cõmeatu in quatuor menſes,vt oſtendimus,petito: & cum ſuperiore ſeceſſione veniam a patre facilè impetraſſet , huius longinquioris grauioriſq; pœnitentia duci non videbatur.Legatos Regum, ducum,liberorum populorum admittebat.altera propè Regia apud eum viſebatur.Pater illum ad neceſſitatem implorandæ fidei paternæ ſubacturus, exercitum conſcribit: Quo territus ad Philippum ducem conceſſit , ibiq; cultus eſt : expoſtulantique per legatos Regi dux reſpondit ,ſe beneficiarium regis non poſſe pie regis filium propinqua cognatione iunctum finibus ſuis prohibere:qui maieſtate nominis,quocunq; hinc pulſus pergat,receptum ſibi ſit magnificum inuẽturus.Id auxit indignitatẽ,quòd cum Ladiſlaus RexVngariæ Bohemiæq; Alberti Cæſaris filius Magdalenam Franci Regis filiam miſſis legatis ex illis gentibus illuſtriſſimo quoq; in matrimonium peteret,paterq; deſponderet , è dignitate fuerat etiam fratrem Delphinum paciſcenda virgine non abeſſe.obiit adoleſcens ſpõſus ante perductã puellã . Ea regis Nauarri filio nubet . Anno eius ſeculi duodeſexageſimo Petrus Fregoſus Genuẽſis Dux terra mariq; ab aduerſa factione Tarraconenſiq; Alphonſo vexatus,principatũ quẽ tueri poſſe diutius ſe diffidebat,Franco Regi tradidit.Eò Renati filius Iohãnes miſſus vrbi præfuit peropportune ad bellum Neapolitanum mari gerendum. Forte per idem tempus Alphonſus obiit, in regna paterna ſucceſſore Iohãne fratre.Neapolitanum Ferdinando filio notho legauit,non vt relictum,ſed virtute partum.Caliſtus Pontifex Nicolai ſucceſſor notho deferendum regnũ ſacræ ſedis beneficiarium negat,illiuſq; ſolidum ius ad ſacram ſedem rediiſſe cõtendit.Contrà Ferdinandus defendebat patrem Alphonſum ab Eugenio Regem Neapolitanũ dictum ea lege,vt ei ipſe nominatim filius ſuccederet. Idq; Eugenii decretum,ſucceſſorem Nicolaum confirmaſſe. dextra quoque ſe te-

 aturus

cturus erat,ſi quis vim inferret,ſocio conſiliorū armorumq; Sforcia. Apparebat Italiam bello arſuram, haud dubia priſtinorum malorum ſpecie renaſcēte,cum Caliſtus obiit.Pius nouus Pontifex primum omnium de pietate à furore Turcarum tegenda acturus,nomini Chriſtiano edixit,vt Mātuam,quò ipſe affuturus eſſet,decimo quàm in ſacro ſolio locatus eſt mēſe,vndiq; cōueniretur.Interea Ferdinandum Diademate donat, Regemq; nuncupat,ea duntaxat exceptione,ne id pro præiudicio haberetur,fraudive cuiquā foret,ſi cui præterea quid iuris ea in re foret.qua formula cautionis ſuperiores Pontifices minime vſi fuerant. Ea re & Andegauenſibus proſpicere, & dignitati ſuæ in iure controuerſo conſulere viſus.Exin omnis cura in tuendam pietatem verſa. Turcæ rebus ſecundis feroces, aduerſis ferociores, vbi eis à cæteris bellis quies dabatur,nullum piis reſpirandi tempus, locúmve metu vacuum relinquebant.Morte Tamberlanis liber Scytharum metu Pazaitis filius Calepinus rerū potitur, breui æuo. Maomethes vero & ipſe Pazaitis filius decem & ſeptem annis regnauit.In Aſia Europaq; paternas opes Tamberlanis armis fractas in priſtinum robur reſtituit,reliquitq; filio Amurati. Is eas maiores quàm acceperat effecit,latius finibus gentis propagatis.Eius arma Oricū vſq; Apolloniamq; peruenere: Aulonemq; recepit,tam breui in Italiam ex aduerſo littore tranſmiſſione.Cum Vngaris vario euentu bellum geſſit,maximis pugnis & victus,& tanta ſuorum cæde victor,vt frontem feriens fremeret,nolle ſe tā « ſæua mercede ſæpe vincere. Triginta regnarat annos, cum feſſus tam lætis « quàm triſtibus rebus,in Bithyniam rediens,cura rerum in Europa gerēdarum filio Maomethi admodum adoleſcenti demandata,attributoq; Satrapa ætatis rectore,idem vbi ab Vngaris ſociisq; eorū bellum rurſus apparari audiuit, in Europam veniens cum noſtris conflixit,vicitq;.Sed funeſta etiam tunc ſuis victoria,ſumma rerum filio reddita,Pruſiam principem Bithyniæ vrbem reuerſus deceſſit.Maomethis & fœlicitas & virtus maiorum gloriā ſuperauit. Myſiæ Thraciæq; maximā partē,Macedoniam,Theſſaliā,Etoliā,Bœotiā,Phocidem,Locros,Atticam terram, totam propè Epirum, totum propè Illyricum partim à patre accepit,partim ipſe ſibi adiunxit. Bizantium obſedit. Egregie vrbem tutabatur Auguſtus Conſtantinus,eius Iohannis filius,qui Florentiam cum ſuæ gentis optimatibus ad Eugenium pontificem venit. Græci proceres multitudoq; quanuis infrequens, quòd longe maxima pars proſpiciens animo quod futurum erat,alii aliò conceſſerant,virtutem ſummam præſtiterūt. Erant eadē in vrbe permulti Genuenſium Venetorūq; qui certabant inter ſe virtutis æmulatione. Illinc acerrime a ſummo Imperatore Turca,& Satrapis ſummis itē ducibus oppugnatur, hinc præſtanter defenditur.nihil alterutra ex parte omittitur neq; cōſilii,neq; induſtriæ, neq; audaciæ.Trahitur obſidio oppugnatioq;.viribus humanis vires humanæ nō cedūt, aliter voléti deo cedēdū.Turca nocte intēpeſta videre ſibi viſus eſt ingentē lucē è cœlo in vrbē obſeſſam demitti.Id viſum clàm habuit.Sequenti nocte itē intempeſta videt eandem quæ cœlo deſcenderat,in cœlū redire.Tūc plenus bonæ ſpei vrbem quam paulo antè ſuperi ope cœleſti texiſſent,velut deſertam tunc à ſuperis,maiore vi adoritur.Victa virtus,nō victa religio.Ceſar ſuos, quoad for-

tuna non inuidit,tegens,hoſtẽ petens,egregie pugnat,nec inultus perit. Vrbs vaſta,paucitaſq;,ſi quidem hoſtium numero cõferatur, expugnata , nullum exemplum ſceleris,libidinis,auaritiæ,impietatis nõ edente Barbaro in homines,in numẽ. Hic finis imperii Græcorũ. Is caſus vrbis de nomine Chriſtiano optime meritæ,vbi CHRISTVS mille trecẽtos circiter ac nonaginta annos ſanctiſſime cultus eſt,quæ ſanctiſſimos doctiſſimosq; viros genuerat . nec periit niſi nobis deſerẽtibus . Pius igitur Pontifex Mantuã profectus,ſatis frequẽti totius reliqui nominis Chriſtiani cõuentu orationẽ tẽpori cõuenientẽ habuit. Id quod diſertiſſimo Pontifici haud difficile fuit in tali cauſſa, quæ alioqui nullius voce,ſi ſana noſtris mens fuiſſet,indigeret,quæ ipſa ſe probaret. deplorauit excidium imperii Chriſtiani,tot pia regna euerſa,tot clades acceptas tanta noſtra ignominia. nũc ſaltem has ſemianimes reliquias piorum ſeruandas. ſibi quiſq; impendêre periculum meminiſſet . pauloante Adrianopolin Nicopolinq; longius a Turcarum metu ſitu regionum fuiſſe,quàm quorum nunc latus procul ab Acinace pharetraq; Turcarum falſò ſibi abeſſe videatur. cõſpirandum vniuerſis,ne ſinguli deinceps prædæ, ludibrio , cædi ſimus. Gotthofredum,Balduinũ,Bohemũdũ ſibi proponerent imitandos. qui fortes domeſticis bellis eſſent,ne ignauos in cõmuni ſalute,in religionis cauſſa ſe præberẽt. Ecquis anteſignanũ Sacro bello profiteretur ſe futurũ? ecquis crucẽ Domini humeris ſubiturũ? ecquis ea ſigna ſequuturum? ecqui CHRISTI milites haberi eſſeq; vellent? Permouit in præſens oratio: ſed dum oratores Regum Ducumq; ſuas quiſq; priuatas ſuorumq; expoſtulationes proferunt,cõtrouerſiæ rerum profanarum effecerũt,vt antiquiores hæ ſacris armis forent. Iohannes Renati filius , idem Dux Lotaringiæ,ac Genuæ Prætor claſſe Lyguſtica Maſſilienſiq; in regnum Neapolitanum tranſmiſit,bellũq; cũ Ferdinando gerebat: grauiſſimeq; conquerebatur hoſtem ſuum Ferdinandum corona redimitũ. Simul ab aliis aliarum rerum conqueſtiones exoriebantur. Verbis modò Sacrum bellum decretum, Conuẽtuſq; dimiſſus octauo quàm haberi cœpit menſe. Iohannes Dux vno ingenti ad Sarnũ prælio victor, vniuerſo regno potiturus videbatur, conſiliaq; obſidendæ Neapolis agitabat,cũ in concilio eorum vicit ſententia, qui nõ mœnibus aſſidẽdo premi eã oportere cenſebãt, ſed propinqua oppida prius recipienda,quæ illam alerent tuerenturq;. ea ſi omittantur,obſeſſis quàm obſidẽtibus ſimiliores fore. Hac mora iniecta bellum trahitur,ſpatiumq; temporis datum eſt ſociis amicisq; Ferdinandi auxilia mittendi,& nouus dolor inuſtus eſt Iohanni,quòd Genua deſecerat,arce tantum a Francis retenta. Sed Sauona in fide mãſit. Renatus ex Gallia ſpe recuperandæ vrbis copias duxit. Sed hæ fuſæ fugatæque. ad duo millia militum cæſa : reliquis Sauona receptaculo fuit. Dum hæc apud nos geruntur, duos fratres Conſtantinus Auguſtus,qui amiſſæ patriæ ſupereſſe noluerat , haudquaquam virtute ſibi conferẽdos reliquerat . Hi dum de Peloponẽſi imperio inter ſe armis decertant,opportunam eam Barbarorum iniuriæ præbuere. Turca illam occupauit vniuerſam,præter non multa oppida , quæ Venetis parebant. In Ponto quoq; Barbarus in ditionem redegit Trapezutẽ, quã nobiliſſimã vrbem auguſta inter Græcos nobilitate princeps obtinebat.

LIII. CAROLVS SEPTIMVS.

Id per legatos apud Reges Ducésque ac liberos populos deflebat Pontifex. apud Ducem Delphinus agebat, pollicitabatur, si per patrem sibi liceret, sumpturum in hostes religionis arma. Pater mirari se dicens repẽtinum filii consilium, redire domum prius iubet. Illo non audiente, Pontificem Pium consulit de spe Regni à maiore filio contumaci ad minorem obsequẽtissimum transferenda. Pius huius rei mentionem auersatus, religionem filii collaudat. Patrem subincusat. Gallos meminisse iubet maiorum pietatis, virtutis, gloriæ, triũmphorum de Barbara religione partorum. Burgundio vt patris cædem multo domi cruore vltus fuerat, ita eiusdem à Turcis victi captiq; memoriã vt gloria obliteraret, profitetur aut se vtique arma in Barbaros laturũ, aut si qua eum grauior necessitas domi inuitum teneat, Duces ac iustum exercitũ missurum. In Brabantia Delphinus filium sibi natum eodem ipso die Ducem Normaniæ salutari à suis iubet. qua re Regem agere viuo patre Rege videri potera[illegible]. Et Rex pater suspicione veneni complures dies cibum non cepit. cũ admonitu, ac propè coactu amicorum tandem capere conaretur, clausis iam vitalibus mortem certam intuens, gratias Deo egit, quòd die peccatricis festo è vita hac euocaretur. Die enim Diuæ Magdalenæ festo decessit, Magduni Biturigum, anno eius seculi sexagesimoprimo. LVDOVICVS eius filius longo temporis interuallo reuersus, Rexq; salutatus ac sacratus, longè alio q̃ quo pater instituto sibi regnandum arbitratus, solicitam sibi omnẽ deinde vitam effecit. adeo repentina omnis magnæ rei mutatio vniuersa nõ temere, nisi quos minime quis credat, & ipsis persæpe authoribus fit oppressis. Aulicos patris in nullo honore gratiáve habuit. Toto ferme Regno Magistratus, Præfecturas, Procurationes, Munerũ functiones, in quibus aliquid dignitatis cõmodive foret, repudiatis veteribus, nouis hominibus demãdabat, &, quod maximo malo illi extitit, Veteranis militibus ductoribusq; ordinum exauthoratis. à splendore quoq; abhorrere visus. Tarraconẽsi nupserat Blanda Regis Nauarræ filia, hæresq;. Huic mulieri controuersia cum Castulonensi (vt inter finitima imperia assolet) erat. Arbiter ab vtroq; captus Francus Rex. In extremos Regnorum fines dirimente fluuio in Torbellis conuentum. Traiecit ad Francum Castulonensis comitatu magnificentiæ ostentatione visendo. Vnus etiam comitum velo nauis aurato transmisit. Rex vero Francus infra modicè locupletis cultum ipse Regẽ Castulonensem excepit. id quod Hispani nõ ad vanitatem refellendam, sed sordibus, ac animo minime Regio factũ interpretabantur. quod alioqui perpetuum in illo fuit, ne ornatu corporis quẽquam suorum anteiret. De re controuersa secũdum Castulonensem pronunciauit. Nihilo secius Tarraconensis Rex Iohannes defectione Barchinonensiũ perculsus, opem à Franco impetrauit, attributo ac velut oppignerato quanti auxilia lata constarent, Ruscinonensi Comitatu. Id ea parte firmamentum Regni erat. Nec minus altera parte, quæ pace Atrebatensi conuenerat nomine pignoris oppida ad Somonam à Duce Philippo obtineri, ea redemit. Hac ratione duo maxima pignora initio Regni alterum diluit, alterum conciliauit, vtrinq; se in tuto locans. Simul Pontificis maximi gratiam iniit, misso in vrbẽ Gotthofredo Episcopo Eluiorum, qui verbis Regis cederet iure Pragmaticæ

Sanctionis. Ad hoc Franciscum Sfortiam beneficiarium suum vocitans, eum iureiurando sibi deuinxit, attributa illi Sauona, quã miles Francus obtinebat. Arce Genuensi Renatus cesserat. Renati filius Iohannes prælio ad Troiam Apuliæ victus, nulla ostendẽte se spe subsidii quod ab Rege expectarat, Italia decessit, ab Rege animo alieniore. Suum vero Ducem Franciscũ eò Britanni offensum tradunt, quòd ab eo Rex tria peteret, omnia noui apud Britannos exẽpli: vnũ, ne deinde scriberet, DEI GRATIA BRITANNIAE DVX. alterum, vt Regi ex Britannia vectigal cogeretur. tertium, vt sacra beneficia solum Regem patronũ agnoscerent. ea cuncta ni fierent, bellum indici. Regẽ in propinquo copias habuisse. Repẽtina mali denunciatione perculsus Dux, cum ipse nullum militem haberet, vt ad apparatũ propulsandi belli, sociosq; armorũ conciliandos spatium tẽporis intercederet, respondit ad ea consensu decernenda, vniuersæ gentis conuentũ habendũ. Quod satis constat, oratores Dux prudentes ac industrios passim circumisit: quoniam Rex sagacissimus fallendus erat, aliũ aliò, & in primis mendicorũ & humillimæ sordidissimæq; nonnullos fortunæ hominũ habitu ad Duces magniq; nominis proceres, suis quenq; illorũ stimulis incitãs. nec vlli ferme suę de Rege querimonię deerãt. Non tamen tam clàm iniri consilia potuere, vt omnia iam circunspicientem Regẽ falleret, Britannũ & in Angliã de societate amicitiaq; oratores misisse, & cum Carolo Comite Carcellensi Philippi Ducis filio impigro viro fœdus iunxisse. Regis igitur missu Rubiprati filius nothus Nauarchus in Hollandiæ oram bellica naui appulsa, ipse in pagum satis procul à littore tribus omnino Comitibus cõtendit: vbi Carcellensis forte infrequenti comitatu versabatur. Nothus dissimulans quisnam ipse, qui comites, quò, vnde, quid petẽtes venissent, suspicione iniecta in se oculos hominũ conuertit. Cognitus tãdẽ ac cõprehensus in custodiam coniicitur ipse, comitesq;. Nauis re cognita continuò soluit. Rumorq; exortus omnem eam regionem peruasit in Regem grauis: ac Oliuerius aulicorũ Burgũdionis intimus apud nobilitatẽ prædicabat missum ab Rege Archipiratam, qui Carcellensem incautum exciperet, vt Dux pater senex filio orbatus in potestatẽ redigeretur. Rex ad Ducem Præfectum iuris ac Archiepiscopum Narbonensem oratores misit, qui filiũ incusarent, quòd fœdus cum Britanno Anglorũ socio amicoq; iunxisset: idq; crimẽ fando exacerbarẽt, infidelitatisq;, ac maiestatis coarguerent. Simul postularẽt sibi reddi Rubipratum Nothum, quẽ à Rege missum dicerent ad intercipiendum Britanni oratorẽ ex Anglia mari transmittentem: ac authorem nepharii rumoris Oliuerium dedi, vt in eum seditionis molitorem Rex animaduerteret. Aderat Carcellensis cũ hæc apud patrem Ducem patente magnifico atrio frequenti cœtu nemineq; excluso à Præfecto iuris perorarẽtur. Posito igitur genu supplex petiit à patre, vt cũ de sua fama, existimationeq; Britãni viri optimi amiciq; nobilissimi ageretur, sibi liceret pro se corã, ac pro absente innocẽtissimo Duce cõtra criminis atrocitatẽ verba facere. Apparebat iuuenẽ indignatione succẽsum plura iræ q̃ consilio daturũ. Indixit idcirco filio pater in præsentia silẽtiũ, iussitq; postridie quod tũ demũ videretur respõdere. Interea meditaretur quæ ex vsu dignitateq; dici par foret. Ipse cõtinuò defendit iure captũ,

 multis,

multis, vt fama erat, ſceleribus nothum coopertum, in Hollandia finibuſq; Regis imperio ſolutis cõprehenſum, Regi dedi minime cõuenire. Illum, ſi in filium quoq; ſcelus conſciuit, parẽ cauſſæ ſuæ habiturũ euentum. Oliuerium quoq; ex Comitatu Burgundiæ ortũ, ac filii familiarẽ cauſſam apud Regem non dicturum. Cum inſtarent oratores petere ne id Regi petenti denegaret, vtq; filium ſibi timere à Rege inſidias vetaret, quæ falſò Rubiprato obiicerẽtur, reſpondit ſe ad eam diem Regi nihil denegaſſe: Regem ſibi multa pollicitum, nihil eorũ præſtitiſſe. In primis, inquit, ſpopondit oppida quæ ad Somonam ſunt, quãuis auro appenſo, vtenda fruendaq; ſe mihi relicturum, neq; viuenti adempturum: quæ nihilo ſecius cõtinuò præſidiis occupauit, nobilitatemq; noua ſacramẽti formula ſibi obſtrinxit, ſe ſine exceptione in quemcunq; iuberentur laturos arma. Iubet filium nihil ab ipſo timere ſuſpicarí ve. Is ſi terretur, id iam non paternum ei eſt. Quem enim ego timeã? Poſtridie ſedente patre Duce, repetitaq; contentione, cum Præfectus iuris diceret ſubiratum eſſe Caroleſium filiũ, quòd Rex initio gubernatorẽ eum Normaniæ inſtituerit adſcripta in ſingulos annos auri penſione ingenti, mox exauthorarit: iuuenis paucis verbis & heſternæ & præſenti orationi clemẽter reſpõdit, vt ſatis appareret noctem interpõſitã, ac maieſtatem imperii paterni permulſiſſe feroces ſpiritus: ſe non modò fœdus cum Britanno coniunxiſſe, ſed fraternum etiã ad rem bellicam nomen, non quò peſti Regi Regnóve foret, ſed potius vt cõmuni ſaluti cõſuleret. Sẽ Præfecturæ Normaniæ exauthoratione nõ moueri. Satis honorũ fortunarumq; ſibi eſſe in patris erga ſe indulgentia. Idem re infecta dimiſſos à Patre oratores nihil boni animo augurantes cum deduceret, longius progreſſus q̃ vnde à patre conſpici exaudirí ve poſſet, ore ad aurem Archiepiſcopi admoto, ſummiſſiore voce, Per hunc, inquit, Moruillarem (id Præfecto iuris ſuum nomen erat) apud patrem Rex mihi caput multis aſperſit probris. Sed faxo intra finem anni vertẽtis Regem pœniteat: id quod verbis meis ei enuncia. Ita haud dubia diſſociatione animorũ diſceſſum. Rubipratus quinquẽnio pòſt cuſtodia liberatur, multo antè cruore iniuriis ſuſpicionibúsve expiatis. Erupit autem coniuratio non multis menſibus poſtquam oratores legationem renunciauerũt, qui fuit annus eius ſeculi ſexageſimusquintus. Capita erant Carcellenſis ac Britannus. Philippus Dux nomen ſuum non dedit, cæterum omnes eius vires penes filiũ erant. Carolus Dux Aurelianenſis deceſſerat relicto infante filio Ludouico. Iohãnes Comes Dunenſis defuncti frater nothus in parte coniurationis fuit. Rege ſuperiore maximos ordines duxerat, ab hoc eſt exauthoratus. Iohannes Dux Borbonii Regis ſororem in matrimonio habebat, nondum auro dotali appenſo, amantiſſimus Philippi Ducis, cuius ex ſorore procreatus erat. Ipſius vero ſoror Ducis filio Comiti Carcelléſi nupſerat. Carolus Regis frater Ducatu Biturigum donatus, vt tenui dominatu, cõtentus eſſe non poterat. Hos vt capita rerum nouandarum ſequebatur longe plurima nobilitatis multitudo, ſua quiſq; indignitate doloréve permotus, in quibus Dux Nemorenſis, Comites Armeniacus Alebretenſisq;. Cum Rege ſtabant auunculi duo Renatus Caro Iusq;. Contrà Renati filius Iohãnes Dux Lotaringiæ in rebus Italicis ab Rege

deſertum ſe fremens,in eum ira furebat. Maturis conſiliis Biturix cum frater Rex in Pictonibus ageret, ab eo clàm elapſus,ſpecie venandi per diſpoſitos equos in Britanniã euolat.Carcellenſis ingẽti exercitu ex Atrebatibus, Hannonibus,Flandria, Hollandia, Brabantia conſcripto, interiorem Franciã petens,ſe præfectũ Biturigis dictitat, ſe bono publico adeſſe,ſe tributis vectigalibúſque,quæ in immenſum excreuerint, miſeros populares leuandos ſuſcepiſſe.plebem,quæ ſeruorum loco habeatur,in libertatem vindicare, nobilitati ſuam dignitatem reddere,ſacerdotibus ſua ſacra iura,cum ſanctiores ſint in ſiluis feræ,quas violare capitale ſanxerit Rex, quàm ſacerdotes,quos pro libidine agat ferátque.Ad Iſaram amnem arcem pontémque Maxentii proditione Præfecti recepit . Ad vrbem Regiam hæſit . comprehenſis in Sequana nauibus ponté ad Clodoaldi capit.Borbonius Dux Regios magiſtratus finibus ſuis pellit , regiamq; pecuniam ſuis numerari iubet . Rex circunſtante vndiq; repentino a ſuis bello,non demiſit animum.Renatum Carolũmque auunculos Britanno opponit,ſeptingentis equitibus cataphractis attributis,quòd eorum alter Cenomanorum Comes,alter Dux Andiũ erat, qua Britannus iter, niſi vi arceretur,facturus videbatur. ipſe reliquum equitatum mille quingentos cataphractos in Bituriges ducit.qua excluſus vrbe,quòd ea fratri dicto audiens erat,in Borboniũ mouet.eius oppida permulta capit.vbi allatum eſt ex Burgundia venire auxilia Borbonio, ſimul affuturos mox Nemoréſem Alebretenſemq; ac Armeniacum,accepitq; fratrem ac Britannum maioribus copiis quàm quibus Auunculi pares conferendis ſignis forent , finibus erupiſſe, metuens ne hoſtes caſtra coniungerent,ac nomine boni publici,ponderéque verborum,ac ſpecie ſanctiſſimæ cauſſæ,popularitatéque Regia vrbs permota in partes deſcenderet,cæteras exemplo tractura , quàm maximis poteſt itineribus omiſſo Borbonio Aurelianum redit,Carolúmque auũculum, ac equitatum quem Britanno oppoſuerat,ſibi adiungit.Affuit & Delphinatium nobilitas,ac pauci Sabaudi equites. Belſiam emenſus,Stampas atq; inde Chatras ad Sextumdecimum Calendas Auguſti peruenit, cum primum Burgundionis agmen ducente Ludouico Lucemburgenſi Lethericum peruenifſet , ibiq; caſtra poſuiſſet,Burgundióque ad Longum iumellum (id vici propinqui nomen eſt)cum reliquis copiis ſubſediſſet. Is admonitus adeſſe Regem, ac prælium inſtare,ſigna promouit.Vbi ſe Lucẽburgenſi coniunxit,iam primũ Regis agmen ad Lethericum in conſpectu erat . Caroleſius in Regios hippotoxotas ſuos maiore numero hippotoxotas emiſit, híque omiſſis equis Regios eminus petebant,qui & ipſi pari marte pedites præliabãtur.ſed inferiores numero in vicum Lethericum cõceſſere. Illi proximo ædificio ignẽ ſubiiciunt. ventus in Regiorum ora forte ſpirans, ac quamplurimũ ex repentino incendio fumum vaporéque inuehẽs,eos in fugam certiorem conſternat. Hippotoxotæ Burgundionum repetitis equis inſequuntur, pæana concinentes.quo exaudito Caroleſius reliquos ſagittarios peditéſque in cataphractos equites Regis præpropere agit,ponè ſequens cum equitatu:peruenítque ad hoſtẽ,peditibus longum ſpatium interiacentis campi curſu tam rapido emenſis,vt præfſitudine ac exanimatione viribus corporis animíque ad pugnã deficeren-

 tur.

tur. Inter duas acies opere ruſtico erat foſſa ingens ducta, ſed ea velut ad dirimendum arcendúmque de induſtria obiecta,ſepésque interiore labro prætenta.Regii ab vtroque capite diuerſi contrà irruerũt.Caroleſius dextra,Lucemburgenſis læua impetum excipere conati.hic continuò funditur, fugatúrque. Ille non ſuſtinuit modò ferociter ſe inferentes, ſed circumactis equis terga dare coëgit,ac mille plus paſſuum fugientium tergo inhæſit.Fama etiã temere vulgata Regem cæſum,Regios amentes ac propè torpidos reddebat. In primis Cenomanus cum ſuis ſeptingentis cataphractis fugæ ſe mandat,ratus extincto Rege non ſupereſſe pro cuius capite cauſſãve pugnet. Rex cognito ſuorum errore,caſſide detracta ſe oculis ſuorum ſpectandum præbens iubet omen mortis cruore hoſtium expiare. Caroleſius à perſequendis ſua parte hoſtibus ad ſuos rediens, mutata forma pugnæ fortunaq;,ſemel atq; iterum circumuentus propè captus,ægre ſua ſuorúmque virtute ſeruatur, percuſſus primũ graui geſi in pectore ictu, deinde cum forte focale laxiore nodo excidiſſet,in iugulo tam propè ab interitu vulnere accepto.Contrà in altero cornu Lucemburgenſis Regiorum ad tuendum Regem cõcurſu facto, data facultate ſuos ex diſſipata paſſim fuga colligẽs, ſe Caroleſio iungit. Nocte iam appetẽte in caſtra illi,Rex Coruolium conceſſit. maior vtrinque fuga,quàm cædes.Philippus Cominius,qui hac pugna Caroleſio affuit, vtrinq; minimum bellatorum duo millia cecidiſſe author eſt. Poſtridie Caroleſio nunciatur Biturigem Britannúmque magno comitatu ſummorum virorum, magnóque exercitu equitum peditúmque aduentare.Ad Stampas ei obuiam it:milésque Letherico prælio affectus paucorum dierũ quiete reficitur.Cum ſaucii vulneribus alligatis in publico obuerſarentur,Biturix eos conſpicatus, fortunámque patriæ miſeratus,Quàm mallem,inquit,nõ ſuſceptum bellum, « quàm tot vulneribus ſtare mihi fortunarum mearum incrementa ? Ea com- « ploratio Caroleſiũ offendit,reliquísque proceribus,Quidnam,inquit,de Bi- « turigis conſtantia ſpondere nobis poſſemus,ſi, quod communi marte ſolet, « aliquid duri contingeret, qui nondum fronte hoſtis conſpecta, quadringen- « torum ignotorum hominum vulneribus terretur ? Sed aderant veterani du- « ctores ordinum,militésque ab Rege dimiſſi,ac Biturigis maieſtate Ducúmq; permoti,blandiente ſua cuique ſpe,rerum nouarum cupidi,præſentíſque fortunæ tædio multorum pectora ſubeunte.Vaſtinetum petitum,fluuiúsq; ponte iunctus.eo tranſmiſſo, copiæ nouæ affuere.Iohannes Dux Lotaringiæ, ac vtriuſque Burgundiæ nobilitas centũ viginti nobiles Equites è Regno Neapolitano Ductoribus Galeoto & Baſſo,præterea quadringẽti Germani miſſu Comitis Palatini,ac quingenti Pedites Heluetii.In Angliam quoque miſſi oratores à Burgundione,ab Rege in Italiam ad Frãciſcum Sfortiam.Is quingentos equites cataphractos,& tria millia peditum conſcribebat, ſed multo magis interea conſilio iuuit,quo vſus Rex propè ſedens vicit,Ne maieſtatem ſuã ludibriis fortunæ, præliíſq; vltrà cõmitteret. In diſſimili ſua cuiuſq; cauſſa ſingulis eorum ſuam ſpem obiiceret, nihil denegaret: ita vniuerſam illoſa rerum retro ituram. hac arte diſiecto præſenti belli conatu,cætera procliuia rebus è ſententia componendis,ac maieſtatis Regiæ ſanciendæ fore: Rex

quoque ſuopte ingenio vafer,ne præſcriptio publici,quod in ore ſemper ho
ſtes habebant,à ſe populares abalienaret,illis reconciliaret,ſecundū pugnam
Letericam Coruolio Lutetiam reuerſus,in modum propè priuati hominis ſe
demittens,neminem à latere ſuo arcebat. conuiuia ciuium ipſe inibat, cœtus
frequentes habens dictitabat ſentire ſe quàm magnum onus Regnum ſit:nec
ſe,nec quenquam vnum illi ferendo eſſe: delectum virorum ſapientum ſan-
ctorúmque ac rerum peritorum ſibi habendum videri, ad quod cōcilium de
ſummis rebus referat, communíque ſaluti amplitudiníque proſpiciat. Hoc
blandimento vrbi Regiæ temporis gratia oſtētato,potius quàm dato,relictó-
que in ea præſidio,in Normaniam ad animos & ibi confirmandos,nobilita-
témque armandam profectus eſt.Duces ad vrbem Regiam diuerſi trinis con-
ſedere caſtris, vltro citróque commeante Caduceatore.Petentibus Ducibus,
vt delecti viri ad ſe mitterentur,per quos cauſſam aduentus ſui docerent,iue-
runt ex ſingulis ordinibus delecti viri principe legationis Quadrigario ciui-
tatis Epiſcopo. Sedebat Biturix,cæteri Proceres ſtabāt. pro vniuerſis locutus
eſt Comes Dunenſis, quòd primas prudentiæ virtutísque opinione hominū
» partes ferret.Conſenſionem Ducum bono publico factam,ne Francia,quam
» cæteris gentibus exemplum grauitatis dignitatísq; eſſe oporteat, indigna ſer-
» uitute prematur: vt Rex principem patrémque patriæ agere aſſueſcat,nō pro
» libidine impotētiáque fortunas tenuiorum agere, ferréque:vt in animum in-
» ducat patrios mores inſtitutáque maiorum colere: nobilitatem ſua dignatio-
» ne non fraudare:Regium ſanguinem meminiſſe eum eſſe,vnde ortus ipſe ſit.
» vt vrbium dignitate princeps Lutetia eſt,ac Regia Francorū, ita & ipſi con-
» uenire,vt ſe authorem,principémque præberet communi totius Franciæ bo-
» no conſtituendo: in iuuanda tegendáque communi cauſſa ſummis Ducibus
» Proceribúsq; ſe coniungeret:prudentiam,conſilium,authoritatem Regiæ vr-
» bis,accedentibus viribus nobiliſſimorū virorum, res,antequam omnino per-
» eant,reſtituere in ſuum decus poſſe. Hæc renūciarēt in vrbem:ea ſciret,ſe ad-
» eſſe,vt ſi neceſſe ſit, pro eius ſalute ſplendoréque ſanguinem profundāt.ſe in-
» tra mœnia reciperent, vt publicè quæ ex vſu ſint, coràm agant. non conue-
» nire ſe tales viros excludi,qui vt iniuriam excludant, leges iuráque pereuntia
» reſtituant,adſint.Hæc Quadrigarius in vrbem renūciat. Placet recipi Duces,
fide accepta,iniuria maleficióque temperaturos. rerum venalium foro præ-
bito, nihil niſi antè perſoluto precio acciperent.additū ea ita rata fore,ſi Rex
author fieret.qui vbi quæ acta conuentáq; erant,accepit, moleſte ferēs vllam
paciſcendi conditionē iniuſſu ſuo audiri,nobilitatem Normanam armatam,
magnámque vim peditum Lutetiam duxit,vt minus libera conſilia forent, ſi
quis animo à ducibus ſtaret.Nomina eorum qui ad hoſtē iuerant,edi ſibi vo-
luit.Quadrigarium grauiſſimè increpat, quòd cum hoſtibus armatis ad col-
loquium congreſſus eſſet,eorúmque poſtulata rediens imperitæ multitudini
expoſuiſſet:eóque aliquanto pòſt mortuo,inciſum in monumento elogium
honorificentiſſimū abradi iuſſit,velut maieſtatis memoria viri damnata.Tan-
ti tamen viri nomen poſt obitum Regis conſenſu famæ crimine liberatū, ti-
tulúsque ac honor ſuus páxque cineri reddita Duces primo aduētu in ſum-

 ma ſpe

ma ſpe fuerant,ſponte aliquẽ in vrbe motum exoriri poſſe. Deinde Quadrigarii legatione, oſtentationéque boni publici aliquid incruentè profectũ rati,vbi ea vana reditu Regis euenere,ad conſilia belli reuerſi,copias ſub ſignis explicant,Regem ad certamen prouocantes.Ille intra mœnia ſuos continet, pro portis ſtationes locat,in muris turribúsque præſidia, eâsque tormenis inſtruit,quibus procul ferox hoſtis arceatur.ipſe cuſtodias vigiliásque circumit: nullum attentandi locum hoſti præbet.Nobiles turmatim per vrbem diuerſi ſeſe in armis oſtendunt, ne occaſio detur,ſiquis tanta in vrbe tot generibus mortalium alieniore animo ſit,vt contrà tẽdere molirí ve quicquam audeat. Leuia tamen prælia fieri patiebatur Rex. nec ad vniuerſæ rei dimicationem deſcendebat,nec paulo maioribus copiis fortunã periclitabatur, niſi tuto facilíque receptu,ne magnum detrimentum acciperetur.Aduerſus caſtra Burgundionis Lotaringíque,quæ ad coitionẽ Matronæ Sequanæq́;,ac ad Carantonem poſita erant, Regii aduerſa in ripa ſibi locum delegere opportunum præſidio muniendo,quod opus terra materiáque excitatum inſtar bellicæ arcis, Belloarduum vocitant.Campi lata planicie iacent.vicus haud procul incolitur, vbi equitũ peditũmque ſatis magnus numerus tetendit.Præfecto fabrûm attributa ſunt quatuor millia militum eius generis, qui agreſti delectu conſcripti,Franci ſagittarii dicuntur, quòd liberi à tributis tãtiſper ſint, & liber gentili lingua Francus ſit: & cum primum inſtituti fuere, ſagitta tantum vterentur:nunc re militari mutata,nomen tamen priſtinum permanſit,quanuis eorum alii aliis telis armísq; adornentur.Hi tunc opere perfecto,tormentis eminus hoſtem inceſſentes,eum primum qui ad Carantonem conſtiterat, magna clade affectum coëgere ad Confluentium depreſſiora loca trepide refugere. Sed ibi quoque cum in ſuperiore cuiuſdam ædificii parte Burgundio cum non paucis ſuorum verſaretur,in eius oculis icti nonnulli occubuere.E cœnaculo protinus deſcendit,munitionibus ædificium firmat,cauis relictis,ac pariete perforato,vt per ea velut hiantia ora tormentis viciſſim hoſtis peteretur. ſed is pari arte foſſam à præſidio ſuo exorſus, vrbem verſus ducebat:vtq; terram fodiens exhauriebat,eam è regione hoſtis inſtar aggeris iaciebat, quò eminus tutior ab hoſte permaneret. A neutris conatus arsve nulla non excogitabatur.Comes nauibus contractis, vt earum quæque latiſſima & minimum carinata erat,demptis armamentis,ſtratáque deſuper materia coniungebat,vt velut ratibus multiplici ordine copulatis,non modò pedites, ſed equites etiam cum ſuis quique cõtis & graui armatu tranſueherentur: & anchoræ impoſitæ, quæ vbi aduerſa ripa teneretur, iectæ ratem ſiſterent. Ita ſex veluti rates inſtructæ,quæ ſingula millia portarẽt armatorum.additi multo plures,ſed multo minoris molis pontones,qui tormentis inſtructi adornatíque,ſiqua vis contra maiores fieret,circunfuſi tutarẽtur:quanuis quo minus hæc fierent, Regius impediturus non videbatur, nec auſurus caput exerere, aut extra foſſam prodire in apertum certamen aduerſus aduecta torméta. In his conſiliis multum temporis ſpatium abſumptum, in apparatu multus deſudatus labor.Cum tantum non ad finem operis ventum eſſet, Regius miles igne tabernaculis iniecto,vaſis conclamatis, foſſa tectus aggeréque ſe ſuáque

omnia in ſuburbanum fanũ Cartuſienſium recepit. Illi tamen exercitus parte in citeriorem ripam tranſmiſſa, ſuburbanũ Diui Marcelli tenuere, crebroq; cum Regio milite leuia prelia conſeruere, nullo memorabili euentu. Inde inducíis in biduum factis, Præfectus iuris orator ad Biturigem miſſus, qui abditos eius ſenſus exploraret. Normaniam petebat, oblatam vltro Campaniam Briámq; exceptis Meldis, Meleduno, Moſtrello, aſpernabatur. Delecto inter vrbem caſtráque idoneo loco Rex Burgundióque colloquii gratia cõuenere. Salute accepta redditáque, prior Rex, Tuæ, inquit, fidei me credere tutum » mihi eſt, quam ſanctã ſum expertus. etenim cum inſanus ille Moruillaris Præ- » fectus iuris oblitus mandatorum meorum, contrà quàm iuſſeram, væſanam » in te orationem apud patrem ore impudenti euomuiſſet, ſpopondiſti factu- » rum te, vt nondum circumacto anno me pœniteret. quod cum iam vſu eue- » nerit, egregie fidem ſeruaſti. Eo dicto flexit animum viri, quem ferro adoriri non audebat: eóque ex tempore placabilem maxime ſe præſtitit Comes. petiit ſibi reddi ad Somonam oppida, Biturigi Normaniam dari. Hoc cõgreſſu res exitum non inuenit. Exin crebriora de compoſitione per vtriuſq; partis oratores colloquia, induciæq; modò intermiſſæ, modò redintegratæ, per quas & hoſtes propius vrbem, & Regii iniuſſu propius caſtra concedebant, multíque vtrinque tranſfugæ, quod in bellis maxime domeſticis fieri amat. Id exemplum pernicioſum ratus Rex, cum oratio aduerſariorum perblanda foret, & boni publici præſcriptio vulgus permoueret, è muris turribúsque tormentis peti iuſſit, ac pro hoſte haberi, ſi quid cuiquã ſuorum, quanuis per inducias, commercii, congreſſus, ſermonísve aut rei vllius foret. Si quis paulo longius prodiret, pro hoſte haberetur. Vicenarũ arcem Regis Paradiſum hoſtes obtinebant, Duces ad vrbem excurſiones faciebãt. Ex vrbe Prætores Regii erumpebant, horum duo ſimul tanta interdiu audacia, vt etiam fabrũ tormentarium ſub ipſis carris, quibus cum ſuis cuique tormentis caſtra circũdabantur, occiderent. Nocte intempeſta vigiles caſtrorum audiuere vocem cuiuſdam qui diceret, ſe à certis hominibus (eos nominabat) qui ſtudioſi Ducũ eſſent, ex vrbe miſſum, ac iuſſum nunciare, ſtatuiſſe Regẽ mane omnibus copiis tria in agmina diuiſis caſtra oppugnare. iret propere vigil: Duces certiores fierent, ne incauti opprimerentur. Excitati continuò exercitus. arma capere miles iuſſus. Ante lucem ad vtrunq; omnia, & ad caſtra tutanda, & ad prelium parata: miſſíq; ſole orto exploratores retulere ſe vidiſſe ingentẽ vim haſtatorum. Turbida lux erat, quòd eam exorta denſa forte caligo premebat. Iterum miſſi equites idem rurſus confirmarunt. Expectabatur iamiam velut eruptionem facturus hoſtis: at is nullus erat. Vanam eam ſpeciem conceperant ſpeculatores, & metu falſa pro veris ſubiiciente, & nocturna voce, ludificationéque. Multo tandem die caligine diſcuſſa, liquidior lux errorem aperuit: nec inurbane iactatum, carduos quibus ſuburbanus ager veſtitur, haſtas timidis videri. id per ſe ridiculum, iam timiditatem militis, qui tam ferox venerat, coarguebat: nec ipſi Duces ſatis alii aliis fidere videbãtur: & cæteri Burgundione nõ adhibito inter ſe conſultare. Ille verò indignari cœperat, ſed admonitu paternorũ amicorum dolorẽ diſſimulabat, lætiore fronte q̃ animo.

Simul ſua Regem angebat cura. Nocte dum omnia per ſe luſtrat, inuiſitq; arcem quæ ad Antonii eſt, inuenit patentibus foribus portulam quæ ad hoſtem ferebat, ac tormẽtorum ora clauis ferreis traiecta, ad eorum vſum impediendum: & nuncius affertur pontẽ Iſaræ prodente præfecto ab hoſte receptum. Illud totam rem inclinauit, quòd cum fama omnem Franciam peruadit de compoſitione agi, vt mos rumorum eſt falſa veris affingentium, temere vulgatur Normaniam iam Biturigi Panagii nomine dari. Nihil lætius accidere poterat Normanis, quàm domi ſuum Ducem habere. Coitione facta magnorum apud eos virorum, atque adeo nobiliſſimarum fœminarum, in quibus ea extitit quæ nupta fuerat Breſeio Normaniæ Prætori (is pugna Leterica ceciderat) Dux Borbonii per arcem Rotomagum intra mœnia recipitur, vrbémque in fidem ditionémque Biturigis recipit. Qua re cognita Rex rurſus cum Burgundione congreſſus, Normania, inquit, fratris eſto: tua ſunto ad Somonam oppida. Ludouicum Lucemburgenſem magiſtrum equitum creo. Lotaringiæ Duci ingens auri pondus ac militem do ad regnum Neapolitanum repetendum. Duci Borbonio reliquum aurum dotale appendo, munerâq; ac commoda ei a patre data reſtituo. Cæteris quoque ſua cuique, & quas à maioribus ſuis facultates, & quæ à patre Rege munera honoresq; acceperãt, reddo. Colloquebãtur delecto inter Cõfluentes ac vrbẽ loco, pari vtrinq; cuſtodum corporis numero, hisq; æquo interuallo ſubſiſtere iuſſis. Dum modò breuioribus, modò lõgioribus ſpatiis inãbulatur, alii ſuper alios ſemper noui ſermones, vt in finiendis magnis bellis fit, exoriebantur: in quos totus intẽtus Comes, præ gaudio pacis iunctæ immemor ſui, deductus eſt intra Regis præſidia, munitionesq;. Quod vbi Burgundionibus in caſtra nunciatum eſt, Magiſter caſtrorum, Mareſcalũ vocant, ſuis conuocatis: Si iuuenis is Princeps noſter ſeſe vltro it perditum, at nos patrem eius ſenem reliquamq; ſpem non inſuper euertamus. Per ſpeciem pacis auus eius in colloquium vocatus interiit: hic ne auito quidem exemplo admonitus, ſeſe hoſti commiſit. Animo non deficiamur: ſatis virium & conſilii nobis eſt, quo ſeruare nos, recipereq; vtrocunque placuerit, vel in Burgundiam, vel in Annoniam queamus. Cæterum Comes, deſperantibus incolumem ſuis, veniens conſpectus eſt cum præſidio ab Rege dimiſſus. Eum graui conuitio excepit Magiſter Caſtrorum, ore libero caſtigans, contrà hiſcere non auſum, tolleréve oculos aduerſus Principem paternorum amicorum, dictitantem ſe patris Prætorem, nondum filii viuo patre eſſe, niſi precariò. Abire magiſtratu cogitur Moruillaris, Prætura reſtituitur Vrſino. Is enim ea deiectus fuerat. Frater erat Archiepiſcopi Remenſis. Pax hæc Confluentina vocitata eſt: eámque Duces accepere, quòd & commeatus iam, & rei pecuniariæ penuria ingens erat, & hyems appetebat. Addita paci conditio, ne quis horum Ducum cogeretur cum ab Rege euocaretur, ipſe vtique ire. iureiurando quo ſe panagio deuinciebant, ſatiſfactum iri, ſi cum foret opus, militem ex formula mitterent. Exercitus Sfortianus Alpibus Duce Galeatio Franciſci Sfortiæ filio ſuperatis, tranſgreſſuſque Sebuſianorum agros, in Borbonium ductus, fines Forenſium euaſtauit. Allata pace pacatus deducitur. Hunc exitum

habuit boni publici ſpecies, nec tamen finem nacta eſt contētio animorum, ſuarúmque cuique rerum ratio. Auctus copioſiſſimis oppidis erat Burgūdio. auctior Biturix ſibi viſus, omiſſis Biturigibus Normanus Dux ſalutatus. inho noratior Britannus diſceſſerat, qui ſecundum Burgundionem longe plurimum in communem cauſſam contulerat: & quòd non omnibus ſatiſfieri à Rege potuerat, multi magníque viri, quorum res non ex ipſorum erant ſententia, non domum redibant, ſed nouo Duci ſe dicabant, maieſtatem hominis, & nouas, vt rebantur, eius opes ſecuti: eiúsque animū poſſidebant: nec ab eius latere Britannus diſcedebat: conſiliis arcanis intererat. & Rex artifex erat ſerendis alendísque mutuis ſuſpicionibus, & ſuo ex illis cómodo captādo. Sedebat nouus Dux in ſuburbano colle ad Catharinæ fanum, occupatis Rotomagenſibus in apparatu rerum, quibus ſui Principis ingreſſum feſto die celebrarent. Incerto authore ſpargitur fama, Britannos ſtatuiſſe in Britāniam Normanum Ducem abducere. Igitur non expectantes ciues deſtinatū diem ſolenni ritu honorandi aduentus, iuuenem repente in vrbem deducunt, ſacerdotibus cum Cruce auguſtóque ornatu excipiētibus. Britannus ſibi concitatæ multitudinis vim metuens, inde mouit domū verſus: ac in itinere quædam Normaniæ loca occupat. Rex hac occaſione capta Rotomagū copias in fratrem ducit. ille viribus impar, deſtitutúsque ~~à Britāno, perpaucis diebus~~ Normanis imperauit: páxque Cōfluentina ~~ea~~ in primis regione parum ſancte culta. Burgūdio Eburonum bello erat occupatus. Regis frater, quoniā omni alia excludebatur ſpe, priſtinis etiam fortunis exutus, in Britanniam redit, vnde ad id bellū profectus erat, ex quo noua incremēta quæſierat. Borbonius in reſtituenda in fidem Regis Normania fidelem impigrámque operam nauauit, redonatúsque eſt Britāniæ adminiſtratione. Lotaringus auro militéq; accepto, non bellum Neapolitanum, à ſe, patre, patruo, auo, proauo infœliciter tentatum, rurſus ſuſcepit, ſed cauſſam ſilentio diuturno velut intermortuam repetiuit, Regni Tarraconenſis auita iura perſequens, quæ cauſſa, arbitrorum, vt edocuimus, authoritate tranſacta videri poterat. Pyreneum ſuperauit, egregia facinora edidit, peſtilentia exorta deceſſit. Rex ſuos reuocauit. omnis eius cura in Britānum, Burgundionis in Eburones verſa. Philippus Dux ſumma elaborauerat contentione, vt Pontificatus Leodienſis ceſſione ſenis Epiſcopi mandaretur Ludouico ~~ſororis ſuæ filio admodum adoleſcēti~~, Borbonii Ducis fratri. Pontifex maximus vt id fieret, nullis precibus initio exorabatur, memoria nondū exoleſcente Eburones ingenti clade tunc affectos, cum ille Pontificatus (vt edocuimus) mandatus eſſet adoleſcentulo ex familia Bauarorum Ducum. Ad hoc Pius Pontifex author eſt, cum à Gregorio ſummo Pontifice ſuus ei ciuitati antiſtes datus eſſet, alter itē à Benedicto, hunc cum Eburonibus à Gregoriano ſtantibus ſigna contuliſſe: eorum ad triginta millia cæſa. Hæc exempla horrens Pontifex maximus, ne Borbonii adoleſcentiæ nobiliſſimo opulentiſſimóque Pontificatu credito, vetera mala nouis inſuper cladibus cumularentur, expugnatur tamen pietatis obiecta ſpecie, Philippo Duce profitente ſe vtique quammaximo poſſet apparatu conatúque bellum in Turcas ſuſcepturum. Ita genti quæ rectorem

summum virum desideraret, datur adolescens Pontifex, euentu quàm in Bauaro atrociore. Vbi per ætatem initiari poterat, ciues obtestabantur vt sacraretur. Non audiebat. ciuitatis magistratus Præfecturásq; intimis auunculi amicis credebat. permoti ciues ab eo deficiunt. Querimoniis Romam delatis, admonentur vt pareant. In sententia permanent. Impii iudicantur. Sacris eis interdicitur. Sic quoque non terrentur. Bello velut ad sanitatem reuocãdi dantur Philippo Duci. Is fines populatur. Dinanum copiosissimum oppidum euertit. prælio victi, leges à victore accepere, tributum pendĕre ingens ob impensas belli coacti. principes iuuentutis partim sponte anteuertentes, solum vertêre, partim edicto Ducis in exilium acti, durius, quàm de se sentẽtia Pontificis Romani statutum. Is ad res inspiciẽdas, remediáque malorum quærenda, in Eburones legauit Onofrium ciuem Romanum, Tricaricensium Pontificem, ex aula Pontificia eundem à supplicationibus referendis. Data mandata, vt in gratiam cum Episcopo ciues reduceret. si pœnitentiam contumaciæ præ se ferrent, sacro solueret interdicto. Imperium in se Antistitis sui non detrectabant. ei in sacra profanáque iurisdictione vt vrbis vni vtroque iure domino patríque, dicto audientes fore: non passuros à Burgũdione imperari vrbi. Sacra restituũtur. Ludouicus sacratus rem diuinã facit. populo benedicit. Sacrosanctam hostiam per vrbem solenni pompa circũfert. Supererat durior cum Duce actio prouinciáque, cuius animus nõ tam facilis veniæ dandæ. neque enim tributa remitti, nec pristina libertas reddi, nisi ex eius volũtate, poterant. Annó eius seculi sexagesimoseptimo moritur, summa apud suos gloria & virtutis & felicitatis. Tunc se solutos Burgũdionis imperio rati, finium suorum oppida recipiunt. Ausi sunt etiam Linium oppidum præsidio Ducis insessum, deiectis propugnatoribus occupare. Nouus Dux Carolus plenus suo paternóque odio, maiorem q̃ pater fecerat, finibus vastitatem infert. prælio hostem fundit, vrbem mœnibus magna ex parte propugnaculísq; nudat, grauiores parendi tributíq; pensitandi conditiones imponit. Vires fractæ, animi nõdum nisi in speciem præsentémque necessitatem edomiti. Interea Rex Britannum fratrémque subigit ad pacem paciscẽdam, ac è volũtate sua accipiendam. Britãno nihil debebatur. Frater Regis cessit iure Ducatus Normani. promissa illi tricenaquina in singulos annos millia scutatorum. Burgũdio velut confecto Eburonum bello, simul reuocatis ad obsequentiam Gandauensibus, qui grauitatem tributorum & ipsi conquesti officio decesserant, in Britanniam mouebat, auxilio sociis fœderatísque ducibus futurus: cum inter illos & Regem pacem iũctam accepit quibus ipse minime vellet legibus. Ad primum nuncium non destitit ire pergere, tanquam falsis rumoribus, & vel de industria ad iter suum remorandum vel temere confictis: mox certiore fide affuere oratores, & Regis, & sociorum Ducum. Regii petebant, vt pacis communis sanciendæ caussa, ne ab ea vllus Ducum exclusus videretur, Burgundio Regi facultatem colloquendi daret. fide data tutum aduentum congressúmq; fore. Rex Peronã modico eóq; inermi comitatu peruenit ad Ducem exercitu nondum dimisso proceribúsque militaribus subnixum. & in eo numero conspexit Rex non paucos quos sciebat in se esse hostili animo.

LIIII. LVDOVICVS VNDECIMVS.

De pace vniuerſa poſtridie agi cœptũ, nec is dies,nec inſequens finem rei inuenit.Interea certis authoribus compertum eſt,ſolicitantibus oratoribus Regiis Eburones arma cepiſſe.Eius gentis exules,quæ erat ingens manus, & iuuentutis quæ bello ſuperfuerat,flos in Arduenna ſilua vitam egerant, propè nudi,intonſi,ſemiferi, mortis contemptu atroces.Leodium in patriam redierant,coniunctáque ſibi non parua vrbanæ multitudinis parte, quam maxime imperii Burgundionis tædebat,Tungros petunt, oppidum antiquitatis fama celebre,vbi Ludouicus Pontifex Romanúsque legatus erant,inerat & Ducis præſidium.Repentino aduentu oppidum tenuere:perpaucos Burgũdionum interemere: ſed à nullo temperatum foret, niſi ſaniorum, ac in primis Romani precibus,admonitúque, ne prævalidum Ducem nullo ſuo commodo grauius quàm ipſorum res fortunáque poſtularet,iritare pergerent. Dimiſſus igitur præfectus præſidii cum reliquis ſuorum incolumibus. Duo Canonici in oculis Pontificis occiſi.Pontificem Leodium venire,ac ab eo ſibi vno iura reddi iuſſere.Eodem & Romanus profectus. Hæc vbi Duci nũciata ſunt,authorésq; tumultus Regios oratores audiuit, clamitat,per ſimulationem colloquii,pacísque iungendæ, inquieti animi Regem alienis armis res perturbare.Eburonum armis fretum,vt facilius inobſeruatiórque falleret, inermem ipſum veniſſe.inſidioſam pacis actionem omittẽdam,aliud & certius conſiliũ capeſſendum.Peronæ portas claudi iubet, cuſtodiriq;, diſpoſitis præſidiis vigiliísque circa mœnia,ne quis emitteretur intromitteretúrve, tantùm cauſſatus amiſſum cum literis gemmísque ſcrinium quod conquiri oporteret. Per continens biduum Rex velut in cuſtodia habitus aſſeruatúsque, ignarus rerum ſuarũ,ac quænam ſe fortuna maneret,arbitrio ſui amiſſo,poteſtatis alienæ factus,velut imaginem fati ſui horrebat,quòd locus ipſe memoriæ veteris admoneret, & eſſet in conſpectu turris, in qua Carolus ſimplex Rex clauſus coactúsque fuit ſe regno abdicare. Dux biduum de illo conſilium habuit. Nulla maior quàm tanta de re,ac capite Regis,ſtatûque Franciæ,incidere poterat deliberatio.Tres dictę ſentẽtię:Vna,vt fides colloquii ſancte ſeruaretur, modò Rex ſe Eburonum hoſtem profiteretur:ad bellum duceret auxilia.Altera,ſemel captum Regem,non dimittendũ.quòd ſi elabatur,atroci,vbi primum queat,exemplo indignitatem vlturum.Tertia, euocãdum fratrem Regis,& quandò Confluentina pax, quanuis ſanctiſſimo iureiurando interpoſito,irrita ceciderit,certiores cõditiones his pignoribus ſanciẽdas, vt Regi circumuenire deinceps liberum non ſit.Dum ſententiis dicendis certatur, dum conſultatio trahitur,ſpatium temporis fuit Regi tentandi animos eorum qui apud Ducem permultũ poterãt.Procul aberat à fiſco ſuo.quindecim tamen millia ſcutatorũ à ſuis coegit,quæ intimis amicis Ducis diuiſit: nec vllis blandimentis pollicitationibúsque artibúsve pepercit.Ita in primam eámque mitiſſimam ſententiam itum, purgatióque Regis accepta, ſe ante cõſilium petendi colloquii miſiſſe oratores Leodium, nunc ſe totum in cogitationẽ pacis vniuerſæ verſum,cæteratũ rerum oblitũ,haudquaq; memorẽ fuiſſe eorum reuocandorum. excuſatá imprudentia, fratri vt daretur Comitatus Cãpaniæ Briæq;,cõuênit.Id vnũ ſpectabat Dux,vt frater Regis imperiũ continẽs im-

perio ſuo haberet,mutuo ac preſenti ſemper auxilio ſubnixis futuris,ſiquid in alterutrum moliretur Rex. Trecentis ſuorum cataphractorum equitum delectis ad ſe euocatis, Ducem in Eburones comitatur. Vrbs antea muris non parua ex parte recenti à Duce ruina ſtratis, à duobus potentiſſimis Principibus obſidetur. omni externa ope deſperata oppugnatur. Multæ eruptiones nocturnæ,multæ interdiu factæ,multiplices conatus,multa prouide acta,multa fortunæ ancipiti commiſſa, nihil intentatum ad ſalutem & publico conſilio,& ſuo cuiuſque ingenio,virtutéque.omnia irrita cecidere. Erant oppoſitæ vires,quibusvirtutem cedere neceſſe foret.Obſeſſi,ſocii modò amicíque à Rege dicti, Franciam inclamabant,Francus Burgundioni victoriam.Epiſcopus iureiurando fide ciuibus obligata, ſi nihil à Duce impetraret, ſe redituru,in caſtra ſe confert. Nihil apud cognatum affinemq; lacrymis impetrat: reditu etiam prohibetur.Iuit & legatus Romanus. orat Ducem,vt repeteret memoriam illius temporis,cum per ſuos patríſque oratores Pontificem Maximum obſecrabat vt adoleſcentulo Ludouico Pontificatus Eburonum demandaretur: nunc Pontificis Romani precibus condonaret eiuſdem ciuitatis ſalutem.Clauſæ Ducis aures.Apud ſuos etiam inſectabatur Romanum,inſimulãs eum appetiti Pontificatus Leodienſis:id quod author eſt Cominus. Nos hac in varietate famæ potiorẽ authorẽ Cardinalẽ Papiẽſem habuimus. Incolumis illæſusq; dimittitur Romanus,quem velut immeritũ ſi quis ſuorũ, ſed ſe ignaro,cõprehẽdiſſet,nec niſi cum queſtu compẽdioq; dimiſiſſet,haud grauiter laturum ſe oſtendiſſe Ducem Cominius tradit. Capta vrbs,cædibus, incẽdiis,ruinis fœdata. Digrediens à Duce Rex, diſſimulans quidnam animo moliretur,Quid ſi,inquit,frater aliud malit, q̃ quod Peronenſi fœdere nobis placuit? Ignarus Dux quò callida percontatio tenderet,nec habẽs in præſentia aliud quod occurreret, ita reſpondit· Quod voluntate vtriuſque veſtrum fiet,id & mihi probabitur. Eblanditus Rex emercatúsque intimos fratris familiares, per eos effecit, vt ſpem Briæ Campaniæq; , quæ regio finitima Burgundionis erat imperio,deponeret,Aquitaniã procul ab eo acciperet,vt nobiliſſimam,latiſſimísque finibus,ſed non futuro diuturno dominatu,nihil boni augurantibus his amicorum qui permanſerãt integri. nam cum nunciaretur Regis Caſtulonenſis minorem fratrem deceſſiſſe, Francus Rex exclamauit,Fœlicem morte fratris Caſtulonenſem. Nonnullorum igitur nunciis admonebatur nouus Aquitaniæ Dux, caueret ne à fratre Rege circumueniretur.In his Iohãnes Ballua Pontifex Andegauenſis fuiſſe fertur.cum apud Regem in flagrantiſſima gratia eſſet,ad purpuram aſpirabat, ſed aduerſo rumore, ac parum ſecunda morum vitæque fama : qua permotus Pontifex Maximus Paulus exorari nõ poterat, Regiis oratoribus ſummo ſtudio id contendentibus.Rex repulſæ impatiẽs,ex intima familiaritate mittit Fumeã acris ingenii virum,ac ingentis dexteritatis ad magnorũ virorum voluntates eliciendas:qui in vrbem profectus,ac ad Pontificem facilè admiſſus, multa verba fecit de ſtudio Regis in Ballua excolendo. Paulus ea de illo delata eſſe aiebat, vt ei pernegare cogeretur purpuram , quod ſanctitatis ac virtutis inſigne foret.Intrepide tunc Fumea,Beatiſſime, inquit,Pater,iam non miror virũ opti-

» mum Balluam hic in vrbe tua male audire,cum vbique virtus inuìdos vrat,â
» calumniatoribûsque oppugnetur. Fama nihil vanius,nihil rumoribus magis
» mendax in bonos,cũ alibi,tum Romæ inueni. Audieram ad ſanctitatem tuã
» difficiles aditus, clauſas ei in ſupplices aures: quæ omnia vanitatis & inuidiæ
» plena coràm experior,benigniſſime exceptus, patientiſſime auditus. Proinde
» ſanctius & incorruptius exiſtima Regis ſanctitati tuæ deditiſſimi de viro in-
» tegerrimo teſtimonium,quàm maleuolorum fabulas cõficias. Motus Pau-
lus Balluam pileo exornauit:nunc atroci ſuſpicione exorta,in cuſtodiam tra
ditur ipſe,ac vt conſiliorum particeps Pontifex Virdunenſis. Ibi vterque per
annos vndecim aſſeruatus, tandem Legato Pontificis maximi condonatus.
Regis vero maieſtatem ſanctiorem effecit natus ei Delphinus anno eius ſe-
culi ſeptuageſimo. Ea res & Ducum animos ſpémque debilitauit, & ſpiritus
Regi addidit,quòd qui antea blandiri proceribus ſolebat, vt nullo ex ſe Re-
gni hærede,iam ætate ingraueſcente,valetudine ſemper infirma,perſæpe mor
bis ægra,vitam quietam ſe agere ſinerent, quoad ſua eum dies fatúmve abſu-
meret . Ex eo tempore non ſolùm vt tutum ſibi Regnum haberet elabora-
uit,ſed etiam vt liberis pacatum relinqueret, ſublatis hoſtibus,omníque me-
tu vacuum.In primis quod antea in Burgundionem conſilii inierat,in id ex-
equendum omni ſtudio incubuit,eiſdem artibus vſus,quibus Carolus Quin-
tus Aquitaniam propè omnem perpaucis diebus nullo periculo,nullo cruo-
re Anglis eripuerat.Ex oppidis finibûsque qui ad Somonam amnem attribu-
ti Duci fuerãt,inuenti ſunt ampliſſimæ cognationis viri,qui in Regiam pro-
fecti cõquererentur iura ſibi aut non reddi,aut ſordide per libidinémve red-
di. Fidem Regis implorabant. arguebant etiam Ducem fines illos tranſcen-
dere.Ne quid tamen niſi optimatibus conſultis, exemplóque maiorum mo-
liri videretur, quos viſum eſt euocauit , ad idq; conſilium retulit de querelis
hominum,iniuriiſq; quæ factæ à Duce dicerentur . Haud dubia res fuit quin
ſtatueretur fidem conuentorum, pacéque violare videri Ducem. Miſſus qui
ei diem diceret. Primùm per iram retentus,deinde dimiſſus. Magiſtri equitũ
nomen gratiáque his in locis quæ petebantur, illuſtris erat, & opes ingentes.
eo per idoneos homines adnitente, occultæ coniurationes omnibus illis in
oppidis factæ, ingênsque ſpes omnium vno conſilio vno tempore recipien-
dorum.Conatus omnino proceſſit in duobus , Fano Quintini, Ambianiſq;.
Reliqua porrò bello aperto tẽtabãtur. Dux ad ſocios Duces amicoq; mittit,
ſimul clàm & ad Magiſtrũ equitum.Ab illis opem petit:ab hoc,ne in ſe po-
tiſſimũ quantũ virtute,quantũ conſilio poſſit,oſtendat,ne receptũ ſibi omnẽ,
ſiquid forte ſibi ab Rege accidat,intercludat. Verba nõ aſpernatus, renũcia-
ri iuſſit, nullam ſe rebus illius ſalutem proſpicere,niſi filia quæ illi vnica erat,
Aquitano deſponſa.Ille filiam in tantas opes ſucceſſurã ab omnibus appeti,
à nullodũ haberi volebat. Ad hoc ſuperuenere clandeſtinæ ab Aquitano li-
teræ. iubebant eum bono animo eſſe:nõ defutura illi externa auxilia:dunta-
xat curaret ea moderatione cũ popularibus agere,vt nulla cupiditas rerũ no
uarũ eos præcipites ageret . Ea ex die ancipitis animi Magiſter equitũ haberi
cœptus.Nõ cõquieſcebat Rex.exploratũ habet Burgũdionẽ Quintinianorũ

 ac Am-

ac Ambianorum recipiendorum cupiditate ardere:nec vllas, si spes ea detur, cõditiones repudiaturum. Conuênit,vt Dux à societate Aquitani Britanniq; deficeret:bellũ illis inferente Rege cõquiescereteiquæ duo optabat oppida restituerentur.Vtrinq; dolus ad alterum capiẽdum nectebatur.Cautior,& vt in talibus,fœlicior Rex.Clàm hortatur Dux Duces,ne animo deficiãt:se oppidis recuperatis non sanctius culturum hoc recens in illos fœdus ictum, q̃ Rex Cõfluentinum Peronensève seruarit. Materiã Aquitanici belli præbuit Comes Armeniacus ab Rege pulsus,à Duce restitutus:inde bellum Regium exarsit.Burgundio diu cunctatus,cum oppida sibi non redderentur,semperq; differretur, tandem vt Aquitano opem ferret,in Regem mouet, Bellouacos obsidet,oppugnat, multa frustra conatus, quòd vrbs fide ciuium, & præsidii virtute defendebatur egregie.in Normaniam proficiscitur,quòd conuenerat ei cum Britanno,vt ad Rotomagum coniungerent copias.In itinere mors ei affertur Aquitani Ducis,& ea de caussa Britannum nõ affuturum,quòd iam sublatus esset cui auxilio venerant:ac Aquitania omnis Regios oppidis arcibusq; accipiebat.Dux inuidiam Regi cõflabat,parricidii insimulãs.eum corrupisse fratris familiares.Per eos illum veneno sublatum . Plus irarum apud Ducem,plus virium consiliiq; apud Regem . Persæpe induciæ factæ,persæpe ante diem earum circumactam ruptæ . Quædam, sed ea ignobilia oppida, vtrinque capta:plura frustra tentata . Magister equitum bellum de industria alere dicebatur . Rex tectior erat, Dux iam apertior,ac liberius intemperantiusq; indignationem præ se ferens . Magister equitum in fines Ducis excursiones fecit,& quod antea factum non fuerat,ruinis incendiisq; passim sæuiit. Et cum paucorum induciis dierum repetitis,apud Magistrum equitum Ducis oratores de compositione agerent,orta de iure partium altercatione,euectus intẽperantia linguæ,mentiri eos dixit.Summi erant viri,responderuntq;; non in se,sed à quo legarentur, telum contumeliæ conuitiiq; contortum . Et Rex Duci se facilem in exitio illius paciscendo præbebat . Per oratores agebatur, vt vter eorum prior illum in potestatem redigeret, vel intra octauum diem supplicium de eo sumeret,vel puniendum alteri traderet.Hæc nõ tam obscure agebantur, quin indicia per amicos propinquosq;, quos multos nobilissimosq; habebat,ad eum emanarent:per eosdemq; effecit,cum vtraq; pars ab altera vana pactione illusa esset,vt nec tunc fides haberetur,planéve conueniret . Prior Rex misit ad suos, ne pactio de capite hominis iam inchoata vtiq; sanciretur.Nihilo secius ille velut exitum prospiciens,neutris se credere audebat. Simul quò tutior munitiorq; esset, Fanum Quintini occupat,deiecto Regio Præfecto:fidelissimoq; sibi milite firmat.Tunc Rex veritus ne Magister equitum mali ab se metu , ex professo hostis factus , ac Duci reconciliatus,eũ oppidis arcibusq; quæ munitissima à patre habebat, reciperet, quacunque ratione reconciliare sibi statuit,accersitq; . Ille memor tentatæ in caput suum pactionis,inermem se nullo loco commissurus est.Iustus visus metus. Venia data . Pons in amne factus . in eo medio cancellatæ velut fenestræ excitatæ , vt conspici inter se exaudiríque colloquentes possent , ac dextræ interiungi.Res noua,& si per se spectetur,indigna,Magistrum equitum

ex æquo cum Rege ſuo ad colloquium deſcendere, quo pacto hoſtes data fide congrediuntur. Ad primum conſpectum Regis genu poſito, exorſus ab excuſatione, quòd armatus cum armatis adeſſet, de Rege diſſimulãs, nominauit quos in Comitatu eius hoſtes ſalutis ſuæ eſſe diceret. Reliquum colloquiũ in vulgus editum non eſt. Exitus is fuit, vt repagulis reuulſis, clatrisq; diſiectis, ad Regem tranſiret. Quintiniani eius fidei etiam in futurum permiſſi, & ſtipendia quæ intermiſſa fuerant, eius equitibus ipſiq; perſolui iuſſa. Ità ex amplexu Regis dimiſſus, nunquam tamen poſthac non ſolicito animo fuit, ecquanam ratione fieri poſſet, vt ad ſalutem tegendam inter duo præpotentia imperia, diuerſiſſimáque Regis Ducísque ingenia difficillimo temperamento conatus moderaretur. Nec ſuum modò ingeniũ Regi, ſed & fortuna nullam quietem reliquam faciebat. Ad Tarraconenſem, vt ad veterem dominũ, Perpenianum è Ruſcinonenſi Comitatu defecit. Arx tantùm retenta, illud oppidum Francus obſedit. Tarraconenſis certis nouisq; conditionibus ceſſit. Perpeniani ad Frãcum rediere. Armeniacus Comes Petrum Borboniũ Præfectum Aquitaniæ proditum â nõnullis ſuorũ cepit, nec dimiſit niſi reſtituto ſibi Lectorio oppido. In illũ continuò miſſæ ab Rege copiæ. Lectoriũ recuperatum, ac dirutũ. Comes occiſus, eo minore inuidia, quòd falſo diplomate Pontificio edito, vt ius ſibi faſq; eſſet ſororem germanam in matrimoniũ ducere, eam ſibi inceſto toro iunxerat. Qui Borbonium tradiderãt, de illis ſupplicĩ ſumptũ. A Borbonio Scarlati obſeſſus Nemoroſi Dux deditione facta cõprehenditur, ac in cuſtodiã mittitur. De eo maieſtatis quæſtio diu tenuit. multis pòſt annis ſupplicium ſumptum. Petro Borbonio Anna maior filia Regis deſponſa, Iohanna minor Ludouico Duci Aurelianenſi admodũ adoleſcenti, qui eo nomine duodecimus poſtea Rex fuit, dolorem præ ſe ferre, vt poſtea prædicauit, non auſo. Illa enim formoſiſſima, hæc gibbera. Studia Frãcicarum partium ex continenti iam multò antea in Angliam tranſcenderãt, & ipſam ſuis atque his atrocioribus morbis ægram. Duæ factiones iam inde à rebus male in Gallia geſtis eam diſtinebant. Altera Henricum Sextum Regem ingenii mitioris q̃ tempora belli poſtularent, dehoneſtamentum Regiæ maieſtatis dictitabant: & prælio his qui ab eo ſtabant, victis, in cuſtodia habebant. Eduardus Ricardi Ducis Eboracenſis filius Rex ſalutatus, ſororẽ Burgundioni cælibi deſpondit. Et hoc parum malorum viſum. Priſtina recrudeſcunt. Comes Veruicus acerrimus nuper hoſtis Henrici Sexti, repente ab Eduardo, cuius ſummus modò propugnator fuerat, defecit. Acie victus trãſmiſit in Franciam: ſub quod tẽpus Delphinus Carolus natus. Ne à Franco Rege adiutus ad inſtaurandũ bellum redire in patriam poſſet, Burgundionis claſſis obſeruabat. Eam atrox tempeſtas exorta paſſim diſiecit, partim in Hollandiã, partim in Scotiam. Veruicus trãquillitate maris reddita, priuſquã coirent hoſtium naues, claſſe ac auxiliis Francis ſubnixus in Angliam euectus, Henricum è cuſtodia educit, collatis ſignis Eduardum fundit, fugat. Pulſus ad Burgundionem ſororis virum traiecit, & hoſtibus & piratis inſequentibus ægre elapſus. Sed Burgundio ſuis rebus cõſulens, gratiam victoris etiã ſpectans mittit Calitium ad Præfectum Anglici præſidii de amicitia cõcilianda: & ad fidem

 facien-

faciendam, voce præconis vetat vlla re bellica iuuari Eduardum. Nihilo ſecius memor affinitatis,& partium ſemel ſuſceptarum,clàm ſubminiſtrat quæ vſui tranſmiſſioni ſint. Igitur Eboracenſis prius Angliam claſſe tenuit, quàm hoſtis eum ſoluiſſe ſuſpicaretur. Pugnatum.Cæſus Veruicus. His de Regno inter Anglos contentionibus, permulta cruentaq; prælia facta. Cecidere plus ſexaginta ſummi proceres ampliſſimæ ac Regiæ cognationis, non pauci extorres. Horum nonnulli ne auſi quidem aperire quinam eſſent, vitam mendicitate diu tolerarunt.Henricus filius Comitis Ricemundii admodum puer à paternis amicis in nauem impoſitus, vt ad Francum Regem Veruicinæ factionis,cuius ipſe erat,amicum deueheretur: ad partium aduerſariarum Britannum tempeſtate delatus, ab eo comiter quidem excipitur,colitúrque, ſed diſſimulanter cuſtodiri iuſſus. Eduardus rurſus rerum apud Anglos potitur. Periſcelidem Burgundio ſumit, ordinis apud Anglos Regii, vt edocuimus, inſigne.Rex Francus ordinem Diui Michaëlis inſtituit,idque inſigne ad Britannum miſit. Non accepit, ne Anglum Burgundionemq; offenderet,ſocios amicósque, in quibus rerum ſuarum ſalutem arbitrabatur. Id Rex Francus ægre tulit, ne fraterno quidem eius ordinis nomine ſociari ſecum Ducem in animum inducere. Præfectus iuris apud Britannos Cauinus ab Rege impetrauit,vt mentione ordinis omiſſa,profiteretur Dux,ſi Eduardus in Franciam tranſmitteret, ſe illi hoſtem futurum. Cauinus Franci Regis erat amantiſſimus, ac ab Rege diligebatur. Eius in rebus Francicis miniſterio ad auertendam mitigandámve iram Regis Dux vtebatur: in arcanis vero Anglicarum conſiliis rerum, Burgundionisq; ſocietate,opera Petri Landoici, ſed Cauino ignaro.Nec hæc neceſſaria Britanni cum Rege Franco pactio Anglum Burgundionémve offendit,gnaros totum ſuarum partium eum animo eſſe.Burgundio, Eduardo ope ſua in Regnum reſtituto, habere ſe ratus quem Franco Regi opponeret,noui belli maiorem molem ſuſcepit.Geldubenſem Ducem ſenem adoleſcens filius in ordinem redegerat, iuráque popularibus dabat.Burgundio adoleſcente pulſo imperium ſeni reſtituit. ab eo ob id meritum hæres inſtituitur,exhærede filio. Tanto imperio præter ſpem auctus,alia parte Comitatum Feretanum ſatis ingenti pondere auri pignori accepit à Sigiſmundo Duce Auſtriæ Auguſti fratre. His tam inter ſe longinquis, diuerſaq; regione opibus inductus, multo maiorem concepit animo ſpem, quicquid terrarum hos inter duos tam facili ſucceſſu partos dominatus iacet, ſui arbitrii faciendi. In Treuiris Cæſarem conuenit, illata mentione filiæ Maximiliano Cæſaris filio deſpondendæ.Cæterum cum contenderet vt ipſe interea Vicarius imperii deſignaretur, deprehenſa cupiditate Cæſar eo ne valere quidem iuſſo, repente diſceſſit. Sed non idcirco conatu deſtitit: quæque prima oblata eſt occaſio,eam lætus accepit.De Pontificatu Agrippinenſium cõtentio erat.pulſum ab aduerſariis Rupertum reſtituere conabatur,fœdere ac cognatione iunctum. Cæſar indigne paſſus res Germanicas Ducem externũ ad ſe reuocare, conuentum gentis habuit, auxiliaq; Nuſſiam miſit, quod oppidum Coloniæ propinquum iam Dux oppugnabat.Vi expugnare,ſæpe repulſus à mœnibus, non potuit, & caſtra Cæſaris in conſpectu, flumine Rhe-

no dirimente,animos Nuſſinis præſidióque addebant. In obſidionem iuſtam compulſi, Ducem ibi annum tenuere, nobiliſſimo exercitu fidentem omnia ſibi è ſententia ceſſura. Dum ibi hæret Dux,ſedendóque Cæſar victoriam de feroci hoſte reportaturum ſperat, Rex quoque nouos in Ducem hoſtes excitauit, & iungendarum & diſiungendarum amicitiarum efficaciſſimus artifex. Eo per pari ingenio oratores agente, cum inimicitiæ veteri odio atroces inter Sigiſmundum Ducem Auſtriæ, ac Heluetios intercederent,peruicit,vt ſimultatibus poſitis,fœdere iungerentur. Ita Sigiſmundus Heluetiorum ope Feretiam re non ſoluta recuperat. Nec hoc ſatis.alia indignitas Burgundioni oblata. Renatus iuuenis Renati ſenis ex filia nepos, mortuo Iohanne auunculo primùm, deinde auunculi filio Nicolao,iure auiæ maternæ viuo etiamnum Renato ſene in Lotaringiam cum ſucceſſiſſet, adhortatu Franci Regis Burgundioni bellum indicit, finésque Lucemburgenſium, qui Ducatus illi parebat, depopulatur. Hæc omnia domi ſedente, ac nihil mouere viſo Rege fiebant, primúmque fallebant, deinde in apertum authore deprehenſo erupere: ac Rex tandem Duce tot aliis ſuper alios motibus occupato, Deſiderianos oppugnans, ad deditionem compellit, & ipſos, & quædam præterea circà oppida. Eiſdem ferme diebus obiit Magiſtri equitum vxor: quæ eadem ſoror Reginæ lacrymis affinitatéque & virum ne omnino deficeret, & Regem vt iræ moderaretur,effecerat.Nunc Magiſter equitum renouato metu, ne ſuis quidem ſatis fidebat, quos in ſe iam ſolicitari ab Rege ſentiebat. Ad Ducem, cuius quidem iram verebatur, ſed eam & minus inſidioſam, & magis placabilem ratus, mittit, ſi quem cum modicis copiis mittat, ſe illi Quintinianos traditurum. Miſſus à Duce, ſemel, iterum, ac tertium re infecta ſemper diſceſſit, cauſſante illo rem immaturam geri, ſed animo, reor (vt in extremis miſerísque rebus aſſolet) æſtuante,ac conſilium conſilio variante, præſentis ſemper fortunæ tædio nullum exitum elabendi expediente.Acceſſit quod difficiliores ei res fecit. iuſſus ab Rege in Annoniam ducere, miſit qui iuſtum neceſſariúmque metum excuſaret.Se exploratum habere,duos ex ſuis neceſſariis corruptos eſſe vt in ſe manus iniicerent, proderéntque. eos non nominabat, ſed his notis deſcribebat, vt ſolicitationem Regis coniurationémque detectam appareret. Iuſſus quoque in colloquium rurſus deſcendere, id quoque deprecabatur. Inſtanti denique reſpondit,venturum ſe, ſi in Laudi æde tacta cruce iureiurando fidem daret, fraudem vímque abfuturam. Ea crux in Andibus ſumma religione habetur. Peruetus opinio tenet, qui ad eam conceptis verbis peierarit, intra annum vertentem peſſimo leto occumbere.Id ſe facturum vlli mortalium negauit Rex.Eo magis aucta ſuſpicio,quòd eadem cæremonia Rex paulo antè Comiti Conuenati fidé leuiore in metu demendo deuinxerat. ſimul ad eandem crucem nullo non die quos commodum erat,iureiurando adigebat.Has cogitationes,Anglici belli metus excepit.Solicitáte Duce Eduardus cõuentu gentis habito,cupidiſſimis omnibus nihil ad bellum Francicũ non decernentibus,certatimq; conferentibus,Calitium traiecit,authorq; per oratores Duci erat,vt Nuſſiam omitteret.

Ille re infecta diſcedere deforme arbitrabatur: nec Germanis ſe perſeuerantia ceſſurum prædicabat. Pontificis Maximi authoritati ceſſit. Romanus legatus vltro citróque commeans pacem iunxit his conditionibus, vt quandò de iure Pontificatus Agrippinenſiũ diſceptaretur, Nuſſia fidei Pontificis Maximi committeretur: is cognoſceret, ſtatueretq;. Ita ſoluta annua obſidio, amplum magnificumq; ſibi dictitante Duce, tota Germania in ſe verſa pelli tantiſper inde non potuiſſe. Ipſe miſſo exercitu in Lotaringos, Ambarósque, qui & ipſi Lotaringo parebant, vt eo bello multo leuiore miles aleretur, Renatúmque conquieſcere non ſineret, modico comitatu ad Anglum venit, primo congreſſu offendens eius animum, quòd cui auxilio aduerſus Regem Francum rogatus adeſſet, Lotaringas res Francicis anteferret. Ille paruo conatu magnam rem initio geri poſſe affirmans, reddit ei literas à Magiſtro equitum. Hæ iubebant fidem Duci haberi exponenti mandata quæ à ſe ad Anglum haberet. Narrat igitur promiſſos antea Quintinianos, dedi à Magiſtro equitum ad eam diem tutum non fuiſſe, occupato Duce Germanicis rebus: nunc præſente Duce, Anglóque Rege, opportunum eſſe. Vnà igitur proficiſcuntur. Iam Peronam peruenerant. præmiſſæ aliquot Anglorum turmæ, cum Quintinianorum mœnibus appropinquarẽt, non dubia ſpe oppidi proditione recipiendi, ictu tormẽtorum, ac eruptione equitum repulſæ ſunt. Res indigna Anglo viſa. Dux non deſiſtendum cœptis dicit. ad paruarum copiarum cõſpectum non factam deditionem, quòd quanuis cupidus Magiſter equitum, ſpeciem tamen quærat vt id coactus facere videatur. Si vniuerſæ copiæ admoueantur, nullam interceſſuram moram. Simul in Lotaringiam proficiſcens, ſe ſuo cum exercitu breui affuturum oſtendit. Anglus primi conatus fruſtratione ipſo initio eluſus, ſegnior ad reliqua conſilia belli factus, facilè primùm Franci Regis caduceatorem de mittendis legatis, deinde legatos de pace admiſit. Conuênit vt Anglus filiam deſpõderet Delphino, quanuis immatura ætate: in cultum puellæ aut Aquitania attribueretur, aut quotannis quinquaginta ſcutatorum millia Londini numerarentur, & ſeptuagintaduo millia præſentia darentur. Aliquot dies antequam ad exitum res duceretur, hæc actio tenuit, vltro citróque commeantibus legatis, ac modò hos, modò illos conſulentibus. Interea Dux & Magiſter equitum ſenſere Regum animos procliuiores eſſe ad pacem. Dux Anglo mirandum in modum ſuccenſebat. Nullis verborum in eum contumeliis parcebat. Eum beneficio ſuo regnare, exulem inopem in patriam in ſedem Regiam reſtitutũ, minime grato, minime Regio animo eſſe. Multa in eum probra coniiciebat. Ira excandeſcere non poterat Magiſter equitum. non hæ opes viri. Alio loco eius fortunæ verſabantur. Rex Francus ad illum mittebat lætos in ſpeciem nuncios; multis etiam de rebus per ſimulationem conſulens. Viciſſim & ille ex ſuis fidos mittebat, illud maxime captans, vt ſi quid proſpere Francis eueniret, id ſe adnitente factum videretur. In primis miſit Litauicum Creuillanum. Is cum quæ acceperat mandata, his quibus iuſſit Rex, expoſuiſſet, tunc Rex certiſſimos Ducis amicos loco prætentis aulæis occulto abdidit. Pro aulæis palam ſedens introduci Litauicum iuſſit, ac eum ſibi ipſi eadem mandata exponere:

Homo inſidiarum ignarus dicit, agente per internuncios Magiſtro equitum, propè à ſocietate Anglicana Ducem diſiunctum, eáque indignatione concitatum, vt terram pede pulſans, Eduardum neget Regio ſanguine pectoréve eſſe: eum eſſe adulterio procreatum: gregariíque militis nomine appellaret quem patrem diceret. Hæc Litauicus dicens, geſtum irati Ducis agebat: vultum quoque ac vocem notam Regi effingebat, tam ſcite, vt in ſcena rem agi diceres: Réxque ſe iam ſurdaſtrum dictitans, reuocaret, ac repeti iuberet, quò res teſtatior auribus amicorum Ducis, ac per eos Duci foret. Pace facta nondum iureiurando firmata, orator à Magiſtro equitum ad Anglum venit cum literis, vt illi edenti ab ſe arcana mandata fides haberetur. Ea huiuſmodi enunciabantur, aduentare Ducem cum validiſſimo exercitu, quo Anglis iuncto vel omnem Franciam obtineri poſſe. Interea nullius rei fidem Franco Regi habendam. in præſentia enim eum in paciſcendo nihil denegaturum: vbi mare Angli traiecerint, immemorem conuentorum, nihil contrà non auſurum. Haud lætum redditum reſponſum, ſe pacem iam compoſitam ratam habiturum. Reges etiam in finibus Ambianorum ponte facto inter ſe collocuti ſunt, ac iureiurando pacta confirmarunt, anno eius ſeculi ſeptuageſimoquinto pridie calendas Septembres. Suos vterque ſocios amicósque nominauit. in his Burgundioni cautum. Britannum excludi volebat Francus: reſpondit Anglus, ſiqua vis illi intentaretur, eueſtigio ſe claſſe in continentem rediturum. In Britannia, vt oſtendimus, profugus degebat Henricus, quem velut vates futurum Regem horrebat, ne ſi eum Britannus à ſe deſertus in Angliam dimitteret, de Regno ſibi rurſus dimicandum foret. Literas tamen binas, quas fidei habendæ gratia datas oſtendi, Franco Regi tradidit: nec quicquam valuit affinitatis memoria. Nam vxor Angli filia erat ſororis Magiſtri equitum. Regreſſo domum Anglo, Dux ac Rex in perniciem Magiſtri equitum incubuere. Miſerat ad Regem, renunciari ſibi permultos eſſe qui falſis ſuſpicionibus infamem ſe facere conarentur, ſed re ipſa oſtendiſſe ſe falſa inuidia laborare, quòd in tanta rerum temporúmque varietate, quæ oppida tutanda accepiſſet, ea inuicta ſeruaſſet, atque inde hoſtem repuliſſet. Rex conſtantiam virtutémque viri fando extulit, renunciaríque iuſſit, in conſiliis capiendis tali capite opus eſſe. Nuncius dictum non quo animo proferebatur interpretatus, lætus dimittitur. Rex ad amicos fidos verſus, ſubmiſſiore voce, Opus mihi eſt, inquit, hominis capite, ſed ita, vt hic caput, illic truncus iaceat. Fœdus in eum Rex cum Duce repetiuit, vt caput Regi, bona cum Quintinianis Duci cederent. vter eo prius potiretur, is intra octauum diem vel alteri traderet, vel ipſe ſupplicium ſumeret. Iam ab amicis, à militibus, ab omnibus propè, vt in mortalium ſalute deplorata fieri amat, deſerebatur. Variis conſiliis agitabatur. quod probaret, non habebat. quonam ſe reciperet? vbi conſiſteret? propinqua ſibi hoſtilia, externa imperia longo interuallo direpta. Arces ſe tutas & inexpugnabiles habere, ſed quo præſidio eas firmaret? Sibi auri vim ingentẽ, ſed eam prodendi capitis ſui mercedẽ, propoſitis inſuper ab Rege præmiis. Irã odiumq; in ſe Regis deprecaretur? At illud atrox execrabileq;. Fidémne ab eo acciperet? Sed ecquanam religione firmari

 poſſe,

posse,vt ei credere tutum sit, qui, id quod iam vulgo vsurpatur,ad diui Laudi crucem spondere nolit? Ducis iram placabiliorem, & fidem sanciri cum eo posse, ac verecundiam imponi supplicis violandi. Proinde fide ab eo per fidos viros, quos pauciſſimos sibi reliquos aduersæ res fecerant, accepta, in Annoniam se recepit ad Ducis Præfectos. Dux nondum Lotaringicam prouinciam confecerat. Nancium tunc obsidebat, propinqua spe capiendi: quo recepto, tota Lotaringia dicto audiens futura erat, ac ipse habiturus continens imperium ab ora Oceani per fines ditionis suæ in Lugdunensem vsque agrum: quod tot laborum desudatorum præmium ingens arbitrabatur. Nec vllis dissuasionibus auerti ab ea cupiditate poterat.Equites Italici generis sub eo magno numero militabant. Horum duo erant Præfecti, Galeotus, vt ostendimus,ac Bassus.Bello Neapolitano contra Tarraconenses pro Andegauensibus steterant. His bello victis,in Galliam se contulerant,Iohannem primùm Ducem,deinde Nicolaum secuti. his defunctis,Ducis Burgũdionis stipendiis ordines ducebant. Galeoti fides ac virtus ab amicis hostibúsque vno constanti laudatur ore, Bassum constans fama damnat. Eum nescio an non iniustus dolor,sed haud dubie longius æquo prouexit.Iam inde ab initio dehortator fuerat Lotaringici belli capessendi.eius etiam sumpti in concilio author erat deponendi. Non tenuit iram Dux Lotaringiæ potiundæ cupiditate flagrans.atrox conuitiũ homini fecit,ac alapa os pulsauit. Eam velut summam ignominiam militaris vir in imum pectus immortali memoriæ tacitus demisit.Dux aut oblitus,aut oblitum ratus,aut eam non indignitatem ab imperatore in mercenarium existimans,vti eius opera perseuerauit.Instabat tũc per oratores Rex, vt quandò Magistrum equitum in potestate haberet,eum, vt conuenerat,vel dederet, vel securi feriret. Simul ei à suis nunciabatur delectissimum Regium equitatum proximis in finibus in Campania esse. Veritus ergo ne si id denegaret Regi, ab eo prohiberetur ab Nancio recipiendo, scribit in Annoniam,vt certa circumacta die Magistrum equitum Regiis tradant: Regi in præsentia satisfaciens, & sperans interea potiturum se Nancio; ac tunc sibi liberiora consilia fore. Iam præstituta dies exierat, cum iam Magistro equitum tradito, tribus horis pòst literæ allatæ sunt, iam deditione à Nanciatibus facta,ne vir dederetur. Tam leui momẽto salus pestisq; summorum sæpe hominum pendet. Quintiniani & oppida arcésque Duci traditæ. De viro Lutetiæ sumptum publice supplicium. nec quicquam posthac prosperè Duci cessit.Causſam Lotaringici belli habuit ab Renato Duce prouocatus. Bellum Helueticum suscepit, Heluetiorum auxiliis à Sigismundo Feretano Comitatu spoliatus.Stimulabãt præterea nonnulli ex Sabaudica nobilitate proceres, in quibus Ducis Sabaudi patruus aliquot oppidis ab Heluetiis exutus. Erant & alii viri nobiles illi genti finitimi, pulsi finibus suis. Nunc Heluetii bello imminente pacem demississime petebant, crimina obiecta purgabant, nihil se nisi antè indignitate iniuriisque lacessitos necessaria in lacessentes sumpsisse arma. reciperet in armorum societatem, eundem quem ille,socium amicúmque,eundem hostem habituros.Parua mercede illi quocunque ducerentur, pro illo militaturos. Sin bellum inferens, victoriam

reportaret ex terra inope, ecquænam præmia demum virtuti ſuæ ſperaret? Pluris, inquiunt, ſunt equitum tuorum calcaria, pluris equorum frena, quàm patrium noſtrum ſolum, nósque ipſi qui incolimus. Dicta aſpernabatur. Parat exercitum validiſſimum, ac qualem confeſſione omnium ætas illa non viderat. In ſe, euentúsque expectationem, omnium animos conuerterat. Ipſe non victoriam modò de Heluetiis ſibi ſpondebat, ſed res Italicas ſibi deſtinabat. Fœdericus Princeps Tarentinus Ferdinandi Regis filius aliquanto antè ſpe filiæ Ducis ſibi deſpondendæ ad illum venerat: ſimul, quod cauſſam arcanáque ignorantibus mirum videretur, Renatus ſenex illi Duci ſuum in Regnum Neapolitanum ius dono daturum pollicitabatur: &, quòd filium Iohannem, ac ex eo nepotem Nicolaum amiſiſſet, hæredem eum ſe nuncupaturum, ac in primis breui prouincia illi ceſſurum. Hæc ipſe complexus deterreri ab Heluetico bello, regionéque conatui ſuo opportuna non poterat. ac iam Dux Mediolani ſibi ab illo timens, miſit ad Francum Regem de amicitia iungenda. Quin Alphonſus Luſitanię Rex Burgundioni propinqua cognatione fœderéque iunctus, pacis vniuerſæ, ſi audiretur, Galliæ interpres aduenerat, vt ea ex re auxilia rebus ſuis impetraret. Eius ſoror nupſerat Henrico Caſtulonenſi Regi. Ex ea procreatur Iohanna. Hanc mortuo Henrico Ferdinandus Iohannis Tarraconenſis Regis filius adulterio conceptam dictitans, Eliſabetha ſorore Henrici ducta, Regnum Caſtulonenſe vt dotale occupabat. Luſitanus ſororis puellæ cauſſæ tutandæ viribus ſuis parum fidens, primùm Regem Francum adit, Cultu Regio exceptus, Burgundionem inde aditurus: & Renatum Francus auunculum ad ſe accerſit, gnarus quanta ſpes Duci ab eo oblata vltro eſſet. Venit Renatus. in primo congreſſu Princeps amicorum Renati Coſſa Neapolitanus Franco Regi, Delatum eſt, inquit, maieſtati tuæ, hunc dominum Regémque meum ſpem hæreditatis Duci Burgundiæ inieciſſe. vera ea delatio eſt. Ego huius oſtentationis conſiliíque author fui, non vt res deduceretur ad exitum, ſed vt hæc fama ad maieſtatem tuam perueniret, vt'que maieſtati tuæ hic metus iniectus admoneret te, hunc eſſe auunculum tuum, & mitius cum eo ageres in rebus Andegauẽſis Ducatus, quem iuris illius eſſe noſti. Hoc ſi ſcelus eſt, mihi, non auunculo adſcribito. Libera Neapolitani oratione delectatus, & illum dilexit, & auunculum complexus coluit. Dux iam res gerebat. de Heluetiis Luſanam propè ſine certamine capit. Granſo eius vim minásque diutius tenuit. coacti tandem ſe arbitrio victoris dedũt. Quingenti & duodecim in præſidio Heluetiorum erant. Omnes reſte ſuſpenſi. Apparuit tũc genti quócum hoſte ſibi res foret. Tanto furore rabieq; perciti copiis coactis cum eo conflixere, vt funderẽt, fugarent, caſtris, impedimentis, tormentis exuerent. Granſonẽ recepere, ſuos laqueis ſolutis ſacræ ſepulturæ mandant. Quos Burgundionũ ibi inuenere, eiſdẽ reſtibus ſublimes tollunt, pari mortis fœditate. Dux in Burgundiam ſe recepit. Milite qui cædi ſuperfuerat, collecto, in Burgundia delectũ habet. In Flandriam oratores mittit, vt eius gentis, aꝛ qui finitimorum in fide erãt, cõuentu habito, ad rem militarem ingentem vim auri petant. Reſponſum, ſe ad reparãdum longinquum infelix minime neceſſarium bellum nequaq̃ collaturos.

Sin vt in tutum ſe recipiat, auxilio egeat, nec facultatibus ſuis, nec corporibus temperaturos quoad ipſum incolumem domum ſiſtant. Nec ea res ſpiritus Ducis fregit: nec à ſuis conſilio, nec ab hoſte armis vinci vult. In hoſticum venit. Murtiam obſidet. Renatus Dux Lotaringus ab Rege apud quem extorris erat, auxiliis ad iter, quoniam per fines hoſtis eundum erat, impetratis, ac pecunia ſubleuatus, cum Heluetiis ſe iungit, ſeq; illis cupientibus Ducem in communem hoſtem præbet. Hoc imperatore pugnatum rurſus cum Burgũdione, eruptione etiam ab obſeſſis ex oppido facta, altero & viceſimo à Granſonenſi pugna die. Eadem fortuna victus. Vinci prælio, fundi, fugari poterat: cedere animo niſi moriens non poterat. Non ſuperatus à veteranis proceribus, à veterano Cæſare, ab armata in ſe Germania, profligari ſe ab adoleſcente exuléque Duce, ab obſcura, vt fremebat, frendebátque, gente, deforme, ac omni morte triſtius exiſtimabat, longe alio animi habitu, ac populares eius, ſimul ſocii, amiciq;. Fœdericus Tarentinus à patre Rege reuocatus, commeatu ſumpto in Italiam rediit. Aliquanto pòſt ad Regem Francum profectus, Reginæ Francæ ſororem Sabaudam in matrimonio habuit. Iam ne à Sabaudis, quorum cauſſa magna ex parte Helueticum bellum ſuſcepiſſe ſe diceret, deſereretur, Ducem eorum puerum patre orbatum comprehendere conabatur. Is ab amicis id ſuſpicantibus procul ſubducitur. Matrem eius (ea ſoror Regis erat) ac minorem Ducis fratrem ſecum in Burgundiam abducit. Lotaringus dum calent adhuc Heluetiorum animi, antequam hoſtis nouas vires colligeret, eos adhortatur, vt victoria vterentur. Proinde illorum maxime opera Lotaringiam ſumma popularium voluntate recipit. Hoſtis id non ferendum ratus, reliquiis aduerſorum præliorum haudquaquam contemnendis ex fuga rurſus collectis, ac ex vtraque Burgundia excita iuuentute, Nancium iterum obſidet, tempore anni alieno, atroci hyeme, ſuis nihil boni augurantibus, etiam atque etiam diſſuadente Luſitano Rege ſub illud tempus ad illum profecto, ac re cuius cauſſa venerat, infecta dimiſſo. Non præbebat aures his qui dictitabant Lotaringum ſuppeditata à Franco Rege pecunia iuuari, ab eodem aliquot turmas in ſpeciem exauthoratas, vt hoſti, ſi opus ſit, ſe coniungant, ne ex profeſſo violata pax videretur. Id vero propalam geſtum, quòd Præfectus Campaniæ Burgundiam ingreſſus, ſororem Regis, vt non procul à Diuione cum filio negligenter cuſtodiebatur, iuſſu Regis, volentem, ac id vt fieret rogantem, ad Regem abduxit. Nihil horum deterruit Ducem. tantum aduerſus ipſam fortunam, aduerſus duplici de ſe victoria ferocem gentem pertinacis certaminis animis imbiberat. Renatus cũ Heluetiis affuit poſtridie idus Ianuarii, cum pridie Baſſus cum centũ ſexaginta egregiis equitibus defeciſſet. Haud difficilius tunc victus, q̃ duplici antè ab eadem gente prælio. Sed ibi fuſus fugatus, hic etiã occiſus. Rex primo nuncio, vt lætiſſimo, centum quinquaginta pondo argenti in abacum facti euangelii ergô dari iuſſit. Sẽper talẽ Ducis proſpexerat euentũ, parũ à fraude cauti, & nimis ſæpe caput partim quæſitis, partim fortuitis periculis obiiciẽtis. Princeps Arauſiẽſis magno in vtraq; Burgundia nomine, eas facilè Regi conciliauit amiſſo Duce, flore nobilitatis triplici pugna deſiderato, nulla propinqua ſpe ſe oſtendente,

alienior ipſe multo ante res Nanciates à Duce factus,à quo nihil æqui ſe impetrare diceret in controuerſia quæ ſibi de auito dominatu cum patruo erat: nunc Rege pollicente ſe receptis Burgundiis traditurum ea de quibus ambigebatur.Ita omnis ea regio deditionem Regi fecit.Rex alia regione in Belgas, qui incommoda belli minus ſenſerant,proficiſcitur. In fidem ſine certamine rediere Quintiniani, Deſideriani,Perona,Abbeuilla,Monſtroliū.Tuebatur Atrebates Philippus Creperecors,ei circà regioni à Duce præpoſitus, vir bello præclarus,cuius patrimonium cis Somonam amnem erat.Hiq; fines morte Ducis ſine controuerſia perſpicuoq; iure ad Regem redibant.eam ob rem in regem propenſior erat,eiusq; animū exploratū Rex habebat.A Maria defuncti Ducis filia virgine iam adulta, ad Regem venere oratores cum literis,quales ad fidem habendam dari vulgò legatis mos eſt,ſed hæ præterea nouo exemplo exaratę triplici chirographo,Virginis,Nouercæ,Rauaſtini addebatur clauſula,puellam horum quatuor vſuram conſilio,Nouercæ, Rauaſtini,Hymbercurti,Hilermi.hic præfectus iuris. Hymbercurtus vir bello egregius.Rauaſtinus propinqua cognatione virgini iunctus.Petebāt legati,vt ſubmoto exercitu res ex æquo bonoq; componerentur. In Flandriam Atrebatesq; & finitimos dominatus mulieres legibus Francorum,ac volūtate Regū ſucceſſiſſe:ſupereſſe Carolo defuncto vnicam filiam, cuius ætatem orbitatéque tutari ſanctius magnificētiuſq; ſit,quàm paternis bonis euertere. Illata prętерea mentio Mariæ Delphino deſpondendæ, repudiandęq; Anglicæ conditionis. Id magis animo quàm vultu aſpernabatur Rex.Oratores ita Mariæ cō ſultum volebant,vt vicem etiam ſuam ſoliciti eſſent.Opes patrimoniaq; pleriq; eorum in finibus qui iam ditione Regis tenebātur,habebant.Legatorum Princeps Præfectus iuris Hilermus inſtante rege Philippum Creperecordem religione ſacramēti ſoluit,quod Duci defuncto dixerat.ita Philippus velut liber iureiurando ſi quo Mariæ tenebatur,ad Regem tranſit:eaq; re non Atrebates modò,ſed & Bononia recepta. Nihil intentatum reliquū Rex faciebat. Oliuerium tonſorē ſuum obſcuro genere rure Gandauēſibus propè ſuburbano natum miſerat Gandauum, vt ſiqua facultas foret,cum Maria ſummotis arbitris ageret, vt ea paterno maternoq; genere orta è Regia Francorum nobilitate,primas origines ſuas reſpiceret,ſeq; Regis fidei tegēdam crederet, ſplendidiſſimoq; coniugio ſociandam.Gandauenſes puellam in poteſtate habebant, nec patiebātur cum virgine occulta ſeri colloquia.Illud operæpretiū fecit, quod ne ab Rege calidiſſimo miſſus, ſeditiones in vrbe variis motibus agitari aſſueta excitaret,iuſſus abire,Tornacum ſe recepit.à Tonſore Tornacenſes nihil timebant. Præfectos Regios clàm per idoneos nuncios præmonuit,vt noctu iter ingreſſi,ſub lucem ad mœnia adeſſent.ipſe cum his quos in comitatu ſuo de induſtria ſummę audacię homines circiter triginta habebat, ad primam auroram portas occupat,Regiosq; Præfectos ſub ſignis intromiſit plebe non inuita,optimatibus indigne ferentibus.Gandauenſes finitimorum populorum conuentum habent.Cōſenſu decretum, vt virgo vniuerſæ gētis conſilio regeretur.nec ipſa abnuere viſa.Ab illis oratores ad Regē miſſi prædicant ſe de pace legatos venire: ratum virgini fore, quod ipſi authore con-

 uentu

uentu gentis de Maria egissent.eam enim vno eo sanctiore vsuram consilio. Visus est rex e re sua ducere, seditionem in Flandria exoriri,aliud vulgus sentire, aliud hos quos sibi virgo consiliarios delegisset. His nouis oratoribus ostendit redditas sibi à præfecto iuris literas Mariæ contrarias eorum orationi. Reuersis domũ,remq; omnem palàm facientibus, male gestæ legationis, proditorumq; Atrebatũ caussam iussus dicere præfectus iuris, cum parum diluere crimen videretur,capite plectitur, non eo nomine,ne maxime Regem insectari dicerentur, sed sordium damnatus. Eundem propè exitum,nec dissimili ferè ratione habuit præfectus iuris apud Britannos a Duce ad Regem sub idẽ ferè tempus missus.Erat Duci fœdus cum Anglo, perpaucis non ignaris. Petrus,vt ostẽdimus,Lãdoicus,ac quidã ab epistolis,haud dubie sanciẽdi ac seruandi Anglici fœderis cõscii ac ministri erãt. Quidã pręterea Mauritius vltro citroq; frequens commeabat, tam fœlix in imitandis chirographis, signisq; effingendis,vt verã nẽ,an falsa,internosci non esset. Is singulas & Ducis & Angli centenis scutatis literas veras traiiciens,clàm venditabat Francis,idonea statione id opperientibus, ad quos quas acceperat oporteret, ad eos assimilatas deferens.Iam vicenasbinas coëmerat Rex, cum præfectus affuit,eiq; illas manum signumq; agnoscenti præbuit.Ille reuersus in Britãniam ad Ducem rem detulit,& literas admiranti tradidit. Petrus præfectum maiestatis apud Ducẽ reum agit,quòd cum Franco sentire illum diceret, ac filiorum maximũ natu in Franciam ornandũ augendumq; misisse.De internuncio Mauritio,ne apud regem res durior fieret,clàm supplicium sumptum.Præfectus aliis obiectis criminibus in custodiam datus, atroci in vulgus ac apud gentis proceres Petri inuidia. Filium Ducis Geldubẽsis è custodia,quò defunctus Dux eum coniecerat,educunt Gãdauenses,ac ad Tornacum tentandum ire tumultuario milite iubent. Is eruptione ex vrbe a regio præsidio facta occiditur. Simul ad spem exercitus in Regem comparati Atrebates deficiunt:nec paruo negocio a rege recepti,migrare maxima pars interiorem in Franciam iussi.Ex interiore item Francia illuc colonis deductis, nouo nomine vrbs Francicia dici iussa. Duobus velut oppidis inter se Atrebates incolunt, vt ædificiis, ita & sensu disiuncti:alteri alienissimi a nomine regio, alteri non auersi. Hanc villam,illã ciuitatem vocant.Iam Terouanã Morinorum ac Isdinum receperat rex. Maria Maximiliano Cæsaris filio in Flandriam profecto nubit.Alia parte res nouæ in Burgundia ortę.Principi Arausiensi auitus dominatus non redditur, in cuius spem Regem secutus fuerat.velut elusus,cum Pręfecto regio pugnauit. ad mille vtrinq; cecidere. Multi à Rege, principe authore, deficiunt. Nouus Præfectus Carolus ab Ambasia veteri succedens,quæ defecerant recepit. Bellum illud nullo memorabili prælio confectũ.Dola tamen à Francis incensa. Belna defectionis noxam quadraginta millibus aureorũ luit. Plura exin auro pollicitationibusq; quàm vi expugnata.Eo bello Francus Heluetiorum mercenariis auxiliis consensu gentis vsus, sex illorum millia perpetuo stipendio alere cœpit. Vndecim diebus antequam Dux Burgundiæ in pugna hostium ferro caderet,Galeatius Dux Mediolani in templo ab Andrea Lamponiano ciue suo occiditur,relicto filio admodum puero. Exin de rerum administra-

tione diſſenſionibus ſtudiisq; æmulationum exortis inter non paucos, Robertus Seuerinus Duci cognatione propinquus, domo exactus, in Franciam ad regem venit, ad res Italicas affectãdas eum impulſurus. Eam prouinciã abnuit Rex, prædicans quantamlibet Italiæ partem Francos armis parare, partã diutius tueri non poſſe, multorum ſeculorum documento compertũ. Bello verò quod Florentinis Sixtus Pontifex maximus Ferdinanduſq; Rex intulere, ſociã amicamq; vrbem Florentiam ope armorum non iuuit: oratorem ex intimis amicis miſit. Simul ad verecundiam terrorémve Pontificis concilium Francorum Patrum Aureliani habuit de Pragmatica Sanctione reſtituenda, tollẽdáque conſuetudine auri ob Romana Diplomata ex Franciæ exportandi. Ibi huius rei exitus nullus, tantum decretum, vt inſequenti anno Lugdunum coiretur. Interea Pontifex ius ſacrorum Florentinis reſtituit, quo eis interdixerat: pacemq; dedit. Regius orator in Franciam ſe recipiens, Mediolanum diuertit: in Regisq; verba iureiurando adegit Bonam matrem pro pupillo filio Duce fidem deuinciẽtem, ob Genuenſem dominatum eum beneficiarium Francorum regum profeſſam. Arma Hetruſca in oriente Rhodium, in Italia Hydrũtinum bellum excepit. Maumethes Turcarum Imperator Rhodum ſummis viribus è mari claſſe, à terra expoſitis militibus oppugnauit. Tres ibi menſes atroci oppugnatione hæſit. re infecta diſceſſit. Eius interea Satrapes claſſe prouectus in Italia Hydruntem expugnat, nemini parcit, armato, inermíve. Excurſiones tota Apulia Turcæ faciunt. cæde, incendiis ſæuiunt. ægrè ne longius latiũsque popularentur, ſubmouentur: ægrius in iuſtam obſidionem compulſi, ſic quoque noſtros tenebant. Mors Maumethis allata fregit animos. incolumitatem pacti, vrbem dedidere. Bizantii morte Maumethis tumultuatum, ac in partes cõtrarias itum. alii Pazaiten ſtirpis maximum patre nondum Imperatore, alii Zizimum iura dante natum, ad imperium vocabãt. Pater procul trans Taurum deceſſerat, & vterq; filiorum aberat. Interea Pazaitani aduerſariis pulſis Paſaitis filium in regia ſede locant, vice patris tantiſper functurum: qui re allata continuò aduolauit. Imperator ſalutatus, fratrem ad Pruſiam Bithyniæ cruento prælio victum inſecutus procul eiicit. pulſus, in Syriam, atq; inde per Arabiæ deſerta in Aegyptum ſe contulit, fidem Sultani implorans. Non bello, ſed legatione agebat Aegyptius: non vt vniuerſi Imperii æqua parte conſors minor à maiore reciperetur, ſed vt eodẽ patre procreatus, prouincia ſedeq; aliqua digna paterni nominis maieſtate donaretur. Ferox erat minor, ac patri ingentis ſpiritus Imperatori q̃ fratri indole ſimilior, quiq; de vniuerſo imperio fortunam ſemel expertus, ſi in partem reciperetur, mox vel parem dedignaturus, vel ſuperiorem non laturus videretur. Qui circũcolunt Satrapias Turcarũ Reges, à Maumethe magna parte regnorum ſpoliati, hoc fraterno bello læti, Zizimũ ad ſe vocant, a ſe ingentia auxilia polliciti: & ſpes iniecta aliquos fratris Satrapas ad eum defecturos. Vbi verò in Syriã rediit, ac Amanum monte ſuperauit, ac multo ſpe minora à ſociis Regibus auxilia cõuenerant, nec fratrem in æquum certamen deſcendere videt, nec ad ſe aliquã tranſitionem fieri, ſed loca circà occupari, vt ne fugæ quidem locus pateret: antequam omni parte circumuentus intercluderetur, in maritima Ciliciæ deſcendit,

ſcendit,fideq; publica â Rhodiis accepta,ad illos tranſmiſit. Soluẽs,antequam altum teneret, ſagittam epiſtola alligata in proximum littus miſit ad fratrem, ſe eius coactu,non cõtemptu gentilis religionis ad vnicam quam ſibi reliquã feciſſet opem Chriſtianos tranſire. Rhodii honorificentiſſime exceptum in Franciam tranſuexere.Pazaites ad Francũ Regem mittit oratores cum libello indice ſanctarum reliquiarum quæ Byzantii etiamnum erãt:nihil ex eis Regi Franco non gratificaturus,modò fratrem colens,alioqui contra ſe non iuuaret.Oratores in Prouinciam curſum tenuere. Ingreſſu interioris Galliæ iuſſu Regis prohibiti.Prouincia opibus Frãcorum acceſſit mortuo Renato Rege, eiusq; fratre,ac fratris filio, Andegauenſiumq; Ducum gentili ſtemmate deficiente. Simul Cenomani Andesq; ſolido iure ad Regem rediere,ſed Prouincia ſuprema Renati ſenis volũtate,multa iuuenis Renati expoſtulatione.Alia regione in Morinis cum Regio milite Maximilianus conflixit. Francorum Sagittariorum cædem edidit. Locum vbi collata ſigna,vt victor tenuit. Eam rem Cominius author eſt curã Regi inieciſſe vt cupidior pacis eſſet, ac alienior à fortuna periclitãda. Occaſio deponendorũ armorum vltro ſe obtulit. Maria deceſſit.Supererant ex Maximiliano parui admodum liberi,Philippus, & Margarita.Amiſſa vxore Maximilianus parũ ea in regione opibus authoritatêque valebat. Gandauenſes in poteſtate pupillos habebant. Per illos Anglica affinitate repudiata,effectum vt trimula Margarita in Franciam ducereretur,Delphinoq; deſponderetur,doti adſcriptis Atrebatibus,& comitatu Burgundiæ.Ita & pax facta,& Atrebates ex Francia interiore,quò relegati fuerãt, domum rediere,ac vrbi priſtinum nomẽ reſtitutum.Rex ſe iam deficere ſentiebat multiplici morbo tentatus,eoq; in dies ingraueſcente.Sexageſimum ætatis annũ vt fatalem ſibi ſemper horruerat,quẽ Francorum Regum viuendo iam inde ab Vgone Capeto generis ſui authore nemo tranſcenderat. Ipſe id temporis ſpatiũ quindecim diebus exceſſit,paulo antè Eduardo Anglo Rege defuncto. Ante obitum filiũ inunctum, Regemq; ſalutatum videre optabat. Remenſe Simpulum afferri iuſſit. animam agebat cum id perlatum eſt,anno eius ſeculi octogeſimotertio.deceſſit in ſuburbanis Turonũ hortis. CAROLVS OCTAVVS Ludouici vndecimi filius tertiumdecimum annũ agens patri ſucceſſit. Ambaſiæ educatus fuerat.præter domeſticos miniſtros à patre Rege attributos,nemini eius adeundi viſendíve copia fuerat. Latine ſcire pater eum vetuerat,præter illud vnũ, Qui neſcit ſimulare,neſcit regnare. Initio Regni frequentiſſimus libérque Turonibus conuentus habitus,cum ſuperior Rex ita habuiſſet,vt quos ſibi videretur nominatim corrogaret,& hi nihil pro ſententia dicere auderent,niſi quod ille velle præ ſe tuliſſet,& nihil niſi vehementer ac impotenter vellet. Huc vndiq; concurſum, & voces ſolutæ metu fuere,ac plenæ expoſtulationum.Nobilitas,Plebs,Sacerdotium,ſuas quiſq; miſerias ordo deplorabant,& quæ ſuperiore Rege contra inſtituta maiorum iuncta onera fuiſſent. Iactatæ ſunt querelæ etiam horum temporum,nimis,vt ſcripto tẽperetur,notæ.oſtẽtata potius q̃ data,nec niſi breui mãſura remedia. Pragmaticæ dulcedo animos ſubibat.ea plena popularitatis,ac ſua ſponte renata. In cõuentu decretum,vt Anna ſoror Regis ſtirpis maxima curam cor-

LV. CAROLVS OCTAVVS.

poris gereret. Sanctius concilium ex duodecim delectis constaret proceribus, de quorum sententia omnia, sed Regis nomine præscriptioneq; , gererentur. Iohannes Dux Borbonii Magister equitum dictus. Cæterum paulatim omnis procuratio Regni in Annam versa, apud quam & Rex frater erat. Insequenti anno Rex sacratus. Henricus Anglus ex Britannia, vbi exulabat, furtim elapsus, ad Regem venit. Classe Francica in Valliam Angliæ transmisit: concursuq; ad se facto, Ricardum tertium Eduardi Regis fratrẽ sub signis occurrentem prælio vicit, interemitq;, ac eo Regno potitur. Ludouicus Dux Aurelianensis, quòd ex Regia agnatione nullus gradu propior Regi foret, suasoribus his qui apud eum multum poterant, magnámque sibi eo Regni procuratore spem proponebant, inuidiam Annæ velut muliebri dominatu conflare conabantur: sed illa eò leuior, quòd Aurelianensis nondum vicesimumquartũ ingressus annum erat, resq; eius procuratione matris etiamnum agerentur, nec curam Regni credendã, cuius rebus curatore opus foret. Eadem igitur ratione minor annis hoc Rege repulsam tulit, qua auus eius Carolo Sexto Rege mente minuta tulit. Id illis non probabatur. Aurelianenses vero ciues eũ Ducem suum eo consilio aduenientem, vt eam vrbem sedem belli arcemq; caperet, mœnibus excluſere. Ad Baugentiacum eius factionis copiæ constitere, spe vndique concursum ad se fore eorum quos præsentis rerum status pœniteret. Nihil vsquã motum, nomine solo Regis illæ copiæ dilapsæ. Is tumultus, insana militia appellatur. In Britãnia par cõtentio tenuit, sed dissimili euẽtu, Rege Ludouico glisscens primũ occultius, deinde eius morte dempto externo metu rebus domesticis salutari, in apertum erumpẽs. In custodia obiit Præfectus Britãnici iuris Cauinus. Iam apud Ducem omnia poterat Petrus. Ei mors clarissimi viri crimini dabatur. Principes gentis cõsentientibus animis in eius perniciem incubuere. Vbi opportunũ visum, cum eum aut apud Ducẽ in arce, aut in villa altero à Nanetibus lapide esse suspicarentur, partem suorũ ad circunsidendam expugnandamq; villam mittunt, cum reliquis arcem ingressi, ne viro fuga pateret, porta occupata, foribus obiectis, cæteris latebris excussis, in Ducis cõclaue, si forte illò, vt loci maiestate se tutaretur, recepisset, irrumpũt. Aberat in villa, ac antequã ea septumq; armatis circunfunderetur, per auersam portam salutem sibi peperit. In vrbe vero cum initio statim tumultus è muro quidã ex Ducis ministris per funem demissus, rem per se indignam, atrocioré verbis feciſſet, arcem vi expugnatam, in Ducem impetum factum, eius salutẽ, nisi occurratur, deploratam: Ciues ignari vnum Petri caput ac nihil præterea quæri, ad arma cõclamant, excidiũ proceribus minitantes. nec eorum quisquã ẽ muro habere orationem ad multitudinẽ furentem audebat, dispositis contrà sagittis scorpionibusq;, à nemine, vbi primum se ostenderet, præterquam à Duce, temperaturis. Is in potestate Procerum cum esset, se suis cõspiciendum præbuit. Continuo procumbentes eum adorarunt, incolumem inter se gratulati. Væcordia consternatioq; resedit. Procerum audacia vita cõdonata, exilio multatur. In Franci Regis fines se recepere. Petrus apud Ducem quo prius gratiæ loco mansit. Edictum, vt cõiuratorum procerum arces ædificiaq; solo æquarentur. Ad id copiæ Ducis nomine coactæ. Proceres & ipsi factionis suæ

viros exilio regreſſi cogunt. Vbi duo hi exercitus mutuo in conſpectu fuere, memoria communis patriæ charitasq; animos flexit. arma poſita. ſalutatio facta. dextræ iunctæ. in complexum itum. odium omne in vnum Petrum verſum. eum in arce eſſe exploratum habebant. conſenſu in arcem pergunt, vel è complexu Ducis abſtracturi. Simul multitudinis, ſimul nobilitatis coactu, nouus apud eos Præfectus iuris verba apud Ducem facit, non poſſe tumultū ſedari niſi Petro tradito. De eo nihil niſi legibus, niſi dicta cauſſa, niſi cognita ſtatutum iri. Deditus in carcerem coniicitur. iudicii ſpecie quæſtio habita. Multa atrociáque obiecta. condemnatus, ſuſpenſusq; priuſquam cauſſam dictam ſciret Dux, qui eum, etiam vt iudicio legibúsque condemnandus foret, venia impartitum, ac vita condonatum volebat. Id ne fieret, ſupplicium approperatum. Hic priore maior indignioréque iniuria dolor multo ac multo magis inuiſos proceres Duci effecit. Iuris Præfecto ſucceſſorē dedit. Venientem ad ſe Aurelianenſem cum frequenti factionis ſuæ comitatu libens comiterq; excepit. Quo metu perculſi Britanni proceres, in Frāciam rurſus ad Regem profugere. Vulgo ferebant Aurelianenſem in animo habere, Iohannam Regis ſororem, vt inuito ſibi ab Rege Ludouico matrimonii verbis coniunctam, dimittere, ac ſpe Annæ maioris Ducis Britanni filiæ in opes patri ſucceſſuræ ducendæ, illò profectum. quæ eadem ſpes Alebretenſem in partes traxit, à patre virginis, Proceribúsque omnibus, qui reliqui apud Ducem erant, præterquam ab Aurelianenſi, chirographo ea de re accepto. Profugi vero ex Britannia id vnum ſtudebāt, vt dempto metu redire tutò in patriam, ac in ea permanere liceret. Fœdere igitur inter illos ac Regem inito, Britannicū bellum ſuſceptum, eisq; exercitus Regii ſigniferis in Britanniam perrectum, dedentibus ſe iis arcibus, quæ profugorum fidem ſequebantur. Ad Pleremelum conſtitere. Id oppidum obſeſſum, comminanda atroci oppugnatione, metu excidii deditionem fecit. Direptum tamen: & qui ditiores erant, comprehenſi, nec dimiſſi niſi redemptione. Proficiſcebantur maxima pars ex inferiore Britannia ſexcenti equites, ac ſedecim millia peditum ad famam obſeſſi Pleremeli, vt periculo eximerent: cum eorum quidam, Ecquonam, inquit, « proficiſcimur commilitones? Dux noſter circumagitur conſilio Francorum. « Quid igitur Frācorum arbitrio in Francos trahimur? Nónne ſatius nos domi « cum coniugibus ac liberis quietem agere, quàm aliena libidine circumagi? « Ad hæc verba illæ copiæ dilapſæ. Pleremelo capto, in Venetos itum: & hi nullam vim experti, ſe dedidere. Nanetes ſex & quadraginta dies obſeſſi. re infecta diſceſſum. Dola capta, & direpta. Vagantibus paſſim Regiis, agri fœdati, cædes factæ, pecora abacta. Tunc Britanni exules miſerari cœperunt fortunā patriæ. eo ſe conſilio tunc dictitabant ad Regem tranſiſſe, vt tutus in patriam Britannorum exulibus reditus eſſet. Simul qui Francorum extorres in Britannia forent, reuerti ad ſuos cogerentur. Nunc, id quod compertum habere ſe dicerent, hos profiteri, ſi fides detur, fraudi non futurum quòd diſceſſerint ad Regem, quamprimum redituros. Sibi vero patriam vltro ac priſtinas fortunas à Duce conſenſu gentis per internuncios deprecatoresq; offerri. Quæ igitur belli cauſſa? Hæc illi in commune. Cæteri partim minus, partim cun-

ctantius mouebantur. Anchenix oppidum nobile ac peropportunum Regio bello erat. Eius dominus damnata reliquorum mora illud præſidio ſuorum firmauit, eosq; in Ducis verba iureiurando adegit: ac antequam fama mutatæ voluntatis emanaret, Caſtellum Briennum, quod Britanniæ contributum in fide Regis erat, ingenti comitatu profectus, ac velut ſocius amicúsque receptus, exactis qui redire in fidem Ducis veteris domini nollent, ſuo milite inſedit. Veneti quoque recepti. Nec ceſſant Regii. Anchenicen expugnant, Briennum recipiunt, Feliceras obſident. Duci Britanno metus redintegratur. De Procerum ſententia orator ad Regem ire iubetur Comes Dunenſis. Is in itinere commoda pacis ciuilisq; concordiæ enumerans, velut concionabundus omnium aures animosq; in ſe vertés incedebat. In Andibus apud Regem annum iam duodeuiceſimum agentem cauſſam Britanni, procerúmque qui ex Francia ſe ad eum contulerant, egit, Nihil ſecus eſſe neque à Duce neque à Proceribus cur bello premendi forent commiſſum: Britannum Ducem ætate ingraueſcente, morbis inualidum, mortua nuper vxore, nulla virili ſobole ſuperſtite, cum qui natus ſit, nõ perennarit, Anna filia vixdum exacto duodecimo anno, altera etiam minore, cæteris aulæ ſubſidiis amiſſis, peccato alieno, Petri inuidia ſe immeritò conflagraſſe, atque ea re à gentis proceribus, ne quid grauius dicat, deſtitutum, in luctu mœroreq; tabeſcere miſerum cœpiſſe. Qui vero Francorum proceres cognatione eum contingant, neceſſario pietatis officio ſe ad illum contuliſſe, vt conſolando illum dolore leuarent. Aurelianenſi, Arauſienſi, (& hic apud Ducem erat) nihil ei ſecundũ liberos coniunctius: alterum auunculi, alterum ſororis filium, hos, cæterosq; neceſſarios etiamnum apud illum eſſe: accuſandũmne quòd aduerſis ſuis temporibus aduenientes non excluſerit, an illis pietatem crimini dandam? At eſſe præterea apud Ducem alios ex Francorum nobilitate, quos inſimulari quòd arma cõtrà cœperint. quæ tandem arma? Ad Pleremelum cum copiis proficiſcentes vbi fama eſt allata eis cum Francis pugnandum, memores patriæ maieſtatis vltro ceſſiſſe, pugnare noluiſſe: expugnari vrbes diripiq;, obſidionem pati maluiſſe, quàm cum Regiis ſigna conferre: ac quia rumor increbruerat cordi eſſe Regi, vt exulibus Britannis facultas domum redeundi daretur, reuocatos eos, & in veterem gratiam fortunasq; paternas reſtitutos. Quæ igitur noxa? Quæ cauſſa Britannici belli? Nulla profecto: contrà multas miſerationis. Se ſupplici- ter petere Britanno Duci pacem. Hæc ſibi mandata: quæ deferenda nõ ſuſcepturum ſe fuiſſe, niſi exploratiſſimum haberet illum eſſe nominis Regii obſeruãtiſſimum. Ex Proceribus qui ex Francia apud eum ſint, ſcire ſe neminem eſſe qui non iam Rege ætate rebus gerendis matura, depoſita contentione aulicæ æmulationis, pro Regio nomine, quomodocunque ducatur, arma laturus ſit. Hæc Comes. Rex mouebatur. De compoſitione agi cœptum. Ea res inopinato prælio interpellata. etenim indies acrius Filiceræ obſidione premebantur. Proceres ne cunctatione ſua hæ amitterentur, copias ex populari- bus cogunt, octingentis præterea Heluètiis ſubnixi, ac trecentis omnino Anglis. Sed ad iniiciendum Francis terrorem, mille ſeptingentos ſuorũ his conglobarant, vt eiſdem inſignibus rubráque cruce Angli omnes crederentur.

Pedites duodecim millium, Equites cataphracti quadringentorum numerum explebant. tormenta etiam egregia conuehebantur. Alebretenſis, Aurelianenſisq; inter ſe diſcordes agebant. In itinere allatum eſt Filicerás deditionem feciſſe, pactos vt ſine fraude præſidium dimitteretur, ac quod quiſq; rerum ſuarum poſſet, ageret, ferretq;. Placuit vt ad Fanum Albini, quod paruo Francorum præſidio tenebatur, iretur. Id recipi facilè poſſe. Interea quod præſidium ê Filiceris dimiſſum ab hoſte eſſet, ad ſe venturum, ac ita copias auctum iri. Regii contrà ad Fanum Albini feſtinabant, vt ipſi præuenirent. Neutri illud oppidum tenuere. In itinere obuii inter ſe fuere. Britãnorum militum vulgus parum Francorum profugis fidebant. Verebantur ne qui Francorum apud illos erant, res Francis proderent. Nec antè liberati ſuſpicione, quàm Aurelianenſis Arauſienſisq; relictis equis inter pedites pugnandi munus ſumpſerunt. Longe aliis viribus, aliis animis animorumq; conſenſione Franci pugnam iniere: nec ea diuturna. Vix dimidia pars exercitus Britanni ſuperfuit, & ab Regiis mille ducenti cecidere. Inſignem maxime victoriam fecere Aurelianenſis Arauſienſisq; capti. Alebretenſis re deplorata ſalutem fuga ſibi peperit. Is fuit annus eius ſeculi duodenonageſimus. Cõtinuò victor exercitus Redones ductus, ſi forte recenti terrore ad deditionẽ inclinarent animi. Reſponſum, nihil ſe niſi iuſſu Ducis acturos. Supplici Duci pax data his conditionibus, vt quas arces, quos fines Regii cepiſſent, iidem retinerent. Idem annus finis fuit vitæ Britanni Ducis, & nouarum rurſus rerum initium.

FINIS.

Daniel Zauariſius Veronenſis Lectori.

PAVLVS Aemilius propinquus meus cõmentarios rerum à Gallis geſtarum nouem etiam tum viuens compoſuit. Decimum hũc adortus, è vita cum maximo poſteritatis vniuerſæ malo decedere eſt coactus, opúsque imperfectum relinquere. Nos igitur, ne Gallorũ gloriæ ſua monumẽta inuidiſſe videremur, nêve quam operam in ſuperioribus libris edendis præſtitimus, eam operam huic poſtremo negaremus, particulas eius, membrâque diſperſa, pagellásque multis adhuc lituris obductas in vnum coegimus, ſyluæ'que illi cõfuſæ certum ordinem adhibuimus, atque in vulgus edendum curauimus. Manus hic, fateor, ipſius authoris deſiderabitur: apparebit tamen ex eadem officina prolatum.

ERRATA SIC REPONE.

Fol. 2. verſu. 38. repone, Treuiris. & ibi. 78. Conſentiam. 28. 43. conſilio. 36. 89. adijce MAGNVS, & ita in reliquis paginis vſque ad fol. 53. 38. 21. ſpem, Francorũ metu ſublato, non. 40. 45. demiſſiſſimis. 57. 30. maturæ. 77. 54. Tatinus. 92. 58 & 73. ſtoreas. 95. 18. erat. & 46. Antaradus. & 85. Monſmorentianus. 205. & 206. 89. LI. CARO. SEXTVS. 221. 4. nominibus vrbium, dimiſit. 223. 89. LII. CAROLVS SEXTVS. 224. 45. SEPTIMVS. 228. 52. Amadeum. 231. 45. cõſcripſerunt Florentini. Si qua occurrent alia, pro ſuo quiſque candore reſtituat.

DE REGIBVS FRANcorum Chronicon, ad hæc VSQVE TEMPORA STVdioſiſſimê deductum.

PARISIIS,
Apud Michaëlem Vaſcoſanum, ſub Fonte, in via Iacobea.
M. D. XXXIX.

Cum priuilegio.



RANCORVM gens è Germanica nobilitate in Galliam veniens,regnum condidit:quæ tãta fuit animi magnitudine & virtute,vt nullus vſquã populus fuerit,quem ferociter bello nõ appetierit, aut laceſſita,magna cum laude nõ repulerit.Gallias enim debellauit,cum quibus non pro Imperio & gloria, ſed pro ſalute atque vita omnes ferè orbis nationes armis contenderunt. Ea prima toti pariter Germaniæ imperauit:quam neque Romani, neq; alii quantumuis potentes,non modò domare,ſed nec vincere potuerunt. Nullum porrò in Europa florens ac nobile regnũ eſt,vel principatus,qui non vt olim â Troianis originem ducere nobiliſſimus quiſque gloriabatur, ita â Francis ſanguinem trahere ſe iactet, & Liliorum inſignia circumferat. Reges quos Beroſus ordine cõ memorat, ſciens prætermitto, nolens quicquam literis mandare quod non incorruptis rerum geſtarum monumẽtis ſit traditum. In primis enim operam dedi,& id maximè ſtudui,vt quæ adhuc immenſis voluminibus & veteribus fabulis diſperſa iactabantur, ea paucis & certo ordine comprehenſa, veriſſimáque, quantum fieri potuit,in lucem emitterem. Franci igitur,quibus Duces antea, aut,ſi mauis, Reguli imperitabant, Pharamundum primum Regem potentiſſimum habuerunt.

De Regibus Francorum Chronicon.

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi.
420	i	FARAMVNDVS I REX ANN. XI.	4381
421	ij		4382
422	iij	Lex Salica hoc tempore condita fuit.	4383
423	iiij		4384
424	v		4385
425	vi		4386
426	vij		4387
427	viij		4388
428	ix		4389
429	x		4390
430	xi		4391
431	i	CLODIO COMATVS II REX ANN. XVIII. Alij Capillatum, alij Crinitum verbo idem significante nominant.	4392
432	ij		4393
433	iij		4394
434	iiij		4395
435	v		4396
436	vi		4397
437	vij		4398
438	viij		4399
439	ix		4400
440	x	Germanus Altissiodorensis Episcopus.	4401
441	xi		4402
442	xij		4403
443	xiij		4404
444	xiiij		4405
445	xv		4406
446	xvi		4407
447	xvij		4408
448	xviij		4409
449	i	MEROVEVS III REX ANN. X.	4410
450	ij		4411
451	iij	Attila Hunnorum rex cum quingentis hominum millibus Germaniam permeans, non paucas diruit vrbes: cum multam etiam Galliæ partem peragrasset, tandem Aurelianum obsidet.	4412
452	iiij	Annianus Aurelianensis episcopus. Lupus Tricassium episcopus.	4413
453	v	Nicasius Remorum Archiepiscopus martyr. Quæ de Vrsula & vndecim millibus virginum martyrum leguntur, his temporibus gesta sunt. Cum Attila pedem referente manus conserit in Catalaunis Aetius Imperatoris præfectus in Gallijs, cui Meroueus Francorum rex, & eius filius Childericus, Theodoricus Visigothorum rex, & eius filius Thorismũdus suppetias ferunt. In eo prælio ex vtraq; parte interiere ad. 180. millia hominum fortissimorũ. illic Theodoricus occubuit.	4414
454	vi	Attila victus Aetij incuria euasit, & in Pannonias profugit. Thorismundus patri Visigothorum regi successit.	4415
455	vij		4416
456	viij		4417
457	ix	D. Genouefa virgo Parisiensis.	4418
458	x		4419
459	i	CHILDERICVS IIII REX ANN. XXVI.	4420
460	ij		4421
461	iij	Childericus rex libidinosus, & omnis generis luxui addictus, quum tributis populum aliquandiu vexasset, quò fastum & pellices maximè foueret, tandem ob insolentiã expellitur, precium stultitiæ ferens. Aegidius Romanus Suessionum præfectus successit in eius locum per annos viij.	4422
462	iiij		4423

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
463	v		4424
464	vi		4425
465	vij		4426
466	viij		4427
467	ix		4428
468	x		4429
469	xi	Rex Vidomari opera amici fidiſſimi in regnum reuocatur, cui obuiam proficiſcitur ad Ambaros vſque, cum ampliſſimo Francorum nobilium comitatu. Biſſina Biſſini regis Turingiæ vxor, marito relicto, Childericum eſt ſequuta.	4430
470	xij		4431
471	xij		4432
472	xiiij		4433
473	xv		4434
474	xvi		4435
475	xvij	Colonia à rege expugnata, & exercitus Aegidij cæſus.	4436
476	xviij		4437
477	xix		4438
478	xx	Britanni ex inſula Albione olim, nunc Anglia vocata, profecti, & nouas ſedes quærentes, conantur Pictones, Andes, Cœnomanos, & Engoliſmenſes armis expellere ſuis ſedibus, & vſque in Aquitaniam, quam tum Viſigothi occupabant, penetrauere.	4439
479	xxi		4440
480	xxij		4441
481	xxiij	Aegidius moritur, cuius filius Syagrius cum in patris locum apud Sueſſiones ſucceſſiſſet, Franciæ regnum affectat.	4442
482	xxiiij		4443
483	xxv		4444
484	xxvi	Annos regnauit xxx. Paulus Aemilius.	4445
485	i	CLODOVEVS V REX ANN. XXX. Clodoueus apud Sueſſiones vxorem ducit Chriſtianam Clotildem Burgundionẽ.	4446
486	ij		4447
487	iij		4448
488	iij		4449
489	v	Syagrius à Sueſſionibus expulſus, Toloſam confugit ad Alaricum Viſigothorum regem, à quo proditus, & Clodoueo redditus, ſecuri percutitur. Sic defiere expulſi & cæſi in Gallia imperium habere Romani.	4450
490	vi		4451
491	vij		4452
492	viij		4453
493	ix		4454
494	x		4455
495	xi	Clodoueus Turingiam ſubiugat.	4456
496	xij	à Rheno ad Sequanam regnum dilatat,	4457
497	xiij	ad Ligerim vſque fines ſuos extendit.	4458
498	xiiij	Meleduni arcem expugnat.	4459
499	xv	Diu multúmque laborauerat Clotildis regina vt maritum regem ad Chriſti fidem conuerteret, quod præſtare nunquam potuit: aliquando autem deo ita volente contigit, vt in bello ad Tolbiacum in Vbijs, quod gerebat aduerſus Alemanos, periculi magnitudine, idolorúmque diffidentia, repente vouerit ſe Chriſtianum fore: quo facto, eorúmque rege cæſo, confeſtim victor euadit, omnémque Alemaniam reddit tributariam. Ei ex prælio redeunti, vt gratificaretur, obuiam proceſſit Clotildis vſque Remos, vbi à Remigio pontifice ſacrum baptiſma Chriſtíque fidem ſuſcipit.	4460
500	xvi	Lantieldis regis ſoror ab Arriana hæreſi conuertitur, partim in gratiam Theodorici Italorum regis, qui, dum Clodoueus in eccleſiaſtico erat concilio quod Aureliani habuit, legatos ad eum miſerat: partim ob nuper ſuſceptam religionem, Alemanos à grauiſſimis quæ victor impoſuerat tributis, durisq; legibus ſubleuat. Hanc ſynodum Aurelianenſem alij ſcribunt fuiſſe an. 512.	4461
501	xvij	Initium belli aduerſus Alaricum Viſigothorum regem. Ex quo acerrimæ inter vtroſque principes & populum exarſerunt inimicitiæ.	4962

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		Gundebaldus Burgundiæ rex, & Clotildis patruus instigante Theodorico res inter Alaricum & Clodoueum cum componere conatus fuisset, tanquam alteri plus fauisset, ipsum iunioris fratris Odesilli impulsu dimidio regni Clodoueus spoliat, eiq; concedit. Odesillus mox à fratre proditore circunuentus, & Viennæ oppressus occiditur. Caussa igitur speciosiori Clodoueus cum magna militum manu Gundebaldum persecutus, regno & patria cedere cogit.	
502	xviij		4463
503	xix		4464
504	xx		4465
505	xxi		4466
506	xxij		4467
507	xxiij		4468
508	xxiiij		4469
509	xxv	In Pictonibus ad campos Vogladenses Alaricus rex & Visigothi cæduntur. Mœnia Engolismæ ruinosa, in conspectu Clodouei vrbem aggressuri ruunt, quod pro miraculo creditur. Illinc Burdegalam vsque hostes insecutus est. Theodoricus regis Clodouei nothus, in Aquitaniam præmissus, Albios, Ruthenos, Aruernos, Tolosates, Vasconiamq; subiugat. Aruerni postremi sese regi dedunt, cæso Apollinari eorum duce Sidonij episcopi consanguineo. Almaricus Alarici filius in Hispaniam fugiens, patri successit. Rex intellecta Gundebaldi morte, Sigismundo eius filio eam regni Burgundiæ partem, quæ est vltra Ararim, reddit, vt vlceratum Theodorici animum ob Alarici generi sui cædem, mitigaret. Reliquam verò regni partem, quæ est cis Ararim, sibi seruat. Omnes tum ferè Gallias & vniuersam Alemaniam rex tenebat sub ditione.	4470
510	xxvi	Cannacarium Cameracensium & Atrebatium Regulum, quòd se verum regni hęredem diceret, eius quoque fratres & totam familiam sustulit Clodoueus. Adulterinam pecuniam domesticis proditoribus, quorum erat vsus opera, persoluit. Clodoueus ab Anastasio imperatore dona recepit Patriciatus & Consulatus titulum, & insignia. Coronam insuper auream multis vnionibus distinctam, quam postea Romam D. Petro offerendam remittit.	4471
511	xxvij	Theodoricus cum lxxx. hominum millibus Ilbam comitem in auxilium Almarico regis Alarici filio mittit, vt in patris vindictam persequatur Francos, qui Aquitaniæ relicti erant præsidio. Francorum ad viginti millia, aut etiam amplius cæduntur. Sigibertus Coloniæ præfectus à flagitioso filio trucidatus, quò maturius patri succederet. in eum seueriſſimè rex animaduertit, parricidiúmque sanctissimè vltus est. De Chararico eiúsque filio ~~monachatum profiteri coactis, supplicium, quòd de rege maledicerent, sumptum est.~~	4472
512	xxviij		4473
513	xxix		4474
514	xxx	Clodoueus Lutetiæ sepultus in æde quam apostolis Petro & Paulo erexerat, hodie templum D. Genoueſes appellatur.	4475
515	i	CHILDEBERTVS VI REX ANN. XLV. Diuisit cum fratribus, cui Parisiorum, Clotario Suessionum, Clodamiro Aurelianensium, Theodorico Notho Mediomatricum regna obuenere. Pacem cum Almarico confestim ineunt, data in vxorem Clotilde sorore, & Tolosatibus redditis. Tichildis altera eorum soror sacerdos vixit. Sigismundus Burgundiæ rex filium necat Sugerium in gratiam nouercæ.	4476
516	ij	Clochilaicus Danorum rex à Francis quos classica incursione inuaserat, profligatus. Theodobertus Theodorici filius victor	4477
517	iij	ad patrem redit.	4478
518	iiij	Hermenfredus Turingus Bertarium fratrem necat, nec quieuit antequam Baderico alteri fratri idem feciſſet, accito ad scelus & prædam Theodorico.	4479
519	v		4480
520	vi	Clodamirus Aurelianensis Sigismundum Burgundionem cum postrema vxore & eorum liberis bello capit, quos Aureliani necat. Gundemarus frater elapsus Burgundiæ regnum occupat.	4481
521	vij	Clodamirus successor Burgundionis victoria elatus illuc redit, Gundemarum persecuturus: à quo fugam simulante circunseptus est, & in ipso conflictu cæsus.	4482
			4483
522	viij		4484
523	ix		4485
524	x	Theodoricus nõ accepta ab Hermenfredo parte prędæ, quã promiserat, adiuuãte Clotario illum aggreditur, vincit & cædit, Turingiamq; subiugat. Clotarius in ma-	

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		trimonium accepit captiuam Radegundem defuncti Bertarij filiam.	
525	xi	Childebertus bello occidit Almaricum Hiſpaniæ regem, quòd Arriana hæreſi, à qua abhorrebat Clotildis vxor Franci ſoror, eam durè tractaret: quę dum à fratre reducitur, in itinere obit. Pariſiis iuxta patrem ſepelitur.	4486
526	xij	Clotarius in odiũ mortis Clodamiri fratris Auguſtodunũ obſidet, captiuamq; Burgundionum abducit reginã. Gundemarus eius marius rebus omnibus exutus, in Hiſpaniam fugit, illincq; vt tutior eſſet, in Africam trajicit. Childebertus & Clotarius Burgundiam inter ſe partiuntur, nulla Clodamiri filiorum habita ratione.	4487
527	xij		4488
528	xiiij		4489
529	xv		4490
530	xvi	Franci à rege puero Athalarico vniuerſæ Galliæ dominiũ auferunt, quod eius auus Theodoricus Italiæ rex tenuerat. Amalaſiunta mater & tutrix Theodoberto Mediomatricum regi prouinciam tradet.	4491
531	xvij	Clotarius adoleſcentulorũ fratris filiorũ Theobaldi & Guntari manibus proprijs cæde patrata, extemplo Pariſiorũ Lutetiã exit. D. Clodoaldus minimus natu, qui eua ſerat, monachatũ profeſſus eſt. Clotildis auia, quæ illos apud ſe educauerat, rei indignitate percita, Turones ſe contulit. Quo facto, penes Childebertum & Clotarium ſumma rerum fuit, cœperuntq; ſimul in Francia regnare.	4492
532	xviij		4493
533	xix		4494
534	xx		4495
535	xxi		4496
536	xxij	Iuetoti paruuli regni in Rotomagenſi agro inſtitutio & creatio hæredibus Valteri Iuetoti à rege ante aras necati.	4497
537	xxiij	Theodobertus Mediomatricum rex potentiſſimus.	4498
538	xxiiij		4499
539	xxv		4500
540	xxvi	Regum inter ſe oriuntur ſuſpiciones. Childebert⁹ cum fratris Theodoberti filio aduerſus Clotariũ, Clotilde matre repugnante reclamanteq;, armatur: ſed ſubita in ipſo conflictus initio oborta tempeſtas quadam numinis voluntate acies dirimit in agri Aurelianenſis vico, cui nomen eſt Combrium: quæ res animos inter ſe diſcordes in concordiam traxit.	4501
541	xxvij	Theodobertus partim ſuis, partim ducũ auſpicijs in Italiam varia ſæpe fortuna ingreſſus eſt. ab alijs ampliſſima retulit ſpolia, alijs verò tributa impoſuit. Childebert⁹ eiusq; frater Clotari⁹ Cæſarauguſtã deficere ab hæreſi Arriana cogũt,	4502
542	xxviij	plurimasq; in Hiſpania vrbes expugnant.	4503
543	xxix		4504
544	xxx		4505
545	xxxi		4506
546	xxxij		4507
547	xxxiij		4508
548	xxxiiij		4509
549	xxxv		4510
550	xxxvi	Theobaldus Mediomatricum poſt Theodobertum rex.	4511
551	xxxvij		4512
552	xxxviij		4513
553	xxxix		4514
554	xl	Clotildis regina in Turonibus obit, cuius cadauer Lutetiam tranſlatum.	4515
555	xli		4516
556	xlij	Qui remãſerant Franci in Italia, cædũtur. Theobaldus ſine liberis morit, regnũq; relinquit Clotario alteri patruorũ. Clotarius cui magnũ erat aduerſus Saxones & Turingos negotiũ, ſumma immanitate omnia ferro & igni vaſtabat, aliquando tamen vitæ periculum adijt.	4517
557	xliij	D. Radegundis apud Pictones deo quàm marito gratior & acceptior.	4518
558	xliiij		4519
559	xlv	Childebertus nullis relictis liberis morit, ſepelitq; in D. Germani æde, quæ eſt ad muros vrbis, ab eo erecta & dicata D. Vincẽtio cum ex Hiſpania rediret.	4520
560	i	CLOTARIVS SOLVS VII REX ANN. V. Tertiam reditũ eccleſiæ partẽ ſibi exhiberi iuſſit, cui Turonũ archiepiſcopus liberè & fortiter interceſſit, vaticinatus regno ſpoliatũ iri regem, ſi pauperũ bona attenuaret atq; eriperet.	4521

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
561	ij		4522
562	iij		4523
563	iiij	Granum filiũ bello ſubactũ,cũ vxore liberis & vniuerſa familia rex exurendum curat.is enim patri nõ audiens,ac rebellis,multa Galliæ damna intulerat,primũ à Chil deberto patruo inſiãmatus, cauſſam eius deinde defendẽte ſocero Aquitaniæ duce. Poſtremũ Conabus Britãnus eum excepit,ac tutatus eſt.Socerum illum rex ferè perdiderat,Britannum autem paulo ante filij necem interemerat.	4524
564	v	Rex Compendij obit. in æde D.Medardi Sueſſionenſis ſepultus, quam paulo ante mortem ædificare cœperat.	4525
565	i	CHEREBERTVS VIII. REX ANN. IX. Ei,diuiſa inter fratres hæreditate paterna,Pariſii ſorte obuenere. Chilperico Sueſſionum regnum:qui cum patris theſauros intercepiſſet,magna vi pecuniæ Pariſios ad ſeſe pertrahere ſperabat. Guntranno Aurelianenſium, Sigiberto,Mediomatricum. Nonnulli ferunt Cherebertum paucos annos vixiſſe,qui muliere quauis corruptior, totus in ſcortationibus & luxu vitam agebat.	4526
566	ij		4527
567	iij	Sigibertus Vnnos profligat,qui per Turingiam ſignis infeſtis contra ſe venerant. Adeo parũ inter reges Chilpericũ & Sigibertũ cõueniebat,vt vterq; leuicula occaſione captata frequẽter alterius fines inuaſerit: nõnunquã fœdus inter ſe feriebãt:ſed id ſimulatũ erat,quo vterq; incautũ alterũ opprimeret. Gũtrãnus paci ſemp ſtudebat.	4528
568	iiij	Sigibertus Sueuis agrum à Saxonibus relictũ cum Italiam peteret, habitandũ dedit. Chilpericus cũ prima vxore Audouera diuortiũ fecit,ex qua tres ſuſceperat liberos Theodobertũ,Meroueũ,& Clodoueũ,eãq; in cœnobiũ apud Cœnomanos conijcit.	4529
569	v	Sigibertus Brunechildem Athanagildi Viſigothorum regis filiam vxorem ducit. Chilpericus Galſontam alteram regis Athanagildi filiam vxorem ducit:quæ cũ ferre Fredegundem pellicem non potuiſſet,mortua in mariti lecto inuenta eſt.	4530
570	vi		4531
571	vij		4532
572	viij		4533
573	ix		4534
574	i	CHILPERICVS IX. REX ANN. XIIII. Initio Chilpericus neque omnia tenebat,neque fortior erat.	4535
575	ij		4536
576	iij	Orientis Imperator Francis prouinciam reſtituit, de qua dum Gũtrãnus & Sigibertus certant,Longobardi eam diripiunt. Fratres de regno certant.Sigiberto in Germania trans Rhenum occupato in rebus ordinandis, Rhemorum oppidum quod	4537
577	iiij	illius ditionis erat, nonnullaque in Campania loca Chilpericus adoritur,paratque bellum quantum poteſt maximum cum filio Theodoberto. Vnni bello iterum moto,cum ferè ſuis præſtigijs & incantationibus victores euaſiſſent aduerſus Sigibertum,diu duraturum cum eo fœdus percutiũt. Sigibertus rediẽs Sueſſionum deditione facta Theodobertum capit:quem vbi iureiurando adſtrinxit	4538
578	v	bellum aduerſus ſe nunquam ſuſcepturum,ſtatim ad Chilpericum remittit. Theodobertus iuſſu patris violato iureiurando contra patruum dimicans, cæditur. Chilpericus rebus acciſis cum vxore Tornacum ſe recipit.Sigibertus magna pompa cum vxore Brunechilde Lutetiam Pariſiorum ingreditur, à quibus eſt honorifice receptus. Paucis poſt diebus cum fauorem in ſe principum,quibus gratior quàm frater erat, perſpectum haberet, ob idque inſtituiſſet fratri nec vitam nedum fortunas relinquere, à duobus trucidatur percuſſoribus ad id facinus à Fredegunde Chilperici vxore immiſſis.Brunechildis quæ tum Lutetiæ erat,mariti morte cognita,Childebertum filium illico liberat,& clàm in Auſtraſiam mittit, quare Chilpericus indignatus,ablato vniuerſo eius mundo ditiſſimo,copioſiſſimóque, datis cuſtodibus relegat Rotomagum.	4539
579	vi		4540
580	vij	Meroueus cum Patrui occiſi vxore Brunechilde Rotomagi matrimonium contrahit,approbante & miniſtrante prætextato Rotomagenſium archiepiſcopo.Chilpericus pater illinc eductum inſtigante Fredegunde nouerca in cœnobium detrudit.	4541
581	viij		4542
582	ix	Prætextatus Rotomagen.archiepiſcopus Fredegundis opera in exilium mittitur,reclamantibus epiſcopis. A rege patre Meroueus cæditur. Brunechildis ad filium in Auſtraſiam remittitur.	4543
583	x		4544

Anni Christi.	Anni Regni		Anni Mundi
584	xi	Fredegundis nouercæ imperio Clodoueus natu poſtremus regius iuuenis necatur.	4545
585	xij		4546
586	xiij		4547
587	xiiij	Fredegundis eiuſq; adulter Landricus M.Eq.regem noctu à venatione redeuntem ad Calam trucidandum iugulandumq; curant,cuius cadauer ad D. Germani ædem quæ in Lutetiæ ſuburbijs eſt,delatum,ibi ſepelitur.eius filius Clotarius tunc natus erat menſes 4.	4548
588	i	CLOTARIVS SECVNDVS X. REX ANN. XLIIII. Guntrãnus patruus rector Franciæ tutorem pueri Lãdricum M. Eq.inſtituit,voluitque apud matrem Fredegundem illum educari. Anno nondum exacto	4549
589	ij	Childebertus Mediomatricum rex regni adminiſtrationem obtinere armis tẽtabat, fruſtra etiã Fredegundem depoſcens,de qua ſuppliciũ ſumere decreuerat.Guntrãnus quo quietum redderet,illum adoptat,& in teſtamenti tabulis hæredem ſcribit. Gundoaldus cum ſe ad aliquod tempus Clotarij primi filium finxiſſet, tãdem à ſuis proditus,cum ijſdem ad ſupplicium ducitur. Ad Longobardos ex Italia pellendos Childebertus ab imperatore Mauricio pecuniam accipit:ſed hoc fruſtra fuit.nã modo pace facta cum ijs,modo inferior diſcedebat. quod ſi quãdo hunc victorem eſſe contingeret,illi ſe arcibus & oppidis locisq; munitiſſimis facilè tuebantur. Prætextatus Rotom. Archiepiſcopus reuocatus die Paſchæ in templo cęditur Fredegundis dolo.Hæ ſunt per initia regni Clotarij mutationes.	4550
590	iij		4551
591	iiij		4552
592	v		4553
593	vi		4554
594	vij	Childebertus Anthari Lõgobardo repudiato,ſororem Ricardo Viſigothorum regi elocat.Antharis Bauarorũ regis filiam accipit vxorem. inde ortum eſt inter Francos & Bauaros bellum. Alij,anno 589.	4555
595	viij	Taſſillo rex Bauariæ per Childebertum ſtatuitur.	4556
596	ix		4557
597	x	Guntrannus rex bonus moritur,cui teſtamento ſuccedit Childebertus fratris filius.	4558
598	xi	In Sueſſionibus profligatur Childebertus, cæſis militum X X.M.in eo prælio. Dux regij exercitus Lãdricus M. Eq. Fredegundis mulier ad quiduis audax & animoſa ſemper in prima ſtans acie ad animandos milites puerum oſtentabat.	4559
599	xij		4560
600	xiij	Childebertus & eius vxor eodem die intereunt,non ſine veneni ſuſpicione. Brunechildis duobus pueris regibus Theodoberto Auſtraſianorum , & Theodorico Burgundionum tutrix remanſit.	4561
601	xiiij	Cacannus rex Vnnorum in Auſtraſiam irrumpit, cui Brunechildis data pecunia ad ſuos redire perſuaſit.Fredegundis enim bello perſequebatur duos Childeberti filios valde pueros.ea porro in exitu anni moritur.	4562
602	xv		4563
603	xvi		4564
604	xvij	Gallia bellis premitur . Theodobertus &	4565
605	xviij	Theodoricus reges in Senonibus magnam Clotario cladem inferunt, adeo vt iniquas pacis conditiones, quas ſeruare nequiit,ab illis accipere cogeretur.	4566
606	xix		4567
607	xx		4568
608	xxi		4569
609	xxij		4570
610	xxiij	Theodoricus & Theodobertus bellum inter ſe parant Brunechildis auiæ conſilio, quæ pulſa ab Auſtraſia Theodoricum ad id inſtimulabat,ſed Protadio M.Eq. Burgundionum militari ſeditione interempto,Theodoricus fratri pacem dedit.	4571
611	xxiiij		4572
612	xxv	Iterum vincitur Clotarius, res ſemper nouas in Stampis moliens , amiſſumq; decus recuperare ſperans,maiorem quàm antea cladem accipit per Theodoricum.Bertoaldus tamen Theodoberti Auſtraſiani exercitus legatus cecidit. In his prælijs ſupra hominum triginta millia perijſſe feruntur. Deſiderius Vicnenſiũ epiſcopus martyrium tulit à Theodorico lapidibus obrutus.	4573
613	xxvi		4574
614	xxvij	D.Columbanus à Theodorico rege in exilium pellitur,quòd nothos eius exſortis ſuſceptos regno nunquam ſucceſſuros diceret.	4575

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
615	xxviij	Theodoricus ad Salationem pacem à fratre petit,Clotarium,exterósque reges Hispanum Longobardúmque vehementer offensos metuens,coniunctis viribus bellum adparantes. Conspiratione fracta, & Clotario precio & promissis persuaso ac pacato, Theodobertum fratrem bello aggrediur: & magna hominum cæde	4576
616	xxix	facta in pugna Tullensi semel atque iterum victus Theodobertus ad Coloniam fugiens,captiuus Cauillonum ducitur,P.Aemilio:alij tradunt in acie cæsum. Theodoricum dysenteria quidam sublatum, alij veneno putant.Annales & Historiæ narrant hoc loco Brunechildis mortem,& tragica scelera, quæ magna ex parte fabulosa puto. Clotarius rex solus pacificus,gratiosus,& suis charus.	4577
617	xxx	Aletheus morte multatur,ꝙ in Clotarij regis necem conspirasset. Bertrudis regina (cuius subornandæ corrumpendæq; ad id facinus susceperat negocium Leudemundus Sedunensium episcopus,melior leno quàm præsul)rem omnem prudenter & magna fide viro detegit.Clotarius episcopo,vita eius seruata,aliam non irrogat pœnam, quàm vt non liceret è diœcesi pedem efferre. O regis pietatem in ecclesiasticum ordinem,ô gratiam flagitioso factam. Clotarius fœdus cum Longobardis diu duraturum percutit.	4578
618	xxxi		4579
619	xxxij		4580
620	xxxiij		4581
621	xxxiiij		4582
622	xxxv		4583
623	xxxvi		4584
624	xxxvij		4585
625	xxxviij		4586
626	xxxix	Dagobertus in contumeliam superbo pædagogo barbam vellit ac resecat,virgisq; cædendum iubet.Pro miraculo habetur patris iram vitare potuisse:adeò regis animus hoc filij facto offensus erat, vt ægrè veniam dederit, cæsum adeò & lacerum verberibus hominem aspiciens.	4587
627	xl		4588
628	xli	Rex Austrasiæ partem Dagoberto regendam dedit,cui Pipinum & Arnulfum, vt eorum consilijs parêret,& vteretur,adiungit.	4589
629	xlij		4590
630	xliij	Crudelis cruentáque Clotarij victoria suppetias ferentis Dagoberto filio in bello aduersus Saxones in capite saucio.	4591
631	xliiij	Dagobertus Cometrude Sichildis nouercæ sorore in matrimonium accepta,nihil non apud regem patrem indulgentiss.poterat. Clotarius duobus filijs Dagoberto & Ariberto relictis ex duabus vxoribus, obijt. in æde D.Germani sepultus.	4592
632	i	DAGOBERTVS XI REX ANN. XIIII. Fratri Ariberto Aquitaniæ regnum in partem hæreditariam dat.	4593
633	ij	Dagobertus Sclauos adhuc idololatras debellat.	4594
634	iij		4595
635	iiij	Franci Vasconiam debellant.	4596
636	v	Adeò muliero sus erat Dagobertus,vt quocunque proficisceretur,secum agmen scortorum & pellicum traheret:nec eo contentus,varijs in locis collegia formosarum instituit,quæ habitu & elegantia reginarum vestirentur. Quam rem dum	4597
637	vi	Diuus Amandus liberè reprehendit, in exilium mittitur. Reuocatum asserit Gaguinus vbi regem huius facti aliquantum pœnituisset.	4598
638	vij		4599
639	viij	Rex Iudæos omnes qui Christianismum profiteri nollent, Francia edicto expellit. Dagobertus ædem Diui Dionysii à fundamentis erexit, ex alijs vndequaque corradens, eásque spolians, quò hanc vnam ditaret. nec quisquam ante eum inuenitur qui patrimonij reditus annuos templis tam magnificè profuséque donarit. Monachorum ocium & inertia multas texuit de eo fabulas, vt assentatione & laudibus principum facultates ad hamum pellicerent. Credo Dagobertum bonum fuisse virum: verùm non vsque adeò sanctum, qui in immensis cum donationibus,tum ædificijs salutem, quemadmodum isti persuadebant,poneret.Horum istiusmodi commenta apud exteros nostrarũ eleuant historiarum fidem.In hoc monachorum collegio viros fuisse quàm plurimos religione	4600

Anni Christi.	Anni Regni.		Anni Mundi.
		& sanctitate celebres non dubito, qui maiora loco illi ornamenta quàm tales scriptores, attulêre. Hoc autem maximum est regum Franciæ Mausoleum. Aribertus rex Aquitaniæ moritur relicto infante	
640	ix	Chilperico: quo mox extincto, summa rerum Dagoberto cessit. Dagobertus filium Sigibertum Austrasianorum regem facit, vt contra Sclauos deorum cultores patriam tueatur.	4601
641	x		4602
642	xi		4603
643	xij	Vascones rebelles in fidem recipit. Iudicaildis Britanniæ rex amicitiam & societatem regis init. Ega Magister Equitum Francorum.	4604
644	xiij	Sisenandus Dagoberti ope rex Visigothorum creatur, pulso Santilla.	4605
645	xiiij	Paulus Aemilius scribit xvi. ann. regnasse, sed duos in Austrasia numerat viuo adhuc Dagoberto profluuio ventris Spineti propter Sequanam patre.)	4606
646	i	IIII. CAL. FEBR. moritur: sepultus in æde D. Dionysii, quam extruxit. CLODOVEVS SECVNDVS XII REX ANN. XVII. Sigibertus maior natu Austrasia contentus. Clodoueus & Ludouicus idem nomen est Germanicè. Hic primus Ludouicus numeratur. Nam Clodouei nomen priori illi Magno conceditur, quia regum Francorum primus Christum professus est.	4607
647	ij	Grimoaldus Pipini filius M. Eq. Austrasianorum.	4608
648	iij	Ercembaldus M. Eq. Francorum.	4609
649	iiij		4610
650	v		4611
651	vi		4612
652	vij	Sigibertus Austrasianorum rex nulla prole suscepta, Ildebertum filium Grimoaldi Magistri Eq. adoptat, verùm mox nascitur illi filius Dagobertus.	4613
653	viij		4614
654	ix		4615
655	x		4616
656	xi	Grimoaldus Dagobertum valde puerum & tonsum & monachum in Scotiam mittit, quem pater moriens, eius fidei commendauerat. Filium Ildebertum Austrasianorum regem salutat.	4617
657	xij		4618
658	xiij	Franci perfidiam hanc & proditionem ferre non possunt. Ildeberto in pugna occiso, Grimoaldus captus Parisiis in carcere vitam miserè finijt. Clodoueus Childericum filium secundum regem in Austrasiam mittit.	4619
659	xiiij		4620
660	xv	Hac tempestate fames maxima Galliam inuasit, cui vt succurreretur, Clodoueus aurum & argentum, quo ædem D. Dionysii Dagobertus pater impensè magnificèq; ornauerat, arripit & aufert, & egentibus piè distribuit. Thesaurum etiam in capsis & ferculis, brachiumq; D. Dionysii frangit & asportat: propterea aiunt regem insanijsse, ac mente captum per reliquum vitæ tempus diuina numinis vindicta. Certè si pauperum gratia submouit, sapienter & religiosè fecit: quanuis illum vita defunctum mentis impotem finxerint, eò spectantes, ne posteri principes hoc sibi exemplum in diripiendis ecclesiæ facultatibus ad imitandum proponerent, non solũ in egentium inopia, sed in suis etiam aliquando negotijs. Contrà verò si alia monis cupiditate, quàm vt fame pereuntium necessitati bona dilargiretur, quæ ad subsidiũ pauperum ecclesiæ dicata donataq; sunt, equidem statuo indignum & nepharium sacrilegium fuisse. Non magis enim delirare atq; insanire poterat. Sanctæ diuorum reliquiæ, ac simulacra preciosa vendita sæpenumero sunt vt expressæ necessitati subuenirentur. persuasumq; nobis esse debet, quòd illi viui se venales exhibuissent, vt populum fame, miserijs, totq; malis vexatum liberarent. Vtinam non ob alias causas ecclesiæ bona auferantur.	4621
661	xvi		4622
662	xvij	Rex obijt, in æde D. Dionysii sepultus. Multi annos tantum regnasse xvi tradunt.	4623
663	i	CLOTARIVS TERTIVS XIII REX ANN. IIII.	4624
664	ij		4625
665	iij		4626
666	iiij	Rex ad Calam Parisiorum vicum decedit, sepultus in æde D. Dionysii.	4627
667	i	Hoc anno Theodoricus Clodouei filius Childerico minor, post fratrem Clotarium regnauit Ebroini M. Eq. authoritate: sed ob incontinentiam & scelera à re-	4628

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		gno Rex expellitur. Magister autem Eq. callidus,astutus,& crudelis in cœnobium truditur,Childerico qui in Austrasia imperitabat,accersito. Soluti & pusilli animi reges, inertes, toti in luxu & venere, à maioribus degenerantes, se regnúmque Magistris Equitum permittebant. In delicijs, hellationibus, ac libidinibus cum mulieribus clàm volutabantur, nullo tempore in publicum prodibant cum pompa & regio apparatu, præterquàm Calend. Maijs, vt accepta & data vicissim salute, Regis officio fungi, ac partes obire viderentur. Ferè Parisii, & Neustriæ regnum,erant vniuersæ eorum ditiones. Reliquum Galliæ in controuersia erat, quamplurimis ab eorum Imperio desciscentibus, dum penes Magistros Equitum summa rerum esset.	
668	i	CHILDERICVS SECVNDVS XIIII REX ANN. XII. Vlfoaldus M.Eq.	4629
669	ij		4630
670	iij		4631
671	iiij		4632
672	v		4633
673	vi		4634
674	vij		4635
675	viij		4636
676	ix		4637
677	x		4638
678	xi		4639
679	xij	Rex Bodillum virum insignem & nobilem ad palum ligandum, flagrisque cædendum iubet: quod dum facit, maius in se suorum concitat odium. Hic graui affectus iniuria,vlcisci statuit. itaque coniuratione facta,dum in ea sylua quæ ad Calam Parisiorum vicum est, rex venatur, illum ex insidijs ad vesperam adoritur, & interimit. idem continuo facit vtero gerenti Reginæ. vterque in æde D. Germani à pratis sepultus est. Vlfoaldus M.Eq.euadit,& in Austrasiam redit. Theodoricus reuocatus in regnum restituitur,sed cui datur Leudesius Ercembaldi filius M.Eq.	4640
680	i	THEODORICVS XV REX ANN. XIIII.	4641
681	ij		4642
682	iij		4643
683	iiij		4644
684	v		4645
685	vi	Ebroinus relicto monachatu,ingenti sceleratorum manu collecta, clanculario Audoëni archiepiscopi Rotomagensium admonitu, hostes magna celeritate opprimit, & Gazam intercipit. tandem Regis & regni administrationem recipit,Leudesio perfidiosè occiso inter colloquendum. Plurimi illius caussa episcopi in perpetuum exilium mittuntur: plerosque, vt animum sanguine expleret, iugulandos curat. D. Leodegarius Eduorum episcopus post longa carceris tædia capite truncatur,confossis prius oculis,& corpore miserè mutilato,dilaniatóque. Eius frater Guerinus nomine, paulò antè lapidibus obrutus fuerat.D.Lambertus exulat. Amatus post aliquot annos in exilio moritur. Pipinus Crassus Ansigisi filius.	4646
686	vij		4647
687	viij	Pipini & Martini Austrasianorum ducum acies fundit Ebroinus in agro Laudunensi. contra fidem datam Martinum ad se in colloquium accersitum crudeliter interimit. Ermenfredus in vltionem ex insidijs sceleratum Ebroinum noctu in lecto iu-	4648
688	ix	gulat. extemplo ad Pipinum confugit. illius loco Magister Equitum Varrato creatus est: quem Gislemarus sceleratus filius ab illo magistratu haud ita multò post armis deturbat, sed paucos dies à perpetrato facinore dignitate potitur,diuino nu-	4649
689	x	mine impietatem vlciscente. In eum magistratum pater restitutus, breui moritur. Bertarius eius gener, homo non magni animi, parúmque rebus gerendis aptus, Magister Equitum dicitur.	4650
690	xi	Pipinus cum exulum Francorum collecta manu, Regis Theodorici aciem ad	4651
691	xij	Textritium fundit, fugátque. Bertarius à suis necatur.	4652

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		Pipinus Magister Equitum, qui multum res Francorum auxit. In Austrasiam reuocatus, Aulæ Præfectum Nordebertum relinquet.	
692	xiij	Drogo Pipini maximus natu filius, Dux Campanorum.	4653
693	xiiij	Rex Atrebatibus sepultus in D. Vedasti æde.	4654
694	i	CLODOVEVS TERTIVS XVI REX ANN. IIII	4655
695	ij		4656
696	iij		4657
697	iiij	Frisii Rabodo eorum duce superato in Christianismum à Pipino inducuntur. apud quos Vvillibrotus, quem nonnulli Clementem episcopum nominant, frequentes de Christi verbo conciones habuit, eosq; instituit.	4658
698	i	CHILDEBERTVS SECVNDVS XVII REX ANN. XVIII. Frater iunior defuncti. D. Lambertus Traiectensium episcopus, ab exilio reuocatus, cum non dubitasset Pipini adulterium reprehendere, à Dodone pellicis ipsius fratre miserè trucidatus est. Percussor & conscij intra annum diuinitus puniuntur & pereunt.	4659
699	ij	Grimoaldus Pipini filius loco patris Præfectus aulæ.	4660
700	iij		4661
701	iiij		4662
702	v		4663
703	vi		4664
704	vij		4665
705	viij		4666
706	ix		4667
707	x		4668
708	xi		4669
709	xij		4670
710	xiij		4671
711	xiiij		4672
712	xv		4673
713	xvi	Grimoaldus Leodij ante aras D. Lamberti à quodam Frisio gregario milite trucidatur. Pipinus Theobaldum nepotem aulæ Præfectum fecit.	4674
714	xvij	Mors Pipini Crassi. Carolum Tutidem, hoc est, Martellum ex Alpaide Pellice filium Ducem Austrasianorum instituerat: sed relicta Plectrudis illum Coloniæ in carcerem cõijcit, sperans cum Theobaldo nepote summa rerum potiri.	4675
715	xviij	Rex conditus Cantiaci ad ædem D. Stephani. HAEC REGVM nomenclatura, & catalogus, quia titulo tenus Reges erant, satis indigestus, & parum certus. Nam & apud illius temporis scriptores nullo ferè numero fuere. In Francia maxima rerum perturbatio, quousq; genus hoc regum extinctum fuit, & regni administratio ad Pipini filij Martelli familiam deuoluta. Franci Plectrudis mulieris imperio nunquam se subiecturi erant. Interea Reges pro libidine creabantur, eorúmque ius & dignitatem tuebantur hi tantum à quibus in regnum euecti erant. Theobaldus Magister Equitum Dagoberti, Ramanfredus Magister Equitum Chilperici, vterque bellum hoc domesticum & intestinum inter se gerebant. Prælium acerrimum ad syluã Cociam. Theobaldus fuga euadit, ex quo Dagobertus ægre regnum aduersus hostes defendit. Carolus Martellus cum nouercæ manus effugisset, omnia expertus est vt	4676
716	i	DAGOBERTVS SECVNDVS XVIII REX ANN. IIII. Filius natu maximus defuncti Regis. Hunc nonnulli, præsertim Sigibertus, Clodoueum nominant,	4677
717	ij	in statum restitueretur, & se his omnibus rebus interposuit. Initio inferior à Ra	4678
718	iij	bodo Frisio, cũ multos suorũ amisisset, acri prælio victus, animo tamen inuictus fuit. Nã Chilpericũ persecutus ad Amblauã circũuentũ spoliauit, III. Cal. Apr.	4679

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		cecidit, deinde ad Vinciacum Samarobrinensium, rediens autem Colonium ingressus est. Rege quoq; Dagoberto mortuo & sepulto	
719	iiij	Theodoricus & Chilpericus Dagoberti liberi penè infantes in cœnobium collocantur.	4680
720	i	Canciaci, Martellus subornat salutatq; regem CLOTARIVM quendã, qui his duobus annis regnũ affectãs, inuadere & occupare conat. Sed in ordine regum locũ illi esse non patiar, quia illum prætermittit P. Aemilius. Chilpericus victus, inita societate Eudonem Aquitaniæ ducem in Campaniam aduocat in auxiliũ. Carolus cum aduersus eos obuiam processisset, in fugam conijcit, & assecutus est Ramanfredum Andegaui. Post Clotarij mortem reuocat ex Vasconia Chilpericum, eumq; sibi regem facit, pace Eudoni data.	4681
721	ij		4682
722	i	CHILPERICVS TERTIVS XIX. REX ANN V. Is est qui antea & Daniel vocatus, & sacerdos fuisse dicitur.	4683
723	ij	Carolus debellat Saxones.	4684
724	iij	Carolus Bauaros domat.	4685
725	iiij	Alemanis vi armorum perterritis, Carolus recipit reducitq; Plectrudem vnà cum Sonichilde eius nepte, quæ profugerant illuc, Carolum metuentes. CAROLVS MARTELLVS FRANCORVM PRINCEPS.	4686
726	v		4687
		Chilpericus sepelitur Nouiodunũ.	
727	i	THEODORICVS CALA XX. REX ANN. XV.	4688
728	ij	Bellum Aquitanicum & Saracenum.	4689
729	iij	Eudo Aquitanicus bello redintegrato, quum modis omnibus se Carolo inferiorẽ esse animaduerteret, Saracenos Hispaniã tunc occupantes, ad se inuitat. Qui numero ad CCCC. M. cum vxoribus liberis ac seruis tanq̃ omnia occupaturi venerunt, quacunq; iter facerẽt, tum sacra, tum ꝓphana nullo discrimine hostiliter depopulantes. Hospes Eudo eorum aduentu pressus, facilè ad pacem inclinauit. Nam in ipso conflictu & prælio cum ad nos defecisset, plurimum ad victoriam adiuuit.	4690
730	iiij	Carolus enim Martellus aduersus illos profectus, cum in Turonibus ad agrum D. Martini Pulchri illis occurrisset, stragem eorum increbibilem edidit. In eo prælio cadit rex Abdirama. ex nostris desiderati sunt modò 1500. Commentitiũ putarem tantam de Saracenis victoriam à nostris partam esse, nisi pariter exteri rerum scriptores de nobis hoc literis prodidissent, cum magna letitiæ significatione, quòd gens tam barbara, legis ac religionis tam impiæ, cui nemo hactenus par esse potuerat, penè occidione occiderit.	4691
731	v		4692
732	vi	Eudo fato functus est. Hunnoldus & Vaifarus filij, vt Aquitaniam recipiant, ad se Visigothos & Arrianos in auxilium arcessunt, qui incendijs & direptionibus vsque	4693
733	vij	in Burgundiam penè omnia deuastant. Martellus cum copijs accurrit, eosq; cedere cogit.	4694
734	viij	Carolus Frisiis subactis idôla deorum dejcit, vt simul omnes Christum colerent profiterenturq;.	4695
735	ix	Secundum bellum Saracenum. Saraceni denuo ex Hispania in Galliam, vt vlciscantur, contendunt. cum Gothis, acceptis inuicem obsidibus, societatem ineunt. proditione Auenionem occupant.	4696
736	x	Martellus illicò cum auxilijs & ingentibus copijs vrbem expugnat. Athinus rex Saracenorum nauicula elapsus, Narbonem profugit. Amoreus rex Saracenorum alter, opem suis laturus, ad Illiberim ad internecionem cæsus est. Athinus relicta Narbone fugit. Martellus reliquias belli persequetur, multarum vrbium incendijs. Hoc principe à bello vix militi licebat respirare, quare nobilitas longè melior & præstantior erat.	4697
737	xi		4698
738	xij		4699
739	xiij		4700
740	xiiij		4701
741	xv	Rex obit mense Iunio, sepultus in D. Dionysii æde. XI. CAL. Nouemb. Car. Martellus princeps Carisiaci propter Isaram è viuis excessit, conditus in Mausoleo Dionysiaco in ordine regum. Fabulantur ad inferos damnatum, quia decumarum aliquid acceperat, vt nobilibus stipendia facienti-	4702

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		bus,ob labores,pericula,& rerum ſuarum damna,quæ in bello Saraceno acceperãt, aliqua ex parte ſatisfaceret. Filij ſuccedunt Carolomanus Auſtraſiæ, Pipinus Breuis, Franciæ præfecturam obtinet. Aegidius archiepiſcopus Rotomagenſium. Gripho hæreditate priuatus,Laudunum arcem belli occupauerat, mox fratribus in fidem ſe permittere cogitur.	
742	i	CHILDERICVS STVPIDVS XXI. REX ANN. IX.	4703
743	ij		4704
744	iij		4705
745	iiij		4706
746	v	Carolomanus Roma rediens,abiectis omnibus fortunis, in cœnobium ſeceſſit,incluſitq;,quod in monte Soracte ædificauerat.Sed quia in loco frequenti nimium & conſpicuo ſitum erat,nempe ad viam,in montem Caſſinum migrauit,tonſu habituq; monachi accepto.	4707
747	vi	Gripho,noua ſemper in fratrem machinatus,quorum exitum nullum reperire poterat,in tranſitu Alpium à Theodino Tranſiurano nobili occiditur.	4708
748	vij		4709
749	viij		4710
750	ix	Childericus regno exactus,cogitur ſe monachum profiteri. A Pharamundo vſq; ad Pipinum ſunt anni 331. A Meroueo 302. A Clodoueo Chriſtiano 252.	4711
751	i	PIPINVS BREVIS XXII. REX ANN. XVIII. primus ex ſuo genere,conſenſu nobilium,fauore & beneficio papæ Romani, vngitur. Apud Aemil. reponendum eſt 751.pro 701.	4712
752	ij	Stephanus papa in Galliam profugus.	4713
753	iij	Bonifacius Maguntinus pontifex. Pipinus aduerſus Aiſtulfum Longobardorum regem Italiam inuadit.	4714
754	iiij		4715
755	v	Pipinus iterũ intrauit in Italiam. Aiſtulfo deuicto, Max. Pontifici Ro.dona dedit, etiam exarchiam Rauennatiũ finibus benè maximis: nequis iſtam largitionẽ à Francis principibus ingratè iniuſteq; auferat,Conſtantino Imp.adſcribens,quam Pipinus in eccleſiam Romanã contulit,inuito & reclamante Græco eam queq; poſſeſſionẽ	4716
756	vi	iuris Auguſtorum eſſe. Illinc Pipinus primus eccleſiaſticos Romanorũ ritus, & cantuum cæremonias in Franciam accepit, atque attulit:illudq; negocium Aegidio fratri (Remigium quidam vocant) Rotomagenſium archiepiſcopo datum. Hæc ex Aemilio & alijs. Stephanus Pipinum Francorum regem & Ro.Patricium dicit.	4717
757	vij	Rex Parlamentum in Francia inſtituit.	4718
758	viij		4719
759	ix		4720
760	x	Res his ferè annis aduerſus Vaifarum in Aquitania geſtæ.	4721
761	xi		4722
762	xij		4723
763	xiij		4724
764	xiiij	Fabulæ Roberti Neuſtrij,quem Diabolum dicunt,recenſentur his temporibus.	4725
765	xv		4726
766	xvi		4727
767	xvij		4728
768	xviij	Vaifarus à ſuis occiditur. Rex Pariſiis obit viij. Calendas Octobris. Alij annis 17.regnaſſe ſcribunt, relictis filijs regibus Carolo Magno Sueſſionibus, Carlomano Nouioduni.	4729
769	i	CAROLVS MAGNVS XXIII. REX ANN. XLVI. Aquitaniam & Vaſconiam recipit.	4730
770	ij		4731
771	iij	Carlomanus rex moritur,cuius vxor Berta cum liberis,comite Audomaro, ad Deſiderium fugit.	4732
772	iij	Initium belli Saxonici.	4733
773	v	Carolꝰ ab Hadriano papa accerſitꝰ,& i Italiã igreſſus,cepit Deſideriũ Lõgobard.re-	4734

Anni Christi	Anni Regni			Anni Mundi
			gem. Romæ donationem Pipini confirmauit, auxitq; Synodum simul constituit,ac dignitatem,iusq; eligendi pontificis,& inuestituram illam episcoporum, pro remuneratione ab Adriano accepit. Patricius etiam primùm ab isto creatus,Italiæ regnum per Francos Mediolani Papiæq; præfectos tenuit. Seruandum quoque statuit,reuersus in Galliam,in Mediomatricibus primùm, atque inde per vniuersas Galliæ ecclesias ritum & consuetudinem Rom.	
774	vi			4735
775	vij			4736
776	viij			4737
777	ix			4738
778	x		Euersa Pompelone, Ibnabala regulus Cæsaraugustæ restituitur. Hispani Christianismum accipere,& vectigal soluere coacti.	4739
779	xi			4740
780	xij			4741
781	xiij			4742
782	xiiij			4743
783	xv			4744
784	xvi			4745
785	xvij			4746
786	xviij			4747
787	xix			4748
788	xx			4749
789	xxi			4750
790	xxij			4751
791	xxiij		Bellum Vnnicum,quod ante annum octauum finem non accepit. Palmerius. Carolus Magnus scholam Parisiorum instituit,opera Alcuini,& Claudij Clemētis.	4752
792	xxiiij			4753
793	xxv			4754
794	xxvi			4755
795	xxvij			4756
796	xxviij			4757
797	xxix			4758
798	xxx			4759
799	xxxi			4760
800	xxxij	Anni Imperij	Turpinus Remorum pontifex Romæ natali Christi à Leone papa diadema impositum accipit.	4761
801	xxxiij	i	CAROLVS MAGNVS IMP. AVGVSTVS. Caroli Magni liberi prouincias acceperunt à patre regendas. Carolus ætate grandior Pannonias, Pipinus Italiæ regnū, Ludouicus Aqtaniā. Carolus & Nicephorus diuiserunt imperiū,sicq; inter ipsos conuentum est, vt qui in Cæsarum familiam Augustorūq; nomē succederent, Imperatores dicerentur,alter quidem Orientis,alter Occidentis.	4762
802	xxxiiij	2		4763
803	xxxv	3		4764
804	xxxvi	4		4765
805	xxxvij	5	Saxones perpetuò rebellantes, perpetuoq; victi, coacti Ro. religionem acceperunt. Belli Saxonici finis.	4766
806	xxxviij	6		4767
807	xxxix	7		4768
808	xl	8		4769
809	xli	9		4770
810	xlij	10	Pipinus Mediolani, viij.Id.Iul.	4771
811	xliij	11	Carolus in Bauaria,prid.Non.Decem.moritur.	4772
812	xliiij	12		4773
813	xlv	13	Bernardum nepotem ex Pipino, Italiæ regem esse statuit Augustus. Ludouicum filium sibi cooptat, & Cæsarē creari vult. Quinq; concilia pro statu ecclesiastico celebranda iussit, Maguntinum, Remense, Turonense, Cauillonense, Arelatense. Aemilius hoc Arelati habitum scribit.	4774
814	xlvi	14		4775
			Aquisgrani obijt V. Cal. Febr.Regni ann. xlvij. ætatis lxxij.	

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
815	i	LVDOVI. PIVS IMP. AVG. XXIIII. REX ANN. XXVI.	4776
816	ij	Vascones recepti. Stephanus papa in Galliam venit, coronauitq; Aquisgrani Ludouicum imperatorẽ.	4777
817	iij	Reges filios creauit, Lotarium Italiæ, Pipinum Aquitaniæ, Ludouicum Noricorum.	4778
818	iiij	Bernardi Italiæ regis interitus,quòd patruo imperatori rebellauisset. Vinomarchus qui se Britanniæ regulum fecerat,oppressus est.	4779
819	v		4780
820	vi		4781
821	vij	Imperator Herioldum Daniæ regem restituit. Sigibertus anno 816 expulsum esse ait,quo alij restitutum affirmant.	4782
822	viij		4783
823	ix	Lotarius patre viuente rex & Augustus à Paschale papa coronatur. Drogo nothus frater Augusti episcopus Mediomatricum.	4784
824	x		4785
825	xi		4786
826	xij		4787
827	xiij		4788
828	xiiij		4789
829	xv	Coniuratio filiorum & optimatum maximè pontificum in Ludouicum imperatorẽ.	4790
830	xvi	Synodum Imp.habuit,in qua vanitates vestiũ, luxusq; gemmarum,& auri & argẽti nimia pompa ecclesiasticis interdicta sunt.Vtinam nostris temporibus Ludouice vi ueres, Iacobus Vvympfelingius. Consilio etiam Gregorij PP. Imperator statuit vt in Gallia & Germania celebraretur dies festus omnium Sanctorũ Cal. Nouemb.	4791
831	xvij		4792
832	xviij		4793
833	xix	Imperator parum prouidus à filijs captus per ignauiam atq; socordiam ab imperio	4794
834	xx	præter spem depellitur,& in cœnobium detruditur.Eodem anno in imperium restituitur: quo facto Lotarius pedem retulit in Italiam. Ludouicus vxorem Augustam recepit.	4795
835	xxi		4796
836	xxij		4797
837	xxiij	Normani Gallias infestant.	4798
838	xxiiij	Pipinus Pipini F. possessiones defuncti patris in Aquitania adit, nulla facultate impetrata aut petita ab auo viro sanè probissimo & indulgentissimo.	4799
839	xxv	Ludouicus Lotario data fide ad se venienti reconciliatur, eiq; dignitatem imperij, regniq; tribuit coronam, Ludouicus Carolum Caluum filiorum minimum Neustriæ regem facit.	4800
840	xxvi	XII CAL. IVNII moritur, xxvij. Aemil. in Mediomatricibus sepultus.	4801
841	i.	CAROLVS CALVVS XXV. REX ANN. XXXVIII.	4802
842	ij	Bellum fraternum vtrinq; atrox & cruentum die resurrectionis Christi ad Fontoniacum in Altissiodorensibus. fœdus his conditionibus initum, vt Carolus Caluus rex esset Franciæ,quæ Britannicum oceanum & Mosam terminos haberet, Ludouicus Germaniæ Vnniæq;, Lotarius Italiam,& imperium haberet in gentes reliquas, Prouinciam,& eam Galliæ partem,quæ nunc Lotaringia à suo rege dicta est, olim Austrasiæ Mediomatricumq; regnum. Pipinus & Carolus fratris filij hæreditate paterna frustrati,in cœnobium postea coniecti. Carolus Caluus, primus Franci sanguinis,cui seperatim contigit,quod verè Franciæ regnum nunc dicitur. Nam Carolus Magnus,& alij qui ætate præcesserant,Germanicũ quiddã referebãt. Hi tres fratres in colloquium Virduni venerunt, & quam diximus hæreditariam diuisionem ratam habuerunt.	4803
843	iij		4804
844	iiij		4805
845	v		4806
846	vi	Normani piratæ ditionem Caroli infestant. In Chronico P.C.Phrygio redegit in annos decem vniuersum bellum quod Caluus non satis prosperè cum Britannis gessit.	4807
847	vij		4808
848	viij		4809
849	ix		4810
850	x		4811

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
851	xi		
852	xij		4812
853	xiij	Normani piratæ magno cum terrore Nanetes inuadunt, quorum moleſtæ incurſiones in longum tempus tum in Aquitania tum in Gallia durarunt.	4813 4814
854	xiiij		
855	xv	Lotarius ſe monachum profeſſus filios relinquit,	4815
856	xvi	Ludouicum imperatorẽ Italiæ, Carolum regem prouinciæ, Lotarium Lotaringiæ.	4816
857	xvij		4817
858	xviij		4818
859	xix		4819
860	xx	Neometicij reguli mors, belli Britannici finis fuit. Heriſpeus filius dux dat ſe in fidem & clientelam regi.	4820 4821
861	xxi		
862	xxij		4822
863	xxiij		4823
864	xxiiij	Balduinus primus Flandriæ comes.	4824 4825
865	xxv		4826
866	xxvi	Cum Normanis in eaſdẽ regiones, in quas antè, incurſiones facientibus rex paciſcit.	4827
867	xxvij		4828
868	xxviij		4829
869	xxix		4830
870	xxx		4831
871	xxxi		4832
872	xxxij		4833
873	xxxiij		4834
874	xxxiiij		4835
875	xxxv	Robertus comes Andiũ, & Ranulfus Aquitaniæ dux, in bello aduerſus Normanos cadunt. Solomon Britãnus, Heriſpei F. Francis ſuppetias tulit. Caluus non tanti fecit dubiam victoriam belli, quanti Normanorũ præſentem pecuniam: itaq; precio illis poteſtas abeundi facta eſt.	4836
876	xxxvi	1 Carolus Caluus imperator Aug. auri & argentivi maxima, φιλαυτίᾳ, atq; luxuria delectabatur. Corona diademateq; ſerico immodicè & ſuperbè vſus eſt. Veſtẽ præterea Dalmaticam magis quàm reges ſuperiores induebatur, in omne genus luxus paratior, quàm in rebus agendis audacior aut conſtantior.	4837
877	xxxvij	Quo poteſtatem ſuam in regibus creandis monſtraret, Boſſonem Iudithæ vxoris ſuæ Auguſtæ fratrem, Hemengardæ defuncti Ludouici imperatoris filiæ virum regem Prouinciæ facit.	4838
878	xxxviij	2 Caluus Mãtuæ correptus morbo pridie Id. Octobris moritur, acceptoveneno à Sedechia medico ſuo.	4839
879	i	LVDOVICVS BALBVS IMP. XXVI REX ANN. II. Papa Iohannes in Galliam ſe confert, à quo coronam accipit Balbus Auguſtus.	4840
880	ij	Compendij obit Id. April. die ſancto quo ſupplicium paſſus eſt Chriſtus, vxore relicta grauida, quæ Simplicem peperit, cui Odo Roberti Andegauen. filius, in ſpem ventris fuit à patre deſignatus tutor. Balduinus Caluus Flandriæ comes.	4841
881	i	LVDOVICVS ET CAROLOMANVS XXVII REG. ANN. V. Regnum penè redit ad Germanos. Boſſo tyrannidem occupare parat. Illi duo nothi ex Balbo obtinent, atq; initio feliciter rem gerunt aduerſus Normanos &	4842
882	ij	Danos, qui numeroſo exercitu atq; ingentibus animis ſacra prophanaq; igni ferroq; in Gallia per totum quinquennium crudeliter vaſtabant. Gotthofredus & Sigifredus reges Normanorum.	4843
883	iij	Normani Treuiros & Mediomatrices occupant.	4844
884	iiij	Ludouicus moritur. Hoc in loco cuiuſdã Ludouici Nihili, hanc appellationẽ ſortiti, quòd nunq; rem geſſerit, mentionẽ faciunt hiſtorici, qui hæres & filius Carolomani fuit. Rerum temporisq; ob mutationem confuſio hoc in loco facit, vt paucis ijs etiam propius intuentibus intellecta ſit hiſtoria. Interpoſita eſt fortaſſe à nonnullis ſimplicitas atq; εὐκοΐα Caroli Ludouici Balbi Poſthumi, qui poſtea iuſtam adeptus ætatem regnabit.	4845
885	v	Carolomani interitus.	4846
886	i	6 CAROLVS CRASSVS IMP. XXVIII. REX ANN. V.	4847

Anni Christi	Anni Regni	Anni Imperij		Anni Mundi
			Accersitus imperij sui anno 6 ob Normanorum motus & infestationes. Normani Lutetiam obsident. Henricus dux ab	
887	ij	7	illis perimitur in vltionem Gotthofredi regis occisi.	4848
888	iij	8	Neustria Normanis ad incolendū data, ex quo huic nostræ Normaniæ	4849
889	iiij	9	nomen est.	4850
890	v	10	Arnulfus curator datus Carolo Imperatori patruo, hoc anno illius nomine summam rerum habuit.	4851
891	i	ODO XXIX XEX ANN. IX. Arnulfus Augustus saluratus, regnum etiam occupare studet: sed Odo Roberti Andium ducis filius, alienus à genere Caroli Magni, tutor, regnare iussus, quem vnxit Valterus archiepiscopus Senonum. Odo Robertum fratrem comitem Parisiorum eundem M.Eq. dicit. Francis infesti esse non cessant Normani.		4852
892	ij	Francorum proceres Odonem virum sanè probum timentes, æmulatione partium ac decreto facto in Aquitaniam regnaturum remittunt, accepto rege ante tempus Simplice adolescentulo, per rerum nouarum studium, & quandam animi leuitatem. Illi autem vtrinq; inimicitias accendebant, pupillum aduersus tutorem committentes. Carolus Simplex annum agens ætatis duodecimum, primùm inungitur. Hic Sigibertus falsò annum supputat 894. Prætereundum non est Odonem in Galliam attulisse nobile illud signum innumeris pictum & sparsum lilijs, quod ad Caroli Sexti tempora durauit.		4853
893	iij	Remigius Altissiodorensis.		4854
894	iiij			4855
895	v			4856
896	vi	Carolus auxilijs Arnulfi Aug. contendit cum Odone, sed frustra.		4857
897	vij			4858
898	viij			4859
899	ix			4860
900	i	CAROLVS SIMPLEX LVDOVICI BALBI F. XXX. REX ANN. XXVII. Odo circa initium anni x. quum regnare cœpit, animā agens, coram proceribus pupillo regnum iubet restitui, cuius administrationē sumpto regis titulo & authoritate antea meritò ob magna rerum negocia acceperat. Simplex autem iustus hæres adolescentior incautè imperiteq; regnat. Illa est tamen eius ꝓmissima & sanctissima constitutio de facultatibus ecclesiasticis, cuius hodie meminisse nos certe conuenit. Quòd à multis annis summi ꝓceres profani cœnobiarchias atq; maximos prouentus beneficio regum occupabant, iam episcoporū iura inuadebāt, Rex coacto concilio ius caussamq; episcoporum defendit, ac stabilijt, eò spectans, vt mox cœnobia in libertatem, quod tunc pręstari difficile erat, vindicaret, atq; assereret. P. Aemi. Bellum domesticum, factionesq; Roberti Othonis fratris pro regno occupando. Fulco Remorum archiepiscopus occiditur.		4861
901	ij			4862
902	iij			4863
903	iiij			4864
904	v			4865
905	vi			4866
906	vij			4867
907	viij			4868
908	ix			4869
909	x			4870
910	xi	Finis belli Normanici.		4871
911	xij			4872
912	xiij	Rhollo primus dux Normaniæ.		4873
913	xiiij			4874
914	xv			4875
915	xvi			4876
916	xvij	Simplex virtute suorum Lotaringiam recipit. Aem.		4877
917	xviij			4878
918	xix			4879
919	xx	Tot dissidia & rerū fluct⁹ in Gallia extitere à Carolo Balbo ad mortē Caroli Simplicis, vt vix certò sciri possit qs potissimū regnarit. Arnulfus magn⁹ Flādrię comes.		4880

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
920	xxi		4881
921	xxij		4882
922	xxiij	In Sueſſionibus pugna inter Carolum Simplicem,& Robertũ Odonis fratrem regni æmulum,iam coronatum ab Herueo Remorum pontifice. Robertus occiditur. Simplex victor perinde ac ſi victus eſſet,animo demiſſo,reddit Lotaringiam Germanorum regi,quò maius ab illo auxilium impetraret, quemadmodum antea cõſtituerat,ſe,Franciámque,vt ſe tutum præſtaret aduerſus Robertum,illi ſubijcere. Robertus regem captum Peronæ in cuſtodia habuit.	4883
923	xxiiij		4884
924	xxv	Simplex cogitur regnũ dare Rhodulpho Burgundioni Ricardi filio.	4885
925	xxvi		4886
926	xxvij	Poſt innumeras miſerias Peronæ animam egit.	4887
927	i	RHODVLPHVS BVRGVNDIO XXXI REX ANN. II. Apud Sueſſiones regiam coronam ſuſcepit III. Id. Iul.regnauitq; per duos tantum annos,vt D. Dionyſii habent Chronica, Sigibertus,Phrygio. Verũ P.Aemilius, R.Gaguinus,& alij multi aſſerunt regnaſſe per XII.ferè annos vſque ad ann.937.	4888
928	ij		4889
929	i	LVDOVICVS TRANSMARINVS XXXII. REX ANN. XXVII. Simplicis filius poſt patris aduerſam fortunam ad auunculum Angliæ regem cum matre Oginia profugerat. Lauduni x III. Cal.Iun.rex ſacratur. De regno eſt inter Ludouicum ex Anglia reuerſum & Rhodulfum Burgũdionem controuerſia.	4890
930	ij		4891
931	iij		4892
932	iiij		4893
933	v		4894
934	vi		4895
935	vij		4896
936	viij		4897
937	ix	Rhodulphus Burgundio. XVIII. Cal.Iunij moritur Altiſſiodori,atq; in Senonibus Ludouicus ſolus. (ſepultus.	4898
938	x		4899
939	xi		4900
940	xij		4901
941	xiij	Rex aduerſus Othonem Cæſarem Lotaringiam ingreditur ad Breſacum vſque.	4902
942	xiiij	Gerberga vidua Giſleberti ab Othone fratre inter fœdus ineundum Ludouico datur in matrimonium ex Alſatia decedenti.	4903
943	xv		4904
944	xvi		4905
945	xvij	Dira fame & contentionibus multum vexatur Gallia. Vgo magnus filius Roberti ad Sueſſiones cæſi,à rege deficit,renouatq; de regni controuerſia bellum.	4906
946	xviij		4907
947	xix		4908
948	xx	Vgonis Pariſienſis factio & potentia, magna regi exhibuerunt negocia. Quidam aiunt regem iſtius opera, ſuorum proditione à Normanis captum, & Laudunum in publicum carcerem ductum atque coniectum.	4909
949	xxi	Otho Impe.multum in Franciam penetrat,vt Vgone & Normanis victis, regem in ſtatum reſtituat.	4910
950	xxij	Vgo Imperatori ad Charum ſe futurum in eius poteſtate profitetur, metuens eius reditum in Franciam.	4911
951	xxiij		4912
952	xxiiij		4913
953	xxv		4914
954	xxvi		4915
955	xxvij	Ludouicus apud Remos ſepultus,vbi Lotarius eius F.Id.Nouem.corona inſignitur.	4916
956	i	LOTARIVS XXXIII. REX ANN. XXXI.	4917
957	ij	Cal.Iul.Vgo Magnus è vita excedit annoſus multũ,ĩ cœnobio D.Dionyſii ſepultus.	4918
958	iij	Balduinus iunior Arnulfi F.Flandriæ Comes,qui patrem morte præuenit.	4919
959	iiij		4920

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
960	v		4921
961	vi		4922
962	vij		4923
963	viij		4924
964	ix	Arnulfus iunior Arnulfi nepos, Flandriæ Comes.	4925
965	x		4926
966	xi		4927
967	xij	Inimicitiæ & bellum inter Theobaldum Carnutum Comitem, & Ricardum Norman. Ducem.	4928
968	xiij		4929
969	xiiij		4930
970	xv		4931
971	xvi		4932
972	xvij		4933
973	xviij		4934
974	xix		4935
975	xx		4936
976	xxi		4937
977	xxij	Carolus regis frater dono ab Othone secundo Imp. Lotaringiæ ducatum accipit. Rex Imperatorẽ bello adortus, penè opprimit. is vicissim a Calẽ. Octobris ad Calendas Decemb. regem persecutus, præter templa, resq; sacras, nihil non funditus euertit Lutetiam vsque, sed pedem cum suis referre coactus, eorum plurimos cũ vniuersis impedimentis amisit.	4938
978	xxiij		4939
979	xxiiij		4940
980	xxv	Ad Charum fluuium ab Othone & rege itur in colloquium: vbi iureiurando sanctum est fœdus.	4941
981	xxvi		4942
982	xxvij		4943
983	xxviij		4944
984	xxix	Nouo Imperatori rex Lotaringiæ Ducatũ inuidebat, quem cum inuasisset, post paulo fœdus inierunt.	4945
985	xxx		4946
986	xxxi	Rex Remis obit. Ludouicus eius F. rex generis Caroli Magni & Francorũ postremus, per annũ & paulo amplius cum regnasset, veneno perijt, Compendijq; sepultus est, sui tantũ nominis memoriam relinquẽs. A Pharamũdo vsque ad Vgonem Capetum anni sunt 568, à Clodoueo Christiano 487, à Pipino 237.	4947
987	i	LVDOVICVS QVINTVS XXXIIII ANN. I. Tertium regum Franciæ genus, quod vsque ad nostra tempora regnat.	4948
988	i	VGO CAPETVS XXXV, ET PRIMVS GALLVS GALLORVM REX ANN. IX. Parisiorum Comes vi & militum fauore primùm Nouioduni rex salutatus, mox Remis consecratur & inungitur. Dantes poëta Florentinus in suo purgatorio scribit huius auum paternum lanium fuisse. Credibile non est Gallorũ tam nobilia Stẽmata ex tam humili & obscuro loco duxisse originem. Carolus Lotaringiæ & Brabantij Dux patruus Ludouici defuncti, Galliæ fines ingressus ad regnũ occupandum, deinde hostis contemptu negligẽtior factus, Lauduni se cũ vxore obsideri passus est: proditione Ascelini episcopi ab Vgone capitur, & Aurelianum in custodiam mittitur. Bellum quadriennio gestũ est. Ideo à nobilibus reiectus Lotaringiæ Dux, quòd nimium Germanis, in quorũ iterum manus	4949
989	ij	recidere metuebant, faueret. & ferè fit, vt minus grati sint principes exteri, ac opibus & gratia florentes, quàm domestici, & parum potentes: quod à Germanis diligentissime obseruatur, qui è suis tantũ solent imperatores deligere, libertati à potẽtioribus ac magnanimis metuentes. ἀλλὰ ταῦτα μὲν παρέρεως. Vgo Arnulfum defuncti	4950
990	iij		4951
991	iiij		4952
992	v	Lotarij regis fratrem illegitimum Remorum archiepiscopum in familiæ & gentis odium mittit Aurelianum in carcerem. Gilbertus Aquitanus philosophus, qui postea opera imperatoris papatum est adeptus, substituitur. Senonum archiepiscopus vnà in carcere ad triennium asseruatur, quòd non approbasset hanc iniquam Arnulfi priuationem: tandem vterque archiepiscopus suo gregi restitutus est à papa Iohãne. Vgo cum annũ solus regnasset, Robertum filium liberalioribus literis institutum Aureliani coronandum curauit. Nam ipse neq; diademate neque regijs insignibus	4953

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		vnquam,ſed tantum vi & armis vſus eſt. Pater primum geſſit bellum aduerſus obnitentem Comitem Flandriæ Arnulfum propinquum antiquo Francorum generi, qui huic omnino regis nouitati contradicebat:à quo Atrebatẽſis Comitatus viribus ablatus, ſed poſtea deprecatore Ricardo Normanorum duce reſtitutus.itaque inter illos pax conſtituta.	
993	vi		4954
994	vij	Sabaudiæ domus apud Allobrogas in Comitatum primum erigitur.	4955
995	viij		4956
996	ix	Obijt circa initium anni ſ x. ex quo regnare cœperat, in tẽplo D.Dionyſii conditus.	4957
997	i	ROBERTVS, SOLVS XXXVI. REX ANN. XXXIIII. literatus,ſtudioſus,religioſus,pius.	4958
998	ij		4959
999	iij		4960
1000	iiij	Rex religionis gratia Romam petit.	4961
1001	v	Henricus dux Burgundiæ,quòd liberos nullos ſuſcepiſſet,ducatum ſuum regi teſtamento legat naturæ concedens.quem cum rex poſſidere cœpiſſet,cõfeſtim Roberto filio tradit,eumq; mittit aduerſus Landricum Niuernen.Comitem Burgundionibus acceptiſſimum:victus tamen,& reditus ab Altiſſiodorenſibus.	4962
1002	vi	Balduinus Barbatus Flandriæ Comes.	4963
1003	vij	Seuinus Senonenſis archiepiſcopus obit,cuius archiepiſcopatus ob eligendi cõten-	4964
1004	viij	tionem annum vacauit.	4565
1005	ix	Senonũ vrbs ob Comitis Reginaldi ſcelus cõfiſcatur,& regis patrimonio adijcitur. Gotthofredus Gotthofredi Arduennenſis filius poſt Ottonis Ducis obitum dono ab Imperatore Lotaringiæ ducatum accipit.	4966
1006	x	Rex cum Ricardo Normaniæ Duce Valẽtianas proficiſcitur ſuppetias laturus Balduino Flandriæ Comiti, quas is contra Henricum Imp.occupauerat. Incredibilis fames & peſtis.	4967
1007	xi		4968
1008	xij		4969
1009	xiij		4970
1010	xiiij		4971
1011	xv		4972
1012	xvi		4973
1013	xvij		4974
1014	xviij		4975
1015	xix		4976
1016	xx		4977
1017	xxi		4978
1018	xxij		4979
1019	xxiij		4980
1020	xxiiij		4981
1021	xxv		4982
1022	xxvi		4983
1023	xxvij	Rex & Imperator Enoli ſecundum Charum conueniunt, illicq; de rebus cum eccleſiaſticis tum regijs verba conferunt.	4984
1024	xxviij	Rex Vgonem filium Compendij coronandum curat,qui patrem morte præuenit.	4985
1025	xxix		4986
1026	xxx		4987
1027	xxxi		4988
1028	xxxij		4989
1029	xxxiij		4990
1030	xxxiiij	Numerus annorũ regni Roberti à Gaguino negligenter obſeruatus, & alijs hiſtoricis:qui vbique,ferè tẽpora nullo habito delectu confuderunt.obijt rex Meloduni:	4991
1031	i	cuius cadauer in cœnobium D. Dionyſii trãſlatum eſt. Henricum filium Remis antè coronandum curauerat,quem teſtamento hæredem relinquit. HENRICVS XXXVII. REX ANN. XXX. Contendunt Henricus & Robertus fratres ſuper regni ſucceſſione. Henrici partes Robertus Normaniæ Dux ſequitur,Odo Campaniæ,& Balduinus Flandriæ Comites,Roberti. Bochetus Gaguinum reprehendens aſſerit Robertum natu minorem,cui nunquam fauit Conſtantia mater, quæ obierit anno quinto regni mariti, alia à rege in eius locum ducta defuncti Comitis Nouioduni filia, quare lapſi omnes eſſent. ſed	4992

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		forte reprehenſor iſte fallitur.	
1032	ij		4993
1033	iij	Incendium patitur Lutetia. Odo & Balduinus ab Henrico victi Fratres in concordiam veniunt.	4994
1034	iiij	Rhodulfus Tranſiurenſis Burgundiæ rex cum annos xxx (Aemilio teſtante) in Burgundionum ſuorum nutu regnaſſet, regnum Conrado Imperatoris filio dat. Odo Campanus cum regnum illud iure hæreditario ſuum cenſeret, petere cœpit. quod cũ negatum eſſet, armis inuaſit. Tunc in duas Burgundia prouincias diuiditur, Ducatum ſcilicet & Comitatum, vt pertineret Comitatus ad Imperij ditionem, Ducatus verò ad regiam. Secundum Burgundionum regnum ad hæc tempora annos plus 130 durauit ſub Arnulfo Imperatore inchoatum.	4995
1035	v		4996
1036	vi	Odo Bellouacẽſis Comes cum Rogerio fratre Sacroceſarienſi Comite, & epiſcopo Bellouacenſi Comitatum commutat. Rogerius Comitatum Bellouacen. epiſcopatui in perpetuum donauit. Balduinus Inſulanus pius Comes Flandriæ.	4997
1037	vij	Odo à Gotthello Lotaringo duce cæſus, Theobaldum & Stephanum filios hæredes relinquit.	4998
1038	viij		4999
1039	ix		5000
1040	x		5001
1041	xi		5002
1042	xij		5003
1043	xiij		5004
1044	xiiij	Gotthofredus Martellus Andium Comes Theobaldũ Carnutum Comitẽ intercipit.	5005
1045	xv		5006
1046	xvi		5007
1047	xvij	Gulielmus Normanorum dux ex illegitimo matrimonio procreatus, ſuppetias Henrico rege ferente, ſuos Normanos ſuperat, in officioq; cõtinet. Qui in Italiam Alpibus ſuperatis profugerant Normani, duce Gulielmo Montrolienſi Comite, deinde viribus paulatim collectis, Roberto Viſcardo Duce in Apulia & Calabria magnas ſibi opes famamque compararunt.	5008
1048	xviij		5009
1049	xix		5010
1050	xx		5011
1051	xxi	Berengarij hæreſis.	5012
1052	xxij		5013
1053	xxiij		5014
1054	xxiiij		5015
1055	xxv		5016
1056	xxvi		5017
1057	xxvij		5018
1058	xxviij	Alij hunc tantum regnaſſe annos XXVII aut XXVIII tradunt.	5019
1059	xxix		5020
1060	xxx	Henricus Philippum filiũ regem creandum, coronandumq; Remis curat. Circa anni huius finem moriens, liberos, Philippum annos ferè IX natũ, & Vgonem minorem commendauit fidei Balduini Flandriæ Comitis. Sepultus in templo D. Dionyſii.	5021
1061	i	PHILIPPVS XXXVIII. REX ANN. XLIX.	5022
1062	ij	Balduinus pius regis tutor ſimulato ĩ Saracenos bello, cum exercitu de induſtria morã trahens in Vaſconia quà iter eſt, audaces nobilium animos non ſatis Regi audientes repreſſit.	5023
1063	iij		5024
1064	iiij		5025
1065	v		5026
1066	vi		5027
1067	vij	Hoc rege è Gallijs duæ prodierunt nobiliſſimę familiæ, quæ apud exteros duo potẽtiſſima regna erexerunt. Gulielmus nothus Heraldo rege cæſo Angliam occupat. Gotthofredus vero Bullionius terram ſanctam & Hieroſolyma poſtea obtinebit.	5028
1068	viij	Philippus vxorem ducit Bertam Balduini Comitis Hollandię & Friſiæ filiam.	5029
1069	ix		5030

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
1070	x		5031
1071	xi	Arnulfus Balduini F. Comes Flandriæ.	5032
1072	xij	Robertus Frisius filijs fratris deuictis Flandriam occupat.	5033
1073	xiij		5034
1074	xiiij	Grandimontensium monachorum primordia authore Stephano Aruerno.	5035
1075	xv		5036
1076	xvi		5037
1077	xvij		5038
1078	xviij	Ordo Canonicorum regularium apud D. Quintinum Bellouacum.	5039
1079	xix		5040
1080	xx	Gothofredus Barbatus & Fulco Asper contendũt ob successionem auunculi Gothofredi Martelli Comitis Andegauensium. Rex ab Aspero, quò neutri faueret, Vastinetum obtinuit. Barbatus à fratre interceptus, & in carcerem perpetuum missus.	5041
1081	xxi		5042
1082	xxij		5043
1083	xxiij		5044
1084	xxiiij	Initium ordinis Carnusiensium authoribus Brunone Agrippinensi ciue scholarum Magistro, Remorumq; canonico, & Vgone Gratianopolitanorum episcopo.	5045
1085	xxv		5046
1086	xxvi	Philippus Bertham Balduini Comitis Hollandiç filiam repudiat, ex qua liberos susceperat, Ludouicum Crassum, & Constãtiam: à seq; illam ablegat Mõtrolium maritimum oppidum: in cuius locũ Bertradam pellicem à marito Fulcone Aspero abductam publice accipit: cuius cupidineo amore rex adeo oceçcatus fuit, vt grauissima quæq; totius regni ad illius arbitrium & libidinẽ regerentur. Adulterij tempore Philippum Florum & Cęciliam liberos suscepit. Nec postea Bertham reuocasset, nisi summi põtifices Vrbanus & Paschalis illi aqua & igni interdixissent. Hic variãt historici, quibusdam asserentibus non omnino restitutam fuisse Vrbano secundo papa, sed Paschale.	5047
1087	xxvij		5048
1088	xxviij		5049
1089	xxix		5050
1090	xxx		5051
1091	xxxi		5052
1092	xxxij		5053
1093	xxxiij	Iuo episcopus Carnutum.	5054
1094	xxxiiij	Robertus Hierosolymitanus Comes Flandriæ.	5055
1095	xxxv	Concilium Claromontanum Vrbano papa: res ecclesiasticę reformatę & compositę. De expeditione in terram sanctam deliberatur aduersus Saracenos. Catalogus eorum qui ex Gallijs Duces fuere illius belli.	5056
1096	xxxvi	Petrus Ambianensis Eremita. Ademarus Anicienſium episcopus. BELLVM SACRVM IN Gulielmus Arausiensium episcopus SARACENOS. Vgo Magnus regis frater. Gothofredus Lotaringiæ Dux, Eustathius, Balduinus, fratres, filij Eustathij Comitis Bononiæ Belgicæ. Gothofredus, vt nihil deficeret, in ea expeditione vrbem Mediomatricum ciuibus vendidit, ac Ducatũ Bullionis Specto Eburonũ episcopo. Robertus Normaniæ Dux fratribus, quæ possidet, illius expeditionis gratia oppignerat. Robertus Flandrus Raimundus Tolosas Stephanus Blesensis Arpinus Comes LX M. aureorum Bituriges Regi vendit. Boëmundus & Tancredus Itali, & multi alij ex Germania, Italia, Anglia, Scotia, & reliquo orbe Christiano. Constabat exercitus circiter CCCCCC.M. peditũ. Otho pontifex tradit CCC. M. pugnatorum. Galli vno consensu ab vniuersis occiduis nationibus huic bello propter armorum peritiam præficiuntur.	5057
1097	xxxvij	Robertus è Lotaringia homo nobilis, potens, & literarum peritus, reiectis honoribus & diuitijs, Christum & paupertatem sectans, Præmonstratenses instituit.	5058
1098	xxxviij	Cistertiensis religionis fundamenta iaciuntur.	5059
1099	xxxix	Hierosolyma 39 die obsidionis Id. Iul. (4 Nonas Aemi.) à Christianis recepta.	5060
1100	xl	GOTTHOFREDVS Rex terræ sanctæ.	5061

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		Gothofredi regis obitus xv. Calen. Augusti.	
1101	xli	Balduinus Hierosolymorum Rex.	5062
1102	xlij		5063
1103	xliij		5064
1104	xliij	Ludouicus Crassus iuuenis multum, antequã regia insignis fieret corona, viuente patre & permittente seditiones regni repressit, ius ecclesiæ tutatus est aduersus Bochardum Parisiensem Montismorentiani dominum, Drocum Mõtiacum, Elbonem Rosciacum, Leonetum Magdunensem, & Matthæum Bellomontanum.	5065
1105	xlv		5066
1106	xlvi	Boëmundo, cum in Galliam venisset, Rex Constantiam filiam in matrimonium dat. Alteram ex Bertrada genitam Cæciliam Tancredo absenti spondet, atque mittit: deinde moriens Tancredus Pontio Tripolitano commendat, eiq; in vxorem dat.	5067
1107	xlvij	Cõcilium Tricassium sub papa Paschale auxilium Regis petente aduersus factionẽ Imperatoris: atq; tum Gregorij papæ institutũ & decretum secutus, nuptias sacerdotibus prohibuit, & simoniacis aqua & igni interdixit.	5068
1108	xlviij		5069
1109	xlix	Meleduni Rex decedit iiij. Cal. Augusti, ad Benedicti propter Ligerim sepultus. Crassus. iij. Nonas Augusti sacratus & inunctus	5070
1110	i	LVDOVICVS CRASSVS XXXIX REX ANN. XXVIII. Aureliani in æde D. Sansonis per Gilbertum archiepiscopum Senonum, Remis sibi id sacri iuris deberi quanuis contendentibus.	5071
1111	ij	Nobiles & principes ab Anglo rege adiuti in Regẽ mouent seditionem, quem diu	5072
1112	iij	multumq; vexarunt: tandem tamen superior euadit. Inter coniuratos Ludouicus regis frater nothus erat, qui coniugem habebat filiam domini Montis Leterici. Balduinus Securis Comes Flandriæ.	5073
1113	iiij		5074
1114	v		5075
1115	vi		5076
1116	vij		5077
1117	viij		5078
1118	ix	Initium primi belli Anglici, quod sexcentis fœderibus cõpositũ, semper renouatur. Gelasius nouus papa Ro. cui plurimum inimicitiarũ erat aduersus Henricum Imperatorem, in Galliam se cõtulit suppetias implorans. Cõcilium Remis indixerat, in itinere moritur Cluniaci sepultus. Calistus Burgundio pontifex proximus concilium continuãdum curat. Remis XVII. Cal. Nouemb. ex concilij sententia Cæsarem hostem ecclesiæ pronunciat. Tum sacerdotes, diaconos & hypodiaconos cõcubinas habere vetuit, item proscripsit ab ecclesia, qui pro baptismo & sepultura pecuniam exigerent.	5079
1119	x	Balduinus rex Hierosolymorum. Crassus in Normaniam profectus est, voluitq; Gulielmum Roberti defuncti filium in possessionem mittere. In eo prælio Balduinus Flandriæ Comes vulnere accepto interijt, cui successit Carolus Canuti Danorũ regis filius.	5080
1120	xi	Henricus Cæsar ab Anglo socero impulsus mense Augusto Galliam inuadit Remis multum infensus ob iniuriam in illorum vrbe acceptam, timore perculsus, regis potentia cognita domũ reuertitur. paulò post in amicitiã re cum papa cõposita redijt.	5081
1121	xij		5082
1122	xiij		5083
1123	xiiij		5084
1124	xv		5085
1125	xvi		5086
1126	xvij		5087
1127	xviij	Carolus Flandriæ Comes Bonus Brugis ante aram Donatiani à cõiuratoribus mactatus. vi. Cal. Martij sacro cinerum die. quò Rex profectus, seuere in parricidas animaduertit. Gulielmum Normanum Flandriæ Comitem dedit, quem auaritia & peruersitas omnibus inuisa euertit. Eo in bello cæso, alijsq; in sententiã adductis quibus aliquid iuris videbatur in comitatum, Theodoricus Alsatiensis comitatus nomine regi fidei sacramentum præstat.	5088
1128	xix	Hierosolymis trium ordinum, D. Iohannis hospitalariorum, Templariorum, Teutonicorum, res præclare fortitérque gestæ initio suæ originis.	5089

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		Thomas Marlenſis in regios magiſtratus, & eccleſiaſticos viros rebellis, extra cõmunionẽ eccleſiæ proſcribitur per legatũ papę in Bellouacenſi concilio, quòd Galdericum epiſcopum Laudunen. crudeli morte affeciſſet: tandem à Rhodulfo Viromanduo cæditur. Craſſus cauſſam eccleſiæ defendẽs in Aruerniam proficiſcitur ad componendas res inter epiſcopum Claromõtanum & Comitem. Gulielmus Aquitaniæ dux ſua prudentia rem omnem compoſuit. Philippus admodum iuuenis in præſentia regum Craſſi patris, & Hẽrici Angli, diademate decoratur Remis XVIII. Cal. Maij feſto reſurrectionis Chriſti die.	
1129	xx		5090
1130	xxi	Vgo de S. Victore theologus Pariſienſis. Innocẽtius ob Anacleti Antipapę potentiã in Galliã fugit, vbi honorificè receptus duo habuit cõcilia, alterum Remis, alterũ Claromonte. Quẽ honoris cauſſa inuiſerũt Gallus Aureliani, Anglus Carnuti.	5091
1131	xxij	Fulco Andegauenſis Rex Hieroſoly. Philippus Iunior rex III Id. Octob. in Lutetiæ ſuburbijs delapſu ex equo, quem euerterat ſcrofa, moritur. in æde D. Dionyſii ſepultus. Platina & Blondus hoc rege Philippo Innocentium papam in Galliam veniſſe intelligunt, aliter aberrant, nec mirum in hiſtoria aliena. Ludouicus Iunior concilij Remenſis tempore VIII. Cal. Nouemb. ex patris præſentis ſententia magnificentiſſimè coronatur à papa Innocentio, vt regni conſors eſſet. Paulo poſt Innocentius à Lotario Romam reducitur imperatoriæ coronationis gratia.	5092
1132	xxiij		5093
1133	xxiiij		5094
1134	xxv		5095
1135	xxvi		5096
1136	xxvij		5097
1137	xxviij	Ludouicus Iunior Burdegalæ ducit vxorem Leonoram filiam maiorem hæredem Gulielmi ducis Aquitaniç. Craſſus pater ſtatim Pariſiis moritur Cal. Auguſti. Aemilius habet annum regni xxx. ſed ea in re lapſum arbitror, vt numerus ab anno 1110 vſque ad 1137 indicio eſt.	5098
1138	i	LVDOVICVS IVNIOR XL REX ANN. XLIII. Annorum Iohãnis à Stampis vel à temporibus error, & falſa ſupputatio. vide Aemilium. quendam legi qui per ea vixit tempora hiſtoricum minutiſſima quæque perſequentem, qui tantum rei miraculum non omiſiſſet ſi quid tale vnquam contigiſſet. Galli diſtricti ob bellũ Mathildis Auguſtę, & filij eius Henrici Andegauẽſis contra Stephanũ Bleſenſem de regni Angliæ ſucceſſione. tandẽ in hãc ſententiã Andegauẽſis adductus, vt regno abſtineret viuẽte Stephano, ſed poſt eius mortẽ regnaret. Quidã ſe Imperatorem Henricũ finxit, qui in cœnobiũ Cluniacenſe cõiectus eſt.	5099
1139	ij		5100
1140	iij	Synodus Frãcica apud Senones aduerſus Petrum Abelardum Britãnum hęreticum.	5101
1141	iiij	Non ſatis conuenit Regi cum papa Ro. qui Petrum rege inuito vt epiſcopus eſſet, Bituriges miſerat, cui aduerſus regem Theodobaldus Bleſenſis fauebat.	5102
1142	v	Conſtantia regis ſoror ſponderur Euſtathio Stephani regis Angliç filio. Rhodulphus Viromãduus vxore repudiata Petronillã reginę Leonorę ſororem accipit: quos cum epiſcopis qui nuptias permiſerant, Papa excõmunicat, Theobaldo procurante, cui Craſſus vehementer infenſus, culpam omnem in eum transfert.	5103
1143	vi	Vitriacũ quod erat ex ditione Comitis Bleſenſis, à Rege impotenti ira dirutũ, cuius templum præcipuum cum M. D. vtriuſque ſexus & cuiuſuis ætatis ad aras confugientibus incenſum. Rex ſceleris pœnitentia ductus, D. Bernardi conſolatione & conſilio ſacrum ſuſcipit gerendum bellum. Balduinus rex Hieroſolymorum. Tunc Bernardus id vnum agebat, vt principes Chriſtianos in hoſtes religionis adhortaretur, papa etiam cupiente.	5104
1144	vij		5105
1145	viij	Rex Viceliaci crucem accipit, ſacram militiam profeſſus. Eugenius papa in Galliam ſe recipiens, concilium Lutetiæ & Remis habet. D. Bernardus in Germaniam	5106
1146	ix	proficiſcitur concionaturus pro bello ſacro: cuius perſuaſu Conradus Imp. cum magno principum numero ſa- Tornacum à ſummo Pontifice ſedes ſit epiſcopalis, cum antea per annos ferè 600 ſub epiſcoparu fuiſ	5107
1147	x	cra arma induit, qui pridie No. Feb. feſtinãs antè diſcedit. Rex ducta ſecum vxore Id. Maij per Germaniã & Vngariam idem ſubſecutus iter, Impera- ſet Nouiodunenſi. In conſilio hæreſis damnatur Gilberti Poretani Pictonum epiſcopi, nulla criminis aut ignominiæ nota ipſi inuſta, q	5108

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		torem,qui iam cladem in Nouembri acceperat,offendit in Asia. Ianuario causſam ſuam ad iudicium & arbitrium cõcilij & Papæ ſemper permiſerat.	
1148	xi	proximo Rex non multo meliorem fortunam expertus eſt.Quare hic relicta Antiochia,Conradus vero ab Augusto Græcorum rediens contulerunt ſe Hieroſolyma ad Regem Balduinum adoleſcentulum.Tunc coniunctis viribus & copijs Damaſcum oppugnant, ſed diſſidio ac dolo obſidionem relinquere coguntur.Conradus abit ad ſuos.Galli in Syria ma	5109
1149	xij	la multa patiuntur.Quorum Rex in reditu penè captus,niſi Georgius Rogerij Siculi Regis prætor ſuppetias tuliſſet.In Galliam ergo euadit. Henricus regis frater ad Claramuallem monachus,Bellouacorum epiſcopus.	5110
1150	xiij	Cum Leonora regina duas filias peperiſſet,Mariam maiorem, Aliſam autem minorem poſt reditum: in concilio Baugenciaco à Ludouico repudiatur, qui Conſtantiam duxit vxorem Alphonſi Galecorum regis filiam,quæ Aureliani Regina coronatur. Iuit etiam in Hiſpaniam religionis cauſſa ad D. Iacobum, & vt ſocerum inuiſeret.	5111
1151	xiiij		5112
1152	xv	Interim Leonora in Regis odium alteri nubit marito, Henrico Andegauenſi regi Angliæ futuro, ad quem rege Franco inuito ſuam priorem attulit dotem Pictones & Aquitaniam.Matrimonium hoc maximi belli Anglici cauſſa fuit.	5113
1153	xvi		5114
1154	xvij		5115
1155	xviij		5116
1156	xix		5117
1157	xx		5118
1158	xxi		5119
1159	xxij	Philippus regis frater archidiaconus	5120
1160	xxiij	epiſcopatus Pariſienſis electionẽ Petro Lombardo ceſſit doctiſſ. theologo. Lombardi epiſcopi ſuaſu & authoritate actum eſt & impetratum vt barbæ raderentur. Papa Alexander tertius ab Imperatore	5121
1161	xxiiij	& Antipapa territus in Galliam fugit. Habuit in Claromonte concilium, deinde Turonibus alterum.Conſtantia Adelæ iunioris filiæ partu moritur: quæ ſuperuixit. antea opperiſſe tradit Aemilius,necdum circumacto altero matrimonij anno,Margarita & Adela filiabus relictis hic ſequor eius tẽporis ſcriptorem. Rex tertiam duxit vxorem Adelàm Theobaldi Campani filiam,ex qua poſt ſuſcipiet Philippum & Agnem liberos.	5122
1162	xxv		5123
1163	xxvi	Margarita Regis filia in matrimonium datur Angli filio qui regno ſucceder. Poly. Verg. Almericus Rex Hieroſoly.	5124
1164	xxvij	Concilium Turonenſe Alexandro papa. Acta Papienſis concilij, in quo Victor & Fœdericus præfuerant,damnata.Apud Senones D.Thomas Cantuarienſis cum papa colloquitur,apud quos vltra annum ille degit prius quàm Romam reuerteretur.	5125
1165	xxviij	Natalis Philippi Auguſti x i. Cal.Septemb.	5126
1166	xxix		5127
1167	xxx		5128
1168	xxxi	Philippus Flandriæ Comes.	5129
1169	xxxij		5130
1170	xxxiij		5131
1171	xxxiiij	D.Thomas archiepiſcopus Cantuarienſis annis 7 exul in Gallia,in Angliam reuerſus confeſtim occiditur. In ſubſidium Terræ ſanctæ pie & libere erogatam pecuniã ab vniuerſa Gallia Stephanus Comes Sacrocæſarienſis eò iuſſu regis defert.	5132
1172	xxxv		5133
1173	xxxvi	Balduinus Rex Hieroſolymorum.	5134
1174	xxxvij		5135
1175	xxxviij		5136
1176	xxxix		5137
1177	xl		5138
1178	xli		5139
1179	xlij	Hagne regis filia annos v i i i nata ad Emanuelem Græcorum Imp.mittitur,vt illam	5140

Anni Chriſti	Anni Regni		Anni Mundi
		Alexis eius filius haberet vxorem. Ludouicus valetudinarius coronãdum Remis Cal.Nouemb. Philippum filiũ mittit.Adfuit eius coronationi Henricus Rex iunior Anglus,Frãci beneficiarius.Primum noui regis edictũ fuit aduerſus blaſphemos nomen Chriſti contumelioſe probroſeq; in teſtimonium,& cuiuſuis minutiſſimæ rei aſſertionem adducentes,quo cenſuit in flumen citra mortem mergẽdos. Secundum fuit aduerſus tibicines,hiſtriones,parafitos,& id genus voluptuarios artifices,quibus interdixit aula.	
1180	xliij	Philippus Lutetiq quodã ſabbati die 1111 Cal.Mar.ingreſſus ſynagogã,Iudæos ſpoliat. 1111 Cal.Iunij in aſcenſione domini Philippus iterum vnà cum vxore Eliſa Balduini Annonis filia coronatur. Philippus Eliſq auũculus Comes Flãdriq matrimonij author fuit.Filium regẽ per annũ vnum vidit pater maximo cũ gaudio. Religionis gratia in Angliam ad D.Thomã ſe contulerat.Pariſios reuerſus obit 111 Calen. Octobris,tranſlatus ad Barbeli, quod cœnobiũ ordinis Ciſtertiẽſium ædificauerat. Adela regina,Aliſam Gaguinus nominat, mauſoleum marito extruxit auro argento & vnionibus decoratum.	5141
1181	i	PHILIPPVS AVGVSTVS DEODATVS XLI. SOLVS REX ANN. XLIII. Per initia multus fuit in hoſtium ſeditionibus	5142
1182	ij	tum ſuis tum eccleſiæ reprimendis. In Iunio coacti Iudæi regno excedere.	5143
1183	iij		5144
1184	iiij	Balduinus puer rex Hieroſolymorum. Bellum Flandricum.	5145
1185	v	Philippus Comes Flandriæ ſic cum rege de Viromanduis paciſci cogitur, vt poſt mortem adijcerentur regis patrimonio. Vido Luſinianus è nobiliſſima Pictonum familia,rex Hieroſolymorũ.	5146
1186	vi	Gotthofredus Dux Britãniæ moritur Lutetiæ relicta vxore Conſtãtia grauida,quæ mox Arcturum parit	5147
1187	vij	Natalis Ludouici filij Philippi VIII.Id.Septemb. Finis regni Hieroſolymorum.Sãcta vrbs 89 quàm de Barbaris recepta fuerat anno,VI. Cal. Octob.victori Saladino reddita eſt.Aemil.	5148
1188	viij	Idibus Ianua.Reges Gallus & Anglus in colloquium veniunt in Vellocaſſibus, vbi de Hieroſolymitana expeditione decernunt.In Martio Rex conciliũ habet Lutetiq, cui decimq conceſſæ,quq vulgò Saladinides dictq fuerunt.Angli ab inſtituta profectione deſciſcunt.Ricardus relicto patre Gallorum partes ſequitur. Auguſtus Cœnomanos & Turones occupat,cuius rei ira & indignatione rex Angliq pridie Nonas Iulias Chinone decedit. Ricardo Angliæ regi ſalutato Auguſtus captas viuẽte	5149
1189	ix	patre reſtituit vrbes,& de profectione inter ſe antea inſtituta conueniunt. x.Cal.Martij Eliſa regina moritur Lutetiæ,in æde Virginis ſepulta.	5150
1190	x	Adela regis mater regens Franciæ. Gulielmus regis auũculus archiepiſcopus Remẽſis,Legatus. Philippus profectioni ſe accingens,illorũ fidei filium cõmittit,regniq; adminiſtrationem. Hic ſuo tempore plurima in reip.vtilitatem prudẽter inſtituit.Aediles, quos vulgo Scabinos appellant,Pariſiis creãdos curat.Bonam vrbis partem muris cinxit,plurimas lapidibus vias ſtrauit,commune illud D.Innocentij cœmeteriũ extruxit.Forũ item venale, Falas vulgo appellant,Lutetiæ ædificauit.Saltum Vicenarum mœnibus cinxit. Rex in Genuenſi portu mare conſcendit:qui vbi paulum proceſſiſſet,talis oborta eſt tempeſtas,vt multi ex ſuo comitatu naufragio extincti fuerint. Ricardus Maſſilia vento ſecundo ſoluit. Vterque in Siciliam menſe Auguſto appulere,vbi coacti ſunt hyemare. Inter reges in hybernis ocioſos, vt aſſolet, ortum eſt diſſidium non mediocre.	5151
1191	xi	Philippus prior prœceſſit in Syriã.Ricardus tempeſtatis vi in Cyprum eiectus,tyrãnum à quo littoribus arcebatur,& inſulam bello cepit,præſidioq; firmauit,illinc ad Auguſtum regem profectus Ptolemaida obſidentem,quam paucis poſt diebus cõiunctis copijs expugnauerunt. Mauricio Pariſiorum epiſcopo D.Virginis templum ædificatum. Margarita Flandriæ Comes. Graſſante per exercitum peſte Rex maiori parte ſuarum copiarum,& Odone Burgũdiq duce prætore relictis,in Galliã Rufino Volta Genuenſi nauarcho comitatus,obiter papam cum inuiſiſſet, circa Natalem Chriſti domum reuertit. Ricardus Anglus in Syria manſit.	5152
1192	xij	Ricardus Cypri regnum Vidoni Luſiniano vendit,quod ad noſtra ferè tempora ſeruarunt eius poſteri,quoad illic imperitare cœperũt Veneti. Auguſtus Balduinum Flandrum locis munitis ab eo occupatis repente deturbat.	5153

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
1193	xiij	Antequam è Germania liberari potuisset Ricardus, vbi carcere continebatur, Augustus Gisortium occupat cum vniuersa Margaritę sororis dote, ab Anglo repudiatę, quam postea Pontiuensi Comiti vxorem dedit.	5154
1194	xiiij	Fames.	5155
1195	xv	Pacem ineunt Philippus rex, & Balduinus Flādriæ Comes. Comitatus Atrebatium creatio, qui regis filio traditur. Ludouicus primus Atrebatium Comes. Rex vxorem ducit Gelbergam Dani regis sororem, quam intra tertium mensem	5156
1196	xvi	repudiatā, & in Stāparum arcem coniectam asseruari iubet: mense Iunio sequenti Mariam ducis Morauiæ filiam accipit. Iudæi à Philippo in Galliam reuocati. Bellum inter Gallos &	5157
1197	xvij	Anglos, eorumq; socios	5158
1198	xviij	ac fœderatos varium. Le	5159
1199	xix	gatus papę circa D. Michaelis festū in Diuionensi concilio ob secundū regis matrimoniū toti Frāciæ sacris clām interdixit. Qua sententia promulgata Rex vehementer iratus, qui concilio interfuerant, persecutus, eos grauiter vltus est.	5160
1200	xx	Pax inter Philippum & Iohānem Angliæ regem. Ludouicus regis filius Blancham Adelphonsi regis Castulonensis & sororis Iohannis filiam vxorem ducit.	5161
1201	xxi	Alijs deinde Legatis papę ad Suessiones concilii habentibus, rex Gelbergā recipit, eodem secū equo insidentē reducit. Octauianus Cardinalis alter Legatorū, perpetuus in Gallia māsit Legatus. Maria vxor posterior doloris impatientia, & animi indignatione apud Pontiacū interijt. procurāte tamen rege, Innocētius papa, quos ex ea liberos susceperat, Philippum qui postea Comes Bononiensis est factus, & Mariam quæ Comiti Louanensi nupsit, legitimos pronunciauit.	5162
1202	xxij	Iohānes rex Anglus Arcturum Britāniæ ducem, fratris filiū, cum quo contendebat, & qui iam magnas vires acquisierat in Pictonensi agro, opprimit, eumq; aliquādiu	5163
1203	xxiij	in custodia asseruatum necari iubet. Rex conatur Anglum persequi, Arcturiq; necem & parricidium vlcisci.	5164
1204	xxiiij	Totā Normaniā Augustus recepit anno 260 (270. Aem.) postq̄ Rholloni data fuerat. Ab vniuersa quam in Gallia habebat possessione, sua culpa & ignauia Anglus penè depulsus est. Galli Græcorum Imperium pridie Id. Apri. Byzātio recepto, tenent, à Venetis & quibusdam alijs socijs adiuti, quibus impensas refundunt. Balduinus Flādrensis imperator Constātinopolitanus Græcorum ecclesiam Romanæ audientem & concordem reddit.	5165
1205	xxv	Henricus Balduini frater Græcorum Imp. Augustus.	5166
1206	xxvi	Iohanna Comes Flandriæ.	5167
1207	xxvij	D. Dominicus Tolosates & Albios addit hæreticorum confutandorum gratia.	5168
1208	xxviij	Almaricus Carnotensis hoc tēpore vir eruditus, sed hæreticus, cuius sequaces Lutetiæ cum eiusdem ossibus refossis postea sunt vlti.	5169
1209	xxix		5170
1210	xxx	Simo Comes à Monteforti bello aduersus Albios hęreticos profectus, Biterras, Carcassonem & Albios occupat, & quædam alia circūm oppida.	5171
1211	xxxi	Ferdinandus Lusitanus Iohannam Comitem Flandriæ vxorem ducit.	5172
1212	xxxij	Bellum Flandricum.	5173
1213	xxxiij	Albiorum strages, in qua Petrus Tarraconen. rex eorum auxiliarius necatur. Fortunā & victoriam persequitur Simo à Monteforti.	5174
1214	xxxiiij	Pugna Bouinensis rex Augustus vincit pridie Non. Iun. (alij v II. Cal. Augusti) Otho fuga salutem petit. Captiui ducuntur, Ferdinandus Lutetiam in arcem Luparam recēns ædificatam, Reginaldus Bononiensis Peronam, Saleberiensis Comes Anglus ad Fanum Quintini. Otho, & nonnulli eius sectatores impij, & ecclesiæ hostes à Papa iudicati erant. In acie multum Rex periclitatus est, reuersus templum victorię virgini matri dicatum prope Syluanectum ędificat. Male, vt mihi videtur, Gaguinus hoc prēlium an. 1211. factum esse scribit. Eodem tempore, &, vt quidam tradunt, die, Ludouicus regis filius ad Pictones & Aquitanos missus, cum Iohāne rege Anglorum manus conserit, cui tam varijs modis afflicto Augustus dat inducias v. annorū. Petrus Altissiodorensis Græcorum Imp. Aug.	5175
1215	xxxv		5176
1216	xxxvi	Simo à Monteforti ius in Ducatum Tolosanum concilio Lateranensi datum, à rege adiutus persequitur aduersus Raimundum Tolosatem ex Hispania cum auxiliarijs militibus reuersum, & aduersus Albios. Ludouicus Philippi F. à primoribus Angliæ in spem regni vocatus, iureiurādo obsidibusq; acceptis ex portu Itio traijcit tempore dissidij inter illos & Iohannem	5177

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		Regem,qui interea repente moritur. Angli igitur Henricum defuncti filium,odio	
1217	xxxvij	in amorem verso,Regem salutãt.Ludouicus autem conuentione facta,pecuniaq; accepta,in Galliam se recipere cogitur anno 1218.Poly.Verg.	5178
1218	xxxviij		5179
1219	xxxix		5180
1220	xl	Robertus Petri F.Græcorum Imp.Aug.	5181
1221	xli		5182
1222	xlij		5183
1223	xliij	Rex quartana febre Meduntę interijt pridie Id.Iulij diluculo. Testamẽto ingentem pecuniæ summã legauit Iohanni Brenno Hierosoly. Regi,qui moribundũ inuiserat. Item Tẽplarijs Hospitalarijsq;,item egẽtibus,ac suũ omne vestiarium sacris ædibus. Corpus ad D.Dionysii delatũ, honorificentissimẽ maximaq; pompa & frequentia conditum est,exequias celebrãtibus Io.Brenno Rege,Legato Papę,& episcopis qui Lutetiam ad conciliũ in Albios conuenerant. Ludouicus F.cum Blãcha vxore VIII.Id.Augusti Remis per Gulielmum archiepiscopum sacratur atq; coronatur.	5184
1224	i	LVDOVICVS D.LVDOVICI PATER XLII REX ANN. III. Simo à Monteforti Comes in Tolosæ oppugnatione cæsus.eodẽ anno idẽ Vidoni filio contigit,cui Almericus iunior frater successit. Congressus & amicitia instituta inter Regẽ & Fœdericum Germanorũ Imp.Vallicolorij apud Ambaros. Matthæus à monte Morentiano M.Eq. Sauarus Malleonensis male ab Anglis tractatus, partes sequitur regias.	5185
1225	ij	Leues fiunt excursiones inter Gallos & Anglos in Aquitania. Quidã Balduinus cõmentitius,qui se Imperatorẽ Constãtinopolitanũ finxerat,in Burgũdia iterceptus,& à Iohãna Flãdrię Comite,quã aiebat filiã,ad patibulũ missus.	5186
1226	iij	Almericus Comes F.Simonis à Mõteforti M.Eq.Rex mense Maio aduersus Albios hæreticos proficiscitur.Auenionem expugnat,vrbisq; muros diruit, redeundo Montispenserij moritur pridie Id.Nouemb. Ludouicus F.annos natus XII tertio Cal. Decẽb. ab episcopo Suessionensi sacram accipit coronam.	5187
1227	i	DIVVS LVDOVICVS XLIII REX ANN. XLIIII. Blancha regis mater Gallię Regens testamento relicta, moderata & sapiens mulier:quæ partim obscuras,partim apertas inimicitias initio regni exortas sedat, vel vi, vel beneuolẽtia conciliãs sibi principes,aliosq; qui secesserãt,facta in filium coniuratione. Vmbertus bello præfectus Regius à Blãcha Regẽte aduersus Raimundũ Tolosatem missus. Die Epiphaniæ festo Ferdinãdus Flãdrus numerato redẽptionis precio liberatus,& in aulã receptus,summa in gratia apud Regentem materterã fuit,vt esset cõtra Philippũ Bononiẽsem coniuratorũ principẽ: à quo Calitiũ & munitum, & muro cinctũ est. Pacẽ fecit Blancha cum Cãpano,morte matris auunculiq; Nauarrorũ Rege salutato. Petrus Maledoctus ex vxore Adela dux Britãnię,qui cum esset aliud cõiurationis caput,Anglos in Galliã euocauerat,redit in amicitiã Britãniã regis beneficiũ professus,deprecãte potissimũ fratre maiore Roberto Comite Druydum, qui antè à coniuratione ad partes Regias desciuerat.Quare istorũ & permultorũ nobilium coniuratio frustra fuit. Theobaldus Campanus Nauarræ Rex.	5188
1228	ij		5189
1229	iij	Balduinus Roberti filius puer Græcorum Imp.Aug.	5190
1230	iiij		5191
1231	v		5192
1232	vi	Schola Parisiorum à D.Ludouico restituitur,quæ propter motus,iniurias & cędes scholasticis illatas dilabebatur.eam autem rex Anglus ad se pellicere,& Oxonij instituere studebat.	5193
1233	vij		5194
1234	viij	Rex solus regni administrationẽ suscipiẽs,Margaritã Raimũdi Comitis Prouincię filiã vxorẽ accipit.Raimũdus Massiliã redire nolẽs odio suorũ(nã expellere eũ conati fuerãt,accito iuniore Raimũdo Tolosate)apud fororis virũ Comitẽ Sabaudiæ reliquã vitã egit.Quatuor eius filię singulari quadã felicitate Regibus nupserũt. Maxima natu Regi Gallo,Leonora & Sãtia vel Cynthia duobus fratribus,Henrico regi Angliç,& Ricardo German.Imperatori delecto.Sabaudus Beatricẽ minimã à morte patris Carolo Regis fratri collocat,Tolosate repudiato.Ea Regina erit Siciliæ.	5195
1235	ix	Alphõso regis fratri Pictonũ duci Iohãna Raimũdi Tolosatis vnica filia despõdetur,ea quidem lege,vt Alphonsus solus succederet, vsufructu tãtum socero quoad viueret relicto	5196
1236	x	Robertus Regis frater Comes Atrebatium. Carolus regis frater Comes Andium,Cœnomanorum, & Prouinciæ.	5197

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
1237	xi	Expeditio maritima in Asiã in auxiliũ Christianorũ, quam susceperunt Theobaldus Nauarrorum rex, Petrus Maledoctus, Almericus à Monteforti, Erix Ambarus &c. Balduinus Constantinop. Imp. auxilium petẽs venit in Galliã. Regis opera suæ ei redditæ & in Francia & in Flandria res, Comitatúsque Namurcensis.	5198
1238	xij	Lutetiæ disputatum authore Gulielmo episcopo de plura sacerdotia obtinentibus: decretum tandem ac constitutũ fuit, vt nemo nisi vni præesset, nisi lętali noxa se vellet obstringere. Annales Francorum, & aliæ historiæ.	5199
1239	xij	Spinea corona, & sacrosancta Christi passi monumẽta quę Balduinus Venetis oppignerauerat, à D. Ludouico redempta sunt: qui apud sacrum Palatij sacellum quod Lutetiæ erigebat, ea deposuit, & asseruanda commisit. Ne minimũ quidem sacerdotium & prębendum ædiculę illius dabat, nisi lectissimis viris, & probatę vitę, & doctrinę singularis. Quid quæso facturus erat si donaret episcopatus? Aemil.	5200
1240	xiij	Fœdericus Imperator congressus & colloquij simulatione Regem circũuenire nititur: quosdam etiam Galliæ Præsules Romã ad concilium papę accitos in itinere capit: tandem literis Regis eos restituere cogitur.	5201
1241	xv		5202
1242	xvi	Vgo Marchiæ Comes consilio & superbia vxoris victus, noluit se profiteri clientem (quod homagium facere dicunt) Alphonso Comiti Pictonum. Sed illa Anglũ cuius mater erat, in Galliam pertraxit, vbi rebus parum	5203
1243	xvij	fœliciter gestis, Vgo se dare in clientelã, & iusiurandũ præstare Alphonso cõpellitur.	5204
1244	xviij		5205
1245	xix	Margarita Flandriæ Comes. Innocentius quartus Fœdericum metuens, cum in Galliã fugisset, Lugduni	5206
1246	xx	conciliũ habuit: quẽ Rex initio inuisit: Imperatorẽ ecclesiæ hostẽ iudicat, imperiũq; ei abrogat. Ruber pileus & purpura in eo primũ cõcilio Cardinalibus data sunt. Rex cũ Pontisaræ grauissimè ægrotasset, morbo liberatus sacrã militiã profitetur. Controuersia inter filios de successione superstite Margarita matre Flandriæ Comite. Rex sic rem composuit, vt Gulielmus, eusq; fratres Dampetrę filij ex secundo matrimonio post fatum matris Flandriæ Comitatu potirentur, ex primo autem cõnubio nati Annoniam obtinerent.	5207
1247	xxi	Henricus dux Brabantię primus, cũ antea eius maiores Louanij Comites essent.	5208
1248	xxij	D. Ludouicus Blancha matre Galliarum Regente 11 instituta, cũ fratribus Roberto & Carolo & Odone legato papæ soluit Massilia (alij, Aquis sextijs) v 111. Calẽ. Septemb. qui dies eius memoriæ postea consecratus est, ad x 1 Cal. Octob. appulit in Cyprum. Mors Raimundi Tolosatis Alphonsum generum remoratur.	5209
1249	xxiij	Rex Aegyptũ ingressus, Damiatã expugnat. Robertus regis frater vltrà progressus, in pugna cadit contra Aegyptios, victoria Gallis alioqui prælio duplici, cedente. Alphõsus appulit Cal. Nouemb. Damiatam. Morbo ex labore ærumnaq; militari passim in castris grassante, Rex grauiter laborat. Cladem nostri fessi victique malis maximam à Barbaris accipiunt. Strenui bellatores permulti per illas miserias desiderati. Carolus Alphõsusq; capti. Damiata Barbaris restituitur cum magna vi pecuniæ inducíarum pactione in decem annos facta. Iraq; rex liberatus in Syriam cũ paucis militibus reliquis se recipit. Regina Iohannem infelici cognomine Tristennem patre captiuo peperit. Rex ante reditum Sidonem, Cæsaream, Iopem restituit. Christianos Barbarorum seruos gregatim vndiq; cogebat atque redimebat.	5210
1250	xxiiij		5211
1251	xxv	Pastores, ingẽs manus perditorum hominum, qui cum regem captiuum audiuissent, arma ceperant, à Biturigibus Aurelianensibusq; deleti sunt.	5212
1252	xxvi	Blancha D. Ludouici mater obit.	5213
1253	xxvij	Regis in Galliam reditus. Lutetiæ Robertus Sorbonã instituit, atque fundauit collegium Sorbonæ.	5214
1254	xxviij	Rex Carolum fratrem mittit opem laturum Margaritæ Flandriæ aduersus eius filios Auenienses, & Gulielmum Hollandum Imperatorem delectum.	5215
1255	xxix	D. Ludouicus histriones, parasitos, & eiusmodi homines nequã ab aula exegit. Magistratuum ambitum & sordes coercuit. honorum dignitates illis non erant venales,	5216
1256	xxx	neque ausi fuissent in toto iurisdictionis tractu aut fundos emere, aut sacerdotia liberis accipere. Blasphemis, & in vanum nomen dei assumentibus, in fronte cauterium inussit.	5217
1257	xxxi		
1258	xxxij	Ecclesiæ permultæ & collegia & sodalitates gloriãtur hoc se Rege institutas & cõditas. Cœnobiũ D. Dionysii vt nunc stat & visitur, Rex instaurauit Matthæo Vindocinensi antistite, vbi superiorum collecta sepulchra exornauit. Valetudinarium proxime ædem maximam D. Virginis Lutetiæ extruxit. Albertus magnus.	5218 5219

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
1259	xxxiij	Balduinus Augustus Græcia pulsus est à Palæologo. Tunc Gallorum imperium apud Constantinopolim finitur,quod obtinuerant ab vrbe capta 55. annis. Thomas Aquinas prædicator.	5220
1260	xxxiiij	Mendicantium ordines suum genus vitæ miris laudibus, ac religionis sanctitate, schismaticè ac seditiosè commendabant. Gulielmus à Fano amoris,Sorbonicus doctor,aliíq; doctrina clari,mendicitatem illam in vulgus,ac votiuam fine causſa paupertatem improbabant,contendentes speciem & prætextum religionis dari inerti & desidiosæ vitæ,ac mendicationi. Liber eius, qui adhuc extat in bibliotheca Sorbonę, damnatus est.	5221
1261	xxxv		5222
1262	xxxvi	Vrbanus Quartus PP.in Tricassibus natus humili loco. Philippus filius D. Ludouici Claromonte Pentecostes die, composita de finibus controuersia,Elisabetham Iacobi Tarraconensium regis filiam vxorem accipit	5223
1263	xxxvij		5224
1264	xxxviij	Carolus regis frater comes Prouinciæ & eius vxor cum Massilia soluissent,triginta	5225
1265	xxxix	triremibus Romam appulsi,Siciliæ & Hierosolymorum reges salutantur, papæ beneficiarij ac tributarij.Ad Beneuentum Manfredum Romanæ ecclesiæ hostem iudicatum Carolus vicit,occiditq;,& in possessionem regnorum iuit.	5226
1266	xl	Carolus Siciliæ rex,vicarius imperij nomine papæ.	5227
1267	xli	Philippus Pulcher nascitur,filius Philippi. Pugna ad lacum Fucinum inter Carolum & Conradinum Sueuum.	5228
1268	xlij	D.Ludouicus cum iam statuisset in Asiam aut Africam traijcere, celebre illud &	5229
1269	xliij	memorabile fœdus cum Angliæ rege Henrico præsente frequentissimo vtrinq; nobilium conuentu Lutetiæ percussum est. Normani,Cœnomani,Andes, Turones, Pictones regi Gallo cesserunt, Anglus verò magnam vim pecuniæ haberet, & vlteriorem Aquitaniam,& ex citeriore vsq; ad Carontenum cum finibus Agenensium,Cadurcorum,Lemouicum,de quibus tamen Gallo Anglus ius clientelare deberet,ac superiorem agnosceret,renuncians ius omne quod in Galliæ regnum sibi vendicare posset. Henricus in Orientem expeditionem susciperet, D. Ludouicus Thunetem, Polydorus Vergilius, & quidam alij hanc pacem factam fuisse tradunt anno 1258. Ludouicus D.Ludouici filius moritur.	5230
1270	xliiij	D.Ludouicus cum tribus filijs Cal.Mart.soluit Massilia(gallicæ historiæ tradunt ab Aquis Sextijs) in Africam traiecturus,relicta regni administratione Simoni Neellæ,& Matthæo Vindocinensi antistiti D.Dionysii. Sæua tempestate in mari iactatus. Carthago expugnata. Thunetis obsessa. Pestilentia in castris. Iohannes Tristennis regis F.prior decedit:quem ex profluuio ad.viij.Cal.Septemb.pater Rex sanctus morte sequitur. Carolus frater Siciliæ rex,statim interuenit. Henricus quoque Ricardi Angli Cæsaris filius Cornubiæ comes. Philippus D.Ludo.F.Rex in castris salutat⁹ post datas leges Barbaris,& tributũ imp̃situm vt quotannis Carolo regi C C C C.M.aureorum penderent,cum eo è Sicilia in Galliam redit. In mari peste & tempestate afflictati. In itinere moriuntur Drepani Theobaldus rex Nauarræ,& statim vxor eius grauida Isabella filia Regis. Obit & noua regina Elisabetha Philippi, Aemil. qui aberrat Gulielmi Dampetræ comitis Flandriæ interitum hic adnotans, multò antè ob domesticas discordias interfecti: sed Vido Dampetra eius frater D. Ludouicum in hanc expeditionem secutus est.	5231
1271	i	PHILIPPVS D. LVDOVICI FILIVS XLIIII. REX ANN. XV. Funere patris,eorumq; qui in expeditione obierant,celebrato apud D.Dionysium, rex inungitur Remis ab episcopo Suessionum iij.Cal.Septemb. Quidam hunc Audacem cognominant,sed ea fuit animi & morum lenitate,vt non meritò potuerit appellari Audax. Philippus verò Burgundiæ dux Audax vocabit. Henricus Theobaldo in regnum Nauarræ succedit, vxore ducta Roberti Atrebatium comitis fratris D.Ludouici filia: vnde procreata est Iohanna vnica.	5232
1272	ij	Nuptiæ quoque Petri comitis Alenconij fratris regis cum Iohanna Iohannis Blesensis filia.	5233
1273	iij	Bellum Flussatium. Raimundus Bernardus Flussatium comes, cum annum captiuus fuisset, restituitur. Concilium Lugdunense Gregorio X.PP.pro terra sancta recuperanda, & aduersus Græcos de sancto spiritu. Eustathius Bonauentura à balneo regio,ordinis minorum antistes ibi factus est Cardinalis.	5234
1274	iiij	Rex primùm inuisit papam.	5235

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		Errat Aemilius,annum 1284. pro 1274.accipiens. Bellum Hiſpanicum Caſtulonenſe pro ſororis Blanchæ filijs Ferrando & Alphonſo pupillis,Ferrando Caſtulonenſe patre mortuo. Iohãna Nauarra orba in Galliam adducitur patre Henrico Pompellone defuncto. Euſtathius Bellomarchius reginæ infantis nomine iuſiurandum & à populis & à ciuitatibus accipit,auxilium ferente Roberto Atrebate pupillæ auunculo præfecto, qui à rege iuſſus eſt illuc diuertere relicta expeditione Caſtulonenſi. Rex Mariam Ericis Brabantini filiam ducit,quæ in ſacro palatij ſacello Lutetiæ coronatur x.Cal. Iulij.	
1275	v	Ludouicus filiorum regis maximus obit. quem veneno ſublatum eſſe ſuſpicio fuit. Quare vt res certò cognoſceretur, præſules aliquot, (ſic vides epiſcoporum obſequia aliquando honeſta & liberalia fuiſſe) Niuellam miſſi ſunt ſciſcitaturi Beguinam ſortilegam.	5236
1276	vi	Brocchius cubicularius fiſci præfectus res maximas regni adminiſtrans, magna procerum omnium lætitia Pariſiis reſte dedit ſupplicium. Petrus illi ex vxore affinis Bellouacorum epiſcopus ad papam profugit. Reges,Francus Baionam,Caſtulonenſis Marſanum petiere, ſed inde re infecta diſceſſum.	5237
1277	vij		5238
1278	viij	Iacobus Meyerus hucuſque Chronicon Flandriæ ſcripſit.	5239
1279	ix		5240
1280	x		5241
1281	xi	Siculus Veſper die Paſchæ propter Gallorũ libidinem,& militarem inſolentiam, Siculi à Carolo deficiunt,ingenti cædefacta,coniurationis principe Iohãne à Prochyta,& Petrum Tarraconenſem recipiunt. Petrus Alenconius regis frater, cũ magnis copijs,multisq; principibus & nobilibus in Italiam tranſcendit laturus Carolo ſupperias,ſed in Apulia naturæ conceſſit. Bellum Tarraconenſe. vbi primùm imperio papæ aduerſus Chriſtianos Hiſpanos,perinde atque antea aduerſus Saracenos,crucis inſigne acceptum.	5242
1282	xij		5243
1283	xiij	Papa Petrum Tarraconenſem proſcribit,& hoſtem eccleſiæ iudicat, eiusq; regnum dat Carolo Valeſii comiti regis Franci ex ſorore Petri filio.	5244
1284	xiiij	Nuptiq & cõſecratio Philippi Pulchri,& Iohannę reginæ Nauarræ xviij.Cal.Sep.	5245
1285	xv	VIII. Id.Ianua.obitus Caroli regis. Carolus Claudus eius filius captiuus erat. Robertus Atrebas præfectus,regis & papæ mandato, vt quæ patrui mortui eſſent in Italia tueretur,interim dum hæres cuſtodia liberaretur. Pridie Id.Maias rex comitatus regibus Philippo filio Nauarrorum, & Iacobo Balearium,in Ruſcinonis comitatum venit aduerſus Petrum Tarraconenſem. Genua Ruſcinonis expugnata & diruta. XIX. Cal.Septemb.leui prælio arte & dolo Rodulphi M. Eq. commiſſo,Petrus rex Tarraconen. ita vulneratus, vt inde obierit. Rex Philippus rediens in magno diſcrimine,ex morbo Perpeniani decedit menſe Octob. Gerunda quam receperamus,defecit.	5246
1286	i	PHILIPPVS PVLCHER XLV. FRANCIAE REX ET NAVARRAE ANN. XXVIII. Remis viij. Idus Ianua. conſecratur. Palatium in inſula quam Sequana Lutetiæ facit, à Philippo extructum magnificentiſſimè. Huic negocio præfuit Engerranus Marinius, regis conſiliarius, & fiſci præfectus. In eo palatio forum eſt,quod Parlamentum vocant:vbi certæ ſedes ſummis iudicijs datæ, ac conſtitutæ ſunt. Illic etiam ratiociniorum, aliorumq; plurium iudiciorum ſubſellia.Ad hæc regia principis. Gaguinus ſcribit ibi Parlamentum conſtitiſſe ordinarium Vtino rege. Hoc rege Gymnaſium Nauarræ Lutetiæ inſtitutum ac fundatum à regina Iohanna.	5247
1287	ij		5248
1288	iij	Carolus rex Apuliæ (quem pro Claudo nonnulli Cunctatorem vocant, inq. Aemil.) ex Hiſpania in Franciam pace facta rediit,atque inde in Italiam cum egregio comitatu tranſcendit, vbi Guelforum partes contra Gibellinos defendit. Die	5249
1289	iiij	Pentecoſtes à Nicolao papa Romæ Apuliæ rex & Siciliæ conſecratur. Induciæ in quinquennium renouatæ inter Iacobum Tarraconenſem, & Carolum	5250
1290	v	Claudum. Robertus Atrebas indignatione redit in Galliam. Carolus Valeſius Claudi filiam cum Andium comitatu pro dote, vxorem acceperat. Deinde pace qua Bonifacius Octauus in concordiam rediget,vt iuri quod in Tarraconiam ſibi vindicabat,renunciaret,Cœnomanorum comitatus illi accedet.	5251

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
1291	vi	Aemilius hic statuit finem belli sacri in Oriente, Ptolemaide à Sultano deleta. IIII. Non. Octobr. natalis Ludouici Vtini.	5252
1292	vij	Secundum bellum Anglicum.	5253
1293	viij	Angli Normaniam & Aquitaniam inuadunt. Arnulfus Neella M. Eq. prior discedens, subsecutus deinde Carolus regis frater Valesii comes eos grauiter cædunt, Adulfo Germanorum imperatore pecuniæ magna vi ad bellum nobis inferendum pertracto. Eduardus Anglus parans expeditionem, similiter Ericem Ambarum, &	5254
1294	ix	Vidonem Flandrum socios asciuerat. Vido à rege Gallo profugit, hostis infensissimus, à quo in aula simul cum filia dolo retentus erat: quæ licet honorificè habita & tractata, ibi tamen fato cessit. Iohannes Scotiæ rex natus Aricuriæ in Gallia, eiusdem princeps, semper regis partes tuetur: sed post paulò ita vexatur, vt in hostis Angli manus, caussam regis defendens, venerit. Polydorus Verg.	5255
1295	x	Aegidius Romanus theologus archiepiscopus Biturigum. Bellum Flandricum Angli gratia. pugnatum ad Furnas. captis Hilermo Iuliacensi, & Erice Bellomontano, Anglus & Comes se recipiunt ad suos. Claudus rex ex Italia cum venisset, inter Philippum & Eduardum inducias in biennium composuit.	5256
1296	xi	Quinquagesimæ & centesimæ vectigal negociatoribus impositum, quæ Malatosta vulgò appellata est.	5257
1297	xij		5258
1298	xiij	D. Ludouicus Franciæ rex à Bonifacio in sanctorum numerum relatus. Philippus & Eduardus aduersus Adulfum omnibus inuisum ob astutias & scelera	5259
1299	xiiij	coierunt, armantq; in illum Albertum Austriæ ducem Imperatorem delectum, à quo fuit in prælio cæsus. Eduardo regi Pulcher Margaritam sororẽ locauit, vniuersamq; Aquitaniam reddidit. Pol. Ver. Blancham minorem Fœdericus Alberti Cæsaris filius duxit. Vniuersam Flandriam Rex opera Caroli Valesii subigit. Vido comes cum liberis Roberto & Hilermo Lutetiam captiuus adducitur. Rex à Flandris magnificè receptus est, quorum plebs animo confestim mutato, concitata, armis ducibusq; assumptis Petro Lusco textore, & Bridano lanio, apud Brugas vim conantur inferre Iacobo comiti Fani Pauli regio prætori. Philippus Vidonis comitis F. Carolo rege, cui in Italia stipendia faciebat, relicto, redijt patriæ suppetias laturus. Eduardus rex Anglus, cum Flandros seruare cuperet, callidè quibusdam dispersis rumoribus, regem à bello abstrahit, ad quod gerendum rebus omnibus instructissimus ipse pergebat.	5260
1300	xv	Carolus Valesius alia vxore ducta, Catharina Balduini iunioris Aug. ex Philippo filio nepte, Romam ad Bonifacium Iubilei ergò peregrinatur.	5261
1301	xvi	Carolus Valesius à Bonifacio patrimonij D. Petri præfectus eligitur. Ludouicus regis frater Eburouicum comes.	5262
1302	xvij	Odium & inimicitiæ Bonifacij papæ in Philippum Pulchrum. Mira hominis impudentia fuit, qui regnum Galliæ, pontificiæ maiestatis beneficium asserere ausus est. Verùm multo stolidiores esse puto, qui disceptant an tantum liceat pontifici. Tunc nostræ demum Franciæ sacris interdixit. Episcopi Regis partes secuti sunt. Pugna Curtracensis. Flandri mense Iulio victoriam de nobis insignem reportarunt. Robertus Atrebas, Reginaldus Neella, Iacobus comes fani Pauli, & plærique alij illustres illic cæsi. Atrebatium comitatum Othoni Burgundiæ comiti, qui Mathildem defuncti Roberti filiam in vxorem duxerat, rex dono dat, nulla Roberti nepotis ex Philippo filio ante Robertum patrem mortuo, ratione habita. Isabella regis filia iuniori Eduardo Anglo nubit.	5263
1303	xviij	Vido comes Flandriæ cum filio Hilermo regi fide data, in patriam ad tumultus sedandos proficiscitur: qui vbi nihil promouisset, ad regem redijt, obijtq; Compendij viij. Cal. Mart. Morte Vidonis Marchiæ regi obuenit Engolismensium comitatus. Gaguinus. Bonifacius PP. ab hoste Sara Columna intercept⁹, Anagniæq; asseruatus in domo paterna, post diem 35. ex quo liberatus erat, ob animi ægritudinem indignationemq; rabie correptus interijt.	5264
1304	xix	Ad fanum Odemari X V. M. Flandrorum, ad Ariam D C C C, ad Tornacum D. cæsi. Rex valde periclitatus est in conflictu ad Montem Populeti, in quo, Hilermo Vidonis nepote cum sex millibus hostium cæso, vicit, M. D. è suorum numero amissis. Certis conditionibus Robertũ Vidonis F. maximum, & comitatus Flandriæ hæ-	5265

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		redem Flandris reddit. Regnum & rex ipse à Benedicto pontifice absoluitur. Rex iste grauis decumarum exactor extitit, cuius tempore pecunia rara, & moneta parum proba.	
1305	xx	Lugduni cum Clemens Quintus Lemouix, antea Bertrandus dictus, Burdegalæ archiepiscopus, PP. coronatur, Gallus, Anglus, Tarraconensis reges conueniunt. Nobiles aliquot in turba elisi, Papa per vias incedens ex equo deiect⁹, Rex Gallus maceriæ antiquæ & multitudine spectantium grauatæ ruina penè opprimitur: qua circunuentus Iohannes dux Britanniæ necatur. Huic Arcturus F. successit.	5266
1306	xxi	Sedes papalis Roma Auenionem translata, vbi annos lxx. constitit. Tres cardinales missi, qui Romæ & in Italia res gererent. Iudæi à Rege spoliati, & è Gallia pulsi.	5267
1307	xxij	Ludouicus Vtinus morte matris Iohānæ reginæ Nauarrę rex coronat Pompelone. Valterus Castellioneus M. Eq. Per hæc tempora Templarij vbique	5268
1308	xxiij	puniuntur. interea rex bonam partem reditus illorum accipit, papa con	5269
1309	xxiiij	sentiente. Robertus Caroli Claudi F. Prouinciæ comes, Auenione rex Apuliæ à papa coronatur, quo iure pater eius regnum obtinuerat, & in Italiam præmissus, vt Henrici Imp. eò proficiscentis conatus frangeret. Turcis expulsis D. Iohānis Hospitalarij Rhodum capiunt: qui ob id ipsum postea vocari cœperunt Equites Rhodij.	5270
1310	xxv		5271
1311	xxvi	Viennense concilium, in quo de Templarijs, & Terræ sanctæ recuperatione actum est. Templariorum nomen papa abolet, quorum reditus D. Iohannis hospitalarijs conceduntur. Pontifex dimisso concilio Burdegalam pergens moritur.	5272
1312	xxvij	Aureliani Schola à rege & hoc papa instituta fuit. Bellum in Robertū Flandriæ comitem paratur, Engerrani tamen Marinij opera res omnis inter regem & comitem componitur: qui cum satis magnam comparasset inuidiam in colligenda ad id bellum pecunia, maiorem etiam tum sibi conflauit ob exercitus missionem. Argentū signatum improbè. populi Parisiensis tumultus obortus irruentis in ædes Stephani Barbatuli, pecuniæ cudendæ magistri. Rex etiam ipse ex Flandria reuersus Lutetiam, ob id periclitatur. Vtinus Petri Lugdunensis archiepiscopi conatus repressit, ausi regiam occupare iurisdictionem.	5273
1313	xxviij	Nurus regię, Margarita Ludouici Vtini regis Nauarræ, Blancha Caroli, apud Malirubi monacharum cœnobium deprehensæ sunt in adulterio, & conuictæ die Martis à resurrectione Christi. grauiter suppliciū de Philippo & Valtero Danoysiis earum amatoribus sumptum. Iohanna Philippi absoluitur. Ludouicus, Margarita miserè defuncta, è qua Iohannam filiam susceperat, Clementiam regis Vngariæ filiam ducit. Carolus suæ Blanchæ libellum dat repudij, papa authore, & Iohannam filiam comitis Eburonicum vxorem accipit. III. Cal. Decembris ad Fontem Blaudi locum natiuitatis decedit, in æde D. Dionysii sepultus. Ludouicus Vtinus F. post patris mortem sesquiannum ferè regnauit.	5274
1314	i	LVDOVICVS VTINVS XLVI. FRANCIAE REX ET NAVARRAE SOLVS ANN. ferè II. Vtinus, tumultuosus & perturbator. Engerranus Marinius Normanus, Longæuillæ comes, magna cum authoritate fisci summus præfectus, opera & factione Caroli Valesii capitalis inimici, quia mentiri eum per iurgium ille dixisset, Iohanne Annali accusatore, peculatus reus, furca suspenditur pridie Cal. Maij. Pauiotus Magus, cuius arte Engerrani vxor, vt ferebatur, in regis perniciem vti statuerat, strangulatur. Simul quædam clauda mulier comburitur. Engerrani statua è summis palatij gradibus deiecta. Ex eo Valesius semper valetudinarius, numinis, vt aiebant, vindicta, ipsemet mortuū vehemēter desiderauit. Rex in Galliam Iudæos reuocat.	5275
1315	ij	Opera Vtini creatus papa Iohānes xxij. qui ditior pontifex, quàm sapientior, diu victurus est. Parlamentum in palatio Parisiensi statarium & ordinarium constituit. Rex moritur Nonis Iun. ad Vicenarum saltum, Clementia vxore grauida relicta. Bello Flandrico nondum confecto, pax Lutetiæ in palatio hoc interregno facta per Philippum Longum Galliæ rectorem, & sanctius concilium Cal. Septembr. Mense Nouembri regina Iohannem peperit, qui per viij. tantum dies vixit, quare nullo numero habetur.	5276
1316	i	PHILIPPVS LONGVS XLVII. FRANCIAE REX	5277

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		ET NAVARRAE ANN. V.	
		Odo Burgundiæ dux, Iohannæ filiæ sororis & defuncti Regis Ludouici regnum deberi contendebat: cui satisfecit Longus, filia in vxorem data cum Burgundionum comitatu.	
		Ludouicus regis F. Parisiis moritur.	
1317	ij	Pace cum comite Flandriæ confirmata, Ludouicus Niuernensium comes, ex filio eius nepos, Margaritam Regis filiam in matrimonium ducit. Maria tertia Regis filia Delphino Viennensi nupsit.	5278
1318	iij	Rex iste neque ab Ecclesia, neque à populo, quæ pe-	5279
1319	iiij	tebat tributa & vectigalia impetrare potuit.	5280
		Iohannes à Poliaco Theologus, cogente Papa	
1320	v	à sententia deductus est, & iussus palinodiam canere. Asserebat enim fratribus Mendicantibus confitendum non esse de peccatis: quod si quis hoc fecisset, ad Pastorem & Curionem redeundum.	5281
		Puteos Elephantiaci à Iudæis persuasi veneno inficiunt: quæ res grassantis extitit causa pestis. sed vtrique misere dato supplicio perierunt.	
		Rex constituerat, vt vbique ponderis, mensuræ, & pecuniæ ratio eadem esset: sed morte præuentus, efficere non potuit.	
		IIII. Non. Ianuar. Longus obit, in æde Diui Dionysii conditus. ei frater succedit, IX. Calend. Martij Remis sacratus.	
1321	i	CAROLVS PVLCHER XLVIII. FRANCIAE REX ET NAVARRAE ANN. VII.	5282
1322	ij		5283
1323	iij	Iohannes Insulanus Non. Maij Lutetiæ ad patibulum ducitur. Falsum est vitricum fuisse Iohannis Papæ. Aemilius. Scelerum seuerus animaduersor, iustitiæ & æquitatis cultor Pulcher fuit.	5284
		Fraterculorum hæresim Iohannes Papa damnat.	
		Carolus Valesius Aquitaniam in-	
1324	iiij	gressus, Vgonem Pensacensem & Anglos fugat.	5285
		Isabella Regina Angliæ	
1325	v	in Galliam proficiscitur ad Regem fratrem. post in Angliam cum potenti & copioso comitatu reuersa, maritum Eduardum expellit, vt filius iuuenis	5286
		Carolus Valesius morbo nunquam se remittente, Engerrani corpus in gratiam consanguineorum à Rege postulat, eique sumptuosas exequias faciendas curat. Mense Decembri sequente circa decimum-	
1326	vi	septimum Calend. Ianuar. moritur. Eduardus tertius regno potiretur.	5287
		Regum hic primus est, qui Papæ decumas permisit, vt quæstus particeps fieret. has autem iste colligebat, vt bellum moueret in Ludouicum Bauarum optimum imperatorem, quem hostem scilicet Ecclesiæ iudicauerat.	
		Nicolaus de Lyra Theologus Franciscanus, vir doctus in lingua Hebræa.	
1327	vij	Moritur Rex ad salum Vicenarum Calend. Febr. sepultus in æde D. Dionysii, relicta vxore grauida.	5288
		Interim controuersia inter Eduardum Angliæ Regem, & Philippum Valesium, vter regni rector aut successor esse debeat. Robertus Atrebas lege Salica causam Valesii modis omnibus tuetur. Regina Calend. April. Blancham peperit filiam posthumam, quam Valesius Rex postea Philippo minori filio Aurelianensium duci elocaturus est. Itaque Philippus Valesius trium superiorum regum patruelis id temporis rector, Remis Rex inungitur die festo sanctæ Trinitati, per Gulielmum archiepiscopum.	
1328	i	PHILIPPVS VALESIVS XLIX. REX ANN. XXII. Caroli Valesii F.	5289
		Ludouicus Flandriæ Comes x. Calend. Septembr. restituitur.	
		Flandri profligantur, cæso in conflictu Collino Annecino plebis altero ductore. Castetum captum, spoliatum & incensum. A duce Brabantino redditus Hilermus Canutus alter plebis ductor regijs repetentibus, de quo Lutetiæ supplicium sumptum est.	
		Valterus à Creceio Castellionis dominus, M. Eq.	

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
1329	ij	Iohannes Papa contentionibus quæ illi erant cum Petro Reatino Antipapa,& cum Imperatore,totum regnum commouet & perturbat. Ad Ambianos regum Franci,Angli,Bohemi,& Balearici conuentus.Anglus clientem se profeſſus eſt,atque in verba Valeſii iurauit,repetens res in Aquitania ſibi ablatas bello Penſacenſi. Valeſius ſacra arma induit aduerſus infideles. Iohannes Bohemiæ rex cum filio Carolo poſtquam in Franciam venerat, Bonam filiam Iohanni regis filio natu maiori,& Normaniæ duci nuptum dedit. Ludouicus Clarimontis & Marchiæ Comes,primus Borbonij dux. Petri Cunerij actio in epiſcopos pro Rege, qua conabatur illis cum temporalem auferre iuriſdictionem,tum illorum totiúsque cleri mores in melius conformare,Bertrando Eduorum epiſcopo præcipuo defenſore. Hanc finijt controuerſiam Rex ipſe die feſto D.Thomæ Cantuarienſi, epiſcopis quod petebant concedens. Quare illi cognomen veri Catholici,cum gratiarum actione, multúsque laudibus detulerunt.	5290
1330	iij	Philippus Eburonix,Rex Nauarræ,ex vxore Iohanna filia Ludouici Vtini. Aemilius & Polydorus falluntur,appellantes Ludouicum.	5291
1331	iiij		5292
1332	v		5293
1333	vi		5294
1334	vij		5295
1335	viij	Benedictus Toloſas PP.Auenione. Initium maximi belli Anglici,quod tam atrox,cruentum,& funeſtum fuit,vt ex quo Gallia Romanorum arma ſenſit,nullum cum eo ſit conferendum: ſæpius intermiſſum, ſæpius renouatum. Robertus Atrebas Comes Bellomõtanus, cum litem amiſiſſet quæ illi erat cum Mathilde Burgundionis vxore, atque ob id inimicitias cum rege exercens,iactatis quibuſdam verbis contumelioſis, quanuis regis ſororem haberet vxorem, ſe male acceptum, iniuriámque ſibi factam exiſtimans,Burdegalam ad partes Angli ſe recepit,vxore liberisq; Iohanne & Carolo relictis. Anglus eum honorificè excepit, & remunerauit comitatu Richemondiæ.	5296
1336	ix		5297
1337	x	Iacobus Arteuilla homo plebeius in Flandria pro Anglo multas excitat turbas contra Comitem,qui ſe in Franciam recepit.	5298
1338	xi	Natalis Caroli Quinti. Galli & Angli regũ inſtructiſſimæ acies in conſpectu ferè ſine vllo cõflictu veniũt. Eduardus,cum Valeſius prælio abſtineret, Flandriam repetit : vbi Iacobi Arteuillæ conſilio,liliorum inſigni,& Regis Franciæ titulo adſumptis (quæ hucuſque ſibi arrogat) illinc in Angliam traijcit.P. Valeſius ſocios habuit in caſtris, Bohemum, Scorum,Nauarrum,reges:Duces,Iohannem Britannum, & Rodulphum Lotaringum:Comites xxvi.magnãq; aliorum nobiliũ cateruam,cum maxima militum turba. Eduardus Imperij Vicarius,conſilio ac ductu Roberti Atrebatis confidebat virtute & numero militum Anglorum, Flandrorum, & Germanorum. Sed Ludouicus Bauarus German. Imp. cui non ſatisfactum erat, mox ab eius ſocietate defecit, amicitiamq; Galli maluit. In quadam in Flandria excurſione	5299
1339	xij		5300
1340	xiij	Gulielmus Comes Saleberienſis captus Lutetiam adducitur. Pugna naualis atrox ad Cluſas ix.Cal.Iul.in qua Eduardus ſua felicitate & vento ſecundo adiutus,noſtros maris Præfectos inter ſe diſcordes, cæcidit, profligauitq;. VII. Cal. Aug. dux Burgundiæ Robertum Atrebatem Fanum Odemari obſidentem coëgit ad Anglum ſecedere, qui tum Tornacum oppugnabat. Inducijs inter reges factis promulgatisq;, vtrinque captiui redduntur. Flandri ſuum recipiunt Comitem, illis omnino parcitur. Scotus æternus Francorum amicus domum reducitur. Bohemus aliquandiu agit in Francia. Iohannes tertius Britanniæ dux, ad ſuos rediens, obit in itinere. Philippus Nauarrus in Hiſpaniam aduerſus Saracenos eſt profectus, vbi poſtea in Argefillæ vrbis regni Granatæ obſidione mortuus eſt,anno 1343.	5301
1341	xiiij	Bellum Britannicum inter Carolum Bleſenſem & Iohannem à Monteforti de ducatus Britanniæ ſucceſſione.Iohannes cum iudicio Parlamenti victus eſſet, ad vim & arma ſe conuertit, Anglo Rege freus. Iohannes Regis F. Normaniæ dux,Iohannem à Monteforti ad Nanetes capit, quem Lutetiam in arcem Luparam adſeruandum mittit. Claudia vxor cum Iohanne filio adoleſcentulo fortiter mariti partes tuetur. Papæ opera in biennium illi dantur induciæ.Interea regem Angliæ ſibi conciliauit,nuptijs pactis inter Iohannem filium,& Mariam Angli filiam.quare	5302

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		ab illo adiuta bellum quàm antea acrius repetit & renouat. Robertus Atrebas ex vulnere illic accepto postea interijt. Eduardum ipsum vt præsens bello præesset	
1342	xv	tandem illa pertraxit, sed per legatos Papæ inducíæ in triennium extractæ. Clemens Sextus patria Lemouix Auenione Papa, qui Iubileum ad annos quinquaginta rediget.	5303
1343	xvi	Oliuerius Clissonus, Gulielmus Baccho, Ricar-	5304
1344	xvij	dus Perseius, & alij nobiles aliquot è Normania & Britannia, minutæ maiestatis, qui pro Anglo stetissent, damnati, Lutetiæ capite puniuntur. Gotthofredus Comitis Aricuriæ frater, proditionis accusatus non comparuit, sed proscriptus ad regem Angliæ profugit, à quo Magister Equitum dictus est, vt scelerati & impij in patriam belli dux esset.	5305
1345	xviij	Venalia hoc tempore sacerdotia. pecuniæ omnia obediebant. Initio regni immanes pecuniarum exactiones fuere, ac primum ex sale vectigal institutum.	5306
1346	xix	Eduardus ex ducibus aliquot in Aquitaniam mittit. Ipse cum filio & numeroso exercitu in Constantiensem agrum Calend. Iulij exijt, vbi ferro & igni vastata loca vniuersa. Rodulfus Magister Equitum, & Iohannes Tancredouillanus Cadomi se ab hostibus capi permiserunt. VII. Calend. Septembr. (x. Calend. inquit Aemilius) sabbato ad vesperam pugna ad Crescíacum omnium famosissima luctuosissimáque quæ Gallis vnquam acciderunt, ob duces nobilitatémque ferè omnem illic interemptam. Occisi sunt in eo prælio Iohannes Bohemiæ Rex, Carolus Regis frater germanus Alenconij, Rhodulphus Lotaringiæ, Ludouicus Flandriæ, Aricuria, Blesensis, Sacrocæsariensis Comites. Postridie longè maior cædes eorum qui per imprudentiam ad signa nostra se recipientes, in Anglorum manus incidebant. Desiderati sunt in ea pugna ex omni numero circiter ad triginta millia. Gotthofredus Aricuria mœrore & facti pœnitentia victus, Regi se tradidit laqueum collo gestans, quem Rex illi abstulit. Carolus Luceburgensis Bohemiæ Rex domum redit, qui deinde Imperator deligetur. Ludouicus Iunior Flandriæ Comes.	5307
1347	xx	III. Non. Aug. xi. postquam Calitium obsessum erat mense, spe & auxilio vrbs destituta, per Iohannem Viennẽsem Regis Præfectum deditur Eduardo ea lege, vt ciues incolumes cum singulis vestimentis quò velint se conferant. Nobilibus aliquot, ijsq; primariæ authoritatis, qui capita sua pro salute omnium hosti deuouerant, Angliæ Regina grauida non sine numinis voluntate veniam vitámque impetrauit. In Francia à Rege institutũ, vt qui primùm vacarent magistratus, Calitio expulsis ac proscriptis conferrentur pro genere vitæ & statu, tum vt eis pensario quædam ac remuneratio beneficiorum, tum vt vrbis fortiter defensæ honestum testimonium esset. Ex eo tempore Calitium ab Anglis recuperari non potuit, Carolus Blesensis cum duobus filijs Iohanne & Vidone in Britannia capti, in Angliam ducuntur. Pater, Reginæ Anglicæ, quæ illi sanguine coniuncta erat, precibus statim liberatur, retentis tamen eius liberis, qui satis humaniter & habiti & tractati sunt. Mense Decembri Trapezitæ Longobardi & Itali capti, pulsi ac proscripti ex Francia ob immanes vsuras præter leges exercitas. Rex sortem accepit, interfurio relicto.	5308
1348	xxi	Fames & pestilentia. Inducijs cum Anglo factis Rex	5309
1349	xxij	nuptijs celebrandis dat operam. Acquisitio Delphinatus Viennensis vili precio venditi à principe Vmberto, qui Dominicanorum instituto & sectæ se addixit, sed ea lege, vt primus Regis filius, eius ferret nomen, dominatúmque obtineret. Philippus Fortunatus Felix verè Catholicus, qui tamen rebelles	5310
		& coniuratos opprimere nunquam potuit, obit v. Calen. Septembr. ad Nogentum Regium, sepultus apud Diuum Dionysium.	5311
1350	i	IOHANNES L. REX ANN. XIIII. Inducíæ prorogatæ sunt. VII. Calen. Octob. Remis cum Iohanna Bononiensi vxore secunda cõsecratur. xvi. Cal. Nouem. Lutetiam cum pompa ingressus est.	

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		Hic Rex Iohannes excelso & generoso animo fuit, adeo à simulatione alienus, vt in neminem vultu aut verbo amorem præ se tulerit, quin eum amaret. Quæ virtus in Rege nimis heroica est. Initium ordinis Stellæ à Rege Iohanne in antiqua & nobili domo S. Audoeni ad Lutetiam. Equites illius ordinis stellam aut in capitio, aut in alio vestis conspicuo loco gestabant. Aemulatione adductus Rex Anglus Garterios Equites instituit, qui Perisce lidem insigne ferrent. Rodulfus Magister Equitum ex Anglia reuersus, proditionis accusatus & dãnatus, capite luit pœnas Lutetiæ apud Nellam domum.	
1351	ij	Carolus Hispanus Magister Equitum. Rex Nauarræ ob simultates priuatas ad Aquilam Normaniæ vicum in lecto iacentem occidendum curat. V I. Id. Ianua. Nauarrus Regis gener in Parlamentum venire noluit, nisi vno filiorum Regis obside accepto. I I I I. Non. Martij acta est causa. Rex ignoscere & factum condonare coactus est, adductus potissimum Heroinarum precibus, quæ conuenerant vt pro eo deprecarentur. Iacobus Borbonius ducis frater, M. Eq.	5312
1352	iij	Innocentius Sextus Lemouix Auenione PP.	5313
1353	iiij		5314
1354	v	Nauarrus interceſſit ne Rex tributum quod à tribus populi ordinibus sibi dari postulabat, pridie Calend. Decembr. acciperet, tandem tamen Regi concessum est.	5315
1355	vi	Carolus Regis filius primus Delphinus, & dux Normaniæ. Carolus Nauarrus cum permultis nobilibus dum mensæ accumbit cum Delphino, imprudens capitur Non. April. Ex eorum numero Iohannes Aricuria & tres alij eueſtigio truncantur capite, Nauarrus Lutetiam captiuus adducitur.	5316
1356	vij	Rex Angliæ, Claudioceſtriæ ducem in fines Conſtantienſium mittit: cui se statim dedunt. Philippus Nauarri frater, Gonhofredúſque Iohannis Aricuriæ cæſi patruus, Pariter eius filius Valliorũ princeps Eduardus annos vigintiquatuor natus, in Aquitaniam traiecit, aduersus quem Rex festinanter contendit. X I I I. Calend. Octobr. die Lunæ Rex Iohannes capitur. Hæc pugna fuit vix ad quartum lapidem ab vrbe Pictonum in campis qui belli visus & male pertusi vulgò dicũtur. Anglus in vineis, dumis, ac spinetis sese occuluerat cum modico exercitu. Rex Dionysio Myrobrecho Atrebati tunc apud Anglum exuli se permittit. Philippus animosè & audacter patrem defendẽs, capitur. Ab Eduardo cognato (Ricardum Gaguinus falsò nominat) Valliorum principe humaniter & honorificè tractati, in Angliam ducti sunt. Clades non admodum insignis, nempe ad quinque aut sex millia hominum numero, præ magnis incommodis quę ex eo prælio vniuersæ Franciæ acciderunt. MD aut MDCC è nobilibus capti, & bis tanto maior captiuorum numerus hostium Anglorum exercitu. Valterus Brenus Athenarum dux vulgò dictus, M. Eq. illic cæsus est. Fortuna & prosperitas Eduardi principis Valliorum. Carolus Delphinus elapsus, Parisios se recipit, coacturus Lutetiæ concilium Id. Octob. Seditiones passim in Gallia erant. Carolus Nauarrus custodia liberatus à suæ factionis hominibus, pridie Calend. Decemb. Lutetiæ in concione populi conqueſtus est vehementer de iniurijs sibi à rege factis. Is quacunque iret, cum orationibus ad concitandum populum compositis, tum armis maiores turbas excitabat. Inducię cum Anglis in biennium factæ Burdegalæ. Robertus Gallus episcopus Laudunenſis, Stephanus Marcellus Mercatorum Præfectus, ac ciues Parisienſes Nauarri turbis ac seditionibus innixi, Delphinum in sua potestate habere, regnique administrationem rapere nitebantur. Delphinus in Germaniam ad Carolum imperatorem auunculum se recipere coactus est. Parisienſium precibus Lutetiam rediit, verùm cum periculo vitę, Tribunis militum Campaniæ & Clarimontis intimis ac familiaribus in cubiculo ad palatium in conſpectu ſuo trucidatis, & per ſummum ludibrium tractis & proiectis totum diem ad Petram marmoream. Marcellus Præfectus Delphino capitium proiecit in medium, quod partim ex rubro, partim ex cæruleo erat, qui color plebis ferebatur, vt vim ab illo auerteret. Plebs per tres ordines tentauerat abrogare & tollere Regios Magiſtratus. Delphinus regni administrationem per se ſuſcipiens, pridie Id. Mart. se Rectorem Franciæ, hoc est regni gubernatorem, præconio promulgari iubet. Plebs Ocitani luxurioſo veſtitu ludísque prohibitis aurum & mundum mulierem, earúmque magno conſenſu & voluntate, vendiderunt, vt ad regem liberandum conferrent, Comite Armeniaco apud eos Præfecto.	5317
1357	viij		5318
1358	ix		5319

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		vbique in nobiles commota, cæsis Bellouacis, quæ factio Iacqueria dicebatur, cæteri perterriti domum redierunt. Parisienses Nauarrum propè ducem sibi contra Delphinum habebant. Stephanus Marcellus ad Diui Antonij portam cæsus est. Delphinus Rector vrbem ingreditur.	
1359	x	Rex Angliæ Calitio in fines Remorum profectus, Parisiorum deinde ac Carnutum vicina loca omnia ferro & igni populabatur.	5320
1360	xi	Pax ad Britiniacum viij. Id. Maij. Calitij Rex liberatur viij. Calend. Nouembr. In pacis fœdere adiunctus fuit rex Nauarræ, cum Philippus frater pro eo vadem se exhiberet. Tota pacis ratio conditionésque in Annalium monumentis reperiuntur.	5321
1361	xij	Rex Lutetiam reuersus, Parlamentum quod biennium ferè vacauerat, instaurauit. Morte Philippi Burgundionis, Iohannes Rex ducatus hæres & successor fuit.	5322
1362	xiij	Vrbanus Quintus Lemouix Auenione Papa. Rex Auenionem adit, tum vt Papam inuiseret, tum vt militè gregario in agris omnia prædante patriam liberaret, & omnem istam fecem extra regni fines in religionis hostes ad bellum duceret.	5323
1363	xiiij		5324
1364	i	Rex Iohannes, vt de suis obsidibus liberandis transigeret, in Angliam transit, sed morbo impeditus, Londini moritur vi. Calend. April. Carolus Quintus patris corpus in Galliam ad D. Dionysium transtulit. CAROLVS QVINTVS SAPIENS LI. REX ANN. XVI. Remis cum vxore Regina Iohanna Borbonia consecratur xiij. Calend. Iunij. Hic tantummodo loca vicina Lutetiæ peragrans, longinqua & grauia tum negocia, tum bella per fratres ac Præfectos suos feliciter administrauit. Bertrandus Gesquinas Britannus Nauarrum expellit. Philippus Audax Regis frater, dux Burgundiæ. III. Calend. Octobr. occiditur in acie Carolus Blesensis, in Britannia bellum gerens contra Iohannem à Monteforti, quem cum viduæ principatum Pontiberæ restituisset, & de cætero conuentũ esset, Rex in fidem accepit, ducem Britanniæ agnoscens. Carolus Blesensis postea consecratur, & in diuorum numerum refertur ab Vrbano Papa.	5325
1365	ij	Bertrandus Gesquinas in Hispaniam suscipit expeditionem,	5326
1366	iij	vt patriam sceleratis hominibus quibus abundat, expurget. Petrum Castulonensem Francis maleuolum, suisque & Tarraconensi vicino inuisum, regno deturbat. Henricum Castulonensem fratrem nothum qui antea expulsus erat, coronandum curat. Princeps Valliorum, cum ex Aquitania in auxilium venisset, Henrico in fugam compulso, ac capto Gesquinate, Petrum restituit. Verùm cum militi stipendium à Petro promissum non daretur, in Aquitaniam exercitum reducit, vbi Gesquinas magnificè ac liberaliter se redimit. Nouis ex Francia succedentibus auxilijs, Nothus bellum redintegrans, fratrem occidit, regno potitur.	5327
1367	iiij		5328
1368	v	Iohannes Dormanus Iuris Præfectus, Bellouacorum episcopus & Cardinalis. III. Non. Decemb. Natalis Caroli Sexti. Bellum inter Anglos & Francos renouatum. Aquitani grauate imperium Anglorum ferebant, quia tributo nimio	5329
1369	vi	premebantur. Armeniacus, nobilésque alij & ciuitates ad Regem Franciæ Senatumq; Parisiensem prouocarunt. X. Calend. Maij Lutetiæ ad portam diui Antonij iacta sunt fundamenta arcis Bastildæ per Vgonem Ambriotum Prætorem vrbanum, Regis verò sumptibus. Nuptiæ Margaritæ filiæ vnicæ Ludouici Comitis Flandriæ, & Philippi Audacis. Rex Angliæ eam nuptum dari Edmundo filio voluerat. Ad IX. Calend. Octobr. Robertus Canolus Anglus Calitio cum in Franciam peruenisset, inter Lutetiam & Iudæam suburbanum vicum suos ad dimicandum expeditos paratósque habuit, ostentauitque: in Aquitaniam deinde profectus est, vt principi aduersus eos qui defecerant, vix consistenti, se coniungeret. Vrbs Lemouicum ab Anglis diripitur ac deletur.	5330
1370	vij	Gregorius Vndecimus Lemouix Auenione.	5331

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		Cum Maurellus Fiennus se magistratu abdicasset, Bertrandus Gesquinas statim Magister Equitum dictus, in Aquitaniam ad Anglos armis persequendos à Rege mittitur. Hic Magister Equitum quanto humiliori loco quàm quisquam alius antea, tanto animosior, & ad arma promptior.	
1371	viij	Auxilio classis ab Henrico Castulonensi missæ Anglì ad Rupellam maritimo bello grauiter cæsi, quo partim nauium captæ, partim incensæ, partim submersæ. Duces Biturigum & Burgundiæ fratres Regis in Pictonibus & Santonibus rem faciunt. Victoriæ, fortuna, triumphi Bertrandi Gesquinatis in Aquitania & Britannia. Ex Anglis Robertus Canolus ei fortitudine opponebatur, quem Iohannes à Monteforti Regis Angliæ gener summum Præfectum in vniuersa Britannia contra nos reliquit.	5332
1372	ix	Iohannes Dormanus Cancellarij dignitate se abdicauit, quam Rex fratri Gulielmo Dormano dedit. Superstitio Turlupinorum, qui cognomen sibi adsumpserant paupertatis societatem, cum scriptis libris & habitu damnati exusti atque deleti sunt.	5333
1373	x		5334
1374	xi		5335
1375	xij	Iohannes Viennensis Præfectus maris. Lex Regis Caroli Quinti, vt Regum Franciæ filij anno xiiij. consecrentur, & coronentur, promulgata fuit in Senatu xij. Calend. Iunij. Gregorius xi. sedem papatus Romam Auenione retulit.	5336
1376	xiij	V I. Id. Iul. mors Eduardi principis. Iohannes à Monteforti in Britannia adeò Francos armis vrgebat, vt Ludouicus Andegauensis pedem referre coactus fuerit.	5337
1377	xiiij	Ad necessitates belli, vectigal sali ac promercali vino impositum. Aemilius. Rex Quintus eo tempore aduersus Anglos exercitus quinque potentissimos habebat, vt & milite & ducibus longè superior esset. Mors Regis Eduardi patris. Ricardus ex Eduardo principe filio nepos annos xi. natus ei successit, vt moriens auus iusserat. Carolus Quartus Imperator, Franci Regis auunculus, ac Venceslaus	5338
1378	xv	filius Cæsar venerunt in Franciam, vt inter Anglos & Francos pax fierer. magnificentissimè excepti Parisios ingressi sunt pridie Non. Ianua. Rex quanuis æger, eis obuiam processit ad Diui Dionysii portam. sed totum de pace negotium interruptum atque prorogatum, propter obitum Reginæ ad viij. Id. Februa. & paulò pòst Isabellæ filiæ v. Id. Februa. Hoc luctus tempore Cæsares abierunt, eorúmque iussu conuentus mox Albara plebs in Flan-	5339
1379	xvi	Gandaui eadem de re habitus: sed re infecta discessum est, ob Schisma & factiones de Papatu. dria aduersus Comitem & nobilitatem. Plilippus dux Burgundiæ socero venit in auxilium. Schisma xxx. annos fuit. Vrbanus Sextus Romæ Pontificatum gerens. Clemens verò Fundis (quæ vrbs erat partium Iohannæ Reginæ Siculæ) à Gallis Cardinalibus delectus consedit Auenione. Rex Franciæ partes eius secutus est. Propterea bina concilia ecclesiæ Gallicanæ Lutetiæ coacta & habita sunt. Primum frequentia maiori, iij. Id. Septembr. Alterum. xvi. Cal. Decemb.	5340
1380	xvij	Thomas Anglus, Calitio in Franciam, deinde in Britanniam peruenit, in auxilium partium Iohannis à Monteforti, Andium duce illum insequente, non audente tamen confligere. I I I. Id. Iul. Bertrandus Gesquinas Magister Equitum morte absumptus dum Castrum nouum obsidione premit, quod eodem quo mortuus est die, se dedidit. apud D. Dionysium sepultus ad imam partem sepulchri Regis. Rex xvi. Calend. Octobr. obit in castro Pulchritudinis ad saltum Vicenarum, conditus apud D. Dionysium. Nicolaus Oresmus, homo doctus, cuius consilia & monitus Rex Quintus in primis sequebatur, ex Latino Aristotelis & Ciceronis, aliorúmque authorum libros permultos traduxit. Rex enim literarum & literatorum amator erat summus, & admirator. Iussit etiam sacros Bibliorum libros diligenter & verè transferri (nam Valdenses alijq; pro libidine eos vertebant) rei ecclesiasticæ literarúmque sacra-	5341

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		rum perquam ſtudioſus. Ius ex æquo vt diceretur,in primis curabat, iudicijsq; frequenter aderat. In pauperes liberalis ac beneficus.propterea Sapientis nomen meritò aſſecutus. Togatus omnino fuit,nec ex quo rex creatus eſt,arma vnquam induit. Quicquid patri ablatum erat,id omne fermè ab Anglis recuperauit. Præfecti belli, duces Andium, Burgundiæ, Biturigum,eius fratres. Dux Borbonius,& Bertrandus Magiſter Equitum negocia illi feliciter conficiebant. In omni rerum genere lectiſſimos viros habere voluit. CAROLVS SEXTVS LII. REX ANN. XLII. Adoleſcens admodum Rex conſecratus eſt pridie Non.Nouemb.ob tutorum diſcordias. Ludouicus tamen dux Andium patruorum maximus natu Franciæ rector permanſit. Ludouicus dux Turonum frater Regis. Oliuerius Cliſſonus,genere Britannus,M.Eq. Iudæi vexati & iniuria affecti à perditis & ſeditioſis hominibus.	
1381	i	Iohannes Britanniæ dux à Rege in fidem receptus. Vgonem Ambrotum in aula gratioſum,qui vrbis Pariſiorum Prætor ampla & magnifica opera (exponuntur ab Aemilio) ædificarat, ſcholaſtici & eccleſiaſtici, quos tum contemnebat,tum ſtudio oppugnabat,iudicio perſequuntur. Pariſiorũ epiſcopus eum hæreſeos damnatum in perpetuum carcerem aſſeruandum tradit. Hic rex tres tantum liliorum flores pro inſigni Regum Franciæ geſtare inſtituit. Militi ſtipendium non perſoluebatur. Plebs ob aucta vectigalia tumultuabatur, cum tamen Rex proximus tantam pecuniæ vim reliquiſſet, Duodecuicies centum millia nummûm aureorum, vt ſcribit Aemilius. Gaguinus verò & magni Annales tradunt decem & octo milliones. Cæterùm ab hominẽ certo ac vero accepi ſummam in tabulis ſcriptam,quam iuſſu dominæ Ludouicæ Regentis Franciæ,dum viueret,matris huius noſtri regis Franciſci, ſubductis rationibus ſupputauerat,non minorem fuiſſe.Initio tamen regni huius magnæ fiſci anguſtiæ fuerunt. Adoleſcentia regis,& crebra gubernantium mutatione,diſſipata vniuerſa. Ludouicus Andegauenſis, Rector Franciæ,adoptione filius Iohannæ reginæ Siculæ,vt ei ſuppetias ferret contra Papam Vrbanum, & Carolum Vngarum ab Vrbano euocatum,in Italiam feſtinans,quod potuit,arripuit. Ter conatus vectigalia imponere,quæ ſingulæ ciuitates perſoluere detrectarũt.Seditione ac tumultu populus Pariſienſis,qui propterea Malleati dicti ſunt,Ambrotum,vt eum ducem haberent,carcere liberarunt. Is elapſus poſtea nuſquam viſus eſt.Tandem ille Andegauenſis exhauſit pecunia populum,& eccleſiaſticos. Primus enim fuit qui Clemente Antipapa concedente,per laicos vi & armis,neglectis prouocationibus, in magno etiam Academiæ tumultu decumas ad bella abſtulit. Verùm,malè partum,malè diſperijt,infelici rerum euentu. Nunquam aliàs Francia ſic vexata,quàm Rege hoc ſtulto & iuuene imperante, qui temerè largiens omnibus profuſiſſimus erat,ac maximè prodigus. Pudor ac reuerentia tum exulabat. ἕκαστος γὰρ εἶναι βούλός τε καὶ κύριος ἐβούλετο. quare Carolus Septimus ob hanc regni conturbationem multum laborauit. Principes læ-	5342
1382	ij	Auxilia Flandro in Albatos decreta poſtulante Audace genero. Rex ad Roſæbecam xi. Cal. Decemb. primo cui interfuit prælio victor euaſit. ex populo Flandrico plus xx. hominũ millibº occidunt. Philippus Arteuilla Gandauenſis populi dux,cum illic vulneratº fuiſſet,nec curari nec viuere poſt tam tam ſuorum cladem ſuſtinuit: quãobrem Rex corpus eius in patibulo ignominioſè ſuſpendi iuſſit. Bellum hoc ſeptem annis geſtum,plus quàm ducenta hominum millia abſumpſit. tabantur Rectorem hinc abire, vt eius authoritati ac maieſtati obtemperare non cogerentur. Vngarus Iohannam captam ad mortem adegit priuſquam in Italiam tranſcenderet Andegauenſis,qui à Clemente Siciliæ & Hieroſolymorum rex coronatus Auenione, ſtatim ſuperauit Alpes cum triginta millibus equitum. Nam pedeſtris exercitus numerus ignoratur. Sed quinto Id. Septemb. in Apulia obijt.Corpore in Franciam relato, milites incolumes cateruatim redierunt.	5343
1383	iij	Ludouicus Secundus Andegauenſium dux, qui Iolantillam Tarraconenſem in matrimonium accepit. Rex à Flandria rediens cum exercitu Lutetiam ingreſſus eſt. ciuibus vehementer in-	5344

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		fensus,de C C C.magna populi commiseratione ac consternatione supplicium sumpsit.alij dimidia bonorum parte multati, quæ militibus distribuerentur. In Rotomagum & quasdam maiores vrbes pariter animaduersum. Rex Parisiensibus Aediles quos Scabinos vocant,& Præfectum mercatorum in vindictam sustulit, qui magistratus nõ nisi post quinquenniũ restitutus est.Iohãnes Maresius regis in Senatu aduocatus,popularis admodum,caussa pauciſsimis diebus agitata,capite truncatur. Petrus Orgemontanus Iuris Præfectus. Remittendus fuit iterum in Flandriam exercitus.Angli qui Gandauensibus in auxilium venerant,domum se receperunt.Interea Ludouicus Co-	
1384	iiij	mes naturæ cessit iij. Cal. Februa. ad fanum Odemari.Audax gener eius hæres,qui Gandauenses leuiter rebellantes sedauit,ac rem omnem prudenter composuit. Philippus Audax dux Burgundiæ,Comes Flandriæ &c. Agrestes Aruernorum Lemouicum & Pictonum duce quodam Petro Bruerio tumultuantes in nobilitatem & sacerdotes,per Biturigum ducem aut gladio aut laqueo vitam miserè finierunt.Perpauci qui euaserant, ad agros colendos redierunt. illinc Auenionem ad Papam inuisendum dux profectus est. Iste Biturigum dux Iohannes regis patruus,vir summa virtute atque ingenio,solertes & acutos in primis amabat,ad rem aliquanto auidior,quia profusior in negocijs quę susceperat. Ad hæc in ædificia & ecclesias largè plurima erogabat. Finis belli Flandrici.	5345
1385	v	Leo rex Armeniæ à Turcis expulsus,in Francia honorificè exceptus & tractatus,in Angliam traiecit,vt pace facta,bellum in Turcas coniunctis viribus & copijs moueretur.Verùm cum impetrare non posset,in Galliam rediit. Iohannes Viennensis Præfectus maris in Scotiam missus aduersus Anglos, sed ob dissidium cum Scotis reuersus est,regem adhortans vt transiret aduer-	5346
1386	vi	sus Angliæ regem. Summus apparatus belli in Anglos ad portum Clusæ abrumpitur atq; dimittitur cunctatione,consilio & authoritate ducis Biturigum.	5347
1387	vij	Mors senis Caroli regis Nauarræ ambusti. Lutetiæ singulare certamen inter Iohannem Carongium, & Iacobum Griseum adulterum , qui victus sui sceleris pœnas dedit. Britannæ dux cum Clissonum M. Eq. ad conuiuium vocasset,simulans	5348
1388	viij	deinde sublatis epulis,pulcherrimas ædes velle illi ostendere, captiuum eum tanq̃ clientem suum,fecit quòd redemptionem persoluerit , & societatem & amicitiam cum duobus filijs defuncti Caroli Blesensis iunxerit.eum autem,quanuis Rex vehementer infensus esset, nunq̃ liberare voluit, nisi accepta prius pecunia, locisq; quibusdam,quæ rex deinde coëgit restituere. Oliuer⁹ Clissonus M.Eq. & Iohannes Mercarius Nouiantus Magnus Magister, &Petrus Riparius ducibus regis patruis domum remissis omnem regni administrationem obtinebant,ecclesiasticorũ quoq; maleuolentiam multis modis contrahẽtes.	5349
1389	ix	Rex ad Ocitanos contendens,Clementem PP. Auenione inuisit. Papa Siciliæ & Hierosolymorum regem nuncupat Iohannem iuniorem Andegauensem,qui interim Prouincia potitur.	5350
1390	x	Africum bellum sacrum Genuensium precibus.Borbonius Imperator exercitus missus,& Angli & Veneti cum simul Genua soluissent,recto cursu Thunetem appulerunt:post imperatam barbaris ingentem pecuniam,vtq; in Africa se continerent,captiuosq; Christianos redderent,domum reuerterunt.	5351
1391	xi	Philippi Aurelianensis morte Rex ducatum Ludouico fratri dedit, qui morte Philippi fratris vxoris Valẽtinæ filiæ Iohãnis Galeatij ducatui Mediolanẽsi succederet. Petrus Luna, genere Carthalanus,delect⁹ papa Benedict⁹ Auenione post Clemẽtem. is præter fidem ac iusiurandum quod dederat,ad tollendum schisma nunq̃ animum applicuit: verùm vt Franciæ duces infensos sibi reconciliaret, vnius anni decumas illis concedet. vnde passim fremitus atque indignatio. Inuisus ergo & destitutus in Tarraconensium fines patriam suam se recepit. Quo tutior esset,primus Eucharistiam ante se ad sui custodiam gestari semper voluit. Tunc decreto papæ nihil omnino pecuniarum ex Gallia accipiebant. Ludouicus Andegauensis Iolantillæ nomine Tarraconense regnum ad se pertinere contendebat,sed Ferdinando Castulonensi adiudicatum fuit. Iacobus Armeniacus maxima erronum & perditorum per Galliam manu collecta in Italiã contendit,Florentinis à quibus pecuniam acceperat, contra Mediola-	5352
1392	xij	nẽses auxiliũ laturus.Ad Alexandriã victus captusq; paulò post ex vulnerib⁹ interijt. Decimooctauo Calendas Iulias Petrus Crao clàm reuersus Lutetiam Clissonum Magistrum Equitum cum adeò grauiter cecidisset,vt pro mortuo illum reliquerit,in	5353

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		Andes confugit. Cliſſonus Britannum huiuſce facti etiam conſcium inſimulabat. Rex ex ea re tanto dolore percitus,& vindictæ cupiditate motus fuit, vt cibo,potu, & ſomno abſtineret:potentiſſimo exercitu comparato,repulſis omnibus qui de pace agerent,à Cœnomanorum vrbe diſcedens ad quintũ Calendas Iulias magnis diei caloribus in delirium animi & inſaniã lapſus eſt. Eo enim furore & phreneſi raptus eſt,vt proximos quoſque & ſibi obuios interemerit, quouſque fatigatus, & equo deiectus,in vrbem relatus,adhibitis medicorum remediis,paulo melius habere cœpit,& ad ſe redijt.Ex eo tamen tempore nemo ſatis ei fidere auſus eſt.nam in morbum aliquando recidebat ita,vt ne vxorem quidem agnoſceret. Patrui regis Lutetiam reducti,regni adminiſtrationem ſuſceperunt. Dux Aurelianenſis regis frater,cum prouinciam hanc ſibi deferri vellet, reiectus eſt, nempe nimium iuuenis. Qui regno præeſſe conſueuerant Nouiantus &Riparius,ablata illis dignitate expulſi. Similiter inuiſus omnibus Magiſter Equitum domum ſe recipere coactus eſt. Philippus Duenſis comes in locum illius ſubrogatus M.Eq.	
1393	xiij		5354
1394	xiiij		5355
1395	xv	Carolus iunior rex Nauarræ,cui Nemoroſum datũ, prius conceſſo tamen & adiuncto ducatus titulo & dignitate,in poſſeſſionum remunerationem quas pater habuerat in Normania. Congreſſus regum Franciæ & Angliæ duodecimo Calendas Nouembris. Carolus Iſabellam filiam annos ferè octo natam, Ricardo deſpondit. In xxx. annos pactæ induciæ.	5356
1396	xvi	Iohannes Audacis Burgundionis filius, cum nobiliſſimis ac potentiſſimis Galliæ viris per Germaniam profectus eſt, Sigiſmundo regi Vngariæ contra Turcas auxilium laturus.amiſſis omnibus captus ad Nicopolim perſoluta redemptione cum paucis ſuorum rediit.	5357
1397	xvij	Ludouicus Sacrocæſarienſis M. Eq. Iohannes Maingrius Buſſicaudus Trib.Militum.	5358
1398	xviij		5359
1399	xix	Henricus dux Lancaſtri exul in Gallia, clam nemine hoc ſuſpicante in Angliam reuerſus,Ricardum regno deturbat,ac ſe regem facit. Iſabellam in Franciam ad patrem poſtea remiſit, Carolo Aurelianenſis filio nupturam. Palæologus Græcorum imperator in Franciam ſuppetias quærens venit,	5360
1400	xx	verùm verbis & promiſſis tantum adiutus eſt. Mors Iohannis ducis Britanniæ.	5361
1401	xxi	Vidua ducis Britanniæ nupſit Henrico Quarto Angliæ regi. Tres eius liberi,Iohannes dux Britanniæ,& Ricardus, & Arcturus,in Gallia retenti ſunt.	5362
1402	xxij	Natalis Caroli Septimi Lutetiæ pridie Cal. Mart. Carolus Alebretus Druidum comes M. Eq. ſtatim expeditionem in Aquitaniam ſuſcipit. Reginaldus Corbia Cancellarius.	5363
1403	xxiij	Genua in poteſtate Regis	5364
1404	xxiiij	aliquot annos fuit.	5365
1405	xxv		5366
1406	xxvi		5367
1407	xxvij	Decimo Calendas Decembris,Ludouicus Aurelianenſis dux,Regis frater(ſic enim apud Aemilium reponendum eſt)Lutetiæ occiditur noctu à percuſſoribus immiſſis per Iohannem Burgundiæ ducem:qui factum in aperto eſſe intelligens,profugit. Carolus dux Aurelianenſis.	5368
1408	xxviij		5369
1409	xxix	Burgundio armatus,ac magna militum turba ſeptus contra viduam Valentinam in Senatum venit cædem iuſtè factam eſſe contendens, quod tamen minimè adprobatum eſt, verùm metu condonatum eſt illi factum. Gulielmus Bauarus,vt pacem inter eos faceret,ad Carnutes profectus eſt. Hoc ciuile bellum ob duarum familiarum	5370
1410	xxx	Aureliani & Burgundiæ ducum controuerſias fuit, leui de cauſſa etiam potentes ac nobiles è medio tollebantur. Heroinæ, regina ipſa atque eius filia huc illuc pertractæ & vexatæ,vt in tumultu & periculo belli. Exactiones pecuniarum immanes,& interea peſtilentia & fames.	5371

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
1411	xxxi	Alexander Quintus papa Romanus,Ludouicum ij. Andegauensem Apuliæ regem pronunciauit,Ladislao illud regnum auferre volens. Iohannes papa proximus idem fecit. Lutetiæ laniorum seditio sæpe orta pro Burgundione,ductu & factione Petri Essarij prætoris,qui ducem illis dedit Cabocheum euisceratorem.	5372
1412	xxxij	Angli,qui pro ducis Aurelianẽsis partibus venerant,postq̃ cum Burgundione pacẽ esse factam resciuerunt,plurima incommoda Galliæ inferunt, ac deinde Iohannem comitem Engolismensem Aurelianensis fratrem,xxxij.annos in Anglia retinent.	5373
1413	xxxiij	Iohannes 1 dux Alenconij. Ludouicus Delphinus Aquitaniæ	5374
1414	xxxiiij	dux,regni administrationem accipit.	5375
1415	xxxv	Iacobus Borbonius Marchiæ comes, Iohannam reginam Neapolitanam accipit vxorem,quæ Iohanni Tarraconensi nuptias promiserat,sed vtrunq; fefellit. Circiter Idus Aug.Henricus V.Angliæ rex in Normaniã traijcit. Arefluctu ad deditionem compulso,Calitium versus se recipit.ad viij.Cal. Nouemb. ad Dagincurtum circa Blangium prælium committit,& parua clade affectus est, excepto fratre duce Eboracensi illic cæso. Decem millia Francorum cum multa nobilitate occubuerũt,& totidem ferè capta sunt.Duces interempti Alenconius,Ambarus,Lotaringus,& Brabantinus,& comes Niuernensis,& Alebretus M.Eq. Capti Aurelianensis & Borbonius duces,& Bussicaudus,& Vindocinensis. Concilium Constantiæ,Sigismundi Cæsaris studio & opera coactum & habitum tribus annis.Tres papatu priuati, sed in primis ferocia & contumacia Benedicti, qui nec adesse,nec quenq̃ mittere voluit,damnata est. Martinus V.PP.solus deligitur. Ludouicus Delphinus obit,quem mox	5376
1416	xxxvi	secutus est Iohannes eius frater. Carolus Delphinus. Iohannes Armeniacus M.Eq. Sigismundus Imp.ad Carolum venit,atque illinc ad Henricum pro pace facienda, verum id frustra. Amadeus primus Sabaudiæ dux. Mors Ludouici Andegauensis. Controuersiæ renouatæ. Armeniacus Magister Equitum inuidiosus ob fisci administrationem. Factio ducis Burgundiæ superior erat. Regina relicto rege, se in manus	5377
1417	xxxvij	eius tradit cum filia Catharina. Anglus interea rem promouebat in Normania	5378
1418	xxxviij	Iohannes Villarius proditione vnius portæ iiij.Cal.Iunij de nocte Lutetiã cum armatis inuadit,& promiscuè, nulla habita ratione, cædes crudelissimas, maximasq; carnificinas facit.Vrbem,regemq;,ac aulam omnem Burgundioni recipit. Armeniacus M.Eq. & Erix Marla Cancellarius interfecti, ægrè Delphinus euasit. In conspectu Delphini ad Monterigolum agere volentis de pace, dux Burgundiæ occisus est. Philippus Burgundiæ dux cum	5379
1419	xxxix	Henrico Angliæ rege iuncta societate,in patris sui vltionem,regem,reginam,Lutetiam,& quicquid suæ factionis habebat, in manus ei tradidit, & in Tricassibus Catharinam regis Caroli filiam nubere illi coẽgit,ea lege,vt ij eorumq; liberi Franciæ regno succederent,& Henricus interea maritus rex Angliæ,& rector Franciæ cognominaretur.Delphinus exhæredatus & proscriptus est.	5380
1420	xl	Henricus vxorem in Angliã traducit:	5381
1421	xli	vbi maxima cum pompa & triumpho excepti.In Gallia cum Philippo Burgundiæ duce Hunfredum Cloceſtriæ ducem fratrem suum ad πολιτείαν, Thomam verò Clarentiæ ducem ad res bellicas reliquerat,qui ad Baugeum circa Andes à Scotorum manu, quę Delphino stipendia faciebat,cæsus est. Iohannes Stuartus Scotus Burchaniæ comes M.Eq.dictus à Delphino. Iacobus Borbonius Neapolim relinquere,& in Franciam redire cogitur. Io-	5382
1422	xlij	hanna regina eius vxor Alphonsum Tarraconensium regem adoptat euocatq;. Martinus PP.Ludouicũ III Andegauensem(opinor Aemil.falli, qui Secundũ pro Tertio ponit)regem Neapolitanũ appellat. Regina non ita multò post Alphonso irata,adoptionem rescidit,Andegauensemq; adoptatum Roma accersit,& Calabriq; ducem facit. Rex Anglus cognita morte fratris,in Galliam redit. IIII. Cal. Septemb. ad saltum Vicenarum Henricus Quintus rex,relicto Henrico Sexto,rege bimulo ex Catharina,decedit. corpus eius in Angliam relatum. fratres suos duces Iohannem Bedfordiensem cum Philippo Burgundione, Franciæ,Hunfredum verò Cloceſtrensem Angliæ Rectores esse iussit.	5383

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		Carolus sextus XII. Cal.Nouemb.obit,sepulus ad D.Dionysium.	
1423	i	CAROLVS SEPTIMVS LIII REX ANN. XXXVIII.	5384
1424	ij		5385
1425	iij		5386
1426	iiij		5387
1427	v		5388
1428	vi	Franciscus Britanniæ Dux. Obsidio Aureliani. Thomas Mõtacutus Anglus Sarisberiensis Comes ictus interijt.	5389
1429	vij	Aurelianenses omni auxilio miserè destituti Burgũdioni dedere se statuerãt,sed cõtentione Anglorum Ducum res infecta fuit.quod ægerrime Burgundio tulit.Iohãna puella armata obsessos iuuat coactis hostibus obsidionem relinquere, ad VIII. Id.Maij,eosq; virtute minime puellari expellit.Frãcis deinde res melius ac fœlicius procedere cœperunt. Iohannes Nothus Aurelianensis. Pataiense in Belsia prælium. cæsis Anglis Iohannes Talbotus capitur. Puella armis per loca ab hostibus occupata regem Carolum Remis consecrandum ducit, multasq; in itinere vrbes recipit. Bedfordiensis Anglus prælio dimicare velle simulans, Regem Parisios recta contendentem remoratur.	5390
1430	viij	In oppugnatione Lutetiæ ad portam D.Honorati puella vulnerata,exercitus se recepit,quæ illũ in alias partes Galliæ ducens aduersus Anglos,ob successus & victorias semper celebratur. Compendium obsessum vi & astu ingressa,cum aliquãdo in hostes eruptionem faceret,à Iohãne Lucemburgensi capitur, Rotomagumq; ad Ducẽ Somersetensem mittitur, deinde inuidia & iniuria artis Magiæ damnata exuritur. Ad Compendium obsidione desistere coacti sunt Angli.	5391
1431	ix		5392
1432	x	Henricus sextus ex Anglia traductus,in primario Lutetiæ templo Frãciæ rex coronatur. Renatus Ambarus cum bellum in Antoniũ Comitem Vallemontensem moueret,captus ad Burgundionem adducitur.	5393
1433	xi	In Gallia calamitates bellorum,ac miseriæ diuturnq;,ager vbique incultus,fames,homo homini perniciem moliebatur.	5394
1434	xij	Ambrosius Lorus, Stephanus Hyrus, Poto Santrailla, Equites Franci. Thomæ Hundelli Angli vulnerati ad Gerberoiam arcẽ in Vellocassibus interitus.	5395
1435	xiij	Carolus fortunã belli metuens, ad hæc intelligens nihil cõmodius ad victoriam q̃ coniunctos hostes diducere,Burgundionẽ Anglis minimè gratum, ab ijs quæ affectabat repulsum,ad se pertrahere conatur.Paci faciendę Atrebatiũ vrbs destinata,papę Legatus gladios & arma tollere nõ potuit. Nam fœderi iciũdo apud Anglum locus nullus fuit.Rex Burgundioni quod petebat,atq; adeo plus quàm posset cõcessit Factiones & inimicitiæ diuturnæ sopitæ & sublatæ. Lutetiæ Iohannis Bedfordiensis mors. Anglus apud Flandros tumultum contra Burgundionem incitare laborat.Calitium	5396
1436	xiiij	Dux obsidet:sed succedẽtibus auxilijs obsidionem relinquere cogitur,deinde Flandriæ statum ordinauit. Lutetia Francorum virtute ab Anglis vindicata in Aprili mense. Iohan.Villarius quàm perfidiosum in ea capienda,tam strenuum in ea recuperanda se præstitit. Ludouicus Delphinus in vrbe Turonum VII. Cal.Iul.Margaritam Iacobi Scotorum Regis filiam in matrimonium accipit.	5397
1437	xv	Renatus Andegauensis defuncti Ludouici tertij frater,Iohannæ Reginæ Neapolis testamento hæres,post redemptionem Burgundioni persolutã liberatus,Genuensiũ auxilijs profectus (qui se in libertatẽ vindicauerãt elusi à Philippo Mediolanẽsi, nec vllo modo remunerati victis & captis Tarraconensium regibus ad Pontias nauali certamine)Rex Neapoli coronatur,quò Isabella eius vxor virilis animi fœmina prius aduenerat,vt ius suum in Alphonsum Tarraconensium regem tueretur.	5398
1438	xvi	Pragmatica Sanctio in concilio Basiliensi constituta,& Biturigibus à rege probata Nonis Iulij,Lutetiæ deinde in Senatu pu-	5399
1439	xvij	blicata III. Id.Iulij.	5400
1440	xviij	Redemptio Caroli Aurelianensis in Anglia captiui.Margaritam Ducis Cleuẽsis ex sorore Burgundionis filiã vxorem accipit. Finis controuersię inter Aurelianẽses & Burgundiones, societate & amicitia instituta. Delphinus quorundam principum consilio malo inductus, à patre secessionẽ facere voluit,sed pater clemens filio pepercit,& coniurationem sedauit sustulitq;. Amadeus Sabaudus in concilio Basiliensi appellatur papa Fœlix quintus,hic filio	5401

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		Ducatum relinquẽs in eremum ſeceſſerat,neq; illi moleſtũ fuit poſtea Nicolao quinto papatu cedere, vir bonus ad ſchiſma tollẽdum legatione apud ſuos cõtentus fuit.	
1441	xix		5402
1442	xx	Renatus amiſſa Neapoli contra	5403
1443	xxi	Alphonſum,in Galliam redire coactus.	5404
1444	xxij	Inducíarum tempore Renatus Margaritam filiam Henrico Angliæ regi nuptum collocauit. Rex Carolus interea rogatu & precibus Renati in Mediomatrices profectus. Delphinus pro Sigiſmundo Auſtriæ duce in Baſilienſes & Heluetios. Carolus Andegauenſis Cœnomanorum Comes. Bernardus Comes Marchiæ.	5405
1445	xxiij		5406
1446	xxiiij		5407
1447	xxv		5408
1448	xxvi	Iacobus Cordanus ciuis Bituricenſis opulentiſſimus. Franciſcus Sfortia Blancha Ducis Philippi defuncti notha accepta vxore in matrimoniũ,in ducatũ Mediolanẽſem inuadet,cuius hęres erat Aurelianẽſis filius ſororis.	5409
1449	xxvij	Inducię violatę. Rex in Normania rem bene gerit. Victor cum pompa & triumpho Rotomagum ingreſſus eſt.	5410
1450	xxviij	XVII.Cal.Maij pugna ad Forminiacum ſuperatis Anglis. Carolus ſeptimus vniuerſam Normaniam poſt annos	5411
1451	xxix	XXX.ex quo ab Anglis ſubacta fuerat,recuperauit. Petrus Britanniæ Dux.	5412
1452	xxx	Angli Aquitania expulſi. Hic Biturigum modo Rex timidus(ſic enim per ludibrium vocabãt) virtute & fortitudine potentiſſimos Reges nihili fecit,eos fudit fugauitq;.	5413
1453	xxxi	Burdegala ad Talbotum in cõtinentẽ reuerſum deficit. ad III.Id.Iulij pugna ad Caſtellionem in Petrochorijs,in qua Iohannes Talbotus & eius filius interempti. Burdegala iterum recuperatur.	5414
1454	xxxij		5415
1455	xxxiij	Angli è Francia omnino expulſi,præter Calitium & aliquot vicina loca nihil poſſidebant in Gallia.	5416
1456	xxxiiij	Delphinus iterum à patre ſeceſſerat.in iſtum Rex bellum mouit, quem ſpoliatũ rebus omnibus,ne à quoquam exciperetur,inhibuit.ſed ad Philippum Burgundię ducem,à quo prudenter annos aliquot cuſtoditus eſt,confugit. Arcturus M.Eq.dux Britanniæ.	5417
1457	xxxv		5418
1458	xxxvi		5419
1459	xxxvij	Franciſcus ſecundus Britanniæ dux.	5420
1460	xxxviij	Henricus rex Angliæ Gallia pulſus, cõiuratione deinde principum regno exactus in Scotiam fugit. Regina Margarita cum filio Eduardo in Galliam ad patrem Renatum Andegauenſem ſe recepit. XI. Cal. Auguſti Rex deceſſit Magduni Biturigum,ad D. Dionyſiũ deportatus.	5421
1461	i	LVDOVICVS VNDECIMVS LIIII REX ANN. XXIII. Inungitur Remis XVIII.Cal.Septemb.	5422
1462	ij	Congreſſus Regũ Franci & Caſtulonẽſis ad Fontẽ Rabię. Comitatus Ruſcinonẽſis Frãcis oppigneratus à Tarraconẽſi:ex quo maximę poſtea cõtentiones exortę.	5423
1463	iij		5424
1464	iiij	Bellum Bonum publicum vulgo dictum,conſenſu & conſpiratione principum tentantium Regem ipſum in ordinem cogere,qui dignitates & munera fortibus ſenioribuſq; à patre delata abrogauerat,quique à nobilioribus & potentioribus improbè ſemper aliquid exigebat. Dux Britanniæ & Comes Caroleſii Burgundionis F. fratri Regis vnico Carolo Biturigum Duci perſuaſerunt,vt cõiurationis & belli princeps eſſet. Dignitate & ſtatu deiecti hos ſequuti ſunt.	5425
1465	v	XVI. Cal.Auguſti pugna ad Montem Letericum aduerſus Comitem Caroleſium. Nox prælium diremit. Rex Coruolium ſe recipit. Caroleſius in loco pugnę conſtitit. Plus tumultus & fugę fuit, quàm cædis ac vulnerum. Burgundio victoriam ſibi vendicabat,ſed ex eo tempore inclinare & imminui res eius cœperunt. Exercitui ducum Bituricis & Britanni ad Stampas obuiã proceſſit. Franciſcus Sfortia Mediolani dux conſilio & armis Regem adiuuit,in Galliã enim filiũ Iohãnẽ Galeatiũ miſit. Bellum ducis Burgundiæ in Eburones. Gulielmus Quadrigarius Pariſienſis epiſcopus.	5426

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		Hostes circa Lutetiã. Alia in parte Dux Borbonius Caroli Biturigum Ducis nomine cupide ac benevole Rotomagi acceptus, quamobrem ad pacis cõditiones Rex animũ intendere coactus. Pax Cõfluentina, Carolus Normaniã, Carolesius vrbes ad Somonã sitas, aliasq; nonnullas in perpetuũ habuit. Ludouicus Lucẽburgensis Comes Fani Pauli M.Eq. dictus. His rex quicquid vellent cõcessit pro tempore, vt eos disiungeret ac separaret. Ducis tãtum Britanniæ fors iniquior, & iactura maior. Carolesius in Eburones cõtendit. Inter ducẽ nouũ & Britãnũ simultates exortæ. Rex in Normaniæ fines accedit, frater eius nudus & inops irerũ in Britanniam confugit.	
1466	vi	Iohã. Galeatius accepta morte patris q̃ citissimè in ducatũ Mediolanẽsem reuertitur. Expugnatio & direptio Dinami Duce Burgundione.	5427
1467	vij	Brugis Mors Philippi Ducis Burgundiæ XVII. Cal. Iul. Leodio in fidẽ & deditionem accepto, Burgundiæ dux Gandauum ad sedanda componendáque omnia contendit.	5428
1468	viij	Rex cum paruo comitatu Peronã ad colloquiũ ducis Burgundię accepta fide proficiscitur, vbi de Eburonum defectione per quosdam Regios facta Dux certior factus est. Quare conclusus rex illic, & duos aut tres dies detentus magno in periculo fuit. Nobilissimos aliquot, & ducis maximè familiares, x v. M. aureorum corrupit. Pax sic firmata & sancita est, vt Campaniam & Bryam fratri cederet. Ipse etiã in Eburones proficisci cogitur. Leodium III. Cal. Nouemb. expugnatum, direptum, incensum, atque deletum. Iohãnes Andegauensis dux Lotaringiæ in Hispaniã ad bellum contendit, sed postea Barchinone febri absumptus est. Rex reuersus fratrẽ cogit vt sortẽ hæreditatis Aquitaniam accipiat.	5429
1469	ix	Iohãnes Ballua episcopus Andium Cardinalis comprehẽsus custodię traditur. Rex Equites ordinis S. Michaelis instituit.	5430
1470	x	Natalis Caroli Delphini pridie Id. Iulij. Ricardus Varuicensis mota ab Anglis seditione ad Regem confugit. Quas Burgundiæ duci vrbes cedere coactus fuerat, paulatim ad se rex pertrahebat recuperabatq;. In Turonibus trium ordinum, qui omnino suarum partium erant, conuentum habuit. Vt speciosior belli prætextus esset, post nobilium quorundã prouocationes ad se & querimonias delatas, viatorem senatus misit qui Burgundiæ ducem in ius vocaret: quod ille perquàm ægre ac molestè tulit. Ambiani ad regem deficiunt. M. Equitum fanum Quintini occupat.	5431
1471	xi	Rex loca in potestate obtinens, rem Burgundioni quantum potest extrahit. Dux cupiditate cõse rendi manus ardebat. Rex quasdam pacis conditiones proposuit. IIII. Id. Maij mors Caroli Varuicensis à Gallo summũ accipiens auxilium, Henricũ Angliæ regem carcere liberauit, Eduardus fugit ad Burgũdionẽ sororis virum, & ab eo clàm adiutus, cum celeriter redijsset, hostes vicit deleuitq;. Hẽricus, filio Eduardo principe occiso, interemptus est.	5432
1472	xij		5433
		Ducis Aquitaniæ, quæ Burgundionis auxit iram, & conatus eius fregit. Rex sine mora loca munita occupat, fratris domesticis in eodem statu & dignitate retentis.	
1473	xiij		5434
1474	xiiij	Carolo Burgundioni Audaci in rebus omnibus suscipiendis, rex plurimos inimicos conciliat, negociumq; facessit. Burgũdio annum obsedit Nussiã. Imperator è Germania veniẽs cum magnis copijs, vt obsidionem relinqueret, cogere nunquam potuit, nisi conuentione facta. Lotaringus interea eum prouocauit. Rex peracto induciarum tempore, quod tamen produci voluerat, aliquot oppida incendit in Picardia. Anglus Calitium traiectus, cui Burgundio cum paruo comitatu obuiam procedens, Bononiæ illum excepit parum magnificè & copiosè, & longe aliter quàm expectabat. Quare pronior ad agendum de pace cum Rege Carolus vehementer iratus, ac tædio affectus. Congressus duorum Regum ad Picquenium pridie Calen. Septemb. Inducię inter eos, eorumq; socios, qui vellent, in IX. annos. Anglus accepta pecunia Delphino filiam despondit. Regi pariter literas reddidit indices coniurationis Magistri Eq. Burgundio pactis seorsum inducijs, in Lotaringos ad bellũ profectus est.	5435
1475	xv	Lud. Lucemburgensis Comes Fani Pauli M.Eq. cum hos tres potẽtissimos modis omnibus offendisset, & de cuius nece toties cõuentum est, à suis destitutus in Ducis fidem confugit ad Montium in Annonia. Rex Fanum Quintini occupat. Dux Regijs repetentibus cum Peronæ tradidit, ac statim à Senatu damnatus capite luit pœnas XIIII. Calen. Ianuarij.	5436
1476	xvi	Bellum à Burgundione in Heluetios susceptum.	5437

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		Alphonſus Rex Luſitanorum in Galliam venit aduerſus Caſtulonẽſes auxilium quę-rens:quod vt obtineret, pacem componere conabatur. Bis ſpoliatus,cæſus,atque in fugam compulſus Carolus Burgundiæ Dux Non.	
1477	xvij	Ianua.(pridie Id.vt Aemil.tradit)occiſus eſt ad Nancium à Renato Lotaringiæ du-ce fines ſuos recuperante auxilio potiſſimum pecuniæ à Rege ſuppeditatę, & exer-citus Germanorum. Hic finis opum,deliciarum & triumphorum domus Burgundionum. Rex ob id negocia ſibi ex ſententia cedere exiſtimans,feſtinanter in Picardiã profectus,vt quas de-functi Ducis vrbes ac loca poſſet recuperaret. Gandauenſes tanq̃ domini Mariam Ducis fato functi vnicam filiã apud ſe aſſeruabant.Philippus Cre-perecors ad Regem defecit:quæ res non mediocre auxiliũ attulit. Princeps Arau-ſienſis Burgundiam vtranq;,paucis vrbibus exceptis,in regis ditionẽ facilè ſubdidit. Maria nubit Maximiliano Auſtriæ duci Cæſaris F.qui venerat in Flandriam. I X. Cal.Septẽb. Iacobus Arminiacus Nemoroſi Dux Lutetiæ gladio percutitur. Stathmi & diuerſoria curſorijs equis à re-ge primum in Gallia conſtituta.	5438
1478	xviij	Arauſienſis cum promiſſa nõ præſtarentur,defecit, & res in Burgũdia perturbauit. ſuperior præfectus reuocatur. Carolus ab Ambœſia illuc miſſus Dolam capit, atque	5439
1479	xix	omnia regi ſubijcit. Heluetij primum à rege ſtipendium accipiunt. Bellum in Morinis aduerſus regium exercitum.Maximilianus ſe victorẽ putans, ma-iorem cladem accepit. Rex etiam cum eo fœdus & pacẽ cupiebat,ſed quæ ſibi mul to æquior & commodior foret.	5440
1480	xx	Iohannes Ballua Cardinalis carcere liberatus.	5441
1481	xxi	Obitus Renati Andegauenſis ſenis Regis à Neapoli expulſi.Rex eius hæreditatem ſibi aſſeruit.	5442
1482	xxij	Maria Maximiliani coniunx ex equi lapſu,vnde in febrim incidit,moritur, relictis Philippo & Margarita liberis.Nonnulli tradunt eam tunc grauidam fuiſſe. Populus Gandauenſis Maximilianum ad id adegit,vt deſponſa filia Margarita Delphino,cum rege tranſigeret, & quas terras & loca Rex peteret,ei concederet,	5443
1483	xxiij	plura effecturi ſi poſſent,vt principis ſui opes potentiamq; imminuerent atque debi litarent.Ea vero annum attingens tertium in Franciam adducta. Anglus hoc fa-cto illuſus, ac vehementer indignatus. Delphinus enim gener illi promiſſus erat. Hic Rex acri magno & verſatili ingenio fuit:quod conſiſtere & conquieſcere illi non poterat.Hoc enim potitus,mox aliud affectabat cupiebatq;. occultus, vehe-mens,atque omnium impatiens.verum id in primis cauebat,ne fortunæ quicquã cõ-mitteret,ſi vel aſtu vel ſimulatione vel alia quauis arte poſſet euadere.omnia ſcire cu piens,humilis fortunæ hominibus facilis, habitu modicus , conciliandi peritiſſimus quos ſibi aut prodeſſe aut nocere poſſe intelligebat . ad ea quæ caute moliebatur, nulli ſumptui parcens,in cæteris pecuniæ negligens & contemptor. Valetudinarius, ac iam ſubinde morbo laborans, aliud quàm quo vſus fuerat ſceptro ac diademate aſſumptis,Delphino filio cõſiliũ dedit, ne antiquos magiſtratus, amicos, familiares, miniſtros,commutaret.Hoc enim ſibi perquam incommode accidiſſe.Morti proxi-mus,ſuſpicioſus,diffidens alijs,timidus,qui nihil non tentauerat vt timeretur , ex qua re odium maximum contraxit Preſſam nobilitatem primus ſeruire coẽgit, populo ſe formidabilem præbebat,viam poſteris regibus muniens ad opes nimias & poten-tiam.Nemo vnquam tantam præ ſe tulit religionem, oſſa & reliquias Diuorũ vbi-que venerabunde exoſculans.Pauperibus eripiebat quæ templis largirentur . Populũ tributis vectigalibus plus vexauit quàm priorum regum quiſquam alius. Verum ex quo æger eſſe cœpit,eum ſubleuare atque exonerare propoſuit. Iudiciorum con-trouerſias infinitas ferè,& tempus litigandi breuius præſcribere:impoſturas,furta, ra pinas, quæ à pragmaticis & forenſibus hominibus quotidie fiunt , abrogare atque omnino tollere ſtatuerat. Item morem & ius vnum per totam Galliam conſtituere lingua vulgari comprehenſum & libello breui expoſitum . Ad hæc pondus vnum & menſuram . Niſi ergo morte præuentus fuiſſet(vt Philippus Cominius ac cæteri ſcriptores literis tradunt)plurimarum in Gallia vtilitatum author futurus erat. Illud autem ſilentio minime prætereundum, ab eo ſene veſtiendi rationem fuiſſe muta-tam.Nam cultu lauto diuite magnifico exornatum & cõſpicuum ſe intuens,impenſe lætabatur.Medico ſuo, à quo de vitæ longitudine perſuaſus,& vt ſic loquar,incan-tatus fuerat , decem millia aureorum ſingulis menſibus dabat,vt vitam prorogaret. Nemo vnquam tot hominibus & Diuis ſe commendauit. Obijt Pleſſiaci ad Turo-nes I I I. Calen.Septemb.aliquanto ſexagenario maior. Sepeliri voluit Cleriaci in æde D.Mariæ.	5444

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
1484	i	CAROLVS OCTAVVS LV. REX ANN. XIIII. Conuentus trium ordinum in vrbe Turonum Iulio menſe habitus. Conſtitutum vt in Francia rector non eſſet. Regis pueri cura & tutela ſorori Annæ Dominę à Bello Ioco credita: quo indignatus Aurelianenſis Dux, ac propterea diſſidium exortum. Iohannes Dux Borbonij M. Eq.	5445
1485	ij	Bellum in Britannos. Huic Regi corpus infirmum & imbecillum. Pater latine ſcire noluerat. poſtea Gallice didicit. In mẽſe Iunio annũ fere XIIII. attingens conſecratus, ac Rex ſalutatus. Henricus Richemondus ſeptimus Ricardo exacto Angliæ regnum auxilio Gallorum recuperauit. Aurelianenſes Duci ſuo in vrbem venienti, vt bellum in regem pararet, portas occluſerunt. Aurelianenſis in Britanniam contendit.	5446
1486	iij		5447
1487	iiij		5448
1488	v	Ludouicus Tremollius XXVI annos natus ſummus regis Prçfectus. Lunç die v. Cal. Aug. pugna ad Fanum Albini aduerſus Britannos. Dux Aurelianẽſis & princeps Arauſienſis capti. VII. Id. Decemb. Franciſcus Britanniæ Dux obit. PAVLVS AEMILIVS HVCVSQVE SCRIPSIT hiſtoriam.	5449
1489	vi	Pax cum Britannis. Rex Margarita Maximiliani filia repudiata, Annã Britanniæ hæredem vxorem ducit, quam per legatum nuptam Maximiliano, ipſi eripiebat. Bellum Archiducis in Picardia. Philippus Creperecors illi reſtitit.	5450
1490	vij	Anglus Britanno in auxilium cum veniſſet, Bononiam vſque pertraxit. Pax cum eo facta, pecunia certa ei numerata. poſtridie Atrebates proditione capti ab Archiducis militibus, qui Ambianos pariter opprimere conati ſunt. Tandem pax & ſoror Archiduci cum Comitatu Atrebatium datæ ſunt.	5451
1491	viij		5452
1492	ix	Rex religioſẽ nimis Ruſcinonis & Perpeniani Comitatus Hiſpano reddidit.	5453
1493	x	Expeditio de acquirendo regno Neapolitano. Petrus Dux Borbonij Rector Franciæ relictus. Principes & nobiles ſuis ſumptibus militabant. Ludouicus Sfortia Dux Mediolani bellum hoc valde promouebat. Rex pridie Cal. Ianu. Romam ingreſſus eſt.	5454
1494	xi	Papa pronunciauit Imperatorem Conſtantinopol. Rex Alphonſus, & eius filius Ferdinandus Dux Calabriæ profugi in Siciliam ſe receperunt. Carolus regnũ obtinuit, ac Neapolim cum triumpho & pompa ingreſſus eſt. Gilberto à Monte Penſerio pro Rege illic relicto, Roma redijt. Collegium Proſtitutarum Pœnitentium Lutetiæ inſtituitur. Vniuerſi Italiæ principes & ciuitates coeunt, vt obſeſſis itineribus reditu intercluderent Regẽ. pridie Non. Iul. pugna nobilis & victoria Fornoui ad Tarum. Rex perquàm modicas copias habebat. Summi Duces Regis, Gya tribunus Militum. Iohannes Iacobus Triuultius Italus. Ludouicus Lucemburgenſis dominus Ligniaci. Ludouicus Tremollius. Ludouicus Dux Aurelianenſis ad Nouaram à Ludouico Sfortia grauiter premebatur. Rex victor in Franciam reuertitur. Briſſonnetus epiſcopus Maclouien. Cardinalis Cancellarius Franciæ.	5455
1495	xij	Neapolis defecit ad Ferdinandum Alphonſi filium. Galli Gilberto à Monte Pẽſerio mortuo in patriam rediere.	5456
1496	xiij		5457
1497	xiiij		5458
1498	i	VII. Id. Apr. Rex moritur repente Ambœſiæ, nullis hæredibus relictis, conditus eſt apud D. Dionyſium. Ludouicus Aurelianenſium & Valeſiorum dux Remis rex inungitur VI. Cal. Iunij. LVDOVICVS DVODECIMVS LVI. REX ANN. XVII. Rex Scholæ Pariſienſis ſtatum, ſtudioſorum priuilegia reformare: fori pariter ac iudiciorum abuſus emẽdare & tollere inſtituit. Schola tumultuata ſeditionem mouit.	5459
1499	ij	Rex Annam Regis defuncti viduam Britanniæ Ducem vxorem accepit repudiata Iohanna Ludouici vndecimi filia, cui prius Biturigum Ducatum conceſſit: in quo reliquum vitæ tempus exegit. Cal. Octobris Rotomagi rex parlamentum Scacarij loco inſtituit Georgij ab Ambœſia archiepiſcopi conſilio. Mediolani expugnatio. Ludouicus Cremonam Venetis, à quibus vt in Italiam tranſcenderet ſolicitatus erat, reſtituit. Philippum Raueſtanum Prætorẽ Genuẽſibus dedit. domũ ſe recipiens, Iohannẽ Iacobũ Mediolani Prçfectũ ſummũ reliquit;	5460

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		III. Id. Octobris natalis Claudiæ Reginę. VIII. Cal. Nouemb. Lutetiæ ruina pontis in sequana, qui D. Mariæ dicitur. Robertus Gaguinus hucusque scripsit.	
1500	iij	Iubileus. Mediolanum à Ludouico Sforcia recuperatum Germanorum auxilio, ad quos se cum thesauris profugus receperat. Verum paulo post captus ipse IIII. Id. April. in Franciã adductus, aliquot post annis moritur. Ascanius Cardinalis, vt fratris Ludouici liberi euaderent in Germaniam curauit effecitq; , ipse tamen captus à Duce quodam Veneto, & Gallis in manus traditus est.	5461
1501	iiij	Philippus Archidux Austriæ per Galliam in Hispaniã iter faciens, apud Parisios honorificentissimè excipitur VII. Cal. Decemb.	5462
1502	v	Albiniacus summus Regis præfectus Neapolim à Fœderico recuperat, qui mortuo Ferdinando fratris filio regni ius sibi vendicabat. Fœdericus & eius vxor captiui in Franciam adducti, humaniter tractantur à Rege. Suasu Papæ Rex Philippum Rauastanum in Turcas misit, sed Venetorum culpa Galli ad Mitylenem victi, magna calamitate accepta domum reuerterunt. Georgius ab Amboesia Cardinalis in Francia Legatus.	5463
1503	vi	Archidux ex Hispania reuersus Lugdunum se confert, vbi pax inter Francos, Hispanos, Cæsarem, Archiducem, eorumq; socios promulgatur. Archidux in Sebusianos ad Margaritam sororem Ducis Sabaudiæ Philiberti vxorem inuisendam profectus est. Franci Neapoli expulsi. Hispanus pace violata Gonsallum Ferrandum misit qui Neapolim astu ac dolo papæ Alexandri cepit. Ludouicus Arminiacus Nemorosi Dux in pugna occisus. Albiniacus & Pallissa strenuos & fortes se præstiterunt. Verum pecunia destituti fuere.	5464
1504	vij		5465
1505	viij	Fames & pestilentia.	5466
1506	ix	Rex Bononiam pulso Iohanne Bentiuolo papæ Iulio restitui curat.	5467
1507	x	Genua deficit ductu infectoris cuiusdam Pauli de Nouis, sed mox à Gallis recuperatur. Paulus ille mari cum fugeret captus, Genuæ capite punitur.	5468
1508	xi		5469
1509	xij	XV. Cal. Iunij pugna ad Caruagium contra Venetos in loco Aignadelli. Bartholomæus Daluianus suis victis capitur. Brixia, Bergomum, Crema, Cremona, cæteraq; ex Ducatu Mediolanensi loca in potestatem Regis venere: à quo etiam Papa, Imperator, Hispanus ad recuperandas vrbes à Venetis occupatas adiuti. Venetorum imperium, Resq; publica propemodum deleta. Lugduni obitus Georgij ab Amboesia Cardinalis in Francia Legati. translatus Rotomagum, quod vnicum eius erat sacerdotium. An si alia cuperet, ea obtinere nõ poterat: O seculũ fœlix hoc Rege, & tam excellenti viro Regis consiliario. Nullis negocijs aut belli necessitatibus, quæ in Italia plurima obtigerunt, adduci Rex potuit, vt vectigalia suis ciuibus augeret: ad extremum tamen intra fines à vicinis bello lacessitus, coactus est aliquanto maiora tributa exigere. O Regem optimum, patrem patriæ, ac pastorem populi.	5470
1510	xij	Papa Iulius homo perfidiosus ad Venetos deficit, Hispanos, Germanos & Heluetios aduersus Regem solicitans. Morbus qui vulgo dictus est Coquelucha. Rex & Cæsar omnia experiuntur vt concilium habeatur: quod nunquam fieri potuit. Primũ ad Turones conuenit ecclesia Gallica: deinde locus delectus est cõcilio Lugdunum, Pisa, Mediolanum.	5471
1511	xiij	Vasto Flussas Dux Nemorosi summus regis Præfectus Bononiam aduersus papã	5472
1512	xv	expugnat. Heluetij in agrum Mediolanensem transcendunt. Brixia quæ ad Venetos desciuerat, à Duce Nemorosi statim recepta, ferro & igni vastatur. Die sacro paschæ pugna ad Rauennam in Papæ, Venetorum & Hispanorum copias. Franci victores. Nemorosi Dux in hostes excurrens cum parua manu, interceptus occiditur. Duces vtriusq; partis lectissimi aut cæsi aut capti. Rauenna destructa. Corpus Ducis Nemorosi victoris Mediolanum ad sepulturam translatum.	5473
1513	xvi	Iulius papa sceleratus & vecors, Cæsarem, Anglum, Heluetios in Francos accendit, sed interea moritur. Ferdinandus Hispaniæ Rex nullo meliori iure, quàm quòd vtile & commodum foret, Nauarræ regnum expulso Iohanne Alebreto inuadit & occupat. Henricus Octauus Calitium egressus vi Picardiam intrat, certus auxilij à Cæsare & Flandris. Verum se domum recipere coactus per Scotum Francorum socium & amicum perpetuum. Scoti victores, sed amisso rege in prelio. Bellũ etiã à no- Pax inter regem & Venetos III. Non.	5474

Anni Christi	Anni Regni		Anni Mundi
		bis in Anglos mari gestum in ora Britanniæ Iunij publicata. Bart. Daluiano & Andrea Gritto liberatis & remissis. Franci Mediolanum & Italiam Heluetijs & Hispanis ibi tum potentioribus cedunt. Heluetij Burgundionum Diuionem ob sessum eunt. Ludouicus Tremollius prætor pecuniam ijs pollicitus, atq; interea obside dato Domino Messierarum, vt obsidionem soluant efficit. Anglus Morinos oppugnat. Excursio & pugna Calcaria vulgò dicta. Longeuillanus Dux, Bayardus & Bussius captiui in Angliam ducuntur. Morini & Tornacenses Anglo certis cõditionibus sese dedunt.	
1514	xvij	Anna Regina è viuis excedit v. Id. Ian. Claudia & Renata liberis superstitibus. x v. Cal. Iunij Franciscus Valesius Dux Engolismensium filiam Regis natu maiorem Claudiam ad D. Germanum in Laya ducit in matrimonium. Ducis Longeuillani captiui opera pax inter Reges facta ea lege, vt Francus Mariam Hẽrici sororem vxorem accipiat. Nuptiæ ad Abbeuillam V I I. Id. Octobris.	5475
1515	i	Ludouicus Cal. Ianuarij moritur, translatus ad D. Dionysiũ, & cũ Regina sepultus. FRANCISCVS PRIMVS LVII. REX.	5476
1516	ij		5477
1517	iij		5478
1518	iiij		5479
1519	v		5480
1520	vi		5481
1521	vij		5482
1522	viij		5483
1523	ix		5484
1524	x		5485
1525	xi		5486
1526	xij		5487
1527	xiij		5488
1528	xiiij		5489
1529	xv		5490
1530	xvi		5491
1531	xvij		5492
1532	xviij		5493
1533	xix		5494
1534	xx		5495
1535	xxi		5496
1536	xxij		5497
1537	xxiij		5498
1538	xxiiij		5499
1539	xxv		5500

A Pharamundo vsque ad annum præsentem anni sunt 1119, à Clodoueo Christiano 1038, à Pipino 788, ab Imperio Caroli magni 737, ab Vgone Capeto 651, à D. Ludouico 327.

RECOGNITIO.

Anno Christi

500. versu. 1. conuertitur. Partim
525. versu. 1. hæresi infectus.
540. versu. 1. Fratris filio Theodoberto
550 Theodobaldus
556 Theodobaldus
722. versu. 1. SECVNDVS
922. versu. 6. Hebertus Regem
1033 Victi. Fratres
1096. ver. 9 Sperto Eburonũ episcopo
1112 Philippus. quod & in ipso Aemilio reponendum est fo. 98. vers. 79.
1161. vers. 4. eius temporis.
1253. ver. 2 Robertus Sorbona instituit atque
1254. ver. 1. Flandræ
1269. ver. 4. Carantonum
1270. ver. 11 filia D. Regis
1440. ver. 1. Mariam. quod & in Aemilio erratum est fo. 229. 11.

INDEX COPIOsiſſimus eorum quæ decem hiſce libris continentur:

Cuius ea eſt ratio, vt primus numerus folium, mox alij vſq; ad hanc hypodiaſtolen, verſus indicẽt: tum proximus ab hypodiaſtole numerus, itẽrum folium repreſentet, reliqui item verſus: hoc pacto,
Aaron Perſarũ rex. 46.76, 48.81, & 49.4. id eſt, folio 46. verſu 76, folio 48. verſu 81, & folio 49. verſu 4.

AARON Perſarum rex. 46.76, 48.81, 49.4.
Abbas D. Dionyſii regni Franciæ gubernator. 155.71.
Abbas S. Vedaſti Vrbano pontifici aduerſatur 205.2.
Abbæ D. Bertini ad Carolum Flandriæ Comitẽ querimonia. 101.22.
Abbates aliquando decuriones dicti 61.53.
Abdella Ibiminangæ regis filius. 43. 56.
Abderama Saracenorũ rex. 27.76. 78, 30.14. & 41.
Abimelechus Saracenorũ rex. 26.56
Abrahamus Aphricæ rex 48.87
Abroditi, populus. 45.5, 49.44. & 69, 53.63.
Abundantius & Venerandus Dagoberti duces 22.12
Abutaurus rex 42.23
Ace, Accon, & Acris ſubinde dicta Ptolemais 91.71. & 72
Acies peditum triquetra 135.5
Aciei vinculum 211.85
Accubitꝰ in cõuiuio cõtentio. 207.27
Accuſationes mutuæ religionis zelo 152.16
Accuſatoris vis opesq; reo proſunt. 14 88.
Adalgarius, Aquitanus nobilis. 36. 60.
Adalualdo Agilulphi filius 19.24
Adelæ fœminæ illuſtres plures. 70. 30, 97.10, 113.7, 119.84, 125.20, 133.25, 170.10.
Adelberga Deſiderij Longobardi filia 44.18
Adelgiſius Deſiderij Longobardi regis filius. 38.80. & 86, 39.67.74, 44.40. Eius cædes. ibi. 42.
Adelphonſus Bardulorum rex. 52. 88. & dein.
Adelphonſus Aſturiæ & Galeciæ rex 46.20
Ademarus Anicienſium epiſcopus. 73.36, 74.50, 78.48.
Ademarus Genuæ Comes. 50.24. Eius mors, ibi. 28.
Adoleſcentiæ filij pater ignoſcit. 228.81.
Adoleſcentis contempti mirum in re grauiſſima patrociniũ. 125.65.
Adoptione adſciſcuntur liberi, cum natura gigni nõ poſſunt. 222.74.
Adoptiui filij aduerſus matrem ſuã cogitationes, & contrà 223.22
Adrianopolis vrbs. 131. 7, 218.14, 232.57.
Adriaticum mare piratis infeſtum. 128.1. eis liberatur. ibi. 11.
Aduaticis præſidium à Franco imponitur 133.19
Aduerſæ res vilem patrem filio faciunt 119.30
Aduerſis rebus vis numinis perſpicua 135.65
Aduerſis rebus pauci comites. 129. 20, 155.19, 218.55.
Adulphus Naſſiæ Comes 169.35
Adulphi Cæſaris infortunia. 169.70, 170.37.42.45.
Adulterij deprehenſi malum. 15.65. punitio. 177.17.
Adulteriũ culpans interimit. 25.50.
Adulterinæ literæ 150.71
Aedes ſacræ Hieroſolymis deintegro extructæ 145.62
Aedis ſacræ religio. 22.29, 65.63, 107.32, 108.2.
Aegæi maris inſulæ Venetis datæ. 130.86.
Aegidia Lotarij regis filia. 58.78, 60.61.
Aegidienſis prouincia 155.30
Aegidius Canonicus Barchinonenſis pontifex max. 223.10. Ea dignitate cedit. ibi. 14.
Aegidius Cardinalis Tuſculanorum epiſcopus 104.51
Aegidius ciuis Romanus, Sueſſionũ præfectus, Francis rex ſalutatus. 4.54. à Childerico ſuperatus. ibi. 65.
Aegidius Romanꝰ Theologus. 164. 47.53. & dein, & 166.26.
Aegidius Rotomagenſiũ archiepiſcopus 30.79
Aegyptus, Nili beneficium. 122.11, 138.24.
Aegypti imperio euerſo, Sacrum regnum ſtabiliri poſſe. 122.9, 137.1
Aegyptum Sarraceni capiunt. 22. 62, 26.53.
Aegyptius Calipha. 71.20. eius cædes. 113.77.
Aegyptij à noſtris in ſocietatẽ belli vocantur 83.3
Aegyptij, terrarum imperij æmuli. 76. 57. Turcis viribus impares. 90.13. ditiores quàm fortiores. 114. 34.
Aegyptium bellum 114.52
Aegyptiorum cædes 93.8. & 76
Aegyptiorum calliditas, 90. 27, 139.85
Aegyptiorum erga noſtros fraus. 90.22. inhumanitas. 91.81. & 83. clementia. 140.25.48. & 50. humanitas. 168.22. cum noſtris induciæ. 168.36. ad noſtros legati. 82.85. mandata. 91.61. inter ſe tumultus. 113.75.
Aelia vnde dicta Hieroſolyma. 92.5.
Aeliopolis Aegypti vrbs 137.9
Aelius Pertinax 137.9
Aemilius Probus 69.84
Aenaria inſula 227.13
Aenobarbꝰ Cæſar. 112.14, & 120.29.
Aeris militaris colligendi difficultas 195.74.
Aetatis infirmæ calumnia 129.64
Aethiopes Eugenium põtificem inuiſunt 228.58
Aetius patricius, inſignis vir. 3.24. 29, 45.60. Eius mors. 4.17.
Affectuum ſuorum dominus. 103.31
Affines in affines non inquirant. 158.44.
Affinitatis gratia, vana 186.88
Afri Hiſpaniam vexant. 144.72. Italiam item. 154.64, & 214.70.
Afris leges à noſtris dicuntur. 215. 84.
Africa Maumethicæ ditionis 71.24
Africa Sarracenis ſæpe tentata. 26. 55. & 65.
Africa ſemper aliquid noui parit. 49.2.
Africæ reges tres in Hiſpaniã tranſgreſſi 190.52
Agathe vrbs combuſta 30.66
Agenenſis populus 132.16
Agenum vrbs 36.68, 182.67
Agilulfus Taurinorum dux, Longobardorum rex. 17.86, 18.5, 20.17.
Agreſtes militibus parere coguntur 224.20.
Aigroldus Danorum rex 63.11.26
Ainardinus Damaſceni regni procurator 113.47
Aiſtulfus Longobardorum rex. 32. 85, 35.43. & 73. eius interitus. 36.22.
Alanus Britanniæ dux 99.53
Alani à Francis domiti 2.10
Alapæ iniuria alta mente repoſita. 243.20.
Alardi cuiuſdã veterani militis optimum conſilium 153.53
Alaricus Gothorum rex. 2. 58. & 67. Eius mors, ibi. 78.
Alaricus Viſigothorum rex. 5.6, 7. 10. confoſſus. 9.6.
Alba capitia, Gandauenſiũ inſignia bello Brugenſi 206.42.52.85
Albamala vrbs 126.32
Albarium oppidum 90.85
Albatorum Gandauenſium tumultuatio. 206.62.70, 210.54, 212. 52.

Albericus Biturigũ pontifex. 107.12
Albertus Auſtriæ dux Cæſar eligitur. 170.43,173.72. Eius mors. 175.7.
Albertus Cæſar 229.37
Albertus Heberti comitis fani Quintini filius 63.37
Albertus magnus 152.27
Albij hæretici. 36.80,131.42.44. & 64,174.43.
Albiani Albis fluuij accolæ 52.69
Albinus miles luctator 58.19
Albini fanum 248.5
Albis fluuius 44. 66,46.10
Albiola Venetiarum pars 51.44
Alboinus Longobardorũ rex. 12.12, 13.13. 26,47.64. Gotthorum fautor.ibi.18.
Alborũ ac nigrorũ factiões 171.49
Aldenarda Albatorũ Gandauenſiũ oppugnationẽ ſuſtinet. 206.74, & 231.21.& 25.
Aldoaldus Gallorũ dux 17.26
Alebretenſis Comes.187.16,213.81, 248.2.&16.
Alebretus magiſter Equitum Francorum 221.5
Alemania Francis vectigalis 5.88
Alemani in Oſtrogotthorũ fines ſe conferunt 6.40.46.& 88
Alenconi⁹ dux capitur.224.70.maieſtatis reus fit.231.61.
Alerhei Burgũdionis ſeditioſi mors. 20.15.
Alexandria Aegypti.86.6. à Latinis obſidetur.114.70. recipitur. ibidẽ 75.noſtris eſt vectigalis.113.71, & 122.12.
Alexandrina clades 229.56
Alexandrini à noſtris deficiunt. 114. 68.
Alexandri magni æmulus 76.69
Alexander pontifex max. 112.30.& dein.150.65.
Alexander tertius pontifex maxim⁹ 112.11.
Alexis Græcorum imperatoris erga Latinos ſacro bello animus. 74. 31,75.75.85, 76.24. Leuitas. 87. 20.& dein,94.82,96.44.Aſtutia. 77.50.& 59,89.74,95. 2. fuga. 129.17. eius filius Iohannes obſes Latinis pro fide patris datur. 78.8.
Alexis iunior.125.50,128.13.45.52, 129.52.55.88.
Alexis de Turcis à fratre redempti nequitia. 125.33. & 43, 129.60. 71.79. 88.eius fuga.130.37.
Alexidis impij gener Theodorus. 144.88.& dein,149.1.2.
Alexis tutoris infortunia 116.40
Alexis pupilli mors 116.41
Alexis Emanuëlis Græcorum imperatoris filius 116.15.30.36
Alienigenas ſibi præferri,ciues indignantur 116.37
Aliſa Ludo.iunioris filia 113.2
Almaricus Alarici regis filius.9.66, 10.18. cæſus.11.6.
Almericus Eduardi Angli regis frater.182.52,114.16. & 59,124.72, 131.13.& 16,115.12.
Almericus Simonis à Monteforti filius. 104.24, 132.20, 142.44. & 46,143.32. & 39.
Almericus Luſinianus 132.54
Almericus Fulconis filius 109.31
Almericus Vauri præſidij præfect⁹ reſti ſuſpenſus 131.67
Allobroges 29.40.& 50
Alomora fluuius 45.49
Alpais pellex Caroli Martelli mater 25.49.& 58
Alphaſal Sultanus.76.55.60.66.Salamanſa dici mauult.ibi. 72. eius virtus.76.66.
Alphonſus Boria, qui & Caliſtus Quintus 223.13
Alphonſus Caſtulonenſiũ rex. 153. 8,190.57.eius fratres. ibi 11.16.& dein.
Alphonſus D. Ludouici frater, Pictonum dux. 143.41,144.7, 147. 45,148.82.
Alphonſus Luſitaniæ rex. 190.57, 245.59.
Alphonſi Neapolitani regis mors. 231.82.
Alfonſus Raimundi Toloſatis Comitis filius 95.50
Alphonſus Petri Tarraconenſis regis filius 161.74,170.6.
Alphonſus Tarraconenſis rex. 131. 80, 132.9, 220. 52,222.81, 227. 14.47.& dein,223.32, 231.46.
Alpium tranſitus à Mumolo Saxonibus redemptus 13.67.
Alſatienſis Comitatus 19.27.
Alterius noxam alter luit 128.36.
Altiſſiodorum Burgundiæ ducatui cedit 226.24.& 26.
Alui profluuio D. Ludouicus moritur 155.53
Alumnus altorem occidit 175.10
Aluredus Edelfredi Angli regis filius 68.32.& 53
Aluſtum Flandriæ oppidum.102.80
Amadeus Sabaudus Comes.175.66. & 71. pontifex maxim⁹ ſalutatur. 228.52.
Amalaberga Hermenfredi vxor. 10. 70.Eius dicterium.ibi.76.
Amalanfreda Theodorici Oſtrogothorum regis ſoror 10.70
Amalaſiunta Theodorici Oſtrogothorũ regis filia 5.5.11.16.25.30
Amalbertus ſeditionis author. 23.32
Amali Gotthis qui dicantur 3.21
Amandus dux 22.26
Amanus mons 80.69,245.85
Amatus ciuis Romanus. 12. 50,13. 39.eius mors.ibi.48.
Ambari populus 242.7
Ambianenſis cuiuſdã Cardinalis authoritas 207.86
Ambianenſis pax 187.83
Ambitus coercitio 144.43
Ambroſius Bergomatium Comes. 61.11.
Ambrotus Pariſinus prætor hæreſeos damnatus 209.55.& 47
Amechildes quidam Alboinum regem dormientem trucidat 13.31
Amedeus Taurinorũ Marchio. 110. 72.
Ameltrudis virginis ſanctæ reliquię 60.43.
Ammianus Marcellinus hiſtoricus. 181.8.
Amici communis officium 220.59
Amingus dux Theodoberti regis.11. 55.eius mors.12.43.
Amingus Pictonum comes 36.55
Amo, Longobardorum dux 14.8
Ammonius Angli regis filius. 201. 42.
Amores vtilitati antelati 201.56
Amoreus Saracenorum rex. 30.36. Eius mors.ibi.48.
Amoris prærepti dolor 144.80
Amorum externorũ detectorũ tragœdia. 216.42.& dein.
Amurates Maomethis filius. 232. 16.eius res geſtæ.ibi.
Amurates Orchanis filius 218.9
Anacletus quidam Antipapa. 104. 53.& 60.eius mors.ibi.85.
Anagnia vrbs.172.42,174.36.& 59
Anaſtaſius imperator fulmine ictus. 9.76.
Ancherauio Palatinus Comes. 132. 22.
Anconitani,populus 38.74
Andaloſia, quæ & Vandaloſia. 29. 25.
Andegauum vrbs. 56.48,57.7,132. 51.
Andelium vrbs 99.84
Andes populus. 143.23.26,144.57, 154.80,199.41,246.11.
Andreana Crux 223.62
Andreæ Brennæ Comitis mors. 120.65.
Andreas Caroli Vngari regis minor filius ſuffocatur.191.65.& 72
Andreas Hungariæ rex. 136.63, 167.67.& 70.
Andreas Lamponianus 245.43
Andreas Monachus hiſtoricus. 24. 7,70.7,111.66.
Andronicus Michaëlis Palæologi filius 169.31
Andronici cuiuſdam impietas. 116 40.
Angelus Franciæ præſes 72.69
Angelis id iuris nõ cõceſſum, quod Romanis pontificibus 95.71

INDEX.

Angelꝰ Venetꝰ.167.66.& 84.220.25
Angeli turris apud Byzãtios.130.34
Angli,Saxonum gens 3.50
Anglia dicta, quæ Britannia fuerat 4.36.
Anglia & Hiſpania de imperio cõtendunt 152.43
Anglia olim Danis ſeruijt. 68.31. Normanis item. 125.31. Romano pontifici vectigalis.135.71.
Angliæ de regno controuerſia. 106. 4.& dein
Angliæ Scotiæq; fames 69.33.
Angliæ traiectus breuiſſimus. 142. 78.
Angliæ tumultus ac ſeditio.135.80, 152.34,230.17,& 240.72.
Anglica claſſis 136.84,& 192.25.
Anglicum bellum.98.20,125.9,132. 76, 141.14,143.59,169.15,187.8. 19.& 74,& 212.85.
Anglici proceres ad Francum deficiunt.135.82.mox reſiliunt.136.1.
Anglꝰ Flãdros à Frãcis regit.171.23.
Anglus Franco cõminꝰ congredi nõ audet. 126. 30.& 36. ad nauale prælium prouocat.201.20.
Anglus in verba regis Franci iurat. 118.66.beneficiarius eius eſt. 154. 84,& 186. 38.omni iure quod in Franciam prætẽdere poſſit, ſe exuit.199.48.
Anglus rex eccleſiaſticis infeſtus.99. 11,112.37,132.70.
Anglus infidelitatis ac ſceleris à Frãco dãnatur. 126. 82.86,& 200.54
Anglus vxorem è Francia petens, repellitur. 221.81.& dein.
Angli ac Franci regum ſocietas.119. 3. propinquitas.126.57. inducię. 191.52.fœdus.170.36,215.46.
Angli cunctatio in ſacro bello. 119. 20,& 169.18.
Angli erga põtificem Romanũ obſeruatio.135.67. 68.71,& 201. 33.
Anglo principi dies ad Francum dicitur.126.81,169.20,& 200.54.
Angli à Philippo Audace malè multantur 201.83.
Angli domi facilè vincuntur, foris ægrè 213.22.
Angli Flãdro quàm Franco æquiores.118.51.cum albatis Gandauenſibus fœdus iciunt.212.52.
Angli Rotomagi obſeſſi 230.40.
Angli Scotos ac Pictos coërcent. 3. 53,187.9.
Angli tempeſtate cæli obruuntur ac terrentur 199. 31.
Angli tota penè continente exuuntur 230.88
Angli Vidoni à Monteforti inuiſi 157.10.
Anglorum ac Vaſconũ militũ diſpar fortuna 169.55.
Anglorum aduerſus Francos ſtudia 202.1,206.27.Victoria.194.35.
Anglorum erga Regẽ Franciç apud ſe captiuum officioſitas 198.4
Anglorũ in Francia imperium. 224. 3. 77,225.58.84.
Anglorum laus 88.74
Anglorum oſtentatio 188.6.
Anglorum peruicacia 230.13.
Anglorum pontificum aduerſus regem ſuum peruicacitas 132.66
Anglorum popularium in regẽ ſuũ rebellio 154.88
Anglorũ redargutio.205.15.& dein.
Anglorum ſagittæ 193.59
Anglorum terror ac fuga. 144.2, 247.87.
Anglos externorũ regũ tædet. 68.61
Anguillarius Comes Ruber 157.13
Anicienſis Comes eccleſiæ ſuæ infeſtus 111.85.
Anicienſis,pontificis legatus. 89.10. Eius mors.90.1.laus.ibi.2. et deĩ.
Animus verè principalis 227.57.
Animi aduerſi oppreſſi ęſtꝰ.241.70
Animi hũani natura.31.57,et 59.55.
Animi religione,numini ſoli addicimur 207.56
Animo ſuo imperare, virtus maxima 179.73
Animorũ impetus temerariꝰ 81.15
Anna Ludouici XI.filia.240.67.ſoror.246.48.
Anna Britanni ducis filia 247.18
Annalis quidam Engerrani Marinij delator 177.78. & dein.
Annales Francici 205.23.& 215.56.
Annianus Aureliani epiſcopꝰ. 3.69, 21.21.
Anni rpa in contrariũ verſa. 48.77.
Annonia,Francorũ imperio ſoluta. 125.30,141.42.à Francis vaſtatur 133.53,141.40.
Annonicum bellum 173.21
Annonius hiſtoricus 20.23,58.6
Annonę caritas.75 26,100.77.et deĩ.
Annulus adulterinus 150.71
Annulus paſtoralis olim à Regibꝰ epiſcopis dabatur 95.53.& 74
Annuli indicium 123.83,153.73
Annus vnꝰ,põtificis max.& triũ regũ illuſtriũ morte inſignis.164.38
Anſelmus Cauillonenſium Comes. 55.31,98.75.
Anſelmus Garlandenſis 97.68
Anſigiſus dux 24.10
Antaradum oppidũ. 91.23,95.9.10.
Antharis Longobardorũ rex. 16.55. & 65,& 17.2. eiꝰ mors ibi.82.
Antiochia vrbs.79.34,81.48,82.46. 50.51,83.4,86.34.63,87.52.69. 86, 90.11, 91.10, 103.70.87, 110. 57,154.55.
Antipatris vrbs 95.14,& 1234
Antonienſes, Anglorum populus. 135.87.
Antoninus Pont.Florẽtinꝰ 205.51
Antonius Comes Vallemontenſis 225.70.
Antonius Salernitanꝰ princeps.227. 49.
Antonne vrbs 188.58
Anus fatidica, beguina.158.39.& 41
Apamea vrbs 172.15
Apamenſis epiſcopi temeritas. 172. 19.20.36.
Apparitor regius cæſus, percuſſoris ſuſpendio vindicatur 182.31
Appellatio regis aduerſus pontificem 174.17
Appellationes olim rariores 166.6
Apiſtagnum vrbs 131.73
Apollinaris Aruernorũ dux 9.14
Apologus de aue inſigni quidẽ, ſed implumi 205.65
Apollonia vrbs 232.17
Apſimarus Tiberius 26.63
Apuli duces,pontifices turati. 95.60.
Apulia regio.74.67,96.69,245.65.
Aqua ardens 213.77
Aquægrani, Regia Caroli magni. 45.34.vnde ſic dictæ.50.77. earũ amœnitas. 53. 44. Imperatoribus coronandis prima ſedes.132.39.
Aquæ purificatio 121.84.
Aquenſes populus 14.10
Aquila aurea draconi inſidẽs Othonis Cæſaris ſignum.133.79.capitur.135.44.
Aquila,nauis nomen.128.84. Normaniæ vicus.195.41.
Aquilæ diræ viſum 117.2
Aquinum fame deditum 150.33
Aquitania,Aquitani.2.63, 24.82,36 65.68,141.10,154.82,170.20,182 48,186 38,199.43,200.39,230 55.& 62,239.64.
Aquitanicum bellũ. 26. 48,169.65, 182.45,192.20,240.7.
Aquitanica Bertandi Geſquinatis de Anglis victoria 201.80
Arabiam noſtri tentant 94.56
Arabicarum literarum vſus 148.14
Aragiſius Deſiderij regis gener.39.31
Arar fluuius 56.15
Ararum ac templorum contemptus. 157.11.
Ararum ſacrarum tangendarũ ritus. 21.12.
Aratrum euerſæ Ptolemaidi inductum 168.77
Arauſienſis princeps.224.35.& 42, 245.35.
Arauſienſis pontificis mors 91.11
Arca vrbs 95.47
Arcadius & Honorius Theodoſii imp.filij.2.40. eorũ ſanctiões.70.1
Arcana non aperienda 159.64
Arcę oppidũ.91.28.& 55,126.77.80.
Archicancellarius Burgundiæ .70.6
Arcturus Britanniç dux.118.70,126. 50.75.& 80,190.68.
Arcubaliſtæ Lygurum 193.60

INDEX.

Arcuum nerui pluuia laxati.193.50.
Ardaricus Gotthorum rex.11.77, & 45.3.
Ardehunnutus Danus rex. 68.55.
Ardens aqua 213.77.
Ardiburgum vrbs 170.86.
Ardonum oppidum 143.28.
Arduenna ſilua 20.66,238.48.
Areſluctus Normaniæ oppidũ.222. 3,230.42.& 44.
Arelate vrbs 65.58.
Arembertus Burgundionũ dux. 22. 21.
Arenæ,vicus 192.80.
Arethuſa vrbs 115.48,116.3.
Arretini,Gibellinarum partiũ. 166. 83.à Guelfis vincuntur.167.2.
Aretium Hetruriæ vrbs. 53.80,99. 21,210.11.
Argentoniũ Frãcus occupat.119.26.
Arriana perfidia 3.44,6.6.
Arrianæ ſectæ principem Gallia occidit 27.58.
Arrianus campus 9.12.
Arriani toto Oriente exulare iuſſi.9. 76.
Aribertus Clotarij ex Sichilde filius. 20.77.Eius mors.22.21.
Aricuriæ Comes Tancredouillani hoſtis 177.68,194.44
Aricuriarum & Eburouicum oppida. 196.3.
Arienſis pugna 173.38.
Arietis vſus 76.88.
Armorũ abiectio. 153.68,155.38.
Armenia minor 80.30.
Armenij. 154.57,168.4. & 15,& 228.57.
Armeniacus Comes. 157.50,200. 43, 214.8.45, 223.45.62,240.8. & 62.
Arnoldus, Arnulphi ducis pater.24. 9.10.
Arnoldus Danus rex 102.64.
Arnulfus Aldenardenſis dux.135 32.
Arnulfus Carolomani filius. 59.16.
Arnulphus Doderegus 195.76.
Arnulfus Flandriæ Comes, Balduini filius 63.6,70.21.
Arnulfus Germanorũ imperator.59. 21,61.5.eius acta.ibi.10.mors.24.
Arnulfus Lotarij regis Franci frater è ſede Remenſi deijcitur. 64.63.
Arnulfus Magiſter equitũ Francorum 169.23.
Arnulphus vir ſanctus 20.81.
Arnus fluuius 166.76.
Arpinus Biturigum Comes. 73.72.
Arquæ,Aquitaniæ oppidũ.230.57.
Arſacidas Aſſaſſinorũ princeps. 113. 32,143.53.
Artaſia à noſtris de Turcis recepta. 81.67,& 82.1.
Arteuillæ cuiuſdam temeritas. 192. 9.& dein.vide Philippꝰ Arteuilla.
Arturus,vide Aréturus.
Aruerni.9.13,104.21. & 32,228.79.
Arx,belli cauſſa 182.45.
Aſambaci Turcæ 218.6.
Aſcalo vrbs.113.44.& 61,117.47.
Eam Turca recipit 117.47.
Aſcalonitæ à Latinis tuti, à Turcis ſpoliantur 113.66.
Aſcalonitæ pacem à Gotthofredo petunt 94.19.
Aſcanius lacus 76 82.
Aſcelinus Laudunenſis epiſcopꝰ. 64. 42.
Aſſaſſinorum deſcriptio. 113.23. & dein.122.79,143.53.
Aſſungurius Barbarus 103.49.
Aſſungurrus Turcæ prætor. 76.62
Aſia à Turcis euaſtata 35.53.
Aſia minore potiti Latini 88.88.
Aſia,noua ſemper affert 124.68.
Aſiaticæ famæ vanitas 124.38.
Aſiaticæ opes Latinorum virtuti nobilitatiq; dotales 103.35.
Aſiaticarum,rerum cõtinuatio. 168. 1.& dein.
Aſiatici regni Latini procuratio.115. 15.ſubuerſio.116.87.
Aſiaticorum Latinorum degeneratio 109.17,168.42.
Aſper Fulco Andegauorum & Turonum Comes 103.8.
Aſta,Francorum vrbs. 20.31,176.7.
Aſtures,Cantabri & Galeci. 26.74, 40.69.
Atalaricus Theodorici Oſtrogothorum regis nepos.1113. Eius mors.ibi.25.
Athaulphus Alarico ſuffectus. 2.78.
Athenarum dux Brennus à piratis occiditur. 171.88. ipſa vrbs capitur.172.1.
Athenarum & Achaiæ princeps Gotthofredus Tricaſſenſis.130.87.
Athinus Saracenorũ rex. 29.72,77. 78.& dein, & 30.62.
Attalia vrbs 103.79.& 110.30.
Attilæ Hunnorum regis in Galliam motus 3.62.
Atrebatium res.69.79,125.2. et 33, 144.59,173.17.et 30,186.66,195. 74, 226.9. & 13,245. 27. & 30, 246.22.
Atremus quidam Franciſcus Gandauenſium dux 212.76.
Atrocitatis vſus 85.34.
Auallo vrbs miraculoſè recepta. 65. 53.eius arx.64.86.
Auaris rex 44.59.
Auares,qui & Bauari 44.58.
Auaritia principis popularibus inuiſa.102.43. & dein.
Auaritiæ ardor 52.15.
Audacia effrenis.21.30.ſtatim vindicanda 25.29.
Audacia nimis callida 75.50.
Audacia omnia penetrat 155.77.
Audax vnde dictus Philippus Caroli Sexti patruus 207.36.
Audefleda Clodouei regis ſoror.5.7.
Audemari pons 230.5.
Audoënus vir ſanctus 22.36.
Audouera Chilperici vxor. 18.52.
Auenæ Annoniæ oppidum. 119.9.
Auenio à rege Franco obſeſſa, capta,mœnibus exuta. 142.52.
Auenio arx velut vna belli Saracenis delecta 29.73,& 30.20.
Auenio Clementis pontificis maximi ſedes 175.28,&.205.30.
Auenio pontificatui acquiritur. 207. 65.& 67.
Auenionenſes Cardinales 217.30.
Auge oppidum 100.12.
Auguſtarum rerum cura ad Papam ſpectat 153.5.
Auguſti duo 48.56.
D.Auguſtini corpus 34.85.
D. Auguſtini lectione cum primis delectabatur Carolus magnꝰ.53. 40.
Auia contra nepotem pugnãs. 126. 72.& 78.
Aui mortui hæreditas quibus cedat 104.17,157.76.
Auida,Othonis Cæſaris ſoror.63.1.
Auis implumis apologus 205.66.
Aulæorum prætextus 242.43.
Aulica æmulatio 118.19,195.27.
Aulæ Franciçæ turbatio 142.72.
Aulicæ gratiæ inſtabilitas 216.40.
Aulici procuratores 179.40.
Aulicorum peculatus 198.12.
Aulonem vrbem Amurates Turca recipit 232.18.
Aurelianus Tribunus militum.2.31.
Aurelianum ab Attila obſidetur. 2. 67.
Aureliani obſidio, per Iohãnam Lotaringam puellam ſoluitur. 225. 21.
Aurelianenſe regnũ.10.11,& 13.40.
Aurelianenſis ſynodus 245.53.
Aurelianenſes obſeſſi Burgũdię duci ſe potius, quàm Anglo,dedere ſtatuunt.225.4. Eorum erga regem ſuum fides.224.80.
Aurelianiſſimus 228.87.
Aureorum ſcutatorũ precium ſubinde mutatur 177.43.
Aurum,cupiditatis illecebra 151.51.
Auri ob diplomata pontificia è Frãcia exportãdi,retinẽdi ratio.245. 54.
Auri prædæ metu defoſſi, proferẽdi ratio 218.80.
Auri reconditi fama 126.46.
Auri ſacri collectio 125.66
Auro & pollicitationibꝰ plura q̃ vi in Burgũdia oppida à Franco expugnata 245.40.
Auſbertus Orientalis Franciæ Senator 24.9.
Auſeflidis,Bertarij nurus 24.77.

INDEX.

Auſpergenſis hiſtoricus 131.41.
Auſtraſia, exulum Francorum refugium 23.66
Auſtraſia, Mediomatricũ regnũ 14.59 20.66. & 80. Eius opulẽtia. 21.35
Auſtraſiani a Francis ac Friſijs impe runtur. 25.78. eorum duces. 11.54, & 12.46
Auſtraſiani Iuſtiniano aduerſantur. 11.65
Auſtraſianorum arma ac tela. 11. 60. aduerſos Francos victoria. 24.72
Auſtraſianis ſua regia reddita. 22.73.
Auſtria vnde dicta 44.71
Auſtriæ dux Lupoldus 123.87
Auſtriæ vnius ducatus, quinque Cęſarũ interimendorũ cauſſa. 175.35
Auſtriorum militum cum Anglis ſimultates 123.85.
Autumnus incommodus 35.6.
Auxilium bello petiturus, calamitatem tuam omnem caue expoſueris 87.30
Auxilium diuinum Latinis aduerſus Perſas decertantibus latum. 89.54
Auximates, populus 38.74
Aza Oſcenſium ſatrapes 43.55.
Azo Vaſconiæ prætor 53.64. & deſ.
Axona fluuius 64.3.19

B

BACCHO AC PERSEius, Anglorũ ſtudioſi. 192.8. & 26.
Bacmanus Caſſiani filius. 82.62. Eius cædes. 85.4.
Baculus paſtoralis à Regibus olim epiſcopis dabatur 95.53
Badericus Turingorum rex. 10. 58 eius mors. ibi. 63
Baiocę, Normaniæ oppidũ. 230.50
Baiona in Francorum poteſtatem venit 230.63
Bala Turca. 81.46. & 50. eius fraus. 90.60. & 66
Balachus Parthorũ princeps. 100.32
Baldacenſis Calipha. 71.18. & 114.45
Baldaſſar Coſſa Neapolitanus. 220 42
Baldricus Dolenſium pontifex hiſtoricus 89.52
Baldricus Foroiulienſiũ dux. 54.35
Balducus Samoſatenſiũ Satrapa. 80. 48. eius pertinacia. ibi. 56. & 58, & 90.77
Balduinus à Burgo, Remenſis ciuis, Edeſſanorũ comes creatur. 94.45
Balduinꝰ Almerici regis filiꝰ. 115.14
Balduinus Anno, Græcorum auguſtus 159.40.
Balduinus Arduẽnę ſaltuariꝰ. 57.78
Balduinus Flandriæ Comes. 59.22, 61.58. et 61, 64.11, 65.16. & 79, 67. 65. 72, 70.14, 79.45. 81, 80.5.11. 13. 22. 42. 46. & 75, 90. 65, 94. 40. et 60, 95.32, 98. 60, 99. 39, 100. 12. 20. 21. 34. & 73, 103. 27, 113.71, 116.60, & 72, 124.71, 125.35. & 37, 130.80, 131.11, 141. 37, 144. 84, 151.49.
Balduinus Fulconis filius. 109.31.
Balduinum Comitem ſe quidam aſſerit. 141. 39. & dein. 47.70, & 142.11.17. & 38.
Baldus, iuris ciuilis interpres. 204. 78.
Balearicus epiſcopus. 223.14.
Balearium rex Iacobus ad Regem Francum tranſit. 161 74.
Ballua quidam, Andegauenſis ponti fex. 239.35. & 52.
Balmarimus Afer rex. 190.53.
Baltei equeſtris dignitas. 222.30.
Balthi apud Gotthos qui dicantur. 3.20, & 5.4.
Bandodachar Aegyptiorum Sultanus. 154.52.
Barbæ tonſio ac poſitio apud Gallos quid indicet. 20.41, & 38.73.
Barbara religio duas in partes diuiſa. 114.55.
Barbarorum erga noſtros clementia. 140.48.
Barbarus Chriſtiano quàm Chriſtianus æquior. 203 77.
Barchino à Gallis recepta. 43.65.
Bardulus ac Maſſillus inter ſe decertant. 53.34.
Barduli, Chriſtiani effecti. 46.24, & 53.16.
Barra, eques quidã fortiſſimus. 134. 73.
Barrhum Lotaringiæ vrbs. 66.61.
Bartholomæus Calleo Bergomas. 229.58. Eius virtus. ibi. 62.
Bartholomæus Neapolitanus Pontifex maxim. 204.75. & dein, & 205.2.
Baſilienſe concilium. 227.88. & ſo. ſeq. 228.22.51, & 229.27.
Baſilij de ſpirituſſancti proceſſione ſententia. 228.40.
Baſſus Caroli Burg. du. præfectus. 243.12.16. 20. & 21. Eius defectio. 244.37.
Batazes Theodori Cæſaris gener. 145.2.
Bauaria in Caroli magni poteſtatem venit. 44.61.
Bauari, qui & Auares. 44.58, 150. 40.60. & 74.
Bauaris Conradini regis pueri tutela cõmittitur. 150.40. Eorũ authoritatis imminutio. ibi. 60. & 74.
Baugentiacum oppidum. 246.62.
Beatrix, Henrici ſecũdi ſoror. 68.10.
Beatrix Lemouicũ Vicecomes, &c. 190.69.
Beatrix, Phocenſis comitis filia. 144. 29. & 187.56.
Beatus Venetus à Nicephoro Conſul creatus. 51.43.
Beda venerabilis. 28.25. Eius diſcipuli. 53.41
Begga Pipini principis filia. 24.11.
Beguinarum ſecta. 158.40.
Bela Andreæ Vngariæ regis filius. 118.59, 124.71, 167.68.
Belchefo Turcarũ & Perſarũ imperator. 76.52.
Beleſmum oppidum. 143.27.
Belgarũ odiũ apud Edeſſanos. 90.54 nomen illuſtre. 100.23. oppida. 244.50.
Bellapertica. 200.62.
Belli indicendi forma. 200.56, & 202.59.
Belli inteſtini mala. 155.3.
Belli iritamenta tollenda, vt bellũ auferatur. 206.86.
Belli licentia. 104.25. fortuna. 49.74 140.28, 197.66. ardor. 169. 9.
Belli ſacri prætextu nonnunquã tyrannis exercetur. 136.35.
Bellum inferentis munus. 139.46. bello peritis item munus. ibi. 49.
Bello confecto campi facies. 28.85. & dein.
Bello facillimè res in contrariũ vertunt. 88.9.10.11.
Bella domeſtica ſuſpicioſa. 134.65.
Bella in ſacroſancta poteſtate nõ admiranda 154.11.
Bella quomodo gerenda. 229.54.
Bella læuus finiuntur, q̃ inchoentur 7.33.
Bellorum initia aduerſa quid faciãt. 75.78.
Bellorũ ſemper immunis nulla eſt magna regio. 34 76.
Bellis vexati, bellicas artes ediſcunt. 148.43.
Bellicę laudis cõtẽtio. 79.65. & dein.
Bellicæ tempeſtatis auertendæ vaframentum. 161.37.
Bellicis rebus nihil incertius. 102.81.
Bellicis maximè in rebꝰ fortunã deus præbet. 49.74.
Belliſarius, ſummus imperatoris Iuſtiniani dux. 11.33.40.71. & 83, 12. 4.6, 228.70.
Belloarduum quid dicatur. 236.16.
Bellocarenſis præfectura. 222.29.
Bellomontenſis Comes. 193.87.
Bellouaci oppugnantur. 240.10.
Bellouacorum ſeditio. 198.83. Eorum coerctio. ibi. 86.
Belna à Philippo auguſto recipitur. 117.68. Eius defectio. 245.39.
Benedictus Anagninus Cardinalis 169.86. põtifex max. creatus, Bonifacius vocatur 170.2, 174.53. & 67, 217.34. & 45. eiꝰ ambitio. 221 9. facũdia ibi. 22.63. Mors. 223.10
Benedictus Toloſas, Pontifex maxi. 186.46
Beneficiarios ſuos Francus tutatur. 102.6. & dein.
Beneficia eccleſiaſtica a Cæſaribus olim dabantur 105.12.

Beneficiorum eccleſiaſticorum multitudo reprobata 152.20,154.17
ea quibus ſint danda.ibi. 22
Beneficium. vide ſacerdotium
Beneuentanus ducatus 48.2, 39.30
Beneuentanus dux 35.28,43.83,& 44.17
Benignus Magiſter militiæ templi 168.66
Benizetra quid ſit 85.64
Berengaria Caſtulonenſis regis ſoror 140.62
Berengarius & Vido Franciæ imperiū ſibi vendicare conſpirāt 59.31
Berengarius Sulcebacēſium Comes 108.70
Berengarius Foroiulienſium dux 57 17.eius de Ludouico Boſſonis filio victoria 61.45
Berga oppidum 143.48
Bergeracum oppidum 201.80
Bernabouis Mediolanenſis filia,Bauari ducis vxor 212.72
D.Bernardꝰ abba.104.69.& 70,105 59,107.36.& 41,& 108.20.& 35
Bernardus Italiæ rex 54.9. & 45. eius ambitio. ibi.17. mors ibi.24. Eius filius captus luminibus priuatur 55.10
Bernardꝰ Pipini filiꝰ 52.70, & 53.8
Bertæ mulieres inſignes complures 35.26,37.47,62.43,69.51,80.31. 37.& 38
Bertandus Geſquinas, vide Geſquinas Bertrandus
Bertandus Vaſco 174.84
Bertarius,Saxonum dux.20.70. magiſter equitum Francorum 24.2 eius cædes.ibi 76
Bertarius Turingorum rex. 10.59 eius mors.ibi.
D.Bertini ædes 102.76
Bertoaldus magiſter militum 18.80 & ibi.85
Bertolfus præfectus ædis D.Donatiani 101.2.& 31
Bertrada Fulconis aſperi vxor 69 54. eius ortus ac pellicatus.ibi.68 & 70. & 103.11
Bertrandus Eduorū pontifex 186.16
Bertrannus Raimūdi Toloſatis Comitis filius 95.46
Bertrāni Tripolitani Comitis filius Pontius 96.59
Bertricus Hiſpanorum rex 19.17
Bertrudis Clotarij vxoris mors 20. 65
Berytus vrbs a Venetis recepta 96 80.a noſtris occupatur 126.2
Beryti prætor 91.65
Bettorus Anglus dux, 224.29, & 225.35
Betlemita pontifex 130.74
Bethleemitæ 91.77.& 80
Betlemitis vicus 123.56
Betica Hiſpanorum a Saracenis inco
litur.131.36.ea lue purgat.190.63
Betunienſis quædam mulier fatidica igni tradita 186.85
Bibere eodem cum rege poculo, ma ieſtatis crimen 20.45
Bibliorum ſacrorum lectio 152.10
Bibliothecarius Romanus,hiſtoricꝰ. 44.13
Bilitio Mediolanēſium oppidū.17.22
Biſſina Childerici regis vxor 4.75
Biterræ combuſtæ 30.66,& 131.57
Biterenſis Comes 144.21
Bituriges vexati,ac liberati. 36.54, 97.16.& 20,& 220.2.
Biturigum ducatus 234.40
Blancha Borbonij ducis filia 200.13 Eius mors.ibi.19
Blancha, Caroli Nauarræ regis ſoror 195.61
Blancha Caroli Pulchri filia. 184.84 & 185. 23. Diui Ludouici mater 112.88,142.42. 61.& 72.& 87,& 144.8. & 60.& 62, & 147.28,& 155.79.& 157.46.& 70.Gotthofredi Comitis Andegauenſis ex filia neptis.65.56. Philippi Mediolanenſiū ducis filia notha. 229.64
Blanda Nauarri regis filia 140.70. & 233.27.Othonis Burgūdię Comitis filia 177.23. Petri Britanniæ ducis filia 143.14
Blangienſis pugna 222.15
Blaſius dux 227.52
Blaſphemantium punitio 152.6
Blitildis Clotarij II regis filia.23.35 & 24.9
Blonaſonis cuiuſdam aſtutia 214.60
Boccatius antiquitatis cognoſcendæ ſtudioſiſſimus 19.62
Bochardus Pariſienſis nobilis.95.86
Bodillus quidam Childericum regē interimit 23.33
Boetius & Symmachus necātur 10.4
Bohemi Sclauorum natio 22.39, 49.85.& 88,50.85,51.2,221.68
Bohemorum deditio Scythica 51.2
Bohemūdus Roberti Viſcardi filius 74.68. eius bello ſacro copię. ibi. 86.nauigatio. 75.20. Virtus.83. 75, 84. 5. 85. 31,86.18,88.3, 91. 8.& 30, & 93.56.â Turcis capitur.94.39.redimitur. 96. 31. Eius mors 53.54
Bohemūdi iunioris mors 103.28
Bohemūdus tertius Raimūdi Antiochēſis principis filius.113.17. capitur 114.23
Bona,filia Iohannis Bohemiæ regis 187.55
Bona, mater Ducis Mediolanenſis 245.58
Bonauallis oppidum 105.4
Bonauētura,minor,floret 152.28.
Bonecellus quidam diuitiarū oſtentator 206.9
Bonifacianum crimen.179.25.& 49
Bonifacius Africæ procurator ſub Honorio Cæſare. 3.31
Bonifacius Ferratenſis Marchio 117 24,& 130.83
Bonifacius Maguntinorū epſ 33.51
Bonifacius Piſanus Comes 186.43
Bonifacij pōtificis maximi res geſtæ 170.2.& 26,171.51,172. 11.& 21. & 43.& 44.& 54,173. 69,174. 29.15.& 16.& 41.& 71.eiꝰ mors. 174.51,& 178.34,220.20
Bononia Belgica.125.44,133.2.eius Comitatus.141.34
Bonusconuentus oppidum 176.45
Borbonij dux primus quis vocatus. 187.59
Borbonius dux ſacro bello gerendo imperatorem ſe offert 215.43
Borbonij ducis filius Iohānes,Caroli VII gener.230.70,& 234.36. & 56.
Borburgū Flandriæ oppidū.212.27.
Borichus Hūgaricę regię nothꝰ.108 82
Bornas Dalmatiæ dux 54.1
Boſſo,Chilperici dux.14.43. Auſtrafianorū dux. 15.22. Prouinciæ & Burgūdiæ rex.57.16.& 32,& 58. 59.
Boſtum oppidum 229.57
Bouinenſis pugna 135.40
Brabanta quędam Beguina anus fatidica 158.39
Brabantinus dux,Franci regis ſocius amicuſq. 168 83.& dein.
Brabantini ac Flandri. 123.14.
Brabantinorum ſtrages. 134.79
Brenna puella. 151.22.
Brennus Athenarum dux occidit. 171.88.
Brennus Iohannes Hieroſolymorū rex. 131.12.& 18,& 139.36. Eius dolor.ibi.59.
Brēnus magiſter Equitum Francorum. 196.50.
Brēnus Rauēnatiū exarchꝰ. 145.27.
Breſacū Alſatiæ oppidū. 62.78.
Breſieius Normaniæ pretor. 237.10.
Breſtū Britānię maritimū oppidum. 190.80,201.10.Francus ab Anglo recipit. 217.78
Bretoliū oppidū. 196.10.
Bricōnetū oppidū ad Ligerim.105.7. exciſum.ibi.9.
Bridanus lanius plebis cōmotæ dux. 170.83,172.67.
Britanni. 3. 47. 52.55,4.31.34.35.65,18. 43,22. 31,132.46.57,133.24. 143.30, 175.3,190.56.67.83.84.& 85,192.57, 195.6,201.9.& 87,206.26, 207.45.& 54, 216.53. & 78,233.50, 241. 15,245. 23,247.15,248.21.
Britiniacū fœdus. 199.36,& 202.19.
Brocchius regius cubicularius veneficij reꝰ.58.33,reſte ſuſpenſus.ibi.69.
Broia arx. 194.40.

Brugæ Flandriæ oppidum 102.54, 135.5,169.78,211.27,226.78.
Brugeſes 151.56,170.78,171.7,173 38,206.40.44.& 68.
Brundulum Venetiarũ pars. 51.44
Brunechildis Athanagildi Viſigothorum regis filia.14.45,60.63.71, & 15.76,& 19.1.44.& dein.& 58 & 67.
Bruno Archidux Lotaringię Agrippinenſium epiſcopus.62.87,& 63. 67.Eius mors. ibidem
Bruno Cartuſieñ.conditor 105.47
Brunulphus Ariberti regij pueri auũculus.21. 33.Eius ſpes ibi.39.
Bruxellæ vrbs 64 27
Bryæ comitatus.238.87.eius maxima pars de Anglis à Francis recipitur 225.55
Buccellinus Theodoberti dux.11.55 Eius mors 12.43
Buda Vngariæ vrbs 218.19
Bullionem ducatum ſuum Cotthofredus Lotarĩgię dux vẽdit.73.79 Eius laus.74.7.Fratres.ibi.44.
Bulgaria 218.22
Bulgaricum bellum. 33.2,52.10.& 17,& 218.10.& 15.
Burchardus magiſter equitum Caroli magni. 43.47,& 50.30
Burchardus Viſiburgenſium epiſcopus.31.72.Eius oratio.ibi. 74.
Burdegala Vaſconiæ vrbs.9.12,169. 23,230.59.69.& 82.
Burgundia & Burgundio.3.2.et 26, 4.32,5.30,6.27,7.73,8.68,10.20 & 45,19.85.56.58,24.82,66.10. 16.et 30,70.5,144.78,181.13,199 20,212.70.et 71,223.50.63.et 78, 234.4,244.43.et 48,246.21,226 19.et 42.et 59, 239.72,243.83, 245.36.
Burgundioniſſimus 228.87
Buſantalum oppidum 119.26
Buſſicaudus Genuæ prætor.219.46, 220.12,et 222.22.
Butarius magiſter equitum Francorum 224.53
Butauẽtum oppidum capitur. 127.3
Buxis caſtellum. 64.3. Eius euerſio. ibidem.5.
Buzij, Vaſconiæ populus. 200.87, 224.46,& 230.60.
Byblus oppidum 91.58
Byzantinorum in latinos conſpiratio 116.42
Byzantium regia vrbs.71.69,116.18, 232.30,et 245.68.vide Conſtantinopolis.

C

CADALVS Pannonius 53.86
Cadomenſes ab Anglis vincuntur ac occupantur 192.37.et 47
Cadurci.9.13,36.80,111.74, 131.74, 154.83,200.58.
Cæcilia Philippi regis filia. 96.42. 57.et 61.
Cæcis egentibus D. Ludouicus ædẽ & domum extruit 152.13
Cædis nefandæ vltio 166.44
Cæleſtinus põtifex maxi.108.14,124 65,146.36,169.88,177.9.
Cæſarauguſta in ſinceram religionẽ reſtituta.11.8,et 42.19.
Cæli vis. 49.69.beneficium. 51.6.
Cæſarea Cappadociæ. 80.60.Palæſtinæ. 91. 74. Stratonis. 95.16,& 154. 40.
Cæſareenſes Latini 154.37
Cęſaries olim Frãcicę nobilitati promiſſa ac ornata. 6. 23. cæteris inculta.ibi.27.
Cæſar apud Francos in Curia præſidet.222.28.et 35.
Cæſaris arbitrio, Cæſaris percuſſor luat 175.22
Cæſares,non græcorum,ſed Romanorum imperatores dici 35.36
Cæſares olim beneficia eccleſiaſtica quibus videbatur dabant. 105.12
Cæſares Siculis infeſti 145.87
Cęſarum in Italiam veſtigia læta &c. 157.40.
Cæſarum ius quatenus extẽdatur.95. 76.
Cæſareæ maieſtatis imminutio. 47. 20.
Cæſareum interregnum. 151.11.& 175.12.
Cæſareum nomen in Frãciam reportat Carolus Cajus.57.12.et dein.
Cæſareum nomen controuerſum. 181.31.
Cæſarini Cardinalis Legati ad Iohãnem Palæologũ dictum. 228.44
Cæſaroburgum vrbs. 118. 37.40,& 217.78.
Caiapha vrbs 136.76
Caieta obſidetur. 167.39,et 226.14. et 51.ad eã bellũ. 227.14. et dein.
Caij domus 125.18
Cairum, vide Chaere
Cala Pariſiorum vicus 15.71
Calabri Torrilę ſe dedunt 12.4
Calabriam Ludouicus Andegauenſis recipit 222.80
Calacum oppidum 126.46
Calamiſtrati olim Frãcorum nobiles 6.24.
Calcarium abiectio.196.55.et 197.5
Calcis viuæ in prælijs vſus 227.41
Caldebecũ Normanię oppidũ.230.41
Calepinus Pazatis filius 232.13
Caleti ab Anglis in Francos pugnare iuſſi, arma in Anglos vertunt. 225.76.
Caletium,vide Calitium et Itium
Calicis ſacri ablatio vindicata. 5.11
Caliphæ qui dicantur 71.19 eorum luxus ibidem. 26.76.58
Calipha Aegyptius. 82.80.et 82.interimitur 113.77
Calipha Baldacenſis 114.45
Caliſium oppidum 106.13
Callipolis vrbs 218.12
Caliſtus Pontifex.maxi. 99.41,223. 13,231.84,232.3.
Calitium munitur.142.76.& 80.obſidetur 226.63
Caloris habitus etiam regem deprehendit 153.73
Calua capitis humani in poculi vſum verſa.13.28,52.17.
Caluariæ mons.46.75.& 92.4
Caluusmõs oppidum nobile fulmine conflagrat 126.39
Camelus 28.48,& 84.40, & 94. 64.
Cameracum oppidum 178.86,188 46,47.60.62.et 78.
Campanellum oppidum 143.27
Campanus Comitatus 19.27,& 238.87.
Campanorum ſtudia 98.50 Eorum ditiones.Ibidem 52 Virtus 125.69,& 134.17
Cancellarij nomen 70.1.4.8. & 11. authoritas. 178.76 officium 180.1.
Cancellarij Britannici Cauini inuidia.245.23, & 247.5.& dein.
Cancelliacum oppidum 96.23
Candelori Turcæ 218.6
Canderetum oppidum 201.81
Canes vocantur Sclaui 22 51
Canino ac ferino cultu Pazaites à Tamerlane Scytha habetur.219.13
Cannacarius Cameracẽſium et Atrebatium regulus 9.18
Cantabricum bellum 36.60
Cantius martyr 182.80
Cantor eccleſiæ Pariſienſis 205.36
Canutus Danorũ regis filius.100.18
Cappadocum vrbes 80.60
Capellæ ſanctæ Pariſinæ beneficia. 154.22.
Capilli ſuccidendi mos. 29. 57, & 38.73.
Capitalis dicitur Buziorũ princeps 200.86.
Capitalis regia cauſſa,anus varicinio commiſſa 158.49
Capitius Neapolitanus exul. 153. 29.
Capito Niger Britannus 214.56
Caponelli cuiuſdam aduerſus Anglũ principem temeritas 200.54
Captiuum ſuum Aurelianenſem Ducẽ ſibi Burgundię dux reconciliat. 228.86
Captiuitas lõgiſſima 220.8.et 239.54
Captiuos barbarorum omnes D.Ludouicus reſtituit 149.75
Captus ab vno,alteri ad victimã traditur 166.41
Capti regis præmium 197.88
Captorũ bello nobiliũ miſera cędes 197.38

Capua Conrado Fœderici Cæſaris filio fame deditur 150.33.
Caput hominis in pactũ deducitur. 240.28,& 242.79.
Capite cuiuſpiam opus eſſe, ambiguè dictum 242.76.& 78.
Caramani Turcæ 218 6.
Carauagienſis pugna 229.67.
Caranto iuxta Pariſios 236.13.
Carantonum flumen. 143.80,& 154.83.
Carbonaria ſylua 25.73.
Carbones candẽtes corui roſtris geſtant 126.42.
Carcaſſo vrbs. 131.61,136.25, 144.22, 155.35.
Carcellenſis Comes 233.64.
Cardinalium munus 157.1.
Cardinalatus in Francia. 174.94,& 175.4.
Cardinalis Papiẽſis hiſtoricus. 239.19.
Cardinales Anagnienſes. 174.36.
Auenionenſes 217.30
Cardinales reformare vult Vrbanus pontifex 205.18.
Cardinales 30.ſimul ab Vrbano creati. 205.88.
Cardinalium contentio de pontifice eligendo.156 83.ſeceſſio.205.28
Cardinalium Romanorum inter ſe diuiſio.174.68. iuſiurandum.220.22, & 221.9.
Cardui,haſtæ putati 236.85.
Carentanũ oppidũ euerſum. 192.25.
Carentũ Normaniæ oppidũ.230.50
Careum vrbs expugnata 131.72
Caricealum oppidum 143.28
Cariſiacum oppidum 33.42
Cariſiacus conuentus 35.19
Caritatis fanum,vrbs 225.43
Carmelitæ 152.14
Carnutes oppidum 100.17
Carnuti fœdatio. 126.40. receptio. 225.60.
Carola Sabaudi ducis filia. 231.51.
Caroleſius Philippi Burgundiæ ducis filius.234.15. eius indoles.ibi. 85, & 235.5.& dein.237.23. & 37.
Caroli Aquitanici ducis mors.240.15
Carolus ab Ambaſijs,regius in Burgundia præfectus 245.37
Carolus Alenconij Comes. 187.14. & 193.47. Eius mors.194.18.
Carolus Balbi filius 59.78
Carolus Bleſenſis.195.6.& 10,& 199.86, & 200.5.
Carolus Burgundiæ dux.239.12.& 17, 241.26.& 29,241.35.& dein. 242.34, 243.& 10.81.& 244.9 & 39.
Carolus Caluus. 55.69.& dein, 57 14.& 86, 58.2.15.28
Carolus,Caroli magni filius.43.49
Carolꝰ Caroli Simplicis nepos.107 8
Carolus Claudus Caroli Siciliæ regis filius.161.54,166.28.46.52.& 57.88.& dein. 167.1.4.54.& 84, 169.79. Eius mors.175.25.
Carolus Craſſus. 58.50.51.& 77,& 59.15.& 61.4. eius filij mors.58.18
Carolus Delphinus Iohannis regis filius.195.83. Eius pro patre capto ſolicitudo. 198.5.
Carolus Danus Flandriæ Comes. 100.75,101.59.83.& dein.
Carolus Dyrrhachij dux 191.83
Carolus Germanorum imp. Caroli Quinti auũculus 202.3 cum filio Venceſlao in Frãciã venit 204.23.
Carolus Hiſpanus, magiſter Equitũ Francorum. 195.24. eius cædes. ibi.41.
Carolus Lotarij filius 56.57
Carolus Lotaringiæ dux 64 46. Eius filij 225.69
Carolus D.Ludouici frater, Siciliæ ac Hieroſolymorum rex.152.46. 52.& 65, 153 6,155.15, 157.15, 158.85,159.2.& 4,160.10.& 71, & 161.59.
Carolus Ludouici pij filius. 56.15.
Carolus Ludouici 4.filius 63.39
Carolus Ludo.11. filius Delphinus. 240.80.
Carolus magnus. 33.53.& 41, 37. 36, 39.4.& 8.& 23, 40.11, 43. 49.& dein, 44.15.32.& 71, 45. 15.19.25.31.& 37,46.80,47.36, 48.36, 49.53,51.11.& 68,53.10. 30.40.47.60.86.
Carolus magni Caroli filius,fortunæ filius Bohemis dictus 50.88
Carolus Martellus.25.56.61.80.82. 88.& dein,26.21.33.40.& 87,27 29,30.75.77.78,31.5.9.16.17.24, 32 10,60.85, 72. 63,167. 55.59. & 85.
Carolus Martelli nepos 175.25
Carolus Nauarræ rex, Iohannis regis gener. 195.26.Eius origo.ibi. 31, ambitio. 33.& 198.37. Acie vincitur 199. 83. vinculis liberatur 198.29.intercipitur. 200.28. Eius eloquẽtia ac authoritas.198. 65.67.Ei Carolus quintus reconciliatur 201.60.62.63.64.65.hoſtis iterũ iudicatur.ibi.65.Suis inuiſus eſt.213.66.Eiꝰ nequitia, ibi. 88.mors.ibi. 80.
Carolus Neapolitanꝰ rex à Nicone Garenſi occiditur 218.49
Caroli octaui regnũ, eiuſq; res geſtæ 246.31.& dein.
Caroli,Philippi Ducis Burgũdiæ filij animoſitas. 234. 47. ſeueritas 238.25.
Caroli Pipini filij indoles. 36.56, & 37.15
Carolus primus rex Siciliæ, Caroli Claudi pater 191.57
Carolus pulcher.182.3.& 183.6.& 54
Carolꝰ V.199.78,201.53.& dein.73 & 88,207.10.& 11,& 239.63
Carolus VI. 207.15,213.61,216.56 &65.& dein.& 217.22.& 224.26.
Carolus VII.224.34.& deinceps eiꝰ res geſtæ vſq; ad fol.233.17.
Carolus ſimplex.59.19.&39,62.6.7 14.30.47,& 238.70.
CarolusValeſius.160.79,170.13,173 52.& 75,180.71,183.1.& 5
Carolus Vngariæ rex.191.60,209.9, & 210.22.
Carolomanus. 30.79.80.83,31.1.& 30,33.65.& 83.& dein.& 35.3, 36.33.& 86,37.19.&.35,58.22 & 69.
Carolorobertus Caroli Claudi filiꝰ. 167.64.
Carthaginenſiũ pro cluevno ſuo cęſo indignatio.17.55.
Carthago.26.57,154.63,156.15 et 39
Cartuſienſis ordinis ortus 105.46.
Cartuſienſis orator.231.16.
Cartuſienſes ad Pariſios. 152.13,& 236.46.
Caſſanus Scytha.172.5.
Caſſianus Turcæ prætor 76.62,82 62,85.58,86.52, 90.10
Caſſinatiũ cœnobiũ 44.35.
Caſſinus mons 31.33
Caſſius miræ altitudinis mons 82.33
Caſletũ Flãdriæ oppidũ 133.5.& 19, 185.55.& deĩ.68.& 88,186.2,190 8,212.27,227.70.
Caſpiæ portæ 35.51
Caſtelletũ Pariſienſe 209.52
Caſtellio,Burgũdiæ oppidũ.105.60. Aquitaniæ oppidũ 201.81,230.58
Caſtillio ad Ligerim â Philꝰ po auguſto recipitur 117.68
Caſtinus Honorij Cæſaris dux.3.29
Caſtitas ac obediẽtia votiua 105.25
Caſtrũnouum 206.31
Caſtrũ Rhodulphi 19.26,& 126.54
Caſtra deſerẽtes retracti 83.58.et 59
Caſtrorũincẽdẽdorũ ritus 28. 29,& 96.25.
Caſtrorũ opulentorum deſerendorũ dolus 20.34
Caſtrorum ſanctimonia 76.41. inceſtatio 88.19
Caſtris aſſueta mulier pudicitiã exuit 110.57
Caſtulonenſis rex Franco obnoxius 209.1.eius magnificẽtia 233.31
Cathalani 205.34
Catalauni campi 3.76
Catalaunũ oppidũ 225.31
Cataractæ portæ vrbis ſuſpendendę aſtus 225.61
Catechumeni milites 6.14
Catena portus Ptolemaidẽſis 151.40
Catenæ Pariſienſes.209.44,212.46.
Catẽzanum oppidum. 167.10. 12.51
Cathalonia pro Gothalania dicta.

29.28.
Catharina Balduini iunioris Græcorum Augusti neptis.171.35.eodem nomine Caroli Sexti filia. 213.27, 221.78,& 224.1.
D. Catharinæ ad Rotomagum fanũ. 237.55.
Catholici cognomen Philippus Valesius rex Francus meretur.186.36.
Catholici olim dicti quidam Antiochenæ sedi subiecti. 82.53.
Catina Siciliæ vrbs 166.30.
Catuliacus Parisiorũ vicus 20.56.
Cauinus præfectus iuris apud Britãnos.241.18,245.23,& 246.68,& 247.5.
Cauillonum, Burgundionũ regia.16. 20,eius euersio 55.63.
Cauillonensis Comes ecclesię sug infestus.111.85,& dein.112.3
Cauillonensium fines à Burgundionibus occupati 3.2.
Caussarũ ac litium incrementũ.166.7
Causatum vrbs 131.73.
Cedmus Gallorum dux 17.25.
Celeritatis in bellis momentũ.39.80, & 106.26.
Cenomani.58.34,119.36,144.57.& 80,199.41,224.72,229.21,246.11.
Centenorum hincinde equitum certamen decernitur 161.12.
Cẽtũcellæ à Barbaris direptæ. 52.78
Cephalenia vrbs 51.31.
Ceræ integro signo ab vnis tabulis in alias translatio 186.85.
Chaere vrbs, quæ & Chairum,orbis terrarũ maxima. 114.28.& 31,122. 18,114.78,139.77.
Chagantum,oppidum Flandriæ maritimum. 188.22.
Chaldaici,Baldacenses 71.22.
Chancum vrbs 187.27.
Characux Ptolemaidẽsis. 121.74.81, 122.5.
Chararici cuiusdam proteruitas morte multata 9.35.
Charintia regio 40.4.
Charus fluuius 65.34.
Chatrę vrbs 234.72.
Cherebertus Parisiorum rex.12.58. & 72,& 14.29
Childebertus.10.52.& 84,12.62,14. 45,15.46.& 82,16.8. & 51.& 62, 18.13.& 45.& 65,25.10,30.69.
Childebrandus dux. 28.32.& 29.77.
Childericus Merouei regis filius.3. 83,4.45.& 48. & 59. & 65.eodẽ nomine Clodouei filius. 23.16. & 23.& 29.& 33,31.59,33.49.
Chilpericus.5.46,12.67.& 73,13.75, 14.36,26.2,36.55,15.50.56. & 68.
Chilpingus Aruernorũ comes. 36.55
Chino vrbs 132.50.
Chirographorum falsarius imitator. 245 12.
Chorasmij populus. 146.62.& 64.
Christo nomina in baptismo damus. 72.38.
Christiana pietas vt recolatur.154.28
Christiana religio à Francis defensa. 30.70.à Normanorum ducibus simulata 60.31.
Christianorũ aduersus Saracenos variæ pugnæ 72.57.
Christianorum apud Aegyptios seruitus.91.83.& dein.
Christianorũ inter se sacro bello cõcordia.78.70.& dein,& 81.55.eorum copiæ.74.50,& 76.33
Christianorum militum pro Antiochia sedẽtium tumultuatio ac metus.86.10.
Christianorũ mores barbaris scandalo sint 147.80.& dein.
Christianis ab se victis Solymanus vsu armorum,reique pub. administratione interdicit 76.74
D.Christinæ ædes 53.32
Christophorus primicerius luminib⁹ priuatus 37.72
Chronicus,Frãcus vir nobilis 14. 22
Chrunus Bulgarorum rex 52.10
Chrysoceras promontorium 128.72
Cibum non sumpturus dux nisi pri⁹ satiatis militibus 83.87
Ciburgum oppidum 175.10
Ciceronis de Franconibus testimonium 2.17
Ciliciæ angustiæ 80.69
Cilicij vsus 144.49
Cinella eques 135.14
Cinerum dies 101.59
Cingulum magicum 200.16
Cinisium iugum, quod & Dionysiũ 38.62
Cinitum oppidum 75.22
Circuncisio apud Saracenos 115.4
Cistertiensium ordo 105.56. eius parens ibi.60.
Ciuis vnius vltio 17.55
Ciuium imbellium ex vrbe eiectio 127.16.
Ciues principem suum vrbe exigunt 144.12.& 19.
Ciuitas esse iubetur Apamea vrbs 172.15.
Clamoris magna vis 100.48
Clarentiæ dux 224.6.& 17
Claromons Aruernorũ vrbs 72.61
Claromontanum concilium 69.59, 73.61,104.60.
Claromontensis Comes 118.22
Classis francica mille ducentarum nauium ad bellum instructa 213.30 Rursum. CCC. nauium 189.77. Classis Anglica ex aduerso.ibi.82
Classis latinorum Asiaticorum 148 39.
Classis nostræ à Tunete reducis afflictio 156.75
Classis suæ incensio 68.76
Claudiocestriæ dux 196.6.& 199.25
Claues sacrosancti sepulchri. 46.74
Clauium sacrarũ ius ac ditio 95.77
Claui sacri miraculum in morbo depellendo 122.33
Clemens,vir sanctus,Frisiorum episcopus 25.37
Clemens pontifex max. 152.58,154 10,174.84,177.10,191.38,205.30, 207.64,208.58.& 85.
Clementia Roberti Flandriæ comitis vxor 99. 38. altera,Rhodulphi Cæsaris filia 167. 63. tertia item, Roberti Siciliæ regis soror.177.21
Clementiæ in imperatoribus laus 76.73.
Clephes rex 13.34.& 16.56
Cliens patronum prodens,reste dignus 63.32
Clissonus Britannus nobilis 201.3
Cloacæ in vrbem ductus aliquando vrbi exitiosus 228.69
Clodamirus rex 10.22.37.& 42.ei⁹ filij.ibi.46 & 47.
Clodoaldus Clodamiri filius 10. 47. & 50.
Clodio comatus 2.15.
Clodoaldi pons 234.56
Clodoricus iuuenis fortissimus 9.5
Clodoueus rex 4.76,5. 21. & 29. & 78,6.15.34.& 79,9.53.& 70,10. 7,23.16,29.9.
Clotarius.10.52,12.52.& 65.itẽ 15. 56.& 73,16.11,18.8.& 69,19.73. & 81,21.18.& 26,23.19,34.28.
Clotildis.5.49.& 57,7.78,11.2.& 7.
Clotosinda 12.12,13.27,17.4
Cluniacẽses monachi.111.88.& deĩ. 112.1.
Clusa, maritimum Flandriæ oppidũ. 189.79,206.10,213.4.
Clusium Hetruriæ vrbs 53.80
Coactores publicæ pecuniæ rationẽ exiguntur.185.31.
Cobilla Tartarus 154.45
Cocia sylua 25.68
Cœmiterium diui Ioannis in glarea. 216.55.
Cœnobiorum vigor 31.3
Cognationis momentum 144.8
Cognationis vinculum pontifex lege soluit 213.28
Colomanus Andreæ Vngariæ regis filius 167.68
Colonia vrbs 25.85
Colloqui cum hoste iniussu imperatoris non licet 143.83
Columba tabellaria 90.41,92.53,& 100.46.
Columbanus vir sanctus 19.14
Columna Cardinalis.136.66,172.39. 43.44.45.50.& 52,& 183.49.
Colus ac pensum 108.76
Coma promissa, nobilitatis insigne apud Gallos.15.80.eius depositio, infamis.23.28.vide Cæsaries.

Comaclum vrbs 51.36
Commeatus vitiati malum 102.11
Commeatus in tentorijs relinquendi aſturia 121 1.& dein.
Comes ſtabuli, qui olim Maior domus aut magiſter dicebatur.15.39
Comitū ac ducū prima origo.15.34.
Comites Eccleſiis ſuis infeſti, male multati.111.85.& dein.112.5.& 7.
Cometæ duo 28.27
Cometrudis Dagoberti regis vxor. 20.80.
Cominæ oppidum Flandriæ 211.71
Comitatus Atrebatēſis æque ad mulieres atq; viros pertinet. 191.15
Comitis vxor,regina ſalutatur.136 7
Cōmunione ſacra pater à filio prohibetur 97.33
Communis mali metus. 210.56 & dein.
Compendium vrbs. 53.44, 57.82, 225.41.& 50.
Compiurium imperium,rei militari obeſt 17 35
Conabus Britanniæ comes. 12.63
Conatus irritus 17.35.& 77.33
Concilium Baugentiacenſe. 111.44. Baſilienſe.228.10.Claromontanū 72.3.& dein. 104.60, & 112.33. Conſtantienſe.221.6.& 48.Conſtantinopolitanū. 130.70.& dein. celeberrimū.136.16.Decimo quoque anno fieri debere.221.70.Diuionenſe.125.51.Gnale.45.17. Lateranēſe.37.53,136.9,146.25.Lugdunenſe.146.38,157.20.Mantuanum.232.4.Papienſe.112.15.Pariſienſe.108.51. Remenſe.108.51.Senonenſe.106.82. Tricaſſinum.95. 67 & 97.10.Viennenſe.177.7.
Concionum ſacrarū profanatio.143. 59.& dein.& 150.84.
Concordiæ vtilitas.17.38,& 59.75.
Condatum oppidum 201.80
Confeſſio ſacra 88.33.& 158.55
Conflagratio picatorum hominū miſerabilis 217.19
Confluentes oppidum 199.3
Confluentina pax. 237.37
Coniugalis fidei exemplum memorabile 146.6
Coniurationes. 16. 43, 45.3,54.50, 102.18,143.3,159.11,234.30,246 85.
Conon prænestinus epiſcop⁹. 98.87
Connubio opulento, literarum ſtudia poſthabita 133.30
Conradinus Cōradi Siculi regis filius.150.40.& 73,152.85. & deī. 153.23, & dein 35.42.,57.70. & dein. 77.
Conradus Archiepiſcopus Maguntinus 124.67
Conradus Conradi Vangionum ducis filius imper. German. factus. 65.37.
Conradus Ferratēſis Comes.118.75, 119.59.Eius mors.122.77
Cōradus Fœderici Cęſaris filius.150 17.19.& 35.eius mors.ibi.39.
Conradus Franconię dux.61.42.eius mors.62.1.
Conradus Germ.imperator.108.66, 109.71,110.54,145.86.
Conradus Pontifex Magūtinus dux militaris. 126.1.&14.
Conſcientię ac religionis vis.191.66
Conſenſus interſe hominum aduerſus hoſtem validus 17.38
Conſentia vrbs 2.78
Conſtans Conſtantini filius monachus ſacratus,imperij cōſors à patre factus.2.83.occiſus.3.13.
Conſtantiæ fœminę, Adelphonſi Galecorum regis filia. 111.49. Bohemundi iunioris filia.103.29.Britāna dux.126.81.132.42.Caſtulonēſis regis filia.150.18.Conani Britanniæ ducis filia.118.67. Guilelmi comitis Arelatēſis filia.65.56. Henrici regis mater.66.10.Manfredi filia.159.27. Petri Tarraconenſis vxor.161.50.Philippi regis vxor. 96.40. Rogerij Siculi regis filia.120.29.de ea vaticinium. ibi. 31.Raimundi Toloſatium Comitis vxor.106.1.
Conſtantia oppidum 230.10
Conſtantienſe concilium.221.6.eius frequentia.ibi. 48
Cōſtantienſis Comitatus à duce ſuo ſacro bello venditur 73.75
Conſtantinus Cæſar. 2.83,3.12.22. 45,23.24,33.2. & 16. (profanus quicam hoc nomine pōtificatum inuadit. 37. 49.) 37. 55,232.31. & 83.
Conſtantini græcorum imperatoris fratres de Peloponēſo inter ſe de certant 232.85
Conſtantini Byzantiorum patriarchæ indigna mors 37.59
Conſtantinopolis.35.48.& 38,129. 21.22.& 25,45.49,130.3.,20.36 & dein.59,231.58,232.30.& dein.45. vide Byzantium.
Conſtantius Honorij Cęſaris dux.3 6.& 22.& 23.
Conſultoris nomen ſanctum.121.81
Contemptum ſui Ludouicus Craſſus grauiter vlciſcitur 105.4
Continentiam,corporis dos præſtat 165.63.
Controuerſię olim rariores 166.4
Conuenæ oppidum 16.16,131.83
Conuenās comes 241.82
Conuentus in Pontificis creatione celeberrimus 174.86
ē Conuiuij luxu ad carcerē Carolus Nauarræ rex rapitur 195.88
Conuiuium fraudulentum 216.17.
Copię militares illuſtriſſimę.161.75
Coradinus Damaſci & Hieroſolymorum Sultanus 124.79.& 138.28.
Corbana Perſæ imperatoris ſatrapes 85.82,86.82,87.78, 88.82, 89. 64,90.10.
Corcyra inſula 109.48.
Coriorum recentium ac percrudorū in bellis vſus 92.64
Corona,miles Tarentinus 86.26
Corona aurea 9.49,& 93.53
Coronæ Cæſarum tres. 175.15,176. 18,& 183.46.
Corona domini ſpinea. 122.32.& 145.38.39.& dein.
Coronarium aurum 176.16.& 32
Coronatio Franci regis legitima vbi fiat.142.58.Ei Frāciæ beneficiarij adeſſe tenentur.64.49,141.11,184. 85.
Corporis pulchritudo 165.71.
Corſica inſula 39.27,50.48
Coruolium vrbs. 97.77.& 85. & 225.54.
Coryphęi ſubauſcultantes. 242.43
Coſdroes Perſarum rex 21.67
Coſſa Neapolitanus 243.69
Craonis cuiuſdam facinora. 216.36. 46.53.54.& dein.
Craſſeranum oppidum 126.54
Craſſus quidam apud Rotomagēſes rex ſalutatur 209.60
Creciacum oppidum 99.6
Cremona,Blanchæ dos 229.65
Crepantum oppidum 224.53
Creperecors quidam Atrebatiū prefectus 244. 51
Creſciacenſis pugna 194.48
Creta inſula. 128.80,129.45,130.84
Cretoia oppidum 144.6
Criſpinus Tegulariæ arcis præfect⁹ 67.36.
Crudelitatis incommoda 76.77
Crux in Laudi æde ad iuſiurādū adhiberi ſolita 241.78
Crux, inſigne militare. 131. 54. alba Francorū.224.19.Rubra Anglorū 230.66.Andreana 223.62. Lanea rubra, ſacrę militię candidatorum paludamentum. 73.40 & 74.82. nigra in veſtimentis albis.105.44. Candidæ in cælo viſum. 230.65. Rubra, Tēplariorum inſigne.105, 39.
Crux ſacroſancta.115.54.& 78, 116. 83,117.29.44.& 45,121.70.& 72
Crucis exemplum repetentes Iudæi Francia depulſi 117.71
Cultus patrij contemptus 58.2
Cultus mentiti malū 153.55.58.& 74.
Cunctationis tędium 189.35
Cuniculorum ſuffoſſio 168.21
Cupidorum ac metuētium mos. 33 34.
Curæ remiſſio,calamitoſa 21.28
Currum vſus in vrbium portis oc-

cupandis 225.61,& 229.86.
Curteſieni cuiuſdã ſuppli ciũ.188.16
Curtracenſis pugna 172.73
Curtraci incenſio. 212.29
Cuſtodia ſpiritum non frangit, ſed iram auget 198.32
Cyprus inſula. 148.1,121.34,124.2, & 16.
Cyrenaica regio Saracenis occupata 26.57

D

DAEMONIS MIRVM in Cauillonẽſis comitis de medio ablatione. 112.4
Dagiſteus græcorum dux 12.39
Dagobertus.20.39.68.70.81,21.27, 22.78, 23.10, & 14. Item 25.11 & 75.
Dalmatia 50.15.& 51.28
Damaſcus,Damaſceni.94.20,110.50 & 78,111.12.& 24,138.28,218.86
Damiata vrbs.122.21,137.3.16.& 71 138.14.73.& 83,139.12.17.& 30, 140.47,148.69.& 70,151.13
Dammum vrbs Flandriæ maritima. 135.5,170.85,212.27.88
Dampetra Gulielmus 155.44
Danfrons oppidum 127.14
Daniel dictꝰ Chilpericus rex.25.76
Dani.11.51,41.9,42.54.& 66,52.60, 53.61,63.14.81. & 84,68. 31.62. 66.& 70,69.35,88.74,96.81,100 60.74.& 79.
Danubij accolæ 26.27
Daphne fons 82.41
Darganus Sultanus Aegyptius.114.1 & 5.16.eius cædes,ibi.26.& 28
Darrhæ vrbs 115.61
Daſamanus Sarrapes Turca 94.32
Dauid Scotorum rex. 187.13.& 198. 47.
Dauid turris Hieroſolymis. 138.43
Dauid Valiorum princeps 69.28
Decima de ſacerdotibus cogenda cõ ceditur 217.43
Decimarum à ſacerdotibus exactarũ partitio 183.8
Decimę omnibus promiſcue indictæ 119.6
Decimarum ſacrarum ius profanis cõ ceditur, 178.58.& 181.24.& 168. 48.
Decimarum exactio 208.59
Decumanum aurum infelix 208.61
Deditiţ Ptolemaidẽſes.121.70. eorum cęſorum calumnia.124.5.purgatio.ibidem. 24
Delectorum militum prȩſtãtia. 163. 32.& 45
Delphinatum dominatus. 194.85.& 195.1.& 3.
Delphinus Francię in ius Lutetię vocatur 223.84
Delphini qui dicantur,et vnde petitum nomen.181.17.& 187.39.40. & 45.& 195.4.
Delphini Francię ab aula paterna ſeceſſio 231.2 & 65.
Delphini Franciæ pro patre ſuo capto ſolicitudo.198.5. & 10.eiꝰ authoritas eleuatur.198. 67. eiuſdẽ apud Pariſios periculum.ibi.72.
Delphini de menſa,celebri conuiuio duo nobiliſſimi viri in vincula rapiuntur 195.88
Delphino nato,rex auguſtior fit.239 55.
Dentelicenſis ducatus 31.38
Deruallum,Britannię oppidum.201. 13.
Deſiderius Longobardorum rex 36 38,37.47.& 88,& 38.66,& 39. 45.
Deſiderius Toloſatium princeps.16. 6.
Deſiderius Viennenſis epiſcopus. 19. 10.
Deſideriani à Ludo.xi.ſuperãtur.241 61.
Deſperatio 88.1.& 120.79
Deuiſſezus rex 42.23.
Deus vult,Claromontani concilij ac clamatio.73.32.
Deus tardus quidẽ, ſed grauis vltor 88.20,205.79.
Dei aduerſus Chriſtianos milites ira 88.16
Dei erga nos diſpoſitio, 164.63
Dei fiducia 73.80
Dei ira vt placari poſſit 88.22
Deodatus dictus Philippus Auguſtꝰ 140.65.
Dextræ inermis prætenſio. 143.82
Dextræ præciſio 104.25
Dij euocati 51.5
Didymus & Seuerianꝰ Hiſpani.2.86
Diepa oppidum 228.83
Dies Anglo Principi à Franco dicitur 200.54.
Dignitatum proſtitutio 102.44
Dignitatum eccleſiaſticarum inueſtitura 95.54
Dinamum oppidum 191.51,238.7
Diniẽſium populi fines deuſti. 14.10
Diomedis inſulę 44.25
Dionyſius Myrobrechus Atrebas. 197.27
D. Dionyſius martyr Franciæ tutor. 99.55.eius & ſociorũ corpora quo modo inuenta 20.61
D.Dionyſii ædis cõſummatio 22.15
D.Dionyſii fanũ Frãci de Anglis recuperant 225.78
D.Dionyſii imago,Francicum militare ſignum.133.82.& 134.30
Diploma pontificium igni traditum 172.36.
Diplomata pontificia ne aurum ex Francia extrahant 245.54
Dirarum pontificiarũ metus 139.72
Diras filio pater imprecatur.157.84
Recantat 158.8
Diſcordiæ mala 59 77
Diuitiæ nimiæ 216 84
Diuitiæ recens partæ 100.86
Diuitiarum faſtus 152.73,201.60
Diuitiarum fama odioſa 179.39
Diuitiæ Iudæorum 125.87
Diuitũ & tenuiorũ ſimultas. 170.75
Diuortij malum. 107. 28. & ante & poſt.
Doctrina nobilitati prælata 111.83
Dodo Alpaidis frater 25.50.&.52
Dola vrbs incenſa 245.38
Dolus dolo captus 214.58
Dominicus Michael Venetorũ dux 100.60
Dominicus Prædicatorum ordinis author.131.38.Eius aduerſus Hæreticos labor inanis 131.52
Dominici corporis tutela 217.50
Donatianæ præfecturæ dignitas. 101.3.&.5
Donatꝰ Iadertinorũ epiſcopꝰ. 50.13
Dordona fluuius 37 20
Dormanꝰ iuriſcõſultus inſignis.200 45.& 208.19
Dotis repetitio 120.15
Dragauintum vrbs 44.66
Drepanica peſtilentia 156.78
Drocus Montiacus 96.11
Drogo Mediomatricum epiſcopus. 55.28.&.56.18
Drogo Pipini filiorũ maximus.25.1
Druydes oppidum 119.29
Ducathus Belchefonis Turcæ fratris filius 76.59
Ducatus Italici 47.66
Ducatuum ac Comitatuum hæreditaria iura quibus deferantur. 191 4 & dein.
Duces quales fuerint, eiuſmodi fore & milites 83.71
Ducum authoritas contempta 121 15.& 23
Ducũ prima origo 13.12,&15.34. eorum regimen.17.40
Duellum 7.16.&.18,& 87.74
Dunẽſis Comes 234.35.& 235 60
Duraſſi arx 201.81
Duumuiri gubernando Franciæ regno inſtituti 155.71
Dynaſtæ exagonæ 145 4
Dyrrhachium 75.11
Dyſenteria in caſtris 119.55

E

EBROINVS MAGIſter.equitum Francorum 23.21 26.41.61.84 & 87
Eburones 219.59,237.65,& 75, 238.47,239.5.& 22
Eburouix Comes 190.39
Eburouices 63.73.& 83,125.24, 126.27.& 31,195.86,201.65
Eccleſia Græca Romanæ parere detrectat 129 45
Eccleſia naſcens 47.47
Eccleſiæ hoſtem,nuſquã habere per-

fugium. 109.5.
Ecclesiæ hostiũ pœnitentia. 107.70. & 78.vltio.98.86.et dein.117.73, & 186.20.
Ecclesiæ in Gallia incremẽtũ quãdo cœperit.45.30.32.& dein.& 105. 10.procerib⁹ secularib⁹ inuidiosum.135.55.
Ecclesię nauicula.179.61.& 204.42.
Ecclesiæ tumultus. 220.18.& 37.
Ecclesiam, Cæsarum sponsam non esse. 9573.
Ecclesiasticæ immunitatis oppugnatio 95. 83,96.3.14.& 16,98.83, 99.11.& dein.104.68,111. 85,112. 8,132.70,135.54,205.60.
Ecclesiasticæ inuestituręs ius &c. pontifici Romano ceditur 99.72.
Ecclesiastici a laicis iudicari detrectant. 47.10.
Ecclesiasticorũ institutio. 205.73.
Ecclesiasticorũ propugnator Ludo. Crassus. 95.79.& 81.
Ecclesiasticorũ profugorũ perfugiũ Francia. 132.75.
Ecclesiasticarũ iurisdictionũ multiplicatio inuidiosa. 186.10.
Edelfredus Anglorũ rex. 68.31.
Edelulfus Anglorum rex. 57.75.
Edessa vrbs. 86.54,109.38, & 110. 37.
Edessani. 80.32.38.43. & dein 55, 90.52.56.70.
Edmondus Eduardi Angli regis frater. 169.69.
Edua,Burgundiæ caput. 58.61.
Eduorum episcopus sacrum bellum capessit 136.84.
Eduardus Edolfredi Anglorum regis filius 68.32.41.& 58. Ei⁹ res gestæ.167.8,169.70,171.23,182. 69.& 72,186.55.57.& dein,188. 3.& 41,189.65,192. 21,194.48. 68.& 78,241.88,242.61.& dein. & rursum 201.67.
Eduardus Eduardi superioris filius. 152.36,155.74.& 76,182.81,193. 14,194.4,196.13,200.26,& 201. 67.
Eduardus Ricardi Eboracensis ducis filius. 240.76.& 85,241.12
Egas magister Equitum Francorũ. 22.88.
Egerius dictus Valterus quidam nobil.s. 74.17.
Elbo Rossiacus Comes. 96.14.
Elephantia morbus. 115.14.
Elephantiaci. 181.75.& 77.
Elephantus Carolo magno oblatus. 48.83.
Eligius vir sanctus. 22.32.
Elisa,Baldumi regis filia.103.23,soror.116.55. Balduini Annoniæ comitis filia.118.8.& 14,119.58,122. 81. Almerici vxor.124.72,125. 46.
Elisabetha Balduini Annoniæ comitis filia.64.11.Tarraconensis regis filia.155.34,156.80. Andreæ Vngarię regis filia.167.69,210.17.& dein.Bauari ducis filia.212.72.
Eluiorum episcopus Gotthofredus. 233.44.
Emmanuel Græcorum Imperator. 116.15.& 29, & 128.29.
Emiri,Turcarum satrapę. 115.85.
Emporia celeberrima. 137.73,151. 13.
Emporiæ Tarraconensi regi addictæ. 155.36.
Emporitanus Comitatus.162.59.& dein.
Engefrani Marinij caussa. 177.32. 37.65.72.& dein
Engolisma oppidum.9.10,et 36.69.
Engolismensis Comes. 220.8.
Engolismensis comitatus controuersus. 195.28.
Ennius Tridenti dux. 14.25, & 17. 88.
Epidaurum vrbs. 151.66.
Ephialta Paulus. 37.61.
Epiphanię dies fest⁹.101.18.& dein.
Epiri vexatio. 96.46.
Episcopatus abdicatio. 69.72.
Episcopatus inuito restituitur. 69. 75.
Episcopus sacris initiari nolẽs. 238. 3.& 18.
Episcopus sceleris author. 20.6,55. 21,56.66,107.20.
Episcopi ciuitate submoti vltio.104. 22.
Episcopum Regi præscribere.97.50.
Episcopi arma induunt. 73.36.
Episcopi Gallorum. 97.45,& 107. 13,132.62.& 65,172.25,174.24, 181.26. & 27.
Episcopi pontificem defendunt. 47. 10.
Episcopi sedibus suis exacti. 31.17. & 18,125.58,131.88.& dein.132. 1.& dein.
Episcoporum bona prophani inuadunt. 61.54.
Epistola sagittæ alligata. 246.2.
Eporedia vrbs. 20.16.
Equestribus prælijs nobiles,naualiũ rudes. 166.40.
Equitandi peritia, Barbari Gallis præstant. 28.53.
Equitatus Francorũ. 15.41,134.79, 163.13.& 40,196.27.
Equorum morbus.44.86. interitus. 83.55.
Equorum trepidatio. 196.83.
Equorum vacuorum in castra refugium pernicioſum 218.38.
Ercembaldus magister equitũ Francorum.23.1. vide Hercembaldus.
Eremitæ insolita specie occursus. 216.68.
Eremus Cartusiensium. 105.49.
Eremum repetens põtifex max. retrahitur. 170.2.
Ermenfredus Ebroinum interficit. 23.83.vide Hermenfredus.
Eresburgum Saxoniæ oppidũ. 37. 39,39.48.55.& 84.
Etix,Ambarorum comes.143.34.& 39.dux.169.39.
Erix Bellomontanus Comes. 169. 74.
Erix Niuernensium comes.136.68.
Ericis præfecti iuris mors. 223.63.
Essedinenses. 125.32.
Esesfellum colonia ducta. 52.67.
Estardium oppidum. 144.6.
Etesiæ venti. 138.15.
Ethis vicus. 117.7.
Eucherius Aurelianensis episcopus. 31.17.eius visum.ibi.20.& 21.
Eucherius Stiliconis comitis filius. 2.43.
Eudo, Aquitaniæ dux. 26. 6. 37. 48, 27.8. 16,28.63, 29.15.& 16. Burgundiæ dux 133.82.
Eudoxa Valentiniani vxor.4.21.27.
Euerardus comes Palatinus. 62.76. eius mors ibidem. 82.
Eugenius pontifex.227.85,228.55. & 60.
Eugubium oppidum. 38.55.
Euisceratores milites. 231.39.
Eunuchi illustres.12.85,13.4,22.58, 37.60.
Europa omni parte peruia fieri nequit. 45.51.
Eustathi⁹ Balduini Hierosolymitani regis frater.100.24. eius pie dictum.ibi.28.
Eustathius Bellomarchius. 158.13.
Eustathius comes Bononiensis.106. 11.
Eustathius Ribomontanus. 196.72.
Eutharicus ex regia Balthorum familia ortus, Theodorici Ostrogothorum regis successor. 5.4.
Exactor regius oppressus. 209 38.
Exarchus,nouum imperij nomẽ. 13. 10,34.57.
Exarchia Rauennæ. 32.88, 35.41. eius finis.36.23.
Exceptionis in rege coronando cautio. 232.7.
Excõmunicationis fulminandæ temeritas. 186.12.
Excommunicato pertinaci mortuo sepultura sacri loci negata. 147. 39.
Exempla magis quàm imperia mouent. 154.27,& 182.22.
Exercitus hostilis soluendi ratio.161. 37.
Exercitus, longioris moræ impatiens. 26.61.
Exercitus semel dimissus, non facilè rursus cogitur. 161.39.

Exercituum duorum aduerſariorum conſpectus mutuus, iras vtrinque mitigat. 247.1.
Exerogorgum oppidum. 75.33.60.
Exploratorum Turcarum comprehenſorum ſupplicium acerbiſſimũ. 85.31.
Exterorum popularibus prælatorũ odium. 62.7, 90.55, & 142.72.
Exilij pœna. 23.65.
Exules in Auſtraſia, in Galliam reducti. 27.79.
Exulum reſtitutio vt impediatur. 24.67.

F

FABRORVM LIGNAriorũ in caſtris vſus 83.30.
Faia Godemarus. 192.81.
Falces murales. 92.86.
Faleſia oppidum. 127, 14, 230.47.
Faliſci oppidum. 132.26.
Falſarius ſcitiſſimus. 245.12.
Fama. 73.61, 124.33, 142.33, 239.46.
Famelicus hoſtis formidoloſus. 120. 87. Eius intercipiendi aſtus. 121.1.
Fames. 2.72, 11.60, 65.70, 69.33, 83. 50. 83, 88. 2, 101. 10. & dein. 119.54, 120.75, 127.15, 150.32. & 33, 156.67, 166.75, 120.72, 138. 80, 194.67, 225.2, 226.78.
Famem ac peſtilentiam in manu noſtra non habemus. 59.60.
Familiarũ ac ſanguinis natales quoſdam ac incrementa eſſe. 60.83.
Fanum Antonij. 131.74. Fidei. 201. 81. Marcelli, 131.73. Iohannis. 141. 19. Laudi. 230.10. Macharij. 201.81 Odenari. 190.1.4. Quintini. 61.65.
Fanorũ veneratio apud Gallos. 5.10
Faramundus primus Francorũ rex. 2.14.
Faſces conſulares Clodoueo oblati. 9.52.
Fatales libri. 138.50. Fatum. 122.2.
Fauentia vrbs. 36.39, 38.50.
Felicitas humana. 22.87, 25.47, 45. 86, et 166.72.
Felicitatis æternæ præguſtatio. 165. 84.
Felix quintus, pontifex maxi. 228. 53. pontificatũ deponit. 229.39.
Ferdinandus Flandriæ Comes. 132. 82, 133.4. & 17, 134.12.21, 22.23. 38.46.50.55.57.59, 135.47, 141. 34, 142.84.
Ferdinandus Alphonſi Neapolitani regis filius nothus. 232.6.
Ferdinandus Iohannis regis filius. 243.63.
Ferdinandus Luſitanus rex. 125.41.
Ferdinãdus Neapolitanus rex. 232. 73.
Ferdinandus Regis Caſtulonenſis filius. 217.65.
Ferrana arx. 104.28
Ferrandus Caſtulonenſis regis filius. 157.74.
Ferraria vrbs. 36.39.
Ferrarienſe conciliũ. 228.22. & 30.
Ferratenſium familia. 130.85.
Feretanus Comitatus. 241.31.
Feris q plagas tetenderit, &c. 225.9.
Ferociæ exitus. 225.11.
Ferro perire minus miſerum, quàm fame. 109.63, & 120.76.
Fides nutans. 36.70.
Fidei alienæ ſponſoris fraus. 213.83. & 85.
Fidei apud Francos auſpiciũ. 6.14.36
Fidei faciendæ ratio 4.50.
Fidei datæ violatio. 10.78, 23.82.
Fidei definitio temerata. 106.75.
Fidei fanum, oppidum. 201.81.
Fidei Flandricæ Franco datæ eluſio. 189.52.
Fidei mira virtus. 5.76.
Fiennus Maurellus, magiſter equitũ Francorum. 200.67.
Figmentum callidiſſimum. 150.68. & dein.
Filicericę oppidũ. 229.79, & 230.52.
Filiam ſuam ab omnibus appeti vult pater, nulli dare. 239.83.
Filius à patre in regni conſortiũ cooptatus. 52.85, & 202.4.
Filius à patre luminibus priuatur. 58.22.
Filius ante patris dignitatem natus, eius ne hæres ſit, &c. 62.73.
Filius Regis Franci maximus natu mortuo patri continuò ſuccedat. 201.73. & 74.
Filius regius erga patrem impius. 9. 28, 55.21, 70.38, 97.24, 112.82, 157.78, 182.86, 231.66, 233.13. Patri de veneno ſuſpectus. 214.6. 233.14. Patri ſupplex. 20.55, 157. 88, 158.1. Erga parentes pius. 70. 62, 97.21, 144.68, 197.23, 198.5, 230.79, 255.86.
Filij ſponſam pater vſq; ad inceſti ſuſpicionem ſeruat. 112.65.
Filij vnici amiſſi dolor. 194.86.
Filio pater facilè reconciliatur. 158.1.
Filium nouercæ ſtudio pater interficit. 10.30.
Filij parentum indolem ferè ſequũtur. 144.67.
Filiorum minor patri in regnum ſuccedit. 65.73.
Filiorum in nobilitate numeroſitas. 112.82, 155.26.
Finium controuerſia. 187.40.
Finitimorum conſenſus. 63.42. diſſenſio. 195.2, 233.28.
Firmum, vrbs. 61.13.
Firmani, populus. 38.74.
Fiſcanum oppidum. 225.77.
Flagitioſus nemo ſacro bello in caſtra admiſſus. 76.40
Flaminia ducatus Romani prouincia. 33.72, 36.20, 47.79, 132. 26.
Flammæ iudicium 91.50
Flammula, Francorum ſacrũ ſignũ. 185.54, 189.5, 211.68. & 83.
Flaucatus magiſter equitũ Burgundionum. 23.2.
Flauia Eduorum oppidum. 117.68.
Flandria, Comitatus inſtitutus. 57. 81. de eo cõtrouerſia 201.40, 102. 26.53.64.73. vbi dirimenda. 182. 38. Eius ius etiam ad fœminas pertinet. 155.38.
Flandriæ diuiſio. 125.31, 132.82. inſignia. 118.30. excõmunicatio. 189. 55. ſeditio. 245.2. cum Francia cõiunctio. 64 49, 70.20. & 25, 102. 62, 118.26, 125.35. & 37, 142.16. 22. & 33, 170.52. & 62, 181.19, 182.38, 187.64, 188.5. & 21, 189. 38, 190.35, 201.51, 211.66.
Flandri Comites aduerſus populares ſuos auxilia Francorũ petunt. 185.44, 186.3, 188.20.
Flandri muliebre imperiũ detrectãt. 70.18. Franco militant. 152.77.
Flandrorum à Comite ſuo defectio. 102.54, 185.38. Eorum in bello virtus. 134.4. & 46. ardor bellicus. 173.41. cunctatio. 185.70. & 79. cum Anglis commercia. 188.5.25. & 27, 189.38. Perplexitas. 189.41. Pauor. 226.70. in pecunia apud ſe cogenda tenacitas. 185.34, 243.85.
Flandrorũ aduerſus Francos victoria. 173.10. eorundem ab illis mala. 64.49, 134.60, 170.47, 173.37. 58. & 60, 186.2, 190.22, 212.21. Vide Flandricum bellum.
Flandros à Frãcis Anglus tegit. 171. 23.
Flandrica vexatio. 141.35. quies. ibi. 36.
Flandricarum nuptiarũ contemptus. 201.52.
Flandricarum vrbium procuratores dolo petiti. 185.34.
Flandricũ bellum. 70.20. & 25, 117. 74, 118.22. & 45, 125.26, 133.3. & 18, 170.49, 171.22. & 31, 172. 60, 173.21, 177.30, 178.26, 185.25. & 57.
Florentia Hetruriæ vrbs. 47.57, 53. 80.
Florentinum bellum. 231.46, 245. 50. & 56.
Florentinum concilium. 228.32.
Florentini exules Guelfi. 152.74.
Florentini Francici nominis obſeruantiſſimi. 166.88, 167.3, 214.9.
Florentini hiſtorici. 152.81.
Florentinorũ factiones. 166.81, 171. 51, 175.77, 176.50.
Florentius Hollandiæ ac Zelandiæ Comes. 70.28.
Florentij fanum 225.28
Fluentini populus 47 59
Flumẽ ſuper glaciatũ pugna 154.47

Fluminis traijciendi ratio 236.32 & dein.
Flumina ex Tauro fluentia 80.81
Flumina retroacta 48.74
Fluſſates oppidum 131.83
Fluſſatis arcis munimen 157.60
Fluſſatium Comes 157.52.70,208 38,230.60
Fluuiorum deriuatio alia quàm naturalis fieri ne poſſit 45.51
Fœciales 202.60
Fœdericorum ſoboles pontifici Romano formidoloſa 152.42
Fœdericus Aenobarbus 112.30
Fœderic⁹ Alberti Cęſaris fili⁹ 175.40
Fœdericus Auſtriæ dux 153.24.67 & 78,181.32,229.38
Fœdericus Cæſar 109.52,112.35,119 67.72,140.58,141.31, 145.48.& dein. vſque 85, 146. 77, 147.17, 176.46
Fœdericus Tarraconenſis rex 170. 24,171.62.& 63,176.24. & 41
Fœdericus Tarętinus princeps 243 51,& 244.14
Fœdus Britiniacum 199.40
Fœdus cum canibus Sclauis ictũ, ſanctum eſſe non poſſe 22.51
Fœderum ſanctitas 202.85
Fœmina,peſtis 113.26
Fœmina non temere de fœmina ſiniſtre iudicet 158.59
Fœminea impotentia 12.85.ambitio 142.9.fraus 143.65
Fœmineus dominatus 25.61,141.36 & 42,142.72,155.38,183.67. & 82,184.1.& 7,203.35
Foncęum oppidum 143.48
Fonteniacum oppidum 143.75
Fontoniacum vicus 55.83
Focis ſingulis tributũ ĩdictũ 200.42
Fogia vrbs 150.63
Forenſes,populus 237.44
Forminiacus vicus 230.51
Formæ gratia 135.22,165.66
Formæ liberalis indicium 153.73
Formę quod deeſt,ingenium ſupplet 71. 86
Formoſus Pontifex max. 61.11
Forũiulij oppidum 13.23
Foroiulienſis præfectura 40.2.3
Fortitudo quid ſit 165.61
Fortuna reuerẽter habẽda 20.84. In cõſilium admittẽda 87.36.Nunq̃ ſemper ſecũda 166.70. Virtuti fauet 37.20.Eius libido. 46.4,122 62. Vires 96.33. Vices 45.84.Ei nemo imperat 8.7. Eã ſolum numẽ prębet 49.73.Nemo ſibi creat 59.63.Ea finiſtra vſi,omnia accuſant 124.43
Fortunat⁹ Gradẽſiũ patriarcha 51.77
Fortem virum numen iuuat 21.42 fortuna item 139.75
Foſſarũ in medio cãpo inſidiæ 59.9
Francia quæ olim dicta 4.39,21.38, 55.3. Eius pax & quies 5.60,18 78,25.7,125.55,158.78. Nobilitas ac maieſtas 9.10,49.16,173.85, 235.61.Factiones 15.42,16.50,18 78,198.81.Diuiſio,ac vnio 24.79 et 81.Reges plures ibi.83.Religio 27.65,99.34.43.46, 104.54.132 75,122.53,147.19,150.2,172.30, 173.77,179.56. Erga reges ſuos fides 31. 64,32.25,55.40, 69.71. Proceres ac cõpares 44.53,99.10 62,191.3. 11. Miſeria ac vexatio, 59.29,125.55. reſtitutio 226.81. Proſopopœia 108.24. Fortuna 144.10,185.81. Protector de⁹ 198 32. Beneficia ſeu prębenda 208. 63.& 65
Francia à Germania iura petere indignatur 62.17
Frãciæ regnũ 12.17,60.6.dono datũ. 62.40.Imperio attributũ 173.70 & 75.viris nõ fœminis deberi 181 4.Angli ſibi vẽdicãt 183.57.65.& 82,187.78,189.20.46.A rege ipſo alienari nõ poteſt 198.51.Ei⁹ trãſlatio 219.72 .Eius ſucceſſio Anglo ſpondetur 224.1
Frãcio epiſcop⁹ Rotomagẽſiũ 60.58
Francio Francorum dux 2.4
Francilio ciuis Roma. 12.51
Francum interregnum 183.55
Frãcus à Græco imp. honorifice excipitur 109.47.male vexat 128.23
Francus,amicus,nõ finitimus habẽdus 50.21
Frãcus perfuga apud Anglos honoribus cumulatus 192.5.& 7
Francus rex Burgũdioni duci multa de ſuo iure cedit 226.19.Flandro Comiti aduerſus populares ſuos adeſt 211.62
Frãcus rex nõ nat⁹ ſed elect⁹ 183.73
Franci regis coronandi ritus 64.49, 141.11,142.58,184.85
Franci regis cum Anglo rege commiſſio 143.86
Frãci regis opulentia 338.81.frugalitas 233.33. liberalitas 226.19. poteſtas 158.78
Franci regis ſignum 133.80
Franci reges aliquot non iuſti ac legitimi 62.62
Francorum regum pietas 108.5
Francorũ regũ ſepultura 97.39
Franci ordinis regij inſigne 241.14
Franci ab Anglo ad Burgundionem deficiunt 225.88
Franci Galliam tentant 3.25,41.58
Frãci Hiſpani limitis cuſtodes 45 80
Franci in Francos pugnant 25.67
Franci in Italia 35.45,39.46
Franci,liberi 52.42.& 50,236.19
Franci,moræ impatientes 196.46
Franci mutuũ à Venetis ſumunt 128 10.& 50. eis auxiliantur. 128. 5. deferunt,129.82
Franci orientales occidentalesq̃. 63.62
Franci piratæ 118.84
Frãci proceres 55.40,99.10,185.84
Franci,põtificis Romani ſtudioſi 30. 73, 33.22,104.78,179.56. vide in dictione Francia,ibi,Religio
Franci Rhenum traijciunt 2.38,36. 23.Alpes item.50.45
Franci ſagittarij 236.19.& 246.13
Franci,Salij 184.43
Franci tota Flãdria potiũtur 170.53
Franci Troia oriundi.2.1.à Germanis oriundi.63.61.
Franci vſq; ad Clodoueũ à fide alieni 4.77
Francorum animus generoſus 123. 36,199.18.& 26
Francorum authoritas 96.48
Francorum cædes 16. 88,40.10,53. 31,159.78,170.86,172.2,173. 10, 222.18
Francorum cum Anglis fœdus ac ſocietas 154.75.78,155.20, 158.81, 199.40.Pugna.193.54.& dein.vide Angli.cũ Germanis coniũctio. 61.42, 62.4, 63.44. 59. 61. 64, 66.50.& 67,121.46,128.18.&20, 132.40,141.8,158.81,189.62,202. 6.cum Liguribus ſocietas.215.11. cum Longobardis affinitas. 34.4.
Francorum diſſenſio cum imperatore græco 17.79.Cũ Scotis.213.10.
Francorum dominatus 4. 30,12.17, 125.30,185.20
Francorum ex Sicilia deturbandorũ conſilium 159.50
Francorum exulum ad Gallorũ regem legatio 24.31
Francorum gloria quì tandiu latuerit 2.26
Francorum immunitas 2.8,52.42.& 50, 236. 20. gloria ac laus. 29.5, 163.15.
Francorũ in Alemanos motus 5.61.
Francorũ in Hiſpania virtus 144.75
Francorũ in res Anglicas ius 154.85
Francorum maritima poſſeſſio 51.27
Francorum militum virtus 218. 24. laſciuia ac libido.ibi.26. & 33,35. 73,160.30.vide milites
Frãcorum obſides interempti 10.67. legati intercepti.146.28.
Francorum primorum ſedes 3.57
Francorum proſperitas ac triũphus. 40.60
Francorũ religio 102.76.vide Franciæ religio
Francorum ſocij 49.25
Francorũ tetrarchiæ 10.10.& 12.67
Francorum victoriæ 2. 9,28.73,50. 45,54.52,109.81,163.15,167.35, 170.53,197.68,212.22,230.75. & paſſim per totam hiſtoriam.
Francorũvigor 60.86.ardor.89.40, 159.68.

Francica classis 120.1,133.10,187.18, 200.75
Francica institutâ 52.54
Francica nobilitas 173.85
Francicæ ecclesiæ turbatio 107.14
Francicæ regiæ diuisio 37.8
Francicæ diuitiæ 56.43
Francicia aliquando dicti Atrebates 245.29
Francicũ nomen 42.27,103.36,128. 27, 158.76. & 88,214.79.& 85, 215.21
Francicorum magistratuum virilitas 222.35
Francograecia 144.86
Franciscus Atremus Gandauensium dux 212.76
Franciscus Sfortia 229.63
Frãciscus Tarraconẽsis rex 230.52
Franciscana vestis 159.51
Franciscanarum iuxta Parisios institutio 157.47
Francones, qui & Francia orietalis, vnde & Frãconia, & Franci 2.13. & 25,43.4
Frangipanes 145.82
Frater , fratris absentis noxam luere iubetur 101.31
Fratrum'ne filij, an patrui ad imperia obtinenda succedant 191.55
Fratrum regum concordia. 22.79, 58.62,& 96.55
Fraternæ pietatis exẽpla 22.79, 58. 62,96.55,125.23.item alia impietatis. 5.35. & 46,10.59.79.83,19. 30,37.5,55.74,125. 47, 200. 21. 31.& 35,234.39.& 46.
Fraternum bellum 65.75,66.5,74. 72,153.13,170.34.
Fraternum nomen inter Francos & Germanos 141.8. Anglos itẽ.158. 81. vide Francorum cum Germanis conuinctio &c. & Francorum cum Anglis.
Fraternum nomen quatenus duret. 59.51.
Fraterculorum hæresis 183.27.
Fraus,religionis prętextu celata 114. 88.
Fredegundis,mascula mulier,& bellatrix ac adultera 14.54,15.60.& 71,16.9,18.9.33.51.52, 54. 67.
Fregosus Genuensis dux 231.80
Frena in potestatem suam redigẽtes equi 189.1,196.81.
Frisia regio 58.79
Frisii 26.5,29.11,192.70
Fremundus Reginaldi Senonum comitis nepos 65.9
Fronciacum oppidũ 37.28,230.57
Froissardus historicus 205.7
Frumentarij diuitis odium 101.10
Frumenta pauperibus gratis distributa 101.12
Frumẽtorum subter terram defossio. 82.75,
Fulcerij Aurelianensis mors 75.59
Fulcerius Hierosolymitanus patriarcha 110.74
Fulco Remensis archiepiscopus. 52. 23,59.33,61.70.
Fulco Asper, Andegauorũ Comes. 65.62, 67.6.16.43,69.55,100.1, 103.4,6.19,104.4, 107.78,109. 28.& 31.
Fumea quidã,acris ingenij vir. 239. 39.44.& dein.
Fumo signi dandi cõmentũ,162.33.
Fundi,vrbs 205.22
Fundana comitia 205.33,et 208.87
Funeris regij pompa à priuato homine interturbata 70.45
Fugæ simulatæ fraus 81.73,8416
Furiæ fraternæ 66.84
Furnæ Flandriæ oppidum, 212.28. 169.78.

G

GABRIEL MARIA. 219. 44,220.15.
Gabriel Melitenorum præfectus. 94.30.
Gabulla vrbs 91.38
Galdericus Laudunensis episcopus. 98.85.
Gaguinus historicus 166.13
Gaillardi vrbis obsessio.127.15.& 18
Gailenus quidã Merouei fugæ Comes,illum interficit 15.26
Galilæã vsq; nostri pergunt. 136.71.
Galeatius Matthęi Vicecomitis filius 181.65
Galeatius dux Mediolanensis designatur. 217.74, 227.66, 237. 42,245.43.
Galeotus Caroli ducis Burg. præfectus 243.11. & 15
Galerus Ruber à pontifice Bonauenturæ minori oblatus 157.27
Galla Placidia Cæsaris Honorij soror 2.75.79
Gallæ mulieres omnes Childerico spretæ 4.72
Gallia, Christiani noīs hostis nunq̃ extitit 27.54
Gallia Cisalpina 47.68
Gallia,Francorũ patria 2.15
Gallia Italica 38.83,& 47.88
Galliacum vrbs 131.73
Gallici Cardinales 174.69.& 72
Galliæ calamitas ac procella. 2.81
Galliæ procerum seditiones 25.63
Gallica res vnanimis 22.8
Gallicæ ecclesiæ concilium Parisinũ. 205.39.& 45.
Gallicæ prædæ dulcedo 13.50
Gallici exercitus religio 44.77
Gallici spiritus 227.66
Gallograecia 144.86
Galli ante Clodoueũ Christũ agnouere 4.79
Galli Frãcis priores Christiani.5.52
Galli gallinacei lanei ridiculũ.185.61
Galli Græcis conciliati 16.83
Gallorum in Bauaros motus 17.17
Gallorũ in Italia strages. 16.88. aduersus Aistulphũ exercitus.35.33
Gallorum stimuli 88.78
Gallorum vires eleuantur. 27.80. reliqua vide in dictione Francia & Franci.
Galsonta Athanagildi Visigothorum regis filia 18.62
Gamala,Syriæ vrbs.168.8.expugnatur.ibi.16.
Gandauum oppidũ. 65.19,102.54, 133.6.& 12.
Gandenses,seu Gandauenses.192.15, 210.36. & dein 80, 204.35,212. 56,213.3, 231.7.16.25,238.33, 244.78.80,246.19.
Garumna fluuius 4.69,131.82
Gaza vrbs 115.61,122.72
Geillo magister equitum Caroli magni.43.1. eius copiarum à Saxonibus strages.ibi.26.
Geisa Hungariæ rex 108.86
Gelasius pontifex max. 99.33.& 35
Gelberga regis Dani soror. 125.47. 79.86.
Geldubensis Comes. 168.82,169.7. & 14.Dux. 188.35,241.27.& 29, 245.24.& 26.
Gener soceri maiestatem obscurat. 145.30. socero infestus.96.19.
Gengaria Nauarrorum regis filia. 120.10.
Gengonis fanum 226.20
D.Genouefæ ædes Parisiis 9.72
Genselinum oppidum 127.3
Genscricus Vandalorum rex 4.23
Gentiliacũ Parisiorũ 36.78,199.21
Gentium monumenta inter se aberrant 69.24
Genua Italię.125.86,227.17.& 79, 232.80.
Genua Ruscinonensis 161.84,162. 35,181.36.& 59.
Genuensis ducatus Franco traditur. 231.80,& 245.59.
Genuenses. 50.27,84.74.80,91.64, 92.45.46, 95.17, 96.77,151. 20, 157.20, 181.33.& 38,214.71.77. & 79,215.18,227.31.73. & 74.
Georgij prætoris Siculi virtus 111. 38.& dein.41.
Georgiani 117.43
Gerberga, Othonis imperatoris soror 62.84,63.88,64.27
Gergonia oppidum 36.54.
Gerlo Rhollonis cognatus 60.75
Germania tota vnũ Burgundiæ ducem pellere non potest 242.6
Germanico cultu & sermone Carolus magnus vtebatur 40.11
Germanus genere animoq; se Francum prædicans, ac Caroli magni sobolem 57.64
D.GermanusAltissiodorensium epi-

ſcopus 3.51.eius ædes 11.10
Germani,Frãcorum gloriã ſuam ducunt 63.61,121.46
Germani hiſtorici 120.38,152.79
Germani imperij ſtudioſi 57.21
Germanorũ afflictorum ad Frãcum regem oratio 109.55
Germanorũ cum Gallis amicitia 57 64,58.36,66.50,141.8
Germanorũ in Ludouicum pium ſtudia 54.38. victoria de Carolo Caluo 57.62
Germanorum iu Syria res geſtę 109 44,126.1,& 136.78.eorum duces 74.35
Germanorũ iter ſe diſſenſiones 151.8
Germanorum militum temeritas 75 41.& dein.
Germanorum oratores ad Carolum Caluum 57.48
Germanorum procerum iudicium in cauſſa Angli aduerſus Frãcum requiſitum 202.8
Germanorum ſtimuli 88.77.ſtrages 153.65
Geroldus Bauariæ præfectus 44.84 eius cædes 45.82
Gerontius Conſtantis impe. dux,eũ cædit 3.13
Gerunda vrbs 162.66,163.79
Geſquinas Bertandus 199.82,200 24,31.33.64.72,201.80,& 206.33
Gertrudis Bernardi Saxonum ducis filia 70.27.Alſatiæ dux 70.30
Gertrudis Sueua Andreæ ſecũdi Vngariæ regis filia 167.68
Gibellinum oppidum 146.4
Gibellini 146.5.14,153.3.& 39,166 82,171.46
Gilbertus,Poretanus philoſophꝰ 64 63.72.73,106.87,108.52.Burgũdionũ dux 63.41.Parmenſis 68.9
Giſlebertus Lotaringiæ dux 62.67 Eius mors.ibi.82
Giſlemarus Varratonẽ patrẽ magiſtratu deijcit 23.85.Eiꝰ mors 24.1
Girarda quædam mulier nobilis ſaxis obruta 131.69
Girardus à Caſabona 157.50
Girardus Ridefordienſis, Tẽplariorum magiſter 120.65
Girardus Scropha 134.74
Giſortium vrbs 98.24,112.67,118.61, 125.17
Giſortiana arx 98.18
Glorię maximè ſtudioſi reges 164.72
Glacialis pugna 154.47
Godemarus Faia 192.81
Godeſcalci legati mors 45.76
Godinus Varnarij filius nouercam vxorem ducit 21.8.15
Godouinus Anglorum nobiliſſimus 68.48.& 64
Gornacũ oppidũ 96.83.85.& dein.
Gornetum oppidum 127.3
Gotthello Lotaringiæ dux 65.46, 66.62
Gotthofredꝰ à fano Odemari 105.29
Gotthofredus Andegauorum Comes 106 6
Gotthofredus Aricuria 192.5,193 19,194.45,196.7
Gotthofredus Burellus 75.50
Gotthofredus Barbarus 69.42.49
Gotthofredi Bononiẽſis virtꝰ 107.68
Gotthofredus Cœnomanorum Comes 58.36
Gotthofredus Chryſogonellus Andium Comes 65.59
Gotthofredus Comes Vindocinenſis 94.76
Gotthofredus Comitis Engoliſmenſis frater 114.41
Gotthofredus Danorum rex 52.59
Gotthofredus dux, ſanctæ terræ rex deſignatur 93.38
Gotthofredus Eluiorũ epꝰ 233.44
Gotthofredus & Sigifredus Normannorum reges 58.74. Gotthofredi mors 59.1.& 10
Gotthofredus Fulconis filius 103.16
Gotthofredus hiſtoricus 107.15
Gotthofredꝰ Lotaringię dux 73.48
Gotthofredus, Henrici Angli regis filius 112.86.eius mors 118.67
Gotthofredus Luſinianus Comes, 120.68
Gotthofredus Martellus 66.72,& 68.18
Gotthofredus Pariſiorũ epiſc.69.82
Gotthofredus Remacinus Pictauẽſis 109.85
Gotthofredus Tricaſſenſis 130.87
Gothi 2.48,3.13,10.6,11.61.62.& 77,29.67,47.49
Gotthicani 29.18
Græca ars 77.35,136.59,145.15, 109.56.& 70.
Græca eccleſia cum Latina in vnum coit 131.6
Græcus imperator 16.72, 34.53,35 53,103.59,104.3,156.60,160.86
Græci belli origo 125.33,& 158.88
Græcum imperium 130.64.& dein, 80,151.43,159.23.37.48
Græci muneribus bellum à ſe auertunt 51.16
Græcorum authores theologi Chriſtiani 228.36
Græcorum ab Romana eccleſia defectio Turcas Saracenóſq; auxit 128.41
Græcorũ cum Latinis fœdus 76.25
Græcorũ de ſpirituſſancti proceſſione hæreſis 228.36.40.49
Græcorũ mores,ac erga noſtros animus 45.17,74.58,75.88,76.3,77 68,96.48. & 72,125.77, 128.21, 129.39,169.30.Itẽ 51.16.& dein. 75.81,87.40,116.42.& 47,128.12 & dein,144.86,145.7.18.42.45, 151.71,& 159.11
Grãmatica patrij ſermonis à Carolo Magno ſcripta 45.27
Grando ingens 116.88
Granus,iuuenis audaciſſimus 12.54. 64,50.77.
Granſo vrbs 243.78
Grauelingæ Flandriæ oppidũ. 212. 27.
Gregorius pontifex max. 30.73,95. 57,146.25.& 35,204.44.&dein. 220.26,221.57.Rauennatiũ pontifex.55.18. Turonum epiſcopus. 14.74.
Groſſoni,populus 146.65
Grimoaldus,Lõgobardorum rex 20. 32,23.15,25.46.54,44.9.37,46. 69,47.82, 48.24.27.42,52.83.
Grippo vir clarus 17.49
Gripho Caroli Martelli filiꝰ.30.80, 31.34.
Gubernacula nauium ſuarum Veneti Burro cuidam tradunt. 100.44
Guelfo Bauarię dux.145.88.& dein. 146.1.& 6.
Guelfo Noricorum dux 94.79
Guelfi.152.73,166.58.& 82. vide Gibellini.
Guidonis rupes 98.40.41
Guinades dux quidam Græcorũ adnerſus Gothos 12.22
Guinenſis arx 195.19
Guirboca Tartarus 154.39
Gulielmus à fano Amoris 152.23
Gulielmus Anglorum rex 93.32
Gulielmus Anicienſis comes 111.85
Gulielmus Annoniæ comes. 68.19, 188.34.78.dux.104.29.58.65,105 65.& 69.
Gulielmus Apuliæ dux.96.67.75.& 104.35.
Gulielmus Arauſienſium epiſcopus. 73.37
Gulielmus Barra 134.73
Gulielmus Burrus 100.40
Gulielmus Bononiæ comes. 125.44, 132.84.
Gulielmus Brabãtinus dux.133.46.
Gulielmus Burgundionum comes. 99.36.
Gulielmus Cauillonẽſis comes.111.85
Gulielmus Comes Claudioceſtriæ. 126.59.
Gulielmꝰ comes Montroliẽſis Rhollonis filius 67.45
Gulielmus Dampetra 155.44
Gulielmus Ebriacus, Genuenſiũ claſſis præfectus 92.41
Gulielmus Flandriæ comes. 102.43, 159.79
Gulielmus Garlandenſis 97.76
Gulielmus Henrici regis Angli filius mari demergitur 99.13
Gulielmus Hollandiæ comes, Germanorum imperator 150.16
Gulielmus Hyprẽſis, Flãdriæ rector. 101.80,102.40.67.& 86

Gulielmus Iordanes Raimundi Toloſatis ſucceſſor 95.42
Gulielmus magnus 106.21
Gulielmus Maiſuilla Bohemũdi ſororius 87.12
Gulielmus Montisferrati Marchio. 110.72
Gulielmus nothus, Normaniæ dux 68.58.eius virtus.69.26.37. Ingratitudo. 70.32. Filij. ibi.40.41. & dein.
Gulielmus quidam Margaritæ Balduini filiæ pædagogus eã ſtuprat 155.42
Gulielmus Remorum archiepiſcopus 117.65
Gulielmꝰ Ruffus Gulielmi nothi filius 70.41.& 60
Gulielmus Rhollonis filius 60.78, & 62.8
Gulielmus, Roberti Normanorum ducis filius 66.82,67.24,99.86, 102.26.31.82.& 84.Frater.98.1.
Gulielmus Rogerij iunioris Siciliæ regis filius 104. 42,119.48,120. 14.26,128.30
Gulielmꝰ Saleberienſis Comes 133. 7.
Gulielmus Villa, Achaiæ princeps 148.35,151.65
Gundebaldus Gundenci regis filius 5.33.eius latebra, ac proditio.ibi. 40,7.67,8.45.& 64
Gundemarus Gundenci regis filius exuſtus 5. 48
Gundemarus Sigiſmundi frater 10. 36.44
Gundencus rex 5.33.39
Gundoaldi res geſtæ. 15.80,85,16.1. Eius interitus.ibi.16.
Gunduinus infans expoſitus ad ſummos tandem honores promotus 24.15
Guntarius Agrippinenſium epiſcopus 56.60
Guntarus Clodamiri filius 10.47
Guntrannus Aureliani rex 12.73,13, 39,16.14.18,18.7.

H

HABEIS SVLTANVS. 113.75
Habenarum in equo præciſio, ſaluti nonnunquam eſt 163.65
Habitus regius à patrijs moribꝰ diſſidens,popularibus ingratꝰ. 58.2
Hacanus Vnnorum rex 45.69,51.7
Hadrianus pontifex maximus 37. 82,38.15.24,39.16
Hæreditatibus locupletibus excluſæ mulieres 184.45
Hæreſeos monſtrum Gallia nunquam protulit 27.55
Hæreſeon ortus. 47.47. Earum inſectator maximus Diuus Dominicus 131 39.
Hæretiçum pertinacia 131.51
Hæreticum bellum.131.49. & dein. 132.1.
Hagne auguſta.67.88,68.6.9 Diui Ludouici filia. 155.70,173.68, 184.70. Gulielmi Aquitani filia. 66. 68. Ludouici iunioris filia. 116.15. Regis Franci ſoror. 128 22. Theobaldi Comitis Campani filia.113.11
Hagnellus Tridentinorum epiſcopus 17.88
Halapia vrbs 103.53
Halapiana tetrarchia 76.62.Satrapia.110.39
Halapianus tyrannus 90.37
Halapiani 149.25
Hali, Maumethis propinquus cognatus 71.21
Halmyralus, maritimus imperator 43.46
Halo Tartarus 154.44
Hamatha ac Emiſa vrbes 91.18
Hanno Agrippinenſium pontifex. 67.86
Hanno Borbonius 104.16
Hanno, Hannonia, vide Anno.
Haraldus Anglus Godouini filius. 68.64,69.5
Haſarchum oppidum 90.35.37.46
Haſta oppidum 229.47. vide Aſta.
Haſtingus Archipirata 60.35
Haſtis ſuis cælum ruens ſuſtineri poſſe iactantes milites 218.28
Hebertus Viromanduorum Comes 61.66,62.32.35,63.28.34
Hebræi Chriſtum agnoſcere coacti 21.75.& dein.
Hebræarum puellarum conſuetudo Chriſtiano capitalis 209.54
Hebræorum infidum collegium. 48.86
Heduorum fines à Burgundionibꝰ occupati 3.2
Helias Cenomanus Comes 103.14
Heliopolis,Halapianę tetrarchię prĩceps vrbs 76.63,103.53.& 137.8.
Helpis Aegyptius imperator 168. 8.63
Heluetij 229.28.32, 241. 51,243. 36.40.46.56.79,245.41
Hembotum vrbs 191.34
Hemfredus Toronienſis 116.55
Hemirpherrus Antiochenſis proditor 85.63,86.25.32
Henricus Aenobarbi Cæſaris filius 120.42,124.60
Henrici Angliæ regis res geſtæ. 98. 9.14.17.30.39,99.43.45,104.62, 106. 3. Item 112.49.& dein.118. 81,119. 29.41,155.17. 87, 166. 44,180. 5, 221. 78, 224.3, 242. 65,246 49.
Henrici Aſcæ Moſſellanenſis virtus 87.53
Henricus Balduini imperatoris frater,Græcorum auguſtus 131.12, & 136.50
Henricus Bellouacorum epiſcopus. 105.88
Henrici Cæſaris res geſtæ 62. 4. 72. 80, 73. 82.83,95.58,97.22. 25.30.35.36,99.18.43. 69,107. 70,124. 67,126.10,146. 57,175. 30.46.47.& dein.
Henricus Comitis Ricemũdij filius 241.8
Henricus Campaniæ Comes 119. 52,123.76,124.68.
Henricus Comes Fani Pauli 125. 70.
Henricus Contarenus Venetorum epiſcopus 84.71
Henricus Dandulus Venetæ claſſis dux 128.35,129.82,130.23.
Henricus Fœderici Cæſaris filius. 146.4
Henricus Foroiulienſium dux 44. 84,46.66
Henricus Francorum rex 65.73, 95.63
Henricus Gulielmi nothi filius 70. 42.57.62
Henricus Henrici Angli regis filius 99.13,112.56.86,154.87
Henricus Iohannis Angliæ regis filius 135.88.& dein.
Henricus Leceſtris dux, Ricardum regem regno deiçit 217.84
Henricus Lucemburgenſis Comes, Cæſar delectus 175.13
Henricus Ludouici Flandriæ Comitis patruus nothus 188.24
Henricus Noricorum dux 65.14
Henricus Othonis Saxonum ducis filius 62.4
Henricus Petri Caſtulonenſis regis frater nothus 200.21.24.31.35
Henricus quintus ſalutatur Leceſtriæ dux 217.84,224.27
Henricus Ricardi Cæſaris filiꝰ Cornubiæ Comes 156.62.eius indigna mors.157.11
Henricus Roberti Normanorũ ducis frater minor Rex Anglorum ſalutatur 93.37
Henricus Saxoniæ dux 124. 67, 126.2
Henrici ſexti Angli regis res geſtæ 225.56,240.73.75.& 85
Henricus Sueſſionum pontifex 69. 72.
Henricus Theobaldi Nauarræ regis frater 157.43
Henricus Tricaſſium Comes 113. 2
Henricus Turingus Germanorum imperator 150.15
Henricus Vimonienſis epiſcopus, Stephani Comitis frater 106.18
Hepta fluuius 98.24,99.79
Heraclea vrbs 79.36
Heraclius Cæſar 21. 58, 117.44. & 45

Heraclius Patriarcha Hieroſolymitanus 117.63,118.85
Herioldus Daniæ rex 53.61
Heriſpeus Noëmeticij filius 56.88
Herluinus Latinus quidam turcicæ linguæ peritus 87.64
Hercembaldi Buziorum principis vxor,filij,res geſtæ 224.46
Hermanus Veronenſium Marchio 110.71.
Hermarius Ariberti pædagogus. 21.20.
Hermemberga Bertrici regis filia. 19.17.
Hermenfredus Turingorũ rex. 10. 59.& dein,23.83.
Hermengandis Alberto Comiti Namurcenſi nubit 64.11
Hermengarda Ludouici Auguſti filia 57.28
Hermengarius Emporitanus Comes 50.25,52.73
Hermengildus Lemugildi regis filius.16.73. Eius interitus. ibi.82.
Hermeuicenſis pugna 63.74
Heroldus Hunnuto ſuccedit 68. 46.
Herpo Guntranni regis dux 15.21. 30. Magiſter Equitum. 19.79, 20.2.
Herueus Remorum pontifex.61.85
Heſſenorum continentia 113.25
Hetruria à Longobardis inuaſa.13, 25.Eius factiones.171.45.
Hetruriæ vrbes imperatoriæ ditionis,ac pontificiæ.53.79.& 81.
Hieronymus de Praga 221.68
D.Hieronymi de Francia teſtimonium 2.23
Hieroſolyma 71.32.73, 90.32, 92. 2.3.11.14.23.61. & dein, 93.6.10. 12.82,116.72, 117.39.46,122. 8, 123.11,138.41.43,145.60.
Hieroſolymitanorum Chriſtianorũ ad Occidentem literæ.71.15.Eorũ metus.115.70.
Hieroſolymitani regis electio difficilis 93.22
Hieroſolymitanum regnum doti datum 140.53
Hieroſolymitano regno Anglici regni ſpes prælata 98.1
Hildegrandis Sueua, Caroli magni vxor 37.40
Hilermus Annoniæ Comes 187.30
Hilermus Arretinorum Epiſcopus. 166.83.
Hilermus Canutus Flandrorũ dux 185.57,& 186.5.
Hilermus Flandriæ Cancellarius. 244. 59. 69. capite plectitur. 245.7.
Hilermus Iuliacenſis capitur. 169. 74
Hilermus Longaretus 174.16.& 40.& 59.
Hilermus Tornacenſium pontifex, hiſtoricus 172.55
Hilermus, Vidonis Comitis nepos 173.59
Hilermi Vricularij cuiuſdam aſtutia 214.60
Hiſpania citerior 43.64
Hiſpaniæ à Gallia ſeparatio 41.16. Eius pars nobiliſſima Vandaloſia.29.25.
Hiſpaniarum à Barbaris vexatio. 3. 1.27,26.73,42.24,71.24, 73.59, 131.21.
Hiſpani opem exterorum aduerſus Saracenos implorant 40.71,& 190.50.
Hiſpanorum ambitio 131.22
Hiſpanus limes 21.85,45.80
Hiſpanicum bellum 41.6
Hiſtria Francis paret 51.28
Hiſtriones aula exacti 144.45
Hollandia Francicis imperijs ſoluta 234.1.
Hollandorum ac Friſiorum iuuentus 80.25
Holo dux 17.22
Homicidæ liberatio 195.60
Homicidiũ immaniſſimum 157. 11.
Homo erraticus eſt.34.16.omnia te ſte cælo agit.59.81.
Hominis mens,ſuæ ſpontis 96.35
Hominum vita quo conſtet 78.88. & 79.1.& dein.
Honores diuinos à Cæſare aſſumi indignum 95.70
Honoricus Vandalorum rex 10.70
Honorius Cæſar 2.42.62,3.38
Horrea frumentaria refracta 101.11
Horti, propugnaculorum vice 110. 80.
Hoſpitale Dei Pariſiis extruitur. 152.11.
Hoſpitalariorum ordo.105.15.& 27
Hoſpitalarij Diui Iohannis Rhodũ de Turcis recipiunt 177.4
Hoſtienſis Cardinalis 171.53
Hoſtis à tergo non relinquendus 91.41.
Hoſtis fugiens nõ ſemper inſequendus 81.86
Hoſtem vnũ ſponte ſuſcipiens, multos inuitus habet 7.36
Hoſtes quot contra pugnes, tot à gladijs mortem metuas 59.47
Hoſtium corporibus vitam quidam è noſtris tolerant 83.56
Hoſtium eliciendorum ratio 84.12, 185.68.
Hubertus Veromanduorum Comes 67.63.
Hugo Francorum dux 65.59
Hugo Penſacẽſis 182.45.& dein.65
Hugo Roberti Canoli conſobrinus 201.13.
vide Vgo
Humanę carnis eſus. 69.33,83.56, & 127.15.
Humani generis duas in partes diuiſio 71.8
Humanus fauor 207.55
Humanarum rerum fluxa fides.166. 69,218.70.
Humiliatio ſui 100.17
Humilium & Pauperum Lugdunenſium hæreſis 131.28.& dein.
Hungaria à Mangalis euaſtatur. 146.69. vide Vngari,Vnni.
Hunnoldus & Vaifarus Eudonis filij 29.19
Hunnoldus Aquitaniæ dux 37.1. 84,38.19.70.
Hunnus, vetus Gotthorum hoſtis. 2.51.
Hunnutus Suenonis Danorum regis filius 68.37.& 46
Hutinus,vide Vtinus 177.58
Hybernia & Anglia Romanæ poteſtatis vectigales efficiuntur. 135.71.
Hydruntinum bellum 245.60.& 64.
Hyems bellis gerendis ignaua 188. 74,213.39.
Hyems verna temperie 48.77
Hymbercurius 244.59
Hypodiaconus maioribus ſacris ordinibus initiari detrectãs 219.62
Hypræ,Flãdriæ oppidũ.102.38.54, 133.5,206.74,210.69.75,212.27

I

IACOBVS ARTEVILla Flãdrus 188.10,189.46,192.10
Iacobus Auenienſis 119.10,123.7. 13.16.& 50.
Iacobitæ 117.43
D.Iacobi Compoſtellani peregrinatio.105.69,111.50,140.61.
Iacobus Borbonius Neapolitanus rex 222.50.& 68
Iacobus Borbonij Ducis frater, magiſter equitum Francorum. 195. 58.
Iacobi Burgundionis Templarij mo rituri oratio 176.66
Iacobus Fani Pauli Comes 171.1
Iacobus Tarraconenſium rex 155. 33,161.74,170.9.16.& 29.
Iacobus Vermis Mediolanenſiũ copiarũ præfectus 214.45. & dein.
Iadera oppidum 128.2
Ianitores templorum à Carolo magno honorati 45.34
Ibiminanga rex 43.62
Ibnabala Cæſarauguſtanorum regulus 40.80,42.20.35,43.62.68
Iconium, Lycaoniæ vrbs 79.35. eius ſatrapes Sultanus ſalutatur 109.38.& 40.
Icterius Aquitanus nobilis 36.60
Ieiunium tridui 138.20
Ignauia regũm locum nouæ nobilitatis

tatis induſtriæ facit 61.2
Ignis græcus in vaſculis 121.37
Ignis iudicium 91.50.52
Ignis lenti ſupplicium 176.75
Ignis miſſilis 41.59, 92.60, 138.70, 149.8.
Ignis nocturnus in caſtris 222.11
Ignem contra, munimenta 92.64
Ilba, Gepidarum Comes 9.65
Ildebaldus Gotthorum rex 11.77
Ildebertus Grimoaldi filius. 23.9.12. & 14.
Ildebrandus, dux Spoletinus 43.76
Imaginis cereę mirum 180.65
Imagines ſanctorum 33.7, 36.76, 37.58, 45.18.
Imbecillitas arte ſe tuetur 139.87
Immunitatis eccleſiarũ hoſtes male multati 111. 86. & dein. 112.1. & dein.
Imperandi libido 23.86, 126.73
Imperator de cauſſa pontificis max. cogniturus 47.3
Imperatoris ac pontificis max. mutua quædã obſeruantia. 53.71. & 77. cõuẽtus. 46.82. ſimultas. 95.52.
Imperatoris deligendi authoritas præcipua penes Saxonem & Maguntinum 126.11
Imperatore, non pecunia, opus eſſe. 119.1.
Imperatores tres intra quatuor annos ab eodem pontifice coronati 58.54.
Imperatorũ legibus Frãcos ſubdere vult Carolus magnus 52.28
Imperiũ ad Carolũ magnũ defertur 47.30.& dein.
Imperium Græcũ Latinis procerib⁹ diſtribuitur 130.80.& dein.
Imperium immodicum 144.12
Imperiũ, res vaga & pfuga 52.45
Imperij contentiones. 57.35.62.45. 49.
Imperij decertandi locus, Italia 58. 38. indidem imperatoriũ diadema ac nomen petendũ 57.84, 157.37.
Imperij & Pontificatus contentiões 95.52.
Imperij Germanici interregnũ 153.4
Imperij Germanorum cum Franciæ regno concordia 99.65
Imperij inſignibus pater à filio exuitur 97.33
Imperij nomen auerſatur Carolus D. Ludouici frater 152.68
Imperij Romani inſignia 47.45
Imperij tranſlatio 61.27
Imperij Vicarius 155.15
Imperia regum & imperatorũ, populariũ voluntate conſtãt 73.83
Imperiorum diuiſio 155.27
Imperiorum magnorũ tentatio periculoſa 139.55
Imperijs magnis nihil negligendũ 25.29.
Impudici iuuenis exectio 187.44
Impudicitiæ etiam fama, abaula regia aliena eſto 54.78
Impuberum ſponſalia 142.70
Inacceſſa, peruia velle facere, impiũ penè & nefarium 81.23
Incendij in vrbem victam inferendi amolitio 192.47
Incendium fortuitum. 70.53, 96.24, 126.39.& 40.
Incendium miſerandum 213.75
Inceſti matrimonij expiatio. 21.9.& dein.
Induciæ tacitæ 141.29
Inducíarum violatio 86.2, 195.20
Indulgentiæ malum 21.31
Inediæ longæ periculum 233.15
Infans expoſitus, ad ſummos honores promotus 24.15
Ingeniũ humanũ vi cæli mutari. 49. 69.& 70.
Ingeniorum excellentium prouentus 183.22
Ingeniorum magnorũ ſoboles tandem hebeſcit 60.82
Ingratitudinis exemplũ inſigne. 24. 16.
Inimici filio benefaciens 103.31
Inimico ab hoſte ſacrari, indignũ cenſet Ludouicus Craſſus 97.50
Initia in re militari quanti momenti 41.35.
Iniuriæ, grauis vltio 23.33
Innocentiæ ſimplicitas 214.2
Innocentius pontifex max. 104.34. 45. & 61, 108.14, 127.6, 146. 37.42. & dein, 150. 51. 56. 64, 220.20.
Inquiſitores nõ committuntur reorum affines 158.44
Inſula Flandriæ oppidum 133.18.& 169.72.
Inſulæ ſexaginta pontibus à Venetis iunctæ 51.59
Inſidiatorum deprehenſorum animi collabuntur 162.85.& 163.1.
Inſolitorum terror 216.69
Inſubriæ tumultuatio 229.70
Interpontificatus 156.83, 169.27
Interregnum decem annorum 16.52.
Interregno etiam creari pontificem maximum 53.76
Inuidia ac factio, commune aularũ vitium 21.20
Inuidia fœminea 143.73
Inuidiæ malum 247.10
Inunctio Franciç Regũ vbi fieri debeat 97.53. 61. 63.
Ioachinus Abba fatidicus 120.17.31
Iohanna Angli regis filia 147.38
Iohanna Balduini Flandriæ Comitis filia 125.38.39, 142.14, 155.39
Iohanna Caroli Pulchri regis vxor 195.60.
Iohanna Clauda, Vidonis Britanni ducis filia. 190.73.75, 191.30.& dein.
Iohanna Comitis Bleſenſis filia. 157. 45.1
Iohanna Eburouicis Comitis filia 174.29.
Iohanna Ferdinandi Comitis captiui vxor, Flandriæ & Annoniæ præeſt 141.36
Iohanna Henrici Nauarræ regis filia impubes Regina ſalutatur. 158.11.
Iohanna, Iohannis regis Franci filia, Caroli Nauarri vxor 195.62
Iohanna Ladiſlai imperatoris ſoror 220.65.& 70.
Iohannæ Lotaringæ puellæ res geſtæ 225.13.39.47
Iohanna Ludouici XI. filia. 240.68. Veini filia. 181.17.
Iohanna, Neapolitana regina 222. 56, 226.84.
Iohanna Philippi Longi regis Franci filia 187.21
Iohanna Raimundi iunioris filia. 142.70.
Iohanna Ricardi Angliæ regis ſoror 119.44.
Iohanna Siciliæ regina 207.60, 209.17.84.
Iohannes Andegauenſis Comes. 232.7.
Iohannes Angliæ rex 26.59, 127. 4, 132.50, 133.20, 135.50.65.68. & 88.
Iohannes Annalis 177.78
Iohannes Arblaus 182.59
Iohannes Aricuria ſecuri percutitur 196.1.
Iohannes Audax, Philippi Audacis filius 217.86, 218.33.67
Iohanni Baptiſtæ dies feſtus, brumali pruina concreta inſignis. 48.78.
Iohannes Bellomontenſium Comes 188.50.
Iohannes Biturigum dux 208.53
Iohannes Bohemiæ rex. 187.36.55, 192.63.
Iohannes Borbonij dux 246.48
Iohannes Brabantiæ dux 168. 81
Iohannes Brennæ Comes 125.70, 131.12.18, 136.70.85, 138.70, 139.59, 140.51.61.
Iohannes Britannus Rionis præfectus 169.60
Iohannes Britanniæ dux ruina muri oppreſſus. 190. 67. Item alius Iohannes Britanniæ dux. 192.20, 29, 201.1.
Iohannes Burgundiæ dux 218.41, 223.71.79, 226.5.15.
Iohannes Cæſar Græcus, Alexis filius. 103.47. Eius mors. 104.13.
Iohannis Caroli Sexti patrui Anglico bello cunctatio. 213. 34. & dein.

Iohannes Cauillonẽſis Comes. 187. 25.
Iohãnis Comitis à Mõteforti mors 191.53.
Iohannes Comes Tancredouillanus 192.41.
Iohannes Ducis Aurelianẽſis filius nothus, virtute clarus 226.63
Iohannes Franciæ rex 197.27.47, 199.53.73.
Iohannes Galeatius Mediolanenſis Comes 214.13.17.74
Iohan. Geſſoriacus Pariſienſis theologus 208.68
Iohan. Græcus imp. 96.67, 145.4.10
Iohannes Henrici Angli regis filius 112.86.
D. Iohannis hoſpitalarij 105.27
Iohan. Hungarus, hiſtoricus 146. 67, 218.27.
Iohannes Hus 221.68
D. Iohãni hymnꝰ facer à Paulo Diacono conſcriptus 44.31
Iohan. Iuuenalis Vrſinus 212.48
Iohan. Leo Gandauenſiũ dux 206. 42. Eius ſuſpicio ac amentia. ibi. 50. & 60. mors. ibi. 70.
Iohan. Lignanus, ſacri iuris conſultꝰ 205.1.
Iohannis Mareſii facundia 208.21
Iohan. à Monteforti Britanniæ dux 200.10.
Iohannes Nigella, imbellis 135.22
Iohan. Paruus Minor, facundus homo 219.77
Iohãnes Philippi Audacis filius. 219. 54.
Iohan. Philippi Valeſii filius 186. 51, 191.26, 195.14.
Iohan. pontifex max. 9.83.87, 10.1, 58.41, 63.53, 183.35.42.50.
Iohan. præfectus prætorij Africæ. 26.58. Africam à Sarracenis tuetur. 26.59.
Iohannis à Prochyta inſula ad Palæologum de motu Francorum oratio. 159.15. Eius dexteritas ac prudentia. ibi. 45.
Iohan. Prunellus Gandenſis tribunus. 210.31. Eius mors. ibi. 52.
Iohannes Rex Latinus Aſiaticus. 137.32.
Iohannes Ricardi Regis Angli frater 125.23
Iohannes Roberetus 135.21
Iohannes ſaltuarius 224.37
Iohan. à Stampis, quẽ à temporibus dicunt. 107. 2. Eius longæuitas. ibi. 3.
Iohan. Theologus, Minor 205.60
Iohan. Triſtennis D. Ludouici filius 155.66, 156.51.
Iohan. XXI. pontifex max. 180.84, 186.46.
Iohan. XXIII. pontifex max. 220. 42, 221.62.75.
Iohan. Viennenſis, maritimus Francorum dux 213.6
Iohannis Villarij proditio 223.58
Iolantilla, Ludouici ſecũdi Tarraconenſis regis vxor 217.57
Iolantis Altiſſiodorenſium Comitis vxor 136.54
Iolantis Comes à Mõteforti 190.71
Iole Hieroſolymitani regis filia. 140.52.
Iope portus. 92.41, 94.15, 122.73, 126.7.14, 145.63.
Iordanis cuiuſdam facinora. 182.28. & 33.
Iordanis fluuius 136.73. & 74
Ioſcellinus vir fortiſſimus 100.21, 103.82, 109.24, 114.25.
Ioſephus Iudaicũ nomen ab Sarracenis vſurpatum plerunq; 115.5
Iouis ſaltus 38.63
Irena Græcorũ auguſta 47.22, 48. 52, 49.7.
Iſabella Angla regina 182.84
Iſabella Caroli Lotaringiæ ducis filia 225.68
Iſabella ducis Borbonij mater 200 62.
Iſabella Eduardi Angli regis vxor 182.74.
Iſabella Franci regis filia 217.77. 85, 218.50.
Iſabella D. Ludouici filia 155. 69, 156.80.
Iſabella Renati vxor, virilis animi mulier 227.10.68
Iſaacus Hebræus 45.40, 48.84
Iſacius Græcorũ imp. 125.33.46, 128.14, 129.21.41.
Iſacij imp. Græci filia 124.62, 125. 50, 129.18.
Iſacius Peloponeſiacus 116.54
Iſara fluuius 18.75, 234.54. eius pons. 237.4.
Iſdinũ Ludouicus XI. recipit. 245. 32.
Iſſodunum Anglus Franco reddit. 126.54.
Iſtrij & Dalmatæ 22.40
Iſtri Liburni & Illyrici piraticam facientes. 128.1. domantur. ibi. 11.
Italia Alpibus à Gallia diſiungitur 41.15.
Italia à Belliſario ſubacta. 11. 74. à Carolo Franco item. 158.86.
Italia diu ſine Rege eſſe nõ poteſt 43.76. Eius nõ eſſe regem, Roma euerſa. 12. 11.
Italia, imperij decertandi locus 58. 38, 175.16.
Italia prouincia facta 175.5. & 65
Italiæ ab exteris liberandæ conſiliũ 159.10.
Italiæ proſpectus 175.67
Italiæ factiones. 145.85. Cæſaribus perniciоſæ. 175.69. populationes. 2.77, 55.66, 58.49, 71.65. Pax. 231.60.
Italiæ gaudium de reſtituto domum pontificatu 204.57
Italiæ Germaniæ ac Galliæ fragor, ac ſtrages 48.71
Italiæ moderatur Carolus magnus 47.55, & 48.64.
Italici dominatus ambitio exitioſa. 227.56.
Italiã armis facilè ſibi parare Francos, partam diu tutari non poſſe 245.48.
Italiam petentium Cæſarum veſtigia læta, &c. 157.40
Italicum bellum 35.19
Itali, qui vocati 12.48
Itali, maris dominium nacti 84.78
Italorum ſtimuli 88.80
Itienſes extorres, à Franco rege coluntur 194.84
Itienſium optimatiũ nobile erga patriã amoris exemplũ 194.70.72
Itium Anglorum colonia deducitur 194.83.
Itiũ olim dictũ Calitiũ. 142.78, 194. 60. & 67. vide Caletium.
Iubileus à Bonifacio indictus 171.37
Iudæa, ſuburbanus quidam Lutetiæ vicus 200.66
Iudæus veneficus 200.17
Iudæi baptizati 21.73
Iudæi in Franciam admiſſi 125.88, 181.72. Inde depulſi. 117.70. Apud Pariſios expilati. 208.31. Eorũ circunciſio. 21.63. Peruicacia. ibi. 72. in ſuam ipſorũ vitam conſpiratio. 181.78. & 80.
Iudicaildis Britannorũ rex 22.31
Iuditha, Caroli Craſſi filia 57.75. vxor. 58.23.
Iuditha Cõradi auguſti ſoror 110.74
Iudices corrupti, teſtes coempti. 56.63.
Iudicij ſpecies oĩno ſeruanda 195.57
Iudiciorum exercendorũ locus. 166. 1.10. & 15.
Iugundis Childeberti ſoror 16.78. & 82, 17.48.
Iulia bona, Normaniæ oppidum 230.41.
Iulianus Cęſarinus Cardinalis 228.2
Iulianus Viſigotthorũ comes 26.71
Iuo Carnutum epiſc. 69.63, 97.51
Iuo Puteacenſis epiſcopus 97.81
Iura regia in dignitatibus eccleſiaſticis 95.53
Iuriſdictionis olim exercendæ ritus 166.9.
Iuriſiurandi non ſeruati cognitio ad quem ſpectet 126.7
Iuriſiurandi ſuper ſanctorum corpora concepti religio contempta 23.81.
Iuris pontificij libri 126.6
Iuris præfectus, Cancellarius dicat 70.4.

Iuris quæſtio 104.17
Iuridicis conuentibus certus locus conſtitutus 166.1.&10
Iuſti cognomen nullusdum ſibi rex promeruit 165.4
Iuſtinianus imperator. 11. 33.34.71, 22.56,184.47
Iuſtinꝰ Iuſtiniani ſucceſſor. 9.75,12. 79,13.8
Iuſtitia regibus maximè neceſſaria 165.6. Eius laus & conſideratio. ibi.vſq; in finẽ orationis.Eius tribunal ſummũ in Francia.166.1.
Iuuenalis Vrſinus 212.48,229.42

L

LACRYMAE SIMVLAtæ 150.72
Ladiſlaus Caroli Martelli auũculus 167.83.
Ladiſlaus Caroli Vngari regis filius 210.26, 213.54,218.60, 220.38. 61.64,219.36.
Lætitiæ poculum 61.16
Lætitiam triſtia excipiunt 170.70
Lambertus Morinorum archidiaconus 69.81
Lamberti Stratenſis cuiuſdam opulentia.101.2.6.10.25.38.eius facinus.ibi.59.& dein.
Lambertus Traiectenſium epiſcopꝰ 25.42.Eius cædes.ibi.50.53.54
Laminæ candentis iudicium. 57.57. ſupplicium.152.7.
Lamponiani cuiuſdã facinus 245.43
Lancea dominica. 62.56,88.25.30. 38, 91.51.
Lancearũ decurtatio 196.55,197.5
Lancellinus Comes Caſtri Martini 98.77.
Landaſcus Dalmatiæ Dux 54.4
Landoicus Petrus. 241.23,245.11, 246.68.& 69.
Landricus magiſter equitũ Francorum 15.62,18.19
Landricus Comes Niuernenſis,Burgundiæ ducem ſe dictitat 64.81
Lanfredus Alemanus nobilis. 29.61, & 45.39.
Laniꝰ quidã, plebis commotæ dux 170.83.
Laniį, cruori aſſueti,in Francicæ aulæ contentiones admiſſi 219.83
Lãtieldis Clodouei ſoror. 6.7. 34
Lapidũ in obruẽdis hoibꝰ vſus 19.12
Lapidum pluuia 126.38
Laqueo ceruici innexo perfuga Frãcus ad regẽ ſuum rediens, veniam impetrat 194.47
Largitiones profuſę.144.43,213.62
Laris vrbs 115.57
Laſcarum familia 128.86,145.6
Latiniacum vrbs 98.55
Latini imperij inter Barbaros Græcoſq; finiendi initium 151.43
Latini ſermonis imperitũ filium pater eſſe vult 246.34
Latini Hieroſolymis emigrare coacti 117.57
Latini in aula Græcorũ Græcis prælati.116.37. Eorundẽ apud Græcos odium.103.43,145.42. Cum Græcis fœdus.103.60.
Latinorũ aduerſus Barbaros motus 73.46.& dein.89.10,103.57. Eorundem aduerſus Barbaros & Græcos virtus ac terror. 146.57. 59, 120.50.52.
Latinorũ Aſiaticorũ ad Occidentem literæ.93.75. Eorũ in aduerſa re, atq; adeò morte, conſtantia ac religio.117.32,138.20. Eorundem inter ſe diſſenſiones. 90.81,111.17. & 18.
Latinorũ aſpectus hoſtibus formidabilis 93.69,120.50.52
Latinorũ ac Græcorũ in Oriente diſſenſiones.103.51,148.1.2.3. de ſpirituſſancti proceſſione controuerſia.228.35.
Latinorũ caſtra ingreſſi Turcæ mutato habitu explorant 85.25
Latinorũ funeſta cædes. 116.42. 47, 117.10.21.33.interceptio.121.1.
Latinorũ pietas ac humanitas.93.72, 130.55.gratitudo.116.31.
Latinorũ Hieroſolyma obſidentiũ religio.92.38. Eorũdem conſultatio.110.68.
Latinorũ Occidentalium de Orientalibus ꝓcerib⁹ Latinis cura.115.8
Latinorũ procerũ confecto Turcico bello in patriam reditus 93.86
Latinorũ quorundã captiuorũ liberatio 91.59
Latinorũ ſub D.Ludouico calamitates in Aſia 149.34.& 81
Latinos ſibi dominari malunt Aſiatici, quàm Græcos 103.70
Latronũ militaris diſciplina 171.82
Lauallus Britannus nobilis 201.3
Laudunum oppidum 99.5
Laurentius Fœderici Cæſaris filius, Sardiniæ rex 146.34
Leander epiſcopus Hiſpalenſis. 16. 75,17.6.
Leccho Bohemorũ dux 50.3.5.7
Leceſtriæ dux.200.56,213.23,224. 28.
Lectica in pugnã imperator infert 109.24.
Lectorium oppidum 240.61
Legati Franci aſtutia 22.46.51
Legati Francorũ intercepti 146.29
Legatũ Philippi auguſti ad Sacri belli neceſſitates 140.68
Legati Rom. apud Latinos Aſiaticos authoritas.139.70. ad milites exhortatio.162.1.
Legatorũ Auſtraſianorũ violatio.17. 51.expiatio.ibidem.66.
Legatorum reſponſa in vulgus non ſemper edenda 87.85
Legationis male geſtæ metꝰ 158.70
Legationis munere obeundo pauper effectus Vgo magnus 94.74
Leges qñ maximè violentur 154.26
Leges qui ſeruari faciant,eſſe neceſſe eſt 182.12
Legũ abrogandarũ malum 152.34
Legũ præſidio regna diuturna ſunt 182.20.
Legitimis nothi ne prę ferant 67.2
Lemo citerioris Aqtaniç vrbs 141.28
Lemouices,Angli bñficiarij 126. 47. in Anglorũ poteſtate.154.83.recipiuntur.200.64.& 72.
Lemouicum papatus 204.65
Lemugildus Viſigothorũ rex 17.5
Lendenſes Francis addicũtur 125.32
Leo Auguſtorũ ſpatharius 48.51
Leo Cæſar Conſtantini Cęſaris pater.33.7.ſuperbus, & callidus ſerpens.ibi.16.
Leo Pont. max. 46.51,47.3,50.71
Leo Rauennatiũ archiepiſc. 37.80
Leo Siculus Spatharius 51.75
Leodegarius Eduorũ epiſcop.23.63
Leodiẽſis põtificatꝰ 237.76,238.58
Leodienſium erga Henricum imperatorem humanitas 97.28
Leones ducè Ceruo facilè vincãtur 32.40.
Leonetus Magdunenſis 96.17
Leonina perſona 217.11
Leonora Claudi regis filia. 171.63. Gulielmi Pictonũ Comitis filia. 105.65.Iohãnis Angli mater.126. 65.& 72. Phocenſis Comitis filia.144.17.
Leonora regina virum ad ſacrũ bellũ ſequitur.108.72.Male audit. 110. 56. Eius fœcunditas.112.86.Eam vxorem repudiat Ludouicus iunior.111.47.Ducit Henricus Andegauenſis comes.ibi.51.
Leontius Cæſar 26.60
Leotericus archiepiſcopus 65.4
Leporoſum vrbs 119.26
Læta negligentiam pariunt 22.20
Lethargus triduanus 61.21
Lethericum oppidũ 234.74.& dein.
Leuci populus 6.2,66.57
Leudegillus Prouinciæ præfectus. 16.20.
Leudemundus Sedunenſium epiſcopus 20.12
Leudeſius Ercembaldi filius.23.37. 44.59.
Leuium præliorum vſus 41.38
Lex Caroli Quinti de filijs regijs in patris demortui locum continuò ſurrogandis 201.73
Lex Cincia 179.42
Lex Salica. 204.4.vide Salica lex.
Lexouij 230.5
Lexouiorum epiſcopus ſacrum bellũ capeſſit 136.85
Libanus mons 110.77

Liberalia ſtudia Lutetię florẽt 144.31
Liberalibus artibus ſuus honos apud Pariſios reſtituitur 144.40
Liberalitas, iuſtitię comes 165.31
Liberalitatis ac manſuetudinis vſus 76.76.
Liberalitatis regiæ tẽperatores Cancellarij 180.3
Liberi noſtri facta noſtra imitantur 8.18.
Liberorum numeroſitas in regijs, domeſticorũ bellorũ ſeminariũ. 10. 8. eadẽ ferè inter ſe diſcors. 55.87.
Libertatis Romanæ cõditor Stephanus pontifex 35.85
Libertatis ſalubritas 229.51
Librales nummi aurei 13.79
Liburnia regio 51.28
Liburni & Illyrici piratę. 128.1. & 11
Licentiæ mala 20.2
Ligeris fluuius 27.23, 224.77
Liliorũ Gallicorũ pro diadematibus rubris commutatio. 6.33. corũ ab Anglo vſurpãdorũ initiũ. 189.47
Linconiẽſes, Anglorũ populꝰ 135.87
Lindeutus Pannonius 53.86
Lingonum fines à Burgundionibus occupati 3.2
Linguę libertas ac licentia. 10.30, 16. 47, 22.58, 240.28, 246.38.
Linguæ quàm corporis vires nobiliores 172.67
Linium oppidum 238.24
Litauicus Creuillanus 242.41
Literæ per columbã miſſæ 100.57
Literarũ pretiũ apud D. Ludouicum 144.36.
Literatura floret 183.22
Litui ſacri dandi ius Henrico imp. à Caliſto reſtituitur, & quatenus 99.74.
Liuonia Francorum armis domita 50.82.
Liza fluuius 206.40. & 211.70
Lochias de Francis Anglus capit. 126.35. Frãcus recuperat. 132.49.
Londinum, caſtellum. 224.88. & fo. ſeq. 1.
Londinũ vrbem Ludo. Philippi auguſti filius recipit 135.86
Longæuus homo 107.3
Longęuorũ infortunia. 45.83, 51.67
Longinus Narſetis ſucceſſor 13.9
Longum iumellum 234.75
Lõgobardi. 12.16.27, 13.18.53, 14.5, 13.17.83. 87, 18.4, 20.20.30.37, 29.59, 33.67, 34.8, 22.30.70.75. & 79, 38.75.47.63.70.72.
Longobardiæ tyranni 220.62
Longobardus fabrũm præfectus Niceenſi bello 77.1
Lotaringia, imperij prouincia. 66. 55. cuius regno æquanda. 64.26
Lotaringia, olim Lotariana dicta. 56.55. eius diuiſio. 58.37, 64.24. & 26.
Lotaringia ſubinde dominum mutat. 61.48, 62.34 77.83.85, 64.6, 65.11, 242.7.23, 244.23.
Lotaringicum bellum 243.18
Lotarius Ludouici Pij filius. 54.27. 29.33, 55.15.16.66.81, 56.11.16. 20.32.67, 58.16. Alter item Ludouici IIII filiꝰ. 63.39, 64.15. Aliꝰ Germanorum imperator. 104.82.
Lotofaus, locus 18.47
Louanium à Normanis captũ. 59.7, & 64.27.
Luca Hetruriæ vrbs 53.80
Lucani Tortilæ ſe dedunt 12.4
Luceburgenſis dux, Bohemiæ rex. 193.33. Eius mors. 194.31.
Luceburgenſes in poteſtatẽ Brabantinorum rediguntur 169.8
Luceburgenſium Comitatus cõtrouerſia. 168.80, 169.14. Eorum ducatus 241.57.
Lucedij abba 130.76
Luceria vrbs 48.22
Lucta grauiſſima 58.19
Lucius Pont. max. 108.15, 131.36
Ludos antiquorum ſimiles Fœdericus Cæſar exhibet 147.8
Ludouicus Andegauenſis dux. 207. 75, 210. 5, 213.52, 217. 52, 220. 46, 222.79, 223.33.35, 226.83.
Ludouicus Aurelianẽſis dux, poſtea Franciæ rex 240.69, 246.52.61
Ludouicus Balbus 58.26. & dein.
Ludouicus Bauarię dux. 139.44, 181. 30, 183. 46, 188.36. 47, 189. 65, 191.87, 192.64
Ludouicus Boſſonis filius imperiũ affectat 61.43, 62.40
Ludouicus Brabantiæ dux 155.70
Ludouicus Caroli magni filius. 43. 52, 51.69.
Ludouicus Craſſus. 69.52, 95.79.81, 96.86, 97.21, 99.54, 105.4.61.87
Ludouicus D. Lud. pater. 64.12, 141. 4, 144.64.
D. Ludouicus. 142.60, 143.2.5.52, 144.41.48. 63, 147.20.24.25.43, 149.37.68.70.79, 150.9, 151.2.5, 155.53.65.68, 164.43, 170.5, 199.39.
Ludouicus Flandriæ Comes. 185.39. 44, 186.3, 198.36, 194.34, 201.40, 212.66.
Ludouici Germanorum regis mors. 57.43, 59.18.
Ludouicus Iohannis regis Franci filius 195.46.82.83
Ludouicus iunior. 104.74, 107.35. 86, 111.42.49, 113.12, 116.29
Ludouicus Leodienſis epiſc. 238.18
Ludouicus Lotarij filius Italiæ rex 56.20. eius coronatio. ibi. 32.
Ludouicus Lucemburgenſis. 234.73
Ludouicus Mediolanenſium dux, eiusq; amores 216.42
Ludouicus Niuernenſis Comes. 182. 36. & 42.
Ludouicꝰ nomẽ pro Clodoueo mutatum 6.34
Ludouicus Noricorum rex 55.74
Ludouicus Philippi Auguſti filius 125.34, 126.57, 135.86, 142.53
Ludouicus Philip. Pulch. filiꝰ. 177.12
Ludouicus Philip. regis ex Bertrada filius, infidelitatis ſuſpectꝰ 98. 80. Magduno exuitur. ibi. 82.
Ludoui. Pius 53.50, 54.29.46, 55. 8.77.79
Lud. quartus 62.64.68, 63.38.39
Ludo. quintus Lotarij filius 64.35
Ludo. Roberti Flandri Comitis nepos, Niuernenſis Comes 181.16
Ludouicus Sabaudiæ Dux 231. 50
Lud. Toloſatiũ pontifex, in diuos relatus 186.48
Lud. XI. 233.18.84, 234.32, 236.4. 52, 237.13, 238.69, 239.25, 241.49
Ludouicus Vngariæ rex 191.60.77. 79, 210.16
Ludouicus Vtinus 177.62, 180.86
Lugdunenſe concilium 55.20
Lugdunenſis archiepiſcopus è ſede deijcitur 55.23
Lugdunenſis ſedes aliquot annis vacat 31.11
Lugdunenſis tumultus 177.54
Lugdunenſes Carolo Martello iurant 29.86
Lugdunenſium à Sarracenis metus 29.43
Lugduni Pontificatum maximum init Clemens 174.85
Lugentium fictus habitus 150.70
Luitperta Deſiderij Longobardi regis filia 42.76, 44.45
Luitprandus Longobardorum rex 29.52, 30.71, 34.66.83
Luitprandus Ticinenſis hiſtoricus 60.17
Luitualdus Vercellenſis epiſc. 59.19
Lungo oppidum 201.81
Lupara arx 135.47, 141.34, 182.41, 178.62
Lupus Tricaſſium epiſcopus 3.51
Lupus Vaſconiæ dux 37.7.29
Lupi, inſtrumenta ſuſtollendis rebꝰ apta 77.10
Lupoldꝰ Auſtriæ dux 123.84. & 87
Luſana oppidum 243.77
Luſarchia oppidum 96.19
Luſinianorũ familia 122.88, 143.47 147.48, 148.27.
Luſitania 29.26
Luſtralis annus, q & Iubileꝰ 171.37
Lutetia Pariſiorũ 9.70. à Normanis oppugnata 56.41, 59.8. à ſcholaſticis deſerit 144.33. & dein. Fius laus 12.69, 140.73, 144.31, 235 67. Reliqua vide in dictione Pariſii.
Luxouienſe cœnobium 23.27
Lyciam & Pamphiliam noſtri recipiunt 79.45
Lydericus maris præfectus 43.45

Lyguria Galliæ continens 215.9
Lyguris fabri cuiusdã iduſtria.92.86
Lygures ſagittarij 192.71,193.48
Lygurum triremes conductitiæ bello Zelandico 173.26
Lyguſticum bellum 151.76
Reliqua vide in dictiõe Genuẽſes.

M

MACHARII FANVM, oppidum 201.81
Mæander fluuius 109.79
Mæotis palus 2.4
Magdalena Caroli VII.filia.231.74
Magdalena peccatrix 233.17.
Magdunum Biturigum oppidũ. 98. 80,233.17.
Magiſtri aulæ q primũ dicti. 25.24
Magiſter equitum quis dicatur. 15. 40. Eorũ inſolentiæ.23.20. bella 24.85.dignitas.25.12.18,195.44. Diuitiæ.216.84.pericula.240.28. 40. 52. Superbia, ac cautio.240. 45. perplexitas. 241. 65. 83, & 243.24.32.& 34.
Magiſterium equitum,& principatus,viam ad regnum muniebant. 39.34.
Magiſterij equitum confirmatio. 19. 88. Abrogatio qui fieret. 26.23. Eius timor ignauis regibus. 43. 48. Dignitas.216.24.& 27.
Magiſter militiæ 15.38
Magiſtratus venales 102.43
Magiſtratuum ac officiorum mutationes 233.23
Magiſtratuum ſordes coẽrcitæ. 52. 57,& 152.3.
Magna Græcia 44.39,48.50
Magnum,oppidum 14.22
Maieſtatis quæſtiones 192.2
Maij calendis tantum olim prodibãt reges 25.16
Maior aut magiſter domus 15.39
Maiorum cupiditate ſæpe à minoribus excludimur 138.47
Mala,vrbs 170.86
Malateſta Carolus 220.35
Malleatorum literæ ad Albatos.212. 32.Eorum multa. ibi.39. & 45.
Maledoctus cognoĩe dictus Petr⁹ Britanniæ dux,& quare 143.31
Maleficiatus Theodoricus 19.20
Maleficijs mutuis impunitas data. 210.46.
Malleolorum in Niceẽſi bello vſus. 77.14.
Maleuicinus quidam Othonem Cęſarem fugientem retinere conatur 134.77
Malum malo ferìtur 144.46
Malorũ met⁹,bonorũ fiducia.182.27
Mamaluchi q dicãtur. 115.83 et dein.
Mamertinorum oppugnatio àFrancis 160.12.& dein.
Manfredus Fœderici Cæſaris ex pellice filius.150.21.eius ambitio. ibi. 22.dolus & induſtria &c.150. 25. vſque 83,152.52.80,154.9
Mangodamer⁹ Scytharũ dux.168.11
Mangali & Tartari, idem penè populus 146.68
Mantuanum Concilium 232.4
Manus damno vitam redimere Græcus auguſtus non vult 104.12
Manus ferrea 227.45
Manus,Tuiſtonis dei filius 60.13
Manus,vir dicitur 60.12
Manuſtra vrbs 80.10
Maomethes iunior, 232.23. vide Maumethes.
D.Marcelli ſuburbanum ad Pariſios 236.46.
Marchionatus ſacri imperij 64.28
Marcomirus Francorum dux 2.12
Marcus Matthęi Vicecomitis Gibellinorum principis filius. 181.36. excommunicatur,ibi.46.
Mare claſſibus ſtratum. 75. 3. Eius æſtus.192.82.prodigia. 48.74. & 117.1.
Mareſcal⁹,caſtrorũ magiſter. 237.25
Mareſia vrbs 81.60
Mareſii cuiuſdam facundia. 208.21. & 209.26.
Margarita Balduini Flandriæ Comitis filia.125.38. Cleuenſis ducis filia. 229.11. Conſtantiæ Hiſpanę reginæ filia.113.3. D.Ludouici filia.155.70. Ludouici Flandrię Comitis filia.201.49,212.67. Ludouici iunioris Franci regis filia.112.60.& 74. Maximiliani filia.246.18.20.22. Philippi auguſti ſoror.124.70. Vidua. 118. 59. Philippi Flandriæ Comitis filia. 118.6.Soror.124.87. Phocẽſis Comitis filia.144.17. Renati Andegauenſis filia 229.16. Roberti Burgundiæ ducis filia. 177.16. Eius mors.ibi.21.
Margaritus Gulielmi Siciliæ regis præror 118.71
Marrha vrbs 91.5.13
Maria Caroli Burgundi ducis filia. 244.54,245.33. Emanuelis auguſti filia.116.20.Ericis ducis Brabantini filia.157.45,158.33. Ludouici iunioris ex Leonora filia. 113. 2. Ludouici Vngari filia.210.16. Maximiliani Cæſaris vxor.246.17. Morauię ducis filia. 125.48. Eius amor. ibi.73. eius mors.181.81. Srephani Vngarorũ regis filia.167.55,191.58
Mariç cognoĩe tres Mediolanenſis ducis filij 219.45
Maritima q̃ terreſtris atrocior pugna 50.41.& 59
Maritimæ vrbes Italicæ 125.85
Maritimarum rerum gloria ęmulos parit 151.28
Maritimus imperator, Halmyralus Gallis dicitur 43.46
Maritus vxori obaudiens. 143.42, 144.4.
Mariti ac vxoris diuerſa ſtudia.209. 11.
Mariti ſui percuſſori, recenti etiam num nece,vxor nubit 191.73
Marne Phœnicum vrbs 168.19.21
Martellus cognomen à virium miraculo dictum 65.62
Martelli Caroli ſepulchrũ mirabile. 31.24.
Martha Brenni Hieroſolymitani regis filia 145.20.& dein.
Martinus Auſtraſiæ dux 23.67.82
Martinus Quintus Pont.max. 221. 64,222 83.& dein fo.ſeq 9.
Martinus Tarantaſienſis Pont.max. Francorum ſtudioſus 159.58
D.Martinus Turonenſis. 14. 73,27. 13. eius ædes ſuburbana Lutetiæ. 67.56.
Martyrij gloria de hoſte Turca triumphat 117.33
Martyrum corporũ ad Dionyſii depromptio 211.68
Martyrum pro Chriſtianis aduerſus Turcas laborãtib⁹ pugna 89.55
Martyrum reuerentia 22.29
Martyrũ vitas Paulus Diaconus cõſcripſit 44.33
Maſculæ prolis votũ 112.84.& 85
Maſculisne oĩno an etiã fœminis ius ſit in Ducatibus ac Comitatibus hæreditarijs,& qui quibus præferantur 191.4.& dein.
Maſſilia 155.33,223.39
Maſſilienſes Comitẽ ſuũ vrbe exigunt 144.11.12.13.& 18
Maſſilus rex 53.21
Matafiunta Amalaſiuntæ filia. 11.46. & 47.
Mater à filio probri arguitur 187.1
Mater regina propriã filiã è ſacro delubro ſuſcipit 18.55
Matris bona fides, prolem legitimat 125.82.
Matris in pudorẽ, filij nimiũ ne inquirant 155.54
Matris reuerens Iohãnes Angl⁹.126. 77.in fratris maioris filiũ parricida.ibi.80.
Matris amor nimi⁹,pnicioſus 10.30
Matrẽ ſuã regni ,pcuratricẽ D. Ludouicus relinquit 147.27
Matrimonij illiciti diſpenſationem pontificiã Frãcus impedit 201.46
Matrona fluuius 96.83,236.13
Matronarũ Ocitanarũ ornamẽta in belli vſum collata 198.60
Matthæus Bellomontanus 96 19
Matthæus Vicecomes Gibellinorum princeps 176.6
Matthæus Vindocinenſis,templi D. Dionyſij antiſtes, duumuir à D. Ludouico inſtitutus 155.72.

Mathematicarum artium prędictiones 189.30
Mathildis, Atrebatensis comes. 187. 23. Balduini Flandriæ comitis filia. 68 27. & 102 28. Bonifacij Lucensis filia, fœmina sancta. 68.11. 15, & 95.60. Henrici Angli regis filia. 106.5.22.52. Hērici Cæsaris vxor. 99.12, 106.59. 63. Lusitana 118.30. Roberti Atrebatum comitis filia. 173.18.
Marisconensium fines à Burgūdionibus occupati. 3.2. Burgūdiæ ducatui attribuuntur. 226.19.
Maugerus archiepiscopus Rotomagensium 67.28
Maumethes. 21. 63. 68, 71.13, 232. 14. 27, 245.61.67. vide Maomethes.
Mauortius & Gallio Placidiæ duces 3.39.
Maurellus Fiennus magister equitum 200.67
Maurentius oppidi Montismorētiani conditor 95.85
Mauri in Hispaniam traijciunt. 124. 80. & dein.
Mauricius Ariminensiū dux. 37.77.
Mauricius imperator 16. 58
Mauricius Massilitēsis prouincię comes 29.72, & 30.60.
Mauricius quidam chirographorum ac signorum imitandorum peritissimus 245.12
Mauritania à Saracenis occupata. 26.66.
Maurocenus Venetus 167.81
Maxentij pons 234.54
Maximilianus Cæsar. 245. 33, 246. 13. & 17.
Maximus quidam tyrannidem affectat. 4.20. eius mors. ibi. 25.
Medardus, vir sanctissimus 6.2
Medicamenta excalfactoria. 213.72.
Mediolanū. 11.58.60, 17.27, 43.70. 72, 47.70, 214.10.
Mediolanensis ecclesiæ ab Romana sede defectio 93.46
Mediolanēsium factiones. 196.5.14. cum Francis fœdera. 213.49. Frācisco Sfortię se dedunt. 229.75. libertatem sibi vendicant. 229.50.
Medunta vrbs. 199.14. eius receptio. 230.7.
Mediomatricum rex. 10.12. regnum. 24.82. obsidio. 229.25. & 35.
Mesenium oppidum 144.6
Melanthius episcopus 16.40
Melcolinus Scotorum rex 69.29
Meldi obsessi. 98.52. Eorum seditio. 198.87.
Melechenus Aegyptiorum Sultanus. 154.49.51.
Meledinus Aegyptiorum Sultanus. 124.79. eius mors. 149.20.
Meledunum oppidum 199.16
Meledunenses ab Anglorum dominatu se vindicant 225.51
Melesaitis, Helpis Aegyptiorum imperatoris filius 168.55.65
Melesala Norradini filius 115.27. 38.40.
Melexala Meledini Sultani filius. 149.21.32
Melisenda Balduini regis filia. 103. 23.
Melisendis Fulconis Hierosolymitani regis vxor 109.32
Melite vrbs 94.31
Melphis vrbs 74.70
Memineris Fredegūdis, epistolæ vice responsum 23.49
Memphis vrbs 114. 32
Mendicantium ordines 152.18. & dein.
Mendicorum habitu oratores missi. 233.59.
Mens humana 59.56.63, 96.35
Mensæ Siculæ 83.87
Mensarij ac publicani Parisiis diripiuntur 208.33
Mentiri se, nobilitas audire non potest 177.71, 240.26
Mercantis vrbs 219.27
Mercatorū prætor Parisiēsis. 208.7.
Mercaturis Genua constat 214.74
Mercenariū alteri militare, viro principe indignum 231.56
Mericus Fœneracus 214.52
Mericus Narbonensis, clarissimo bello vir 166.88. & dein. 167.1
Meridiei Orientisq; contentiones. 114.53.
Meroucus Francorum dux 3.43. 79, 4.44. Chilperici filius. 14.63. 72, 15.12, 33.59.
Messanæ obsidio 160.10.55
Mesopotamia omnis nostris admittur 110.37
Methamaucū Venetiarū pars. 51.45.
Meto Tartarus 154.43
Metus falsa ꝓ veris subijcit. 236.82
Michaël Palæologus. 151. 63, 157. 33, 159.15, 169.28.
Michaël quidam scriniarius homo profanus in archiepiscopi locum suffectus. 37.76. eo honore deijcitur. ibi. 79
Michaël Vitalis, Ducis Venetorum filius 84.72
D. Michaëlis fanum Angli obsident 224.60.
D. Michaëlis ordo instituitur. 241.14
D. Michaëlis porta apud Parisios à Francis de Anglis recipitur. 226. 48.
Miledoctius Soraborū dux 50.82
Miles bello viuere assuetus. 229.23
Miles gregarius Cæsar salutatus. 2. 83, 218.72.
Milites quidam Latini tanquam pecora mactati 79.88
Milites salarijs suis frustrati, ducibꝰ infensi redduntur 68.86.87
Milites exauthorati, & sine duce. 76. 15, 171.82, 214.34.52.
Militum amor vt potissimum concilietur 37.15. & dein.
Militum auertendorum ratio. 199. 58.88, 200.11, 203.18.
Militum necessitas 208.27
Militum precibus duces inter se reconciliantur 92.37
Militum nostrorum religio in terra sancta 110.63, 131.87
Militum sacro bello cæsorum laus. 78.65. & dein.
Militum pro ducibus suis contentio. 85. 85. eorum vulneratorū apud ducem miseratio. 235.25.
Militibus omnia permissa 31.10
Militia insana 246.65
Militiæ sacræ professores. 73.47. & dein. fratres se vocant. ibi. 67.
Militare commercium tutissimum. 231.39.
Militare vectigal quod dicebatur. 231.32.
Militaris oratio, fortis 55.31
Militaris vestis ius 22.56
Milio vrbs 126.35
Milo Norerius 185.55
Milonis Meduntensis mors 138.71
Mineruæ castrum 131.62
Minores, pauperes olim dicti. 131.41
Minorum ordinis ortus 131.28
Minoribus & Prædicatoribus ædes suas D. Ludouicus absoluit. 152.12
Mirabellum oppidum. 126.70. & 76
Miraculum. 88.14.25. vide prodigia.
Mirellum oppidum 131.82
Mirmiramus Sanguini filius 110.38
Miro, Galecus rex 16.77
Mocenius quidam Venetarum nauium præfectus 218.43
Mœrore accersita mors. 96.75, 119. 41, 140.57
Molismensis abba Robertus, monachos in solitudinem Cistertiensium transfert 105.53
Momento leuissimo, summorum hominum salus sæpe pendet. 243.32.
Monachus, imperij consors factus. 2.83.
Monachum se Vmbertus Delphinatium princeps sacrandum dare statuit 194.85
Monachi detonsi, regis minus reuerentes 9.30
Monachi in ordinem redacti. 61.50.
Monachorum Hierosolymitanorū dona Carolo magno 46.72
Monachirupes ab Anglo obsidetur 133.39.
Monarchiæ dignitas, ac vtilitas. 52. 23.
Monasteria duo in Asia extructa. 105.20.

Monaſteriorum opes profani diſpẽſant. 61.50,95.62.
Monaſticæ vitæ vigor. 31.3.
Monaſticã vitam Chilpericus adoleſcens agit. 25.76
Monœci arx obſidione liberatur. 135.49.
Mons ferratus,ferax potius dicẽdus. 110.72.
Mons fortis vrbs mœnibus cincta. 65.66.
Mõs letericus muris cinctus.65.67.
Monſmorentianus (ſic enim legẽdũ eſt)oppidũ,à quo cõditũ. 95.85
Mons Muronis deſerta. 169.82.
Mons populeti. 173.48
Mons regius, oppidum in Sicilia. 160.29.
Montis Peſſulani tumultus. 207.5
Montes ſubſediſſe. 48.72
Montium altiſſimorum prærupta, eorumq; tranſcendendorum difficultas. 81.3
Monſteriolum, nobilitatis Frãcicæ Creſciacenſi pugna cæſæ ſepultura. 194.55
Monterigolum oppidum. 223.68
Monteſorium oppidum. 119.27
Montiacum oppidũ incẽſum. 96.12.
Montoliũ oppidum. 143.17
Montricardum oppidum. 119.26
Montrolium, maritimum oppidum 69.54.
Monuillare Normaniæ oppidum. 230.41.
Moræ impatientia. 196.46
Morauiæ ducis filia Maria Philippo Auguſto nubit. 125.48
Moretania locus. 133.49
Moribũdi immortalitatẽ magis prouident 59.54
Morinenſis pugna 246.13
Moritonium Normanicum.125.44. & 133.1.
Moritonienſium cum Anglis commercia 133.86
Morum ac linguæ diſſonantia,contentionum ſemen 93.50
Morum ac religionis coerctio callidiſſima 49.57.& 65
Morum corruptorũ inſtaurator cæditur 20.2
Morum rectè in vulgo formandorũ ratio 154.24
Mors abſentis falſa vaferrimè nunciata.150.70.& dein.
Mors ac elatio ſimulata ad hoſtem fallendum 60.32
Mors repentina 142.43
Mortis hoſtilis nuncius præmiũ accipit 244.40
Mortis contemptus 113.35. & 40, 117.32.
Mors præ fame malum non videatur 83.52
Mortaria vrbs 38.65
Mortalium teſtimonio imperia conſtant 142.27
Moruillaris Franciæ Cancellarius, 234.26,235.53,237.35.
Moſa fluuius 25.74,56.15
Moſacum oppidum 119.24,131.77
Mucutima Chilperici regis filia. 5. 48.
Mulanchum oppidum 199.83
Mulier animi maſculi 126.70,143 73.159.27.
Mulier,belli cauſſa 111.55
Mulier in conſpectu omnium enititur, partuſq; ſtatim abſumitur. 127.17.
Mulier iniuriæ ſuæ vltrix. 4.22,13. 30.
Mulier mariti ſui cæſi conſcia, in hoſtium manus venit 209.17
Mulier nobilis non repudiatur retenta dote 125.16
Mulier virum efferat 45.13
Mulieris deprecatio 57.79,125.29
Mulieris repudiatq; indignatio.21.10
Muliere ſolicitatrice ſchiſma maximum exortum 207.60
Mulieres etiam nobiles ſupplicium hæreſeos dant 131.68
Mulieres in exercitu, impedimenta ſunt 110.20
Mulieres ſacro bello viros ſequutæ. 76.35,& 147.34.
Mulieres Saracenæ 28.83
Mulierum ac maſculorum contentiones de hæreditatibus. 191.3. & dein.
Mulierum cœnobiũ in terra ſancta. 105.21.
Mulierum in ſacro bello promptitudo 73.70
Mulierum impiarum commiſtio. 88. 19.
Mulierum luxus 185.11
Mulieribus authoribꝰ in Gallia maximæ quæq; res geruntur 229.5
Mulieribus ducibus arma tractata. 18.66.
Mulieribus etiam,non viris ſolùm, inſidiantur Angli 200.62
Muliebris amor,ac blanditiæ. 2.79, 103.12.
Muliebre odium 16.47
Muliebris cultus militibꝰ male re geſta indictus 168.18
Muliebris diſſimulatio,ac dolus. 61. 15,191.76,210.25,222.58.62
Muliebris dominatꝰ.47 22,246.55.
Muliebres in Francica regia turbæ. 142.72.82.& dein.
Muliebris iniuriæ mala 85.66
Muliebris probitas 146.6
Muliebre ſcelus mulier primum ſuſpicata 15.75
Muliebris ſexus infirmitas 109.33
Muliebris ſpiritus tumor. 57. 29, 106,23,143.42.50,152.46.78.
Muliebris zelotypia 216.43
Multitudinis innumeræ turba mirabilis 174.87
Mumolus Amato ſuffectus. 13. 49. Eius virtus.14.12.mors.16.19.
Mundus muliebris in vſum belli collatus 152.78,198.60
Munera Carolo magno miſſa. 48 82.& 87.
Muricum ſparſio 219.56
Muros vrbium ab ſe munitarum Latini diruere coguntur 123.72
Murtiæ obſidio 244.4
Murtzuphus Alexis.129.60.& 71.
Muſica eccleſiaſtica à Carolo magno emendata 45.30
Mutatio rei magnæ repentina,mala. 233.22.
Mutatio & nominum,& rerum. 4. 37.
Myrobrechus Dionyſiꝰ quidã Atrebas nobilis exul.197.27. donarijs honoratur.ibi.88.

N

NANCII OBSIDIO.243. 6.32,244.26.
Nanetes populus. 56.45,57.2,133. 33,190.78,207.41.
Naphthæ vi aqua,quæ & ardens dicitur. 213.77
Narbo, Sarracenis arx belli deligitur.29.74,30.30.35.36.66.
Narbonenſiũ vexatio. 136.25,215.6
Narbonenſis prouincia 155.30
Narciſſi,qui & Narſetes,ſucceſſus. 12.49.
Narſetes,qui & Narciſſus eunuchus Belliſarij ſucceſſor. 12.19.77.85, 13.6,34.12.
Natalitũ illegitimorũ malum.64 62.
Naturæ rerum facies non facilè mutetur 45.64
Nauale bellum velut ludicrũ. 170.32
Nauarra in fide Francorum.158.82.
Nauarræ collegium Pariſinum ædificatur 166.24
Nauem ſuam propugnator perforat 137.85
Nauium conductitiarum inconſulta dimiſſio 163.82
Naues ſuas Franci ad Dammum incendunt 133.10
Nazareni 82.50
Nazarethum oppidum 145.63
Neapolio Mediomatricum pontifex 212.50.
Neapolis tumultus.150.32,223.20, 228.70.
Neapolitanum regnum Ferdinando notho legatur.231.81.83 Eius rei controuerſia. ibi. 84. & dein 232.69.
Neapolitanos maieſtatis reos apud Conradum Manfredus agit. 150. 28.
Neceſſitatis telum. 88.66,120.79,

125.78,149.57,190.20.
Neceſſarij impiorũ,ac paulo eis notiores,etiam multati 102.22
Neela quidam duumuir à D. Ludouico inſtitutus 155.71
Negemendus Syraconi Medi frater 114.35
Nemauſum combuſtum 30.66
Nemorenſis dux 234.42,240.65
Nepete vrbs,eccliaſtici iuris.172.44
Nepos auiam bello capit 126.74
Nerthus,terra mater dicitur 60.12
Neſtoriani 117.44
Neuſtria,Normania dicta 24.86
Neuſtriæ cultores poſtremi, Danis ſocij,finitimiq; 60 24
Neuſtri, Francorum imperium detrectant 59.12
Nicaſianũ oppidum Francus de Anglo furto recipit 99.81
Nicaſius Rhemorum epiſcopus 3.65
Nicea prouinciæ vrbs 52.78
Niceæ Aſianæ deſcriptio. 76.81. obſidio.ibi.83,77.54.67.
Nicenſes genere religione chriſtiani. 76.51
Nicephorus græcorũ imperator.49. 6.9,50. 21,51.43. 89, 52.1.15.17, 63.57.
Nicetes eunuchus patriarcha Byzantinus.37.60 Patricius.51 31.& 38
NicoVarenſis Carolum Neapolitanum regem occidit 218.49.58
Nicolaus põtifex max. 158.77,159. 57,166.55,168.40,174.52,183.50, 229.37.
Nicolaus Variobarbus Nauarchus. 189.78
Nicomedia vrbs 76.44
Nicopolis vrbs . 91.77,218.18, 219. 35,232.58.
Nilus fluui⁹.114.8.63,137.11.56,138. 17,139.85,140.8,148.81.87.
Niortũ rex Francus de Angli præfecto recipit 141.16
Niuellavrbs Brabãtiq.64.27,158.50
Niuernenſis comitis eccleſiæ infeſti punitio 112.7
Niuernenſis conuentus 36.67
Nobertus Loraringus Prçmonſtratenſium conditor 105.50
Nobilitas ac humilitas vnde.122.62
Nobilitas ex ſe nata 104.38
Nobilitas Francica omnis quæ nunc eſt,à D.Ludouico oriũda.164.43. Eius indoles.196.57.& dein.ſtrages.194. 57. In regem ſuum conſpiratio.54.42.
Nobilitas Gallica noua 61.1
Nobilitas ijs artibus tutanda,quibus & parta 83.65
Nobilitas nõ ſemel omnis diſcrimini obijcienda 213.38
Nobilium hominum nomina inuaſiſſe aliquãdo viliſſimos homines, 141.62.
Noẽmiticius quidã Britanniæ ſe regem dicit 56.87
Nolentes volunt quædã fieri ipſi reges 180.13
Nomina ex longo temporis interuallo repetita factiones generant 145.85.
Nomine ſolo rex 167.62
Nominis dignitas animos addit.188 70.
Nominis fauor ac momentum.2.83
Nomophylacæ neceſſarij 182.12
Non dimittam te,niſi bene mihi dixeris,&c. 99.29
Non naſci quibuſdã expediat.59.50
Noningentum oppidum 99.6
Nonuntum oppidum 143.48
Norradinus Sanguini Sultani filius. 103.49,110.39,113.18.46. & 50, 114.22.42,115.30,116.8.
Nordebertus Pipini amicorum princeps 24.84
Norella oppidum 193.6
Noricorum rex LudouicusLudouici Pij filius 54.40
Normania quæ dicatur. 59.14, 60. 13,125. 23. Eius felicitas. 63.10. Oppigneratio.73.77. Anglo paret.118.47 Frãcorũ bũficiũ 60.66. Ei⁹ duces, ijdẽ Anglorum reges 125. 32. Anglo adimitur.126.56, 154.80. Eius tumultus ac bella. 196.4,223. 55. quies 230.53. rurſum motus in duce nouo recipiendo.237.55.
Normanus Flandriæ comes.102.26. & dein.
Normani à Carolo magno prælio ſuperati 56.37
Normani à quibuſdam Scythæ dicti 60.16.
Normani ad Conſtantinopolin vſq; excurrunt 60.18
Normani Danicorum conſiliorũ ſocij.52.67,& 58.72.
Normani Oceani ac colæ 56.35
Normani domi iura petunt. 166.18. & 22.
Normani ducem ſuum domi habere volunt 237.7
Normani hiſtorici. 60. 63, 67. 40, 69.7.
Normani latiſſimo aliquando vocabulo dicti 60.23.& 57
Normani Lutetiam tentant 59.27
Normani,nothi imperium auerſantur 67.26.& dein.
Normani pacem à Carolo Magno muneribus redimunt 46.15
Normani piratę 58.64,60.266.
Normanorum ad ſacrum bellũ proficiſcentium virtus ac fortitudo. 74.56.
Normanorũ ciuilia bella. 67.30.in Galliã effuſio.56.44.ſedes.59.13
Normanorũ militum virtus 78.35
Normanorum ſtrenuitas 63.17
Normanis Græci infenſiſſimi 96.72
Normanos contra,colonia ducta 52 67
Normanicum bellum 57.1,60.11,68 67.& 74
Northus,ſeptentrio dicitur 60.11
Noſedorin⁹ Habeis Sultani filius 113 75.& 84.eius mors.ibi.86
Nothus filius legitimis prælatus 67 27,& 214.6
Nothus in regnũ Romanorũ beneficiariũ nõ temere ſuccedat 120.22 30.& 44,150.82,231.84
Nothi cuiuſdam Ruſcinonenſis virtus 162.36
Nothorum ac legitimorum filiorũ controuerſia 155.48
Nouacortis vrbs 126.36
Nouafoſſa in Flandria 125.31
Nouaria põtificiarum partium expugnatur 99.18
Nouerca,idulgẽtiæ maternæ 195.62
Nouercam priuignus vxorem ducit 21.8.eius repudiatæ dolor. ibi. 10
Nouercale odium 10.29,54.49.& 62,158.34
Nouiodunum Carolo Pipini euenit 37.8
Noui regis Franci apud Pariſienſes exceptio 164.52
Nouo rege,nouæ leges 208.29
Nouorum hominum apud Eduardũ Anglię regẽ gratia 182.71.& deĩ.
Nouumburgum oppidum 125.25
Nouum caſtrum,Arduẽnę ſyluę oppidum 30.87
Nubium natura 230.65
Nuceriæ obſidio 150.67. defectio 153.29.oppugnatio ibi.42.In Frãcos odium.ibi.44.Fames.ibi.80 & dein.
Nucerini Sarraceni 145.54,150.62, 171.72
Numidia à Saracenis occupata 26.66
Numidarum equitũ velocitas ac pugna 215.62
Numerus nimius militari rei obeſt. 27.43
Numero iuſto deſtitutorũ patrocinium 112.22
Numero pauciores enixius contendunt 163.52
Nummariæ rei difficultas 177.40 & dein.
Nummus in populum ſparſus 9. 52 eius rei vſus 113.81
Nummus publicus 198.27
Nummi diuiſi vſus 4.50
Nuncius aërius. 92.52,100.46
Nuncius belli muneratus 188.85
Nunciį ſimulati 150.71
Nunciorũ mittendorũ poteſtate adempta,ſigni dandi ratio 162.32
Nuptię legitimam ſololem declarãt, 155.54

Nuptiarum lætitia 212.74.triſtis feſtiuitas 217.11
Nuptiarum præreptarum dolor, ac vindicta 144.80
Nuptijs dicta conditio non obſerua ta 157.72,& 158.10
Nurus regiæ probri reæ 177.15
Nuſſia oppidum 241.42,242.4

O

OBELLERIVS DVX 51. 74.Nicephori imperatoris ſpatharius.51.43
Obellerius & Beatus Venetiarũ duces 50.14,& 51.66
Obſidis filij vnici à patre neglectus 44.50.
Obſidis regij ĩ cauſſa homicidij cautio 195.46
Obſides Francos Angli dimittunt. 200.50
Obſides Francorum ab Hermẽfredo interempti 10.67
Obſides Latini proceres apud Noradinum,in Saladini poteſtatem veniunt 115.21
Obſides ſua fide dimiſſi, an redire teneantur 203.85
Obſides ſuos Anglis Ludouicus Philippi filius reſtituit 136.3
Obſidum abs ſe datorum cõtemptores Saxones 42.42
Obſidibus fœdifragorũ Carolus magnus abſtinet 42.77
Occanus Theologus 183.37.& dein.42
Occaſionis in re militari momẽtum 120.57
Oceanus, Galliæ terminus 56.15
Ocitana colonia 30.66
Ocitani populus 208.38.50. eorum erga Franciæ Delphinum promptitudo 198.59. ad Carolũ ſextũ querelæ 213.57
O Conſtantia martyrum,à quo editum 65.52
Oculi ardore animi micantes 189.13
Oculorum ludibrium 216.70
Oculorum vigor,ſplendor,ac lumen in homine admirabile 165.66
Oculis capti,prouerbium 176.49
Oculis hominum auguſtior, pectoribus inuiſior 58.5
Octauianus,ciuis Ro. pontifex max. electus 112.13.Cardinalis 125.59
Octauianus Vbaldinus Alexãdri põtificis maximi legatus 150.65
D.Odemari fanum 125.17,190.14
Odemarenſes 102.73,125.7
Odemarenſis pugna 173.31
Odeſillus Gundenci regis filius 5.35 ei dimidia Burgũdiæ pars pacto cedit 7.68.eius mors 8.58.
Odia,longa dies tollit 223.75
Odio aperto,ſimulatio gratiæ peior 116.78
Odillo Bauarorum dux 29.61
Odo à fano Odemari Templariorũ magiſter 115.75,116.4
Odo Burgundiæ Comes 117.65 Eiuſdem dux.105.58,122.43,123.3,181.13,187.21. Campaniæ Comes.66.50.& 54.eius ſordes.65. 77.eius filij.66.69.Carnutum Comes. 64.75. Caroli Simplicis tutor.59.24.& 38. eius moribundi oratio elegantiſſima.ibi.40. Comes Coruolienſis. 97.64. Niuernenſium Comes.173.66.Roberti Andegauenſium ducis filius, ventris reginei tutor.58.55
Officia quæſtui habentur 102.44
Officiorum ac munerũ dignitas vnde ſit 70.9
Oginia Ludouici 4. mater 62.65
O Iuda,à quo editum 65.52
Oliuerius Cliſſonus magiſter Equitum Francorum 207.24
Oliuerius Mannus Britãnus 200.28
Oliuerius Philippo Burgundiæ duci intimus 233.72
Oliuerius quidã Gandauenſibus infeſtiſſimus 210.27
Oliuerius tonſor, Gandenſis, homo obſcurus, Ludouico XI. intimus 244.73
Omagion, iuſiurandum ſanctius 226.26
Onofrius Romanus Tricaricenſium pontifex 238.12
Opis Berengarij filia Rholloni nubit 60.47
Opum inſanus amor 165.18
Opibus quantũ vales, tantum & iuris tibi arroges 26.41
Oppida ſuorũ Solymanus ipſe fugitans exurit 78.45
Oppidorũ ſuorum muris nudandorum ratio 36.65.66,122.65
Oppidorum lapſus 48.73
Oppidum ſuum ciues ipſi incendũt 162.65
Oppidanorũ fides præſidio ſuſpecta 86.30
Oppugnatio acerrima 42.6
Optimatium Irienſium nobile erga patriã amoris documentũ 194.72
Oratio ſeu accuſatio eloquentiſſima 177.78
Oratoris Franci aduerſus Anglũ recriminatio 202.84
Orbis terrarum tumultus 146.60
Orbitum,Italiæ oppidum 47.6
Orchanes Othomani filius 218.9
Ordo S.Michaẽlis,regij apud Francos ordinis inſigne 241.14
Ordines Franciæ tres 195.71
Ordines Hieroſolymitani tres 105. 15.& 44
Ordinum religioſorũ ortus, & abrogatio 131.27.28
Oricum vrbs 232.17
Orientis ac Meridiei contentiones 114.53
Orientis oratores auxilium aduerſus impios ab Occidente petunt 108.45.
Orientis vrbs maxima, Antiochia 82.34.
Orienti iugum impoſitum 93.76
Originum ambiguitas 2.30
Oris maieſtas, ac vultus dignitas, percuſſores nonnunquã cohibet 149.68.
Orontes fluui⁹ 82.430,83.20,110.33
Ortona vrbs 48.15
Oſca vrbs 43.66
Oſculi apud proceres dandi conſuetudo 203.44.& 48
Oſſa Latinorum inſepulta ipſe D. Ludouicus ſua manu legit, ac ſepulcreto componit 150.7
Oſtrogothi 3.17
Oſtrogothi regis ad Francum literæ.7.18.ſuperbia.9.75.prouidentia 9.61
Otho Brunſuigenſis Dux 209.11.& 16.
Otho Burgundiæ Comes 187.21
Otho Columna,pontifex max.creatur 221.63
Otho hiſtoricus 108.58
Otho primus poſt Carolum magnũ iuſtus ac legitimus Cæſar 63.50. eius mors.ibi.86.
Otho II.Germ.imp.62.67,et 63.87
Otho III.Germ.imp. 64.31
Otho Saxoniæ dux,auguſti nomen detrectat 61.29
Otho imp.Saxoniæ ducis filius 112. 88.& dein.113.1.Frater.126.22
Otho Vgonis magni filius Burgundionum dux 63.40
Othonis Cæſaris cum Francis pugna.133.45.& dein. eius ſignum. ibi.79.exercitus.135.41. In Francos odium.133.42. Flandrico bello periculum.134.73.ex prælio fuga.134.77,135.45.mors.140.57
Othonis imperatoris res geſtæ 132. 23.26.27.28.30.34.& dein.
Othomani Turcæ.218.7. eorum felicitas.ibi.
Oxonium Pariſina iuuentus ſcholaſtica elicitur 144.33

P

PACEM A FRANCO Iohannes Anglus emit 126.53
Pactitij milites 214.34
Padilla pellex 200.16
Pædagogi cuiuſdam cum puella regia ſibi commiſſa ſtuprum 155.42
Paganus Giſortianæ arcis præfect⁹ 98.19.& 78
Paganus quidam Longobardus primus in Antiochiã ſcala cõſcendit 86.34
Palæologus Græcorũ imp. 151.67, 157.33,159.60,219.32,et 228.25.

Palæſtina Venetiarum pars 51.44
Palatium Pariſiorum quando ædificatum 165.88
Palis induti parricidæ quidã 102.18
Palma, peregrinationis ſacræ cõſum matæ ſymbolum 111.34
Paludamentum purpureum in cruces diſſectum 74.81
Paluellum Francus occupat 119.27
Paluſtrium locorum morbi 149.34
Panagium iuſiurandum 131.3
Pancratia Armenia 80.65
Pancratius Armenius 8.30
Paneas vrbs 113.57
Pannonia Vnnis habitãda data 13.15
Pannonicum bellum 53.85
Panormitanorum à Frãcis defectio 160.28. eorum humiliatio. ibi. 40
Panoſchola vrbs 221.45
Papa de ſe ipſe iudicet 47.13
Papa ex qua gente creetur, cõtrouerſia. 204.61. & dein.
Papa qua in re Franco regi, & quo iure agnoſcendus 172.30
Papatus in Gallia 204.40
Papalis ſedis interregnum. 146.36. vide pontificium interregnum
Papia eadem quæ & Ticinum, 35. 72, 38.67, 39.42, 47.70.
Papienſis concilij acta 112.35
Papienſium dux Boſſo 57.16
Paramunis Sultani prætor 109.41
Parẽtum indoles in filios deriuatur. 144.67.
Pares Francici 226.21
Parricidarum vltor rex Frãcus. 102. 6. & 18.
Parricidiũ facilius perpetratur quàm expietur 66.85
Parricidij argumenta 191.77
Parricidij impuniti ĩdignitas 161.22
Parricidij ſacro loco commiſſi vltio 166.44.
Pariſii à Carolo ſexto malè multantur. 212.45
Pariſii in Anglorum poteſtatẽ 225. 34.
Pariſij in D. Genouefæ tutela 9.72
Pariſij primas ſibi conciliorum Franciæ partes vendicant 198.26
Pariſiorum aduerſus Delphinũ Franciæ peruicacia 198.6. apud eũ querela 198.26. preces. ibi. & 199.11
Pariſiorum augmentum per Philippum aug. 140.73
Pariſiorum epiſcopus ſacrum bellũ ſuſcipit 136.84
Pariſiorum inſula, quam vulgo ciuitatem vocant 165.88
Pariſiorum obſidio 235.55
Pariſiorum odium 199.1
Pariſiorum rex Childebertus 10.1, 15.82
Pariſiorũ ſchola 144.35, 208.53. 41 67. & 72
Pariſiorum tumultus 177.47, 208 6, 209.40. 64. 68
Pariſijs Chilpericus potitur 14.60
Pariſienſe concilium 119.4
Pariſienſe regnum 24.81.84. & 86
Pariſienſis curiæ iudicium 226.23
Pariſienſis in noui regis ingreſſu feſtiuitas 185.1, 164.52. & dein.
Pariſienſes formæ 216.41
Pariſienſiũ aduerſus Anglos conſpiratio 226.43. victoria. ibi. 58
Pariſienſium erga D. Ludouicum ſtudium 143.6
Pariſienſiũ factiones bicolores 198.75
Pariſini ciues ad officiũ erga Scholaſticos doctoreſque reuocantur 144.39. Vide Lutetia
Parlamentum etiam Normanis permiſſum 166.23
Parma vrbs 146.84. Eius obſidio. ibi. 87
Parocolũ, Sanctonũ oppidũ 187.15
Parthi & Perſæ, diuerſiſſimæ gentes 35.57
Parthorum imperiũ Turcæ ſibi vindicarunt 74.3
Parthorum origo 218.76
Parthorum regnum 35.56
Partus mulieris recẽs editæ, ab hoĩbº famelicis ſtatim abſumptæ 127.17.
Partus Regineus publicus 120.35
Paſchæ die pugnatum 2.65, 16.25, 55.85
Paſchalis põtifex max. 53.71, 95.71, 99.22. & dein.
Pater à filio dominatu deijcitur 55 21, 23.85, & 63.12. ſacra communione prohibetur 97.33
Pater apud filium defertur 54.57
Pater filij pietate de barbaris liberatur 122.26
Pater filiũ furiali carmine deuouet. 157.84
Pater filium ſecuri percutit 16.82
Pater in filij ſpõſa ſuſpectus 112.65
Pater ſenex à filio adoleſcente in ordinem redigitur 241.28.29
Paterni animi pro filio ſolicitudo 144.23.
Patris calua filia bibere cogit 13.28
Patris eiuſdẽ prius ducis, poſtea regis, filij etiã diuerſis dignitatibus honorantur 98. 8.
Patris & filij ſimultas 112.78
Patris in filium motus 12.61
Patris odio filius laborat 53.30
Patris mortẽ indignam Pipinus vlciſcitur 24.19
Patris mortem non vlciſcentes filij, hæreditate arcentur 22 6
Patris regis moribundi ad filium adhortatio 105.81
Patris vita filio nimis longa 97.23, & 112.81
Patriæ amoris, nobile Itienſium optimatium exemplum 194.72
Patriæ omnia redonanda 59.78
Patriæ oppugnandę dux, incendium modò ab vrbe arcet 192.55
Patriæ veteris deſertio, & nouæ inquiſitio 34.15
Patriam euertentes, arcæ iacturã facere nolunt 136.33
Patriarchæ Byzantini mors 228.47
Patriarcha Hieroſolymitanº 105.26, 116.86, 168.43
Patriarchæ quatuor 136.11
Patriciatus dignitas. 9.39, 39.33. & 75.
Patrimonium Petri quod dicatur. 68.15
Patroni adoleſcẽtis, eiuſq; ignoti miraculum 125.65
Patruine, an fratrum filij ad res imperiaq; vocandi ſint 191.55
Patruis regis adminiſtratio regni demandata. 217.5
Patruo curator datur fratris filius. 59.17.
Paucorũ periculo de re tota melius decertari 161.11
Paulotus magus 180.65
Paulus Diaconus Aquileienſis eccleſiæ, hiſtoricus. 20. 31, 44.20. Eius exiliũ, monumentaq; ibi. 29. & 36.
Paulus Ephialta 37.61. & 72
Paulus exarchus interemptus 33.5
Paulus pontifex max. 36, 40. 86, 239.37
D. Paulus Tarſenſis ciuis 94.85
Pauper ad honores euectus inſoleſcit. 20.84
Pauperes à Lugduno. 131.28. 33. 46 49. & dein. & 152.24.
Pauperes minores olim dicti. 131.40
Paupertas voluntaria 105.43
Pauperratis ordines ab Alexandro ponti. max. approbati 152.25
Pauptatis prędicatores dãnati 183.32
Pax Britiniaca. vide fœdº Britiniacũ
Pax 200 ſcutatorum millibus redempta 229.35
Pazaites Maumethis filius 245.69 73. & 74, 218.16. & 70, 219.11, 246.5
Peccati memoria 67.14
Peccata illuſtrium virorum, vulgo ad imitandum proponuntur 182.23
Peccata militum in ſe ſumit Romani pontificis legatus 162.5
Pecunia bello parta, in pios vſus collocata 49.80
Pecunia in tẽplo deponitur 223.48
Pecunia, peſtis 113.26
Pecunia, rerum neruus. 177.86
Pecũiæ cõferẽdę detrectatio 208.37
Pecuniæ cupiditas 102.46
Pecuniæ extorquendæ ratio mollibus verbis prætexta 209.27
Pecuniæ inopia ſortei nummi facti 147.12
Pecuniam exigere ſoliti Græci, non pendere 139.38.42. & dein.

Pecuniarum publicarum exactores rationem exiguntur 185.31
Pecuniariæ rei telum omnium acerrimum 136.32
Pedes põtificis exoſculatur Pipinus 33.43
Pedicatum ſuum equites ipſi Franci conculcant 193.65
Pelagius Cardinalis 138.37.48,139.36.39.45,140.14.18
Pelagianæ ſectæ doctores 3.51
Pellicat⁹ Philippi regis Frãci 69.56
Pellicis aduerſus legitimam vxorem fraus 200.16
Pellicis potentiã proba matrona ferre nequit 213.85
Peloponneſus 148.36,172.1,232.86
Peluſium 114.77,122.13
Penſacum vrbs 182.65
Penſilis vrbs facta 168.21
Pentecoſtes ſolennitas 91.75
Pera oppidum 128.73
Pera ſacra 108.38
Percuſſor domeſtic⁹ 155.87.&156.1
Percuſſores, percutiẽdi maieſtate cohibiti 149.68
Perditorum hominum fece purgandæ patriæ ratio 214.21.& 55
Peregrinantium faſtus deo inuiſus 66.86
Peregrinatio ſacra 143.31.32.& dein.
Peregrinatio Fulconis Andegauenſium Comitis 67.7
Peregrinorum Aſiaticorum caſtrum in promontorio ſitum 136.75
Peregrinorum cura 105.26
Periculoſa quæ dicantur 81.32
Periculum manifeſtum, virtutem auget 190.20
Periſcelis, Regij apud Anglos ordinis inſigne 241.13
Periurorum ad Laudenſem crucem iurantium exitium 241.79
Perona Veromanduorum 188.64
Peronenſis Caroli Burgundi ac Ludouici 11 congreſſus 238.42
Perpenianum Tarraconẽſis ditionis oppidum 161.81,221.14,240.57
Perſæ 22.62.& 63,35.56,48.81,863,89.17.64,90.11,164.77
Perſeius ac Baccho Anglorum ſtudioſi 192.8.& 26
Perſes cis Taurum Aſia exactus 88.52
Perſici regni veterem nobilitatem & nomen Turcæ reſtituunt 71.30
Perſonam aliam mentiti interrogãdi formula 141.47.& dein.
Perſonã regiam, oris ac corporis ſimilitudine emẽtiti, multa 106.57
Perſonati Meduntini 230.6
Perucacia, acerrimum telum 120.79
Peruſia, Hetruriæ vrbs 53.81
Peſſulanorum ſeditio 207.5
Peſtilentia, 33.2.65.28.70,89.88,94.27,122.35.37,138.85,142.51,144.46,147.49,155.50,156.77.79,163.80,181.69.
Petra lata oppidum 162.65
Petra ſancta, oppidum Italiæ. 47.60
Petrochorij oppidum 36.68
Petronilla Leonoræ reginæ ſoror. 107.17.& 21.
Petronilla Maurella 209.35
Petrucij menſarij 174.22.& 33.
Petrus Abelardus Britannus hæreticus 106.71.83.86,& 108.62
D.Petri ædes. 48.75. patrimoniũ. 68.15,171.44. ſedes. 174.41.
Petrus Altiſſiodorẽſium comes. 134.64,136.52.& 60.
Petrus Ambianenſis eremita. 71.38.40.41.& dein. 72.23, 74.13.26, 75.27.72,87.65,93.18.
Petrus Baiocẽſium pontifex. 158.41
Petrus Bonecellus 206.9
Petrus Borbonius 240.59.
Petrus Britãnię dux. 142.88.& dein. 143.1.21.30.32.37.
Petrus Bruerius factioſorum dux. 212.78.
Petrus Brutius eremo aſſuetus, pontifex max. creatur 169.81
Petrus Caſtulonenſium rex. 200.12. 25.30.
Petrus Crao vir nobilis. 216.36.& 45.
Petrus Cunèrius regiæ iuriſdictionis defenſor 186.15
Petrus Dalmata Iadertinorum comes 50.12
Petrus Landoicus 245.11,246.69.
Petrus Leonis, pontifex max. ſalutatur. 104.50
Petri Lõgobardi exiſtimatio. 111.82.
Petrus D.Ludouici filius Alenconij comes. 155.65
Petrus Luna, pontifex max. 217.33
Petrus Luſinianus 200.2
Petrus Maleuicinus 134.77
Petrus Maſſilienſis, falſæ religionis incuſatur 91.50
D.Petri Moſteriẽſis fanum. 225.40.
Petrus Narbonenſis Albarię epiſcopus datur 90.88
Petrus Piſanus Caroli mag. præceptor latinus 45.28
Petrus pontifex max. falſò creatus, in perpetuã cuſtodiã traditur. 186.42
Petrus Reatinus, Minor, pontifex max. 183.50
Petrus Riparius Pariſienſis. 209.26.
Petrus Roberti Druydũ comitis minor filius 133.26
Petrus Tarraconenſis rex. 159.60, 160.1.18.23, 161.3.7.36.66.78, 163.9.71,217.53.
Petrus textor à nobilitate Flãdrica balteo donatur 172.66
Petri Triſtennis virtus 134.68
Petrus Villarius flammulam ſacram bello Flandrico geſtat 211.68
Petrus Vinea, Fœderici Cæſaris orator eximius 146.76
Philarchæ Arabum 149.21
Philbertus Carnutes Sororgiæ præfectus 90.70
Philippa comitis Annonis filia. 182.88.
Philippa Eduardi Angli regis vxor. 194.77.
Philippus Arteuilla Gandauenſium dux. 211.3.15.& 41,& 212.2.& 25.
Philipp⁹ Audax. 199.68,201.49.83, 206.79, 207.18.35.36,212.69, 216.30,219.50.
Philippus Auguſtus Franciæ rex. 64.11,113.8,117.65,119.25,121.41,122 38.47.50.& dein. 124.35,125.78, 133.68,140.64.68.
Philippus Bononiæ comes. 142.73.85.
Philippus Burgundiæ dux. 199.60, 223.75,225.67,238.22.
Philippus Caroli Claudi fili⁹. 171.62
Philippus Caroli Nauarri frater. 195.82,196.7.
Philippus Caroli Valeſii comitis filius. 181.62.
Philippus Cominius hiſtoricus. 235.19,& 246.15.
Philippus Creperecors Atrebatium præpoſitus 244.51
Philipp⁹ Flãdriæ comes. 115.41,118.1.27.49,122.37,124.86.
Philippus Henrici Angli regis filius 67.61
Philippus Hẽrici Cęſaris frater 124 63,126.21,132.21
Philippus Hyprẽſiũ princeps 70.30
Philippus Longus Marchiæ Comes 177.14,180.88,181.69
Philippus D. Ludouici regis filius. 155.34.& 65
Philippus Ludo. Craſſi fili⁹ 104.74
Philippus Ludouici iunioris filius. 116.25 Frater 111.80
Philippus Maximiliani Cæſaris filius 246.17
Philippus Mediolanenſis dux 227.53.58,228.60,229.48
Philippus à Mõteforti Ptolemaidis prætor 151.23.& dein.
Philippus Pariſiorum Archidiacon⁹ 105.88
Philippus Franciæ rex 69.4.50.78, 97.37.38.39,103.12
Philippus Pulcher 164.46,172.26, 173.53.& 77,174.66.& 81,177 61,178.60,212.37
Philippus tertius D.Ludouici filius 164.37
Philippus Theodorici Comitis Flãdriæ filius 103.5
Philippus Valeſius 183.66,184.87, 186.41,187.80,188.44.45.65,192

62.73.84,194.35.& dein.195.12.
Philippus, Vidonis Flandriæ Comitis filius 171.19,172.62
Philomelum vrbs 87.18
Phocenſis prouincia, Maſſilienſis. 30.65,155.32.
Phocenſium libertas, eiuſq; abuſus. 144.52.55,209.75.
Phœnicen noſtri petunt 91.18
Phylarchus Arabs 94.59,& 95.32
Phyſionomica mulier 186.87
Phthiriaſi perit Arnulfus auguſtus 61.23.
Piarum cauſſarum patrocinium Gallus ſuſcipit 36.42
Picatorum triſte ſpectaculum 217.11.& dein.
Piceni agri euaſtatio 145.71
Pietatis cauſſa ſuſceptum bellum, in fœdam tyrannidem exit 136.35
Piorum cum barbaris belli cauſſa. 71.10.
Pictones 22.16, 36.53,127.1,133.22,154.80,143.41.
Pictorum gens 3.49
Pinciniacum vrbs 63.9
Pipinus breuis,Caroli Martelli filius. 29.54,30.79. 80.83, 31.34.46. 50.53, 32.17.80,33.42.49.52,35.20.68,36.85.
Pipinus Caroli magni filius 43.51.73.84. & fo. ſeq. 45.8.11,46.16,51.11.68,54.29,55.70.
Pipinus Craſſus Auſtraſiæ dux 23.67. 74, 24. 3. 5. & dein,25.49.56,60.85.
Pipinus Franciæ rex,non natus, ſed electus 183.73
Pipinus Ludouici Pij filius in monachum attonſus 56.18
Piratæ,generis hũani hoſtes. 174.7.
Piratarum in meliores mores transformatio 172.4
Piratica olim in laude poſita 60.26
Piraticum bellum 171.81
Piſæ,Hetruriæ vrbs 53.80,125.86
Piſana claſſis 153.50
Piſanus portus. 48.84. conuentus. 220.32.
Piſani Rhodum occupant 84.73. eorum virtus.153.25.
Piſanorum ac Venetorum claſſis. 119.18.
Piſtorium,Hetruriæ vrbs 53.80
Pius pontifex max.232.56. & dein. 237.81.
Plagiarij cuiuſdam pœna 106.57
Plebis neglectus.170.73. furor.171.14.ſeceſſio.198.82. in ordinem redactio. ibi.88.
Plectrudis Pipini coniunx 25.49.& 58.
Plumbei mallei Pariſini 209.40
Poculo eodẽ ex regijs manibus ſumpto bibere,piaculum 20.45
Pœnitẽtia,naufragij tabula 108.30
Pœnorum virtus 155.15
Pollicitationum iactatio 235.42
Poloni,olim Sclaui 22.39
Pomaria, propugnaculorum vice. 110.80.
Pompello vrbs.41.21,43.68,42.10,177.12.
Pons ſublicius 45.46
Pontis Tremuli direptio 99.20
Pontemarce oppidum 229.84
Ponteſcium oppidum 169.52
Pontiæ vrbs 227.27.& 74
Pontiberæ Comitatus 200.9
Ponticuli Pariſini ędificatio 209.52
Pontifex max. homo profanus 37.50.humili loco natus 152.31
Pontifex max. contra iuſſum ſuum ipſe appellatur.127.13.futurus appellatur.172.82,177.87.
Pontifex max. ſeceſſus quærens, ac celebritates fugiens.169.81. pontificarum deponit. ibi. 87.
Pontifex max. præ turba equo delapſus 175.1
Pontifex max vi coactus Henricum Cæſarem coronare 99.32
Pontifex max. vrbe Roma exactus 145.84.Romã reſtituitur.204.59
Pontifex Rom. agnus dei ſaluatus 160.36.
Pontificis maximi accuſatio 47.6
Pontificis max. authoritas 31.82, 38.59,56.74,63.51, 74.48, 127.8,144.26,147.75,150.25, 228.30. Dignitas. 47.19. 50,104.46. eius imminutio.228.19.de cæteris Chriſtianis fiducia.72.49.
Pontificis Rom. fidem Anglus hoſtibus impar implorat 127.4
Pontificis Rom pedes Carolus magnus exoſculatur 39.15
Pontificis max.fautores Franci. 30.70,99.33,104.77,188.37.propugnatores.95.57.64.65.
Pontifices maximi ad Cæſares itare ſoliti.33.45.Eorum cum Cæſaribus inimicitiæ. 73.83,95.52,146.60.conciliatio.99.70,104.82.
Pontifices maximi eodem tempore duo.205.per totum.tres. 220.34.& dein.
Pontifices primi in eccleſia 31.19, 47.47.
Pontifices maximos quinq; in Gallia vidit Ludouicus Craſſus 104.80.
Pontificum magnorum propinqui, ſuæ fortunæ relinquendi.154.15.16.
Pontificatus max. ægre deponitur. 217.39. eius deponendi forma 221.57.
Pontificatus gratia, pietati paternæ prælata 97.25.& 33
Pontificatus Romanus in Galliam tranſportatur. 174.85,175.4,179.51.eius factionib⁹ infeſtatur. 104.57.inde exigitur.178.50.
pontificiæ diræ fœderis violatorib⁹ imprecatæ. 201.35. earum momentum.38.59.
pontificiæ ditionis vrbes in Hetruria.53.81.à Columnis occupatæ. 172.44.
Pontificiæ factiones. 104.57. vide pontificium ſchiſma.
Pontificij hoſtes 222.71
Pontificij milites à Manfredo male multantur 150.63
Pontificij viographi 205.17
Pontificium diploma igni traditum 172.36.falſum.240.62.
Pontificium imperium, recens 43.87.eius auctus. 39.27,68.15,95.55.
Pontificium interregnum 174.74. vide interpontificarus.
Pontificium ſchiſma. 104.50.& 57, 112.13,205.25.55,206.1.vide ſchiſma pontificium. Vide epiſcopi,& Papa.
Pontius Bertranni Tripolitani Comitis filius *96.59.& dein.
Pontiuus ſeu Pontiuenſis Comitatus. 100.1,186.23, 192.80,193.11, 199.36,200.57.
Popularis Comes cæſus,martyr à ſuis exiſtimatus 155.10
Popularium animi aduerſus reges. 37.12.
Popularũ cauſſa nõ deſerenda. 155.6.vide plebis neglectus.
Popularium voluntate,regum imperia conſtant 73.85
Popularium ſuorum contemptus. 62.7.
Popularibus ſuis inuiſus Angliæ rex. 155.17
Popularitas Danum Comitem perdidit 102.42
Populus per ſe 180.38
Populi erga principis ſui cæſũ reliquias reuerentia 101.83
Populi erga ſe ſtudiũ Clotario gratiſſimum 21.18
Populoniæ vrbis direptio 51.31
Portenta mirãda 65.69,89.54,116 87,126.37,199.30,232.40. vide miracula,prodigia.
Portoriorum grauiũ exactor fugat⁹ 105.9
Portugallia vnde dicta 29.26.
Præceptoris ſine opera doctiſſimus D.Bernardus 107.38
Prædæ apud Gallos veteres diſtribuendæ ritus 5.15
Prædicatorum ordinis ortus.131.27. ſtudia.ibi.37.ad Tartaros miſſio & profectus.146.42,& 147.55.
Prædicatoribus & Minoribus Pariſienſibus ædes ſuas D. Ludouicus abſoluit 152.12

Præfectũ ſibi impoſitum Gandauenſes occidunt 231.8
Prægnantis reginæ cædes 23.35
Prælij extrahendi ratio 189.21
Præmonſtratenſiũ conditor 105.50
Præneſte vrbs, eccleſiaſtici iuris. 172.44.
Præſcriptio 94.25, 203.75
Præſes Romanus 13.12
Præſidium ſuum â ciuibus cæſum. 81.67. eius vltio. ibi. 68.
Præſidiorum ex vrbibus deductorũ mala 199.55
Prætextatus Rotomagenſium archiepiſcopus 15.11, 16.26
Prætorum munus 152.1
Prætorum regiorum de eccleſiaſticarum iuriſdictionum multitudine querimonia 186.8
Prætorem ſibi Romani creant. 152. 60. ea prætura annua decernitur. 159.5. & 6.
Pragmatica ſanctio 228.16, 233. 44, 245.53, 246.43.
Praſinæ & Venetæ factiones antiquorum 171.45
Primogenitus regius veneno ſublatus 158.32
Principia belli Turcici infelicia, noſtros tamen à conatu ſuo non deterrent 75.77
Principijs malorum obſtandum 25. 29.
Principis ſui iuſſu populares ſe omni iniuriæ opportunos ipſi faciunt 136.28.
Principis ſui percuſſorum ſupplicijũ 102.18.
Principum regimen Aegidius Romanus conſcripſit 164.49
Priuigni nouercis inuiſi 158.34, & 167.75.
Probus Cæſar 2.31
Procerum erga Comitem ſuum occiſum, quanuis antè inuiſum, pietas 101.75
Procerum ſuorum apud Eduardum Angliæ regem authoritas vilis. 182.72.
Proceſſionẽ Spiritusſancti ab vtroq; fieri 157.32
Prochyta inſula 159.12
Procuratio regni Francici controuerſa 183.56
Prodigia. 5.85, 10.87, 18.69, 28.26, 31.24, 48.71. vide portenta.
Proditionis merus mala 100.7
Proditionis reus ſecuri percutitur. 195.14.
Proditoris apoſtatæ mors 117.36
Proditores domini, ſupplicio affecti 240.64.
Proditores ſpe fruſtrati 9.23
Profanis in rebus Pontificis Romani poteſtas 181.44. & dein.
Profanus in locũ Archiepiſcopi ſuffectus 37.76
Proles obſecrationibus à deo impetrata 140.66
Promontorium Anglorum receptui commodum Britanni occupant. 132.58.
Promontorij cuiuſdam caſtrum fortiſſimum 136.75
Propinquitatis vis. 125.27. impedimentum in nuptijs. 144.27.
Proſopopœia elegãtiſſima 108.24, 179.46.
Proſperitatis mala 71.25
Protadius magiſter militum 19.7
Prouincia. 9. 67, 13. 37.47, 56.58, 62.49, 246.9.
Pruſia Bithyniæ vrbs 218.15, 232. 26.
Pſeudopontifex quidam 186.42
Ptolemaidis vrbis obſidio & expugnatio. 91.71.73, 96.76, 119.50, 120.47, 121.65, 136.83, 151.13. 14, 168.33.46.75.
Ptolemaidenſium deſertorũ ac profugorum claſſis mari ſubmerſa. 168.70.
Ptolemaidenſium Venetorum Genuenſiumq; controuerſia 151.33
Ptolemaita pontifex 130.74
Publica damna minus quenq; afficiunt, quàm priuatus dolor 136.31
Publica felicitas 59.60
Pudicitiæ alienarum vxorum infeſtus Delphinus Allobrogum. 187.40.
Puella Lotaringa, quæ & Pucella Francica. 225.13.15.48. vide Iohanna Lotaringa.
Puer aciei primæ præficitur 193.14
Puer & puella regij & auguſti, diademate exornati, regesq; ſalutati. 116.19.
Puer filius à patre in regem coronatur 67.61
Puerorum inſontium cædes regnandi cupidine à proximis facta. 10. 52.
Pueris regibus, quæ accidant mala. 11.21, 158.12.
Puerperæ barbaræ cura Balduinum marito eius cõciliat. 94.60. & deſ.
Pugnę acerbiſſimæ deſcriptio 86.82
Pulchritudinis corporeæ conſideratio 165.66
Puluis venenatus pro amatorio. 214.1.
Pupilli diuites ſubinde à tutoribus necati 151.53
Purpura cardinalitia, ſanctitatis inſigne 239.43
Puteacenſis pugna 98.66.75.
Pyrenæus limes 31.51
Pyrenæi ſaltus aſperitas ac difficultas 22.9, 41.12, 56.15
Pyrrhus quidam Antiochenus Turca Antiochiam noſtris prodit. 85.62.

Q

QNADRIGARIVS PAriſienſis epiſcopus 235.58. & 83
Quadrigati nummi aurei librales. 13.79.
Qui tollis peccata mundi &c. pontifici Rom. acclamatum 160.37
Quinquagenaria maior prægnans. 120.32.
Quintini fanum 239.77, 240.36. & 50.
Quintiniani Burgundiæ duci traduntur 243.33
Quintinianorum proditio 242.15

R

RABANVS, ALCVInus, & alij nonnulli doctiſſimi floren 53.41
Rabodus Friſiorum dux idololatra. 25.36.55. & 77.
Rachiſius Longobardorum rex. 34. 88. & 35.2
Radagaſus Gotthorum rex 2.48. 57.
Radantia fluuius 45.49
Radegũda virgo ſancta. 10.80. & 82
Radicofanum oppidum 132.26
Raginerius Montenſiũ Comes 63. 65.87. & dein.
Raimundus Berengarij filius, Phocenſis Comes 144.11.15.16. & 28
Raimundus Carmonenſis Gerundæ præfectus 162.66
Raimundus ſani Aegidij Comes. 111. 65.
Raimundus Gulielmi Aquitanorũ ducis filius 103.31. & dein. eius mollities. ibi. 58. fœdus cum græco auguſto. ibi. 60. & 88. Antiochenſium princeps. 108. 73, 110. 33, 113.18.
Raimundus Toloſarium Comes. 85. 40.50, 95.36.42.46, 119.43, 131. 81, 136. 9.38, 142.62.64.66. 68, 142.43.44, 144.13, 147.36. & 39
Raimundus Tripolitanus Comes 113.41, 114.24, 115.15, 116.65, 117. 20. 33. & 36
Rainerius Gulielmi Montisferrati Marchionis filius 116.20. & 49
Ramanfredus magiſter equitũ Francorum. 25.77, 226.18.21.23
Ramiſtanus Vaifari patruus reſti ſuſpenſus. 36.70
Rangarius quidam Grimoaldum occidit 25.55
Ranulfus Aquitaniæ dux 57.2
Raſtellæ, Roſeti, Cocij Comites in Philippi auguſti poteſtatem veniunt 117.70
Rauaſtinus 244.60
Rauenna. 11.73, 13.10, 32.88, 34.46. 58, 35.16.41, 36.18, 38.50, 39.26, 43.71, 47.78.
Rector Franciæ Ludouicus Andiũ

dux. 207.13. 20. 56, 209.20.74. eius nominis odium. 207.81.
Rector scholasticorum Parisiensium 208.74
Redemptores ac exactores regiæ pecuniæ à plebe mactantur 209. 42.
Redones oppidum Britannicũ 190. 81,248.17
Regaliorum iura 95.55
Regimerius Grimaldus classis Fran cicæ præfectus 173.27
Regina à popularibus iniurijs lacessita 11.4
Regina Franciæ cœnobio se dicat 59.21
Regina in publico pariens 120.35
Regina veneficij insimulat 158.33
Regina virum in bellum sequitur. 108.72
Reginæ prægnantis cædes 23.35
Reginarum trium pro reo vno interceſſio 195.60
Reginaldus Bononiæ ac Moritonij Comes 132. 85. & dein,133. 2, 134.34.83,135.1.20.35.46,141.32
Reginaldus Castellionensis Comes 113.19. Eius virtus. ibi. 20.
Reginaldus Castri Martini Comitis filius 125.46
Reginaldus Cornacensis 106.1
Reginaldus Lucemburgensis Comes 168.80,169.6
Reginaldus Neella magister equitum Francorum 172.77. & 85. eius mors. 173.11
Reginaldus quidam Germanus à militibus dux creatus. 75.31. ad Turcas perfugit. ibi. 66
Regia, templum: pedes regum, aræ supplicibus eò confugientibus, 109.2
Regiæ spes simul vniuersa fortunæ discrimini non cõmittenda 99.16
Regia maiestas semper reuerenter conseruanda 20.42
Regia Parisiorum, Engerrani opus 178.68
Regia præsentia 43.74
Regiæ apud Francos sedis vacatio 183.54
Regia insignia Magister militũ suo malo in prælio induit 153.55
Regia iura apud Francos diuidi nõ posse 204.1. vide regaliorũ iura.
Regia virtus maxima, animo suo imperare 179.73
Regiæ nurus probri reæ. 177.15. earum adulteri grauissimè luunt. ibi. 17. Sorores item regiæ probri reæ. 54.10
Regij animi pulchritudo 165.72
Regio diademate dignissimus, quis sit habendus 164.73
Regius fauor 239.9.10
Regiorum imperiorum frenatores ac interpretes 180.1
Regiorum ministrorum infelicitas 179.85. & 180.25
Regium munus 151.88. & dein. 152. 1. & dein. 235.63
Regium nomen 9.41,17.40,26.14, 31.58.60,43.67,94.55,134.36. 38,164.62.
Regium pellicatum redarguens cędit 25.50
Regij filij admodum pueri tyrocinium 193.15
Regij filij corruptores multati. 11.23
Regij filij episcopi. 105, 88. literis mancipati. 133.28
Regiorum filiorum diuersitas. 245. 69. multitudo. 112.82,155.26
Regiorum filiorum tutelæ, nouandarum rerum causſæ 201.76
Regij liberi cõplures simul vna tempestate submersi 99.15
Regnandi libido 9. 28, 10.52. & 59,125.45
Regnum mortale quid sit 105.84
Regni Francici à vero possessore translatio 219.71
Regni hæres profugus 62.69
Regni Pontificatui vectigalis causſa ad Pontificem spectat 176.40
Regni tutelam pro filio gerere mater affectat 106.9
Regna domesticis bellis diuiduntur 12.74
Regna humana, suspecta, &c. 59.56
Regna qui constent. 73.85,208.24.
Regnorum auspicia 37.11
Regni primordia crudelia, inauspicata 195.18
Regnorum controuersiæ vt dirimãtur 203.54
Regnorum ius non idem esse apud omnes 184.34
Regnorum translatio 61.2
Religio Gallorum 4.83,33.59,69. 40.
Religionis barbaræ diuisio 114.55
Religionis instauratio 49.57.65
Religionis defensor acerrimus Carolus Martellus 30.75
Religionis odio lœsis Genuensibus, remotissimos etiam quosq; Christianos lœdi videri 215.81
Religionis prætextu filius in patrẽ impius 97.24
Religionis vis efficaciaq; 73.80, & 88.11
Reliquijs sanctorum bellum mouebat Constantinus Cæsar 33.18
Remense regnum 24.81
Remense sacrum 97.43,225.26
Remensis sedis ius in Regibus Francis sacrandis 142.57
Renigius Remorũ pontifex 4.80. & 6.12
Rempublicam qualem habeamus, in nostra potestate est 59.62.& 66.
Rhemorum ciuitas sacra. 5.10. ab Attila incensa. 3.65
Rhodulphus Viridis, Rhemorũ episcopus 97.46
Renatus Ambari dux. 225.68. & 75
Renatus Ludouici III. Andegauensis frater 226. 86, 227.1.5.8.64. 70.85,228.74.85
Renatus Lotaringiæ dux 243.35
Repertus dictus Philippus Valesius 185.62
Repudiatæ Reginæ patrociniũ mirabile 125.65
Repudij malum 107.28. & ante & post.
Rerum administrationis ergò inter proceres cõtentio. 143.1. & dein.
Rerum bellicarũ viciſſitudo 140.28
Rerum magnarũ inclinationes magnos motus afferunt. 61.34, 204. 39,233.21
Rerum memoria ad quid 25.32
Res gestas in suum quanq; annum digerere, difficile est 69.60
Rex à plebe obsessus 178.60
Rex ad bestialem ignominiam dejectus 219.12
Rex à popularibus exactus 53.61
Rex apud Francos sua dignitate exutus 32.80
Rex captus, cuius in manus veniat, contentio. 197.37. & dein. eius reuerentia. ibi. 47
Rex de subdito iudicaturus, obsides pro reo dare cogitur 195.46
Rex dissimulator 241.58
Rex erga sacra impius, Rex non habendus 107.88. & dein. 108.1.2.3
Rex etiam dissimulans latere non potest 123.8
Rex filio infensus, ægre placatus 20.49. & dein.
Rex Francus signo suo proditur vbi consistat 134.30
Rex fugiens difficilè fallit 153.73
Rex ignauus 22.11
Rex in conuentu celeberrimo, suis omnibus stipatus, à duobus iuuenibus occisus 14. 55
Rex Nauarræ Theobaldus peste moritur 156.79
Rex non plus se quàm suos seruatos cupiens 149.42
Rex omnium optimus qui futurus sit 165.78
Rex per contumaciam Comes salutatur 222.50
Rex, populi spiritus 180.39
Rex pontificatus conferens 69. 73. & 78.
Regis cultus à patrijs moribus dissidens, popularibus inuisus 58.2
Regis demissio 235.47
Regis filius negligentius obseruatus, contemptũ sui interpretatur 20.44.

Regis imago aurea per vrbes Caſtu lonenſium circummiſſa 158.4
Regis in acie oculus 193.22.
Regis munus 151.88
Regis noui benignitas 180.63.
Regis nutus imbellis 25.63
Regis præſentia 125.64,164.30, 197.9
Regis valetudinarij oblectandi ſtudium 217.7
Regem ſuum iureiurando ſibi obligari vult magiſter equitum 241 78
Rege abſente,in regno mala 149.88 & dein. 150.1
Rege impubere ferè turbatur aula. 142.72
Rege mente alienato, regni incommoda 217.5,219.81
Rege puero,regni miſeriæ 16.23
Reges,dei vice ac munere fungi 164 67
Reges duos Italicos creare ſtatuit Nicolaus pont.max. 159.8
Reges etiam grauiter peccare poſſe. 108.27
Reges Franci epiſcopos ſuos inuitis ſe ſacrari nolunt 107.13
Reges nomine tantum 25.11
Reges nõ ſuo,ſed publico bono ſtudere debere 165.11
Reges petentibus nihil negant 179 86
Reges quæ faciant 59.57
Reges,ſerui ſunt 179.88
Reges tres vnam Genuam Ruſcinonenſem obſident 161.75
Regum ac ducum cuſtodiæ 155.80
Regum ac imperatorũ cognomina ac tituli 165.1
Regum ac Pontificum commiſſio & digladiatio 178.47
Regum creandorũ origo 182.8.eorum munus.ibi.12
Regum diuerſa ſtudia 164.70
Regũ diuturna & crebra colloquia quid pariant 120.7
Regum duorũ cum centenaria vtrinque ala decertaturorum certamen condictum,vanum euadit 161.27
Regum duorum fratrum concordia 56.5
Regum & imperatorũ imperia volũtate popularium cõſtant.73.85, 208.24
Regum Francorũ natales,incrementa,ac decrementa 60.85.& dein.
Regum Francorum ſacrãdorum ius Remenſibus deberi 142.56
Regum gloria intermortua 23.19
Regũ liberatores, potius quàm perculſores,audiendum 218.65
Regum maieſtas ſecundis rebus ſanctior,aduerſis vilior 230.16
Regum perfugia 109.2
Regum proprium 165.83
Regum quàm pontificum ſigna ſequi malunt Delphinates 195.1
Requm quatuor conuentus 186.40
Regum ſimulationes 179.81
Regum ſocordia ac mollities 25.13
Regibus ex aduerſo accumbere,piaculum 20.44.45
Regibus pueris, miſera temporum conditio 16.23
Reliquiarum ſacrarũ veneratio. 20. 60,23.77.
Rhachiſius Aiſtulphi Longobardorum regis frater 36.36
Rhado magiſter equitum 19.76
Rhadulphi latinorum Cæſaris mors 169.34.
Rhamula vrbs. 91.75,& 95.25.32.
Rhaudulphus Longobardus,Caroli Magni fautor 45.10
Rhegium oppidum 181.49
Rhenus fluuius 241.44
Rhodanus fluuius 56.15
Rhodanus Lõgobardorum dux. 14. 11.
Rhodoaldus,homo tenuis.20.82,& 21.4.
Rhodoricus Viſigothorum rex.26. 70.
Rhodulphus Aſpurgẽſis comes, Cęſar à Germanis deligitur. 157.36.
Rhodulphus Burgundio Franciam à Carolo Simplice dono accipit. 62.40.
Rhodulphus Cameracenſium comes 61.66.eius mors.ibi.68.
Rhodulphus Giſilæ Auguſtæ auunculus Burgũdiæ rex ſalutatur.65. 43.
Rhodulphus Lotaringiæ dux .192. 65.
Rhodulphus magiſter equitũ Francorũ.162.82,192.32. 41, & 195. 17.
Rhodulphus Samarobrinenſium comes.63.9.
Rhodulphus Viridis Remorum pontifex 97.45
Rhodulphus Viromanduorum comes. 98.61,107.17,118.11
Rhodij Zizimum Maumethis filium honorifice excipiunt 246.4
Rhodº de Turcis recipitur à noſtris 177.6.
Rhodium bellum 245.60
Rhogandus Foroiuliẽſium dux. 39. 30.77.& 82.
Rhollo Normaniæ dux, eius gentis parẽs.60.36,57.66.& 75,67.27, 70.51,135.31,203.70.
Ribomontanus quidam equitũ delectorum dux. 196.72
Ricardus Anglus Cęſar.156.60,157. 34.
Ricardus Anglię rex.119.21.41,120. 10,121.34.70,122.55.71,123.2, 72.77.87.88,124.1.2.3.13.48.58 126.43.44.49,143.80.
Ricardus Aquitaniæ dux 118.66
Ricardus Eduardi iuuenis filius.201. 67,217.76.
Ricardus Gulielmi Nothi filius Normaniæ dux 63.20
Ricardus Henrici Angli regis filius. 112.59.76.& 86.frater.141.27,& 152.37.
Ricardi Normaniæ ducis cũ Theobaldo Carnutum comite ſimultas. 63.72.
Ricardus ſecundus 64.52.& 83
Ricardus tertius. 64. 83,65.86,66. 1.& 5.
Ricardus Theodorici filius 58.60
Ricaredus Lemugildi Viſigothorũ regis filius 15.51,17.6.7
Richildis Hermani comitis Annoniæ filia 70.15
Rigunda Chilperici regis filia. 15. 51.
Rio, maritimum Aquitaniæ oppidũ 169 49,230.57.
Riola vrbs.141.28,182.67,192.20.
Riuus Frãcorum, locus quidam.20. 36.
Riuus altus,inſula 51.49
Roanus Britannus nobilis 201.3
Robertus abba Moliſmẽſis. 105.53. hiſtoricus 111.59,118.52
Robertus Altiſſiodorenſis Comes, Græcorum Auguſtus 136.54. 62,144.76.& 84
Robertus Andium Comes 57.3
Robertus Atrebatum Comes. 157. 44,158.16,166.27.30,172.71,173 11,184.7,186. 64, 187.5.88, 190. 24,191.48,193.6,203. 53,212.31
Robertus Auſtrius Vngariæ ac Bohemiæ rex Cæſar deſignatur 228 20
Robertus Balduini Comitis Flãdrię filius 70.27
Robertus Bauariæ dux Cæſar dicitur 219.39. à Mediolanenſi duce vincitur.ibi.41
Robertus Burgundiæ dux 148. 37. & 155.70
Robertus Canolus Anglus dux.201 7
Robertus Caroli primi Siciliæ regis ex Maria Vngara filius. 191. 60.
Robertus Caroli Claudi filius 166. 52.
Robertus Druydum Comes 106.2, 133.35,143.1.10
Robertus Flandriæ Comes.96.2,98 22.& 54,101.5,177.35
Robertus Francorum rex 65.47.62, 95.62
Robertus Gulielmi nothi filius patri

rebellis 70.38.42.& 59
Robertus D. Ludouici fil⁹ Claromõtenſiũ in Bellouacis comes.155.66
Robertus Ludouici Flandriæ comitis patruus 185.45.
Robertus Niuernẽſiũ comes.173.66
Robert⁹ Normaniæ dux.65.85,66.78.82,67.4,82.8,93.28,97.88,102.30
Robert⁹ Odonis regis frater.59.26,60.2.Filius.62.28
Roberti Pariſienſis mors 78.41
Robertus Phocenſis Comes.175.26 29.dux.176.36
Robertus Remorũ epiſcopus 31.18
Robertus Roberti Frãci regis filius maior 65.74
Robert⁹ Vgonis Capeti filius 64.75
Robertus Vidonis Dampetræ filius 155.58
Roberti Viſcardi Normani virt⁹. 67 51,74.58.eius filiorũ digladiatio.74.63.conciliatio.ibi.73
Robuſtorum hominũ robuſta proles 60.81.
Rodulphus.vide Rho.
Rogerius Flandriæ Comitis prætor 206.53
Rogerius Lorius Tarraconẽſis claſſis præfectus 161.51,164.1,166.34.& 35
Rogerius Roberti Viſcardi fili⁹.74.85
Rogerius Siciliæ Comes. 67.54,104 35.37.45.55. Siciliæ rex. 111.39,145.86,146.2.16,21.& 28.Eius liberi.120.25
Rogerius Tancredi filius 124.61
Rogerius Templarius 171.79.82
Rolandus fortiſſimus ac prudẽtiſſimus dux 46.40
Rolãdus Senẽſis põtifex max.112.10
Roma à Totila recepta.11.83.ab Alarico in poteſtatem redacta,& direpta,2,72
Roma pontificis imperio ſoluram ſe contendit 152.60
Roma pontificis max.ſedes 204.50 60.& 83
Roma,virtutis ſeminarium 31.66
Romæ cõuentus celeberrim⁹ 46.77
Romæ florentis ſpectacula 147.6
Roma vetus.103.45. Eius inſtituta repetita.152.2
Romam Hẽricus Cæſar petit 99.21
Romã in poteſtatem ſuã recipit Beliſarius 11.48
Romam ſibi vectigalẽ facere Aiſtulfus Lõgobardus minatur 32.87
Roma euerſa,Italię regẽ nõ eſſe.12.11
Romana ſedes velut exul 175.52
Romanæ eccleſiæ imperium recens.43.87
Romanæ eccleſiæ ſupplices 181.40.41.42
Romanæ ſedis vacatio biẽnalis 156 83,vigintiocto menſium.169.27.
Romanã eccleſiam Græci agnoſcunt 228.50
Romanũ imperiũ conſeneſcens. 2.33
Romani imperij æmulus Carolus mag. 52.22
Romani ægrè Taurum montẽ traijciebant 80.85
Romanorum ſplendor 2.27
Romani pontificis exagitatio 112.9
Romani pontificatus vindices acerrimi 95.57.64.65
Romani pontificis in reges authoritas 135.68.& dein.
Romani pontificis obſeruantiſſimus Anglus 135.67.68.& 71
Romanum pontificem Græci agnoſcunt 157.31
Romanorũ pontificum ſedes in Galliam delata,poſt 70. tãdem annos in Vrbem reuertit 204.40
Romanorum pro creando ex ſe pontifice ſtudium 204.72
Romanos pontifices Græco Cæſari paruiſſe 35.11
vide pontifex max. & Rom.
Romacharius Conſtantienſium epiſcopus 16.33
Romarẽtinum ab Anglis expugnatur 196.16
Roncæuallis anguſtiæ. 53.32,& 200.20
Roris matutini miraculum. 88.44
Roſębecenſis pugna 211.81
Roſſellinus in Auſtraſiam relegat⁹. 48.5 & 43
Roſimunda Gepidarum regis filia. 13.27.
Rotarũ radijs diſtricti parricidę quidam 102.18
Rotigrandus & Antari⁹ Pipini oratores ad Aiſtulphum 33.26
Rotomagẽſium archiepiſcopus prætextatus, inceſtarum nuptiarum author,&c. 15.11
Rotomagum.60.54,125.19.& dein. 166.18,209.59,222.3,223.77,230.27.& dein.237.55.
Rotrudis Caroli magni filia. 45.20.
Ruber,comes Anguillarius 157.13
Rubiprati filius nothus.233.65.70,234.29.
Ruelli oppidi arx ſolo adæquatur. 126.31.
Ruelliuallis à Franco recipitur. 125.25.
Ruffinus Volta Nauarchus Genuenſis.122.51.
Ruffus Anguillariæ comes. 166.38.
Rugillo Longobardus cæſus 14.23
Rumoldus ducis Beneuentani filius 43.88
Rumorum mendacia 237.6
Rupella vrbs 141.19,200.75.85
Rupertus Agrippinenſium epiſcop⁹ 241.40
Ruſcino Tarraconenſi regi addicta 155.36. Eius Comitatus. 161.82,162.40,233.39
Ruſſi,Normani aliqñ dicti 60.19
Ruteni Francis dediti 9.13,132.16

S

D. SABAE AEDES PTOlemaide 151.33.& 42
Sabaudiæ Comes Amadeus 175.71
Sabaudiæ dux, relicto ducatu, eremo ſe dicat 228.54
Sacerdotes,aĩorũ curatores 131.30
Sacerdotes etiã,non ſoli duces, militant 88.35
Sacerdotũ ac myſteriorum altarium hoſtes cæſi 117.73
Sacerdotum Aſiaticorum flagitia ac ſcelera 116.8
Sacerdotum contemptus 234.52
Sacerdotum de bonis,ingens contentio 36.49.& dein.
Sacerdotum decreta imperioſa, ac acerba 186.12
Sacerdotum deformati mores coërciti 52.54,69.38,72.5
Sacerdotũ Græcorũ ad Latinos armatos occurſus 130.9.& 40
Sacerdotum fautor Pipinus 36.48
Sacerdotum munus 72.10.& dein.
Sacerdotum Latinorum in Aſia ſacro bello viſum 88.14
Sacerdotiũ vxori poſthabitum 133.31,219.62
Sacerdotia quibus videbatur Cæſares dabant 105.12
Sacerdotalis pecuniæ cogẽdæ ius pmiſſum,poſtea reuocatũ. 172.56. Reliqua vide in dict. Eccleſiaſtici
Saccorum ſtramine refertorum vſus in bello 92.60
Sacri auri conſumptio 128.8
Sacri belli deſcriptio lib. 4. per totũ & deinceps. 71. & dein. Primi & ſecundi differentiæ. 108. 32,109.10.Tertij item deſcriptio.124.65. Eius ſacri belli ardor.125.68. & 71,215.45.Eius prætextus ad priuatas etiam iniurias traduct⁹.150.84.85,181.30.Eius ſuaſio.215.34.232.65.Eius refrigeſcẽtia.145.47
Sacro bello mori, ſanctum ducitur. 149.54
Sacro bello quid agi debeat 136.43,& 139.64
Sacræ militiæ magiſtrorum inter ſe ſimultas 168.42
Sacræ militiæ paludamentũ 73.40. aduerſus hæreticos ſuſceptũ.131.54
Sacris initiabãtur ſubinde etiam regiæ ſoboles 133.29
Sacrocęſariẽſis Comitis mors 193.84
Sadregiſillus Aquitaniæ præfectus. 20.41,& 22.4

Sagittæ Anglicæ 193.75.& 196.79
Sagittæ ſpiculis aureis præfixæ. 111. 40.
Sagittarij Franci 236.19
Sagittarijs Anglis, Lygures ſagittarij opponuntur 193.35. Anglicorum virtus. 215.56
Saladinus Syraconi Medi filius. 114. 36. Eius res geſtæ. ibi. 66.68. 88, 115. 1. 6.20.51. 81, 116.10.63, 117. 50.56, 119.5.6.52, 120.48.53, 121. 4, 122. 56, 123.7.51.65, 124. 74. 75.77
Sala fluuius 46.10
Salarijs ſuis milites fruſtrari nolunt 68. 86
Saleberienſis Comes 135.46, 189. 70, 224.85, 225.12
Salernum vrbs 44.4
Salernitanus princeps 96.75
Salij dicti Franci 46.10. & qui fuerint. 181.7
Salica lex 46.11, 181.5, 183.77, 184. 7.& 45, 189.18
Salinarum fons 187.26
Salis vectigal 201.86, 223.52
Salonæ expugnantur ac diripiuntur 171.80
Salutandi prætextus 132.22
Salutis velut deſperatæ ſtimul⁹ acerrimus 164.31
Samarobrinenſes 188.62
Samnitum pectora indomita 48.3
Samnium vrbs 46.69
Samo Dalmatiæ rex 22.45.46.51
Samoſata vrbs 80.47.& 56
Sancti ſpiritus adſit nobis gratia, à quo editum 65.51
Sanctones in Angli poteſtate 154. 82. eorũ arx ſolo adæquat. 187.13
Sanctorum corporũ veneratio 20. 60, 23.77
Sanctorũ eluſio vindicata 23.83
Sanctorum imagines à Cæſaribus quibuſdam damnatæ 34.85
Sanctorũ pro nobis interceſſionis contẽptor Cõſtantin⁹ Cæſar 33.19
Sanguinaria mulier 222 64
Sanguinus Aſſungurij barbari filius 103.49.53, 109.37, 110.36
Sanguis apud patrẽ potior in cauſſa filij, quàm iniuriæ à filio acceptæ memoria 158.1
Sanguis ſacroſanctus Mantuę adinuentus 50.72
Santia Phocenſis Comi. filia 144.17
Santius Caſtulonenſis regis minor filius 157.78
Saphadini Saladini fratris crudelitas 124.77
Sapiẽtia, ingenij indoles eſt 165.60
Sarra Columna, Bonifacij Pontificis hoſtis 174.4. 14. 39. 59
Saracenæ mulieres 28.83
Saracum Arabiæ opidum. 146.66
Saracenum oppidũ 142.62. 63.66
Saraceni aduerſus Aquitanos 26. 82, 27.9. Gallos. 28.12, 29.35, 31. 46.50, 124.84. Hiſpanos. 40.64. 76, 124.80, 190.50. 61. Vtranque Romam. 71.69
Saraceni, Canes audire indignantur 22.51.57.59
Saraceni Hiſpaniæ incolæ 50.24, 131.26, 150.62, 154.3, 171.72.
Saraceni Chriſtianis militibus mixti 22.70
Saraceni Chriſtianis principibus militantes 26.50, 145.53.55
Saraceni milites Chriſti fidem ſuſcipientes 148.21
Saraceni, non gentis nomẽ, ſed ſectę 26.84. vnde dicti. 146.66. Eorum circunciſio. 21. 63. ſpes animoſa. 26.76. aſtutia. 40.77. mutuę ſimultates. 41.5. Cunctatio. 41.25. obſtinatio. 42.13. in Perſide nomẽ. 35. 54. militaris virtus. 41.47. imperia ac dominatus. 146. 56, 215.2. propagatio. 26.53. Strages. 28.73, 30.51, 50.62, 72.64
Saracenos Normani cohibent. 74. 57. Turcæ atterunt. 146.55. Inſeſtant Tartari. 154.33
Sarus Gotthorũ dux 2.53.72
Sardorum aduerſus Saracenos virtus 50.33,& 52.8
Sarnum oppidum 232.73
Satrapæ Turcæ. Solymani conſiliũ & aſtutia 75.36
Sauar Aegyptius Sultanus 114.11. 28.39.76.86
Sauar⁹ Malleonẽſis Anglus Aquitaniæ præfect⁹ 132.53, 141.13.22.23
Saulus Hebræus dux Gotthos oppugnat 2.65
Sauona vrbs 232.46. 80.
Sauoſus gazæ regiæ cuſtos 208.1
Saxoniã Carolus mag. cum omnib⁹ copijs ingreditur. 40, 6. ac domat. ibi 40.44.52
Saxonũ res vide. 13.17.28.55.66, 14. 1.4, 22.70, 25.5, 36.28, 39.48.55. 56. 60. 64. 84, 42.41, 78.85, 43. 36, 38.43, 46.1, 49.19. 31. 39. 41. 45, 53.53, 133.43
Saxonicum ingenium 49.70
Scacarius Normanorũ iuridicus conuentus 166.22
Scafuſa oppidum 175.8
Scaldis fluuius 56.15, 188.78
Scandauia inſula 13.18
Scandouerium oppidum 189.73
Scarlatum oppidum 240.65
Scelera mentem homini auferunt. 101.67.& dein.
Scelera ſceleribus cõdonata 210.46
Scelerũ eruẽdorũ ratio 176.65.& 70
Scelerum infelix exitus 10.64
Scelerati tollendi 182.18
Schiſma imperiale 126.20. & dein. 151.11
Schiſma pontificium 37.48, 104.50. 57, 204. 37, 223. 17, 228.14. In vrbe Roma. 112.13
Schiſmaticorũ pontificum acta confirmata 221.65
Scholaſticis tenuibus Nauarræ collegium ædificatur ac locupletatur 166.24
Scipio ſacer 108.38
Sclaui populus 17.19, 22.37, 50.80, 51.66, 53. 63
Scorpiones bellici 121.37, 126.49
Scortei nummi 147.12
Scotorum gens 3.49
Scoticæ res 42.82, 69.34, 88.74, 173. 88, 182.70, 187.9.& 13, 198.48, 213.6.& 18, 224.13.66,& 229.31
Scribæ apud Romanos mercenarij erant 69.85
Scribarũ apũd Grẽcos dignatio 69.85
Scriptorũ multorũ vanitas 19.57. inter ſe diuerſitas. 69.24
Scrophæ cuiuſdam Galli nobilis virtus 134.74
Scythę pp̃us 60.16, 146.61, 154.46. 57, 168.4. 6.13.17, 172.9, 218.76.
Sebuſiani, populus 237.43
Seceſſio plebeiorum apud Flandros 170.85
Sectæ ſuæ hoſtẽ occidere, Aſſaſſinis immortalitate dignũ putat 113.38
Secũda negligentiã pariunt 71.25
Secundæ res dignitatẽ addunt, aduerſæ vilitatẽ 230.16,& 229.67
Seccuſio oppidum 14.16, 20.16
Sedechias Iudæus medicus 57.86
Sedens vincit 235.40
Seditioſorum ſupplicium 186.5
Segericus Athaulphi ſucceſſor 3.9
Sella curulis 9.52
Selandenſium ager à Francis euaſtat. 213.1
Seleucia vrbs maritima 91.32
Senectutem ſuam Lud. Craſſus contemni non patitur 105.2
Senogallia à Deſiderio Longobardo occupata 38.54
Senonas Normani inuadunt 59.27
Senonũ aduerſus Saracenos animus 29.44. Eorum oppreſſio. 64.88
Senſadol⁹ Caſſiani fili⁹ 82.63, 86.53
Sentila rex 22.10
Septimania colonia 30.66
Septentrionaliũ nationum domitor 56.36
Septuagenarij & eo maioris ambitio. 221.21
Sepulcrum mirabile 3124
Sepulcro dominico Sultanus parcit. 138.43
Sepulcri ſancti claues 46.75
Sepultura coĩs Francorũ regũ 97.39
Sepultura ſacra quibuſdã illuſtriſſi-

mis viris negata 70.43,147.39, 169.31
Sepulturæ locus deficit 83.50
Sergiana,oppidum Italiæ 47.60
Sergius Secundicerius luminibus priuatus 37.72
Sergius Pontifex maximus 56.21
Serpens in ſepulcro loco cadaueris repertus 31.24
Serpentum in caueolis incluſarum vſus in bellis 121.38
Sertum ſpinæ dominicum Venetiis oppigneratur 145.37
Seruatius & Paternus Gallorũ oratores 21.56
Serui milites apud Turcas 115.83
Seruitiorum imperium 149.28
D.Seueræ fanum 169.63, 200.79. & 84
Seueritatis malum 21.31
Seuinus Senonum archiepiſcopus. 64.63
Sexageſimus annus fatalis 246.24
Sforcia dux 222.51.67,233.45,235. 40.vide Franciſcus Sforcia.
Sibylla Fulconis Comitis filia 103. 4.
Sibylla Henrici regis Angli filia. 99.13
Sibylla maior Balduini Almerici regis filij filia 115.17,116.73,119.57
Sicarij cuiuſdam facinus audaciſſimum 155.76
Sicarij omnes Aſſaſſini dicti 156.3
Sichildis nouerca Dagoberto ſuperinducta 20.65
Sicilia 44.38,104.56, 120.22.45, 140.55, 145.87, 150.19.34, 152. 65,153.28,158.83,167.6, 181.51, 207.57.65,226.84
Sicilienſe bellum 170.21
Siculi & Appuli exules in Græcia. 159.46
Siculi pontificem ſibi conciliare cupiunt 161.1
Siculi reges vnde etiam Hieroſolymorum reges ſalutentur 140.55
Siculorum erga Francos animus. 154.6,159.25.80,160.26.87, 170.22.
Siculorum regum opes pontifici Romano ſemper ſuſpectæ 152.70
Siculus veſper 159.81,163.22
Sidon vrbs 91.66,96.80
Sidonius Aruernorum epiſc. 9.14
Sigibertus Auſtraſiorum rex 22.76. Eius modeſtia.ibi.
Sigibertus Clodouei dux 5.71
Sigibertus Gallus nobilis 9.24
Sigibertus hiſtoricus 33.51
Sigibertus Mediomatricum rex 12. 73,13.43,23.11
Sigiburgum oppidum 39.56
Siginus Vaſco 53.66
Sigiſmundus Cæſar, Auſtriæ dux. 218.31.42.52.57.66,222.24.38, 228.5,229.31,241.31
Sigiſmundus Gundebaldi Burgundionum regis filius.5.7,8.65,10. 30.34,48 85
Sigiſmundus Ludouici Vngariæ regis gener 210.25,220.44
Signa Tamerlanis Scythæ triplicia. 219.1.23.
Signi militaris inclinatio 134.33
Signorum alienorũ proponendorum fraus 194.51
Signifera mulier 143.73
Siligonia Aurelianenſis 224.86
Siloë fons 92.28
Similitudine corporea quidã ſe Cæſarem ementitur 106.55
Simo Montisforris comes 126.9, 131.55,132.14.18.19. 20,136.19. 21.25.30,142.41,151.26,152.35, 155.10.17.85
Simon Neella duumuir à D. Ludouico inſtitutus 155.71
Simo Patriarcha Hieroſolymitan⁹. 71.46.& 51.
Simpulum Remenſe 142.57,246.29
Simulandi ars 150.55,& 246.34
Singulare certamen 98.76
Siſebutus Viſigothorum rex 21.74
Siſenandus Viſigothorum regnum affectat 22.12
Siſinius præfectus Seccuſionis oppidi 14.16
Sitis ingens 75.61,79.31,92.27
Sixtus pontifex maximus 245.50
Smaragdus ingentis precij 95.17
Smaragdi Exarchi græci ditio 17.30
Smyrnam Veneti capiunt 84.77
Soboles multiplex 155.25
Socer à genero cæditur 98.42.46
Societas Longobardorum & Saxonum iniqua 13.59
Solis aduerſi mala 117.22,133.88, 193.52. Eius defectio.116.88
Solomon Britannorum rex 57.8
Solomonis templum 93.7
Soluendo qui non ſit, ſtatim excommunicari 186.13
Solymanus Turcæ Satrapes.75.36. 47,76.72,77.28.78.79,78.30. 44,90.10
Sombreſſetus Anglus dux 229.81, 230.28.& dein.
Somnium Caliſti Pontificis maximi 99 40.Rollonis Normani.60.36. & 57
Somona fluuius 63.8, 222.4, 226. 30,233.41, 239.65
Sonichildis Plectrudis neptis 26.27
Sontium princeps, primus omnium puniendus 179.10
Sophia Auguſta Iuſtini imperatoris vxor 12.79
Sophiæ ædes 130.30
Sophorianus fons 117.7
Sorabi,Sclauorum natio 42.88,43. 13,50.80
Soracte mons Italiæ 31.31
Soror germana,vxor ducta 240.63
Sorores à ſororibus dignitate vinci indignantur 152.46
Sororgia vrbs 81.45
Sortium conſultæ 146.52
Soſtrada regina,mulier atrox 45.12
Sparnomum vrbs 65.66
Spatharius Græcis quis dicatur 48. 51.
Spes humani animi 31.57
Spes ſæpe falſa nos ludit 93.32
Ex Spina hominis ſerpens generatur 31.24.
Spiritus pro diuitijs tolluntur 152. 73.
Spiritus ſancti proceſſio 157.32.& 228.35.& dein.
Spoletinus dux 35.28,143.76
Spoliorum hoſtilium memoria 212. 30.
Sponſa alterius,alteri nubit 119.58, 220.68
Sponſæ præreptæ dolor & vindicta 126.62,144.80
Sponſam filij pater vſque ad ſuſpicionem apud ſe habet 119.32
Sponſalia puerorum penè 116.16
Stampæ 234.72
Stemmatum diuiſio 155.27
Stemma tertium in Francorum ſolio 64.45.
Stephanus Andreæ Vngari regis filius 167.77
Stephanus Angliæ rex 106.63. 67,111.52
Stephanus Barbatulus apud Pariſios monetæ curator 177.47
Stephanus Bleſenſium Comes 56. 5,86.5,87.24.43,94.78,95.28, 106.10.& 22
Stephanus Burgundiæ Comes 94. 79.Eius mors.ibi.85.
Stephanus Campanus Comes 97. 12,98.63
Stephanus Columna Cardinalis, 172.53,183.49
Stephanus Gulielmi Burgundionum Comitis filius 99.37
Stephanus Marcellus Pariſienſium mercatorum præpoſitus 198.73. & 199.10.
Stephanus Pontifex maximus 32. 39.86,33.21.67,35.85,37.81, 53.51.
Stephanus Sacricæſaris Comes.117. 65.
Stephanus templi Diui Dionyſii antiſtes 158.42
Stephanus Vaiuoda 191.84
Stephanus vir quidam ſanctus apud Anglos 132 72,135.72
Stilicon malorum Francis initium.

2.39.Eius mors.2.70.
Stilico Romanos aduersus Gothos tutatur 2.52.& 70
Stipendia militibus non numerata, faciunt vt rapto viuant 168.41
Stiria regio 40.4
Stirpis pondum natæ anteuersio. 23.35
Storearum & Centonum vsus ad ictus tormentorum excipiendos. 92.58
Stratensium quorundam tragœdia. 102.13
Suanachildis Griphonis mater. 30. 84
Subsidium pecuniarium, mollius q̃ vectigal 209.28
Suburbiorum ad vrbem oppugnandam opportunitas 144.21
Sueno Danorum Noruegorumque rex 68.30,83.50
Sudes præacutas ac stimulos induti quidam 97.5
Sueuia 150.21. Eius nobilitas. 152. 88.
Sueui Galliam diripiunt 2.81. Eorum legati à Saxonibus spreti.13. 83.Eorum sedes.13.64.
Sueui Siculis grati 153.49
Sueuorum ducum indoles Romano pontifici inuisa ac suspecta 152. 42.
Sueuis Pisani ac Senenses fœdere iunguntur 153.22
Suessiones populus. 142.59. Eorum direptio.5.8.claritas.134.17.
Suessionense Concilium 132.76.regnum. 4.86,10.11,12.73,24.82, 37.9
Sugitensis Comitatus 19.27
Suis fœminæ occursus 104.72
Sultani Aegyptij anxietas 138.25. clementia. 140. 48. 50,149.55. impietas.ibi.58.cædes.ibi.65.
Sultani qui dicantur 71. 26. 27,76. 60.Eorum ingens numerus. 146. 57.fides in fœderibus.145.73.ministri ac serui.149.27.
Sultanorum Orientis ad Fœdericum Cæsarem munera 147.4
Sumptuaria lex 198.60
Supplicia summorum virorum infimos magis terrent 182.26
Suppliciorum hosti dandorum per duces comminatio,militibus animos addit 196.31
Supplicis violandi dedecus 243.3
Susceptionis de sacro fonte religio. 18.58.
Suspendiarij cuiusdam Iudæi miser exitus 181.88
Suspicionis mouendæ ratio 171.24. Eius rei artifex Ludouicus vndecimus.237.54.
Suspiciosa bella domestica 134.65
Suspiciosi regis metus 100.7
Sutoris veteramentarij audacia.208. 11.alterius cuiusdam filius, papa efficitur.152.31.
Syagrius Aegidij Romani filius. 4. 84.Eius mors.5.1.
Sycambri,Francorum socij 5.62
Sylua carbonaria. 25.73. Cocia.25. 68.
Syluerius Pontifex maximus 174. 42.
Sylvester Pontifex maximus 64. 73.
Syluina Africæ vrbs 119.13
Symmachus & Boëtius necantur. 10.4.
Syraconus Medus,Norradmi Sultani militum magister 114. 13.37. 40.44.50.87
Syria 22.64,139.69
Syri Christianis fauentes 82.72, 85.16.
Syri frumenta subter terram defodiunt 82.75
Syri Turcarum tyrannidem oderant 94.17
Syrorum cæremoniæ 105.20
Syriacum bellum consenescit 123.63

T

TABELLARII PRODItionis nuncij pœnitentia 158.65
Tabulæ in iudicium prolatæ, falsi à rege redargutæ 186.73
Tacitus historicus 60.12
Talebotus,nobilitatis Anglicæ dux 224.76,230.42.47.75
Tamardus quidam in pauperes pijssimus.100.78.86,101.12.44.67
Tamerlanes Scytha 218. 72,219.6. & 22,232.13
Tanaquinas Parisiorum prætor, 223.70
Tancredus Bononiensis Comes.83. 63,85.43,93.55,94.45.49
Tancredus Siciliæ rex 120. 22.29, 124.60
Tancredus Apulus 79.44, 80.70
Tancrediuilla Normaniæ oppidum 230.42
Tancredouillanus Comes 177.68, 192.41
Tannetum oppidum à Gothis obsessum 12.38
Tarentinæ epulæ 83.87
Tarentini ducis Bohemundi consilium in obsidione Antiochena, 85.35
Tarenti principatus 150.22. 59, 159.30
Tarraco vrbs 155.36
Tarraconense regnum 161.68,237. 72.Bellum.ibi.72.
Tarraconensium erga Francos animus 167.10
Tarraconensium reges 155. 24, & 187.70
Tarsus vrbs, Ciliciæ princeps 79. 48.75,94.85
Tartari qui dicantur 146.49.73. Eorum res vide folio 146. 42, 147.51,148.7.77,148.14.19,149, 30,154.33.39,157.30,168.6. 172.5.
Tassillo Bauariæ dux 17.18,31,36, 36.32.72,44.50.52
Tatini Græci ducis virtus 77.37. & 40.ac dein.
Taurisani à Carolo magno male multati 46.66
Tauri montis celsitudo 80.76. & dein. Eius traiectio. ibi. 86. & 81.40.
Teate vrbs 48.4. incensa.ibi.15
Tederrhus Valliorum nobilissimus 224.32
Tegularia arx 67.39,196.10
Teias in Tottilæ demortui locum suffectus 12.31.& 37
Telam ordiar &c. 14.88
Telorum coniectus vnde validior fiat 148.55
Tempestas cæli subita ac miraculosa 199.30.horrenda.126.38
Tempestatis marinæ periculo Diuus Ludouicus diuinitus liberatus 151.3
Tempestatis repentinæ commodũ. 10.87.
Templarij 105.16. 33. 38,113.69. 87,117. 32,120. 62,148. 25.31, 168.52,176.59.78.80,177.3
Templis aurum suum à se ablatum Martellus non restituit 31.16
Templis sacris suus apud Francos honor 102.76
Templorum diuitias Iohannes Angliæ rex in vsum suum conuertit 135.62
Templorum ararumq; contemptus, 107.32,157.11,148.69
Tempora in consilium admittenda, 87.36
Teneremundam Gandauenses obsessi expugnant 210.84
Terræ ac vrbis sanctæ à nostris adoratio ac veneratio 110.62.& 65
Terræ tremores 48.71,116.87.
Terouana Morinorum 245.32
Testudinis in bello vsus 11. 3,& 77.12
Theobaldus Blesensis Comes 100, 14, 106.45,107.85,108.24.26
Theobaldus Campaniæ Comes.98. 62,125.68.79,104.88,105.1,140. 70,142.87,143.15.16.17. 31.
Theobaldus Carnutum Comes.63. 72.& 113.2
Theodobald⁹,Clodamiri fili⁹. 10.47
Theobaldus Dolensium pontifex. 158.58

Theobaldus Drogonis Campanorum ducis filius 25.45
Theobaldus Nauarrorum rex peste moritur 156.79
Theobaldus Placentinus, Eburonum archidiaconus, pontifex maximus 157.4.& 6
Theobaldus regius salruarius Montemletericum muris cingit.65.67
Theobaldus Stephani Comitis Blesensis frater 106.17
Theobaldus Vetulus pater Odonis primi 60.77
Theobaldi & Ramanfredi procerum Galliæ factiones 25.64
Theodatus Hetruriæ prætor.11.25. 28.29.45
Theodelinda Charibaldi regis Bauarorum filia 17.13.& 82
Theodino Transiuranus 31.44
Theodobert° Childeberti filius Austrasianorum rex 18.46.eius imperium.ibi.74
Theodobertus Chilperici filius 14. 45.
Theodoberius Theodorici Mediomatricum regis filius 11.17.50, & 12.14
Theodora Desiderij Regis soror. 37.33
Theodoricus Alsatiæ Comes 102. 53.& 80,& 103.2
Theodoricus Cala, Rex salutatur 26.17
Theodoricus Childeberti filius, Burgundiæ rex 18.46.& 73.Eius res gestæ. ibi. & 19.5.20.22.27.37. 40.
Theodoricus Clotarij regis frater. 23.25.28.38,& 25.8
Theodoricus Flandriæ Comes 111. 16.& 17. nouus in Syria homo. ibi.19.
Theodoricus Ostrogotthus, Italiæ rex 6.46, 9.78,10.5.56.72.76, 11.11.
Theodoricus Visigotthorum Rex. 3.73.85
Theodorus Alexidis impij gener. 144.88,149.1
Theodorus Batazis filius Græcorum augustus 145.3, 151.61. & 63.
Theodorus Vnnorum Rex Hacanus dictus 45.70
Theodorus Lascaris 128.86
Theodorus Massilienssium episcopus 16.5
Theodosinda Rabodi filia Grimoaldo Pipini filio nubit 25.41
Theologicis modus ponendus 108. 65.
Theophania Nicephori augusti filia 63.57
Thessalorum rex Bonifacius Ferratensis saluratur 130.84
Thomas à Fano Valerij Comes, Brabantinos malè excipit.134.79
Thomas Aquinas prædicator floret, 152.27,157.23.25
Diuus Thomas Cantuarienssis episcopus 112. 37.43.44, 118. 56, 122. 45.46.49.54,142.80,186. 29.
Thomas iuris præfectus Henrici Andegauenssis, vir sanctus 111. 75.
Thomas Marlenssis Comes 98.85. eius mors. 99.9
Thomas Maurocenus Venetus, Byzantinus patriarcha 131.4
Thomas Mocenius 218.43
Thomas Sergianus Pontifex maximus 229.36
Thorismundus Theodorici Visigothorum regis filius 4.3
Thrasilas miles 4.19
Thrasimundus Spoletinus dux 30. 72.
Tetgaudus Treuirorum episcopus. 56.60
Terrarchia Antiochenssis 76.62. Damascena. 76.60. Francorum. 10. 10,12.67.Halapiana.76.60
Teutonum apud Hierosolyma ordo.105.16.& 41 Eorum nomen obscurum.114.3
Textor quidam senex, seditionis apud Brugenses author 170.79
Tiberias vrbs 116.79
Tiberienssis Comitatus 94.49, & 116.67
Tilbiacum oppidum 5.64
Timidis cuncta aduersa 139.76
Tineæ toto corpore humano viuo scaturientes 25.51
Tingitania & Mauritania à Saracenis occupata 26.66
Toarsii Vicecomes 132.53,133.37
Tollenonum in bello vsus 77.4
Tolerantia, & firmitudine animi omnia edomari 83.70
Tolosanas res vide 9.15,10.19,36. 80, 111. 58.75, 132.10, 136.25, 142.40.70,144.58,155.22, 157. 49.
Tonsoris cuiusdam obscuri hominis apud Ludouicum vndecimũ gratia.244.73.vide Oliuerius.
Tormentorum ora, clauis ferreis traiecta 237.3
Tormentis, nostrorum quosdam eia culantur barbari 77.11
Tornacum vrbs 133.17.47,190.5. 33,244.85
Toronia, Phœnicum oppidum 116. 56,126.3
Totila Gotthorum rex 11.78.83, 12.10.14.25
Toxiandria, Tungri, & Axona fluuius, primorum Francorum sedes. 3.58
Tractari qui dicantur Plinio 146. 71.
Transfugæ domesticis bellis multi. 236.63
Transfugæ nulli in bello Diui Ludouici Aegyptiaco 149.9
Transiurani, ferox populus 19.88. &23.3
Transrhenana bella Pipinus suscipit 25.2
Transrhenani Carolomano parent. 37.10
Trapezus vrbs 232.87
Trecentorum equitum Francorum delectus, indignationem in exercitu excitat 196.60.86
Treuirorum agros Franci occupant 2.38.eorum virtus.139.79
Tribunorum multitudo rei bene gerendæ officit 211.1
Tributi detrectatio.208. 37.eius appellatio mollita.209.27.
Tricasses de Anglis Iohanna Lotaringa recipit. 225.29
Triclinij dimidiæ partis stratæ symbolum 11.76
Tridentum oppidum 14.24
Trigintauiratus 13.36
Tripolis vrbs.95.35. 48. eius expugnatio.168.25.30.
Tripolitanus tyrannus.91.26. Comitatus.116.66.
Tristẽnis D.Ludouici filius. 155.66, 156.51.
Triumphus ante victoriam.146.88. & dein.147.1.& dein.
Troia, Apuliæ vrbs 233.48
Troia oriundi Franci 2.1
Tudinus quidam Vnnus nobilis Christianus efficitur 45.68
Tuinum oppidum.188. 56,189.75.
Tumulos nouos assurrexisse.48.73.
Tunetis vrbis obsidio. 155.42,156. 69.70,215.54.70.84.
Tungri oppidum 238.51
Tunica interior potius comburenda, quàm arcana &c. 159.64.
Turbæ multitudo admirabilis. 174. 87.& 185.3.
Turbassellum oppidum 103.82
Turcæ, noua gens. 35.50.Eorũ res vide ibi. 35.58,71. 30.31. 37.67, 72.71.73.75.80.84,74.2, 75.74, 76.63,77.2.30,84.58.60,85.31, 86. 30.45, 90. 8. 34. 51.74. 77, 117.50.56,128.41,146.56,177.6, 215.2,218.5,232.11.27.
Turceminius ex volone imperator, ac rex regum 149.76
Turcicum bellũ.71.& deinceps. Eius moles.74.1. & dein.Finis.93.76. & 80. eius rursus suasio.107.45. & dein.

Turingi,gens ferox.10.56.Eorũ reges.ibidem.58.& 59.
Turonenſis comitatus 19.27
Turonenſe concilium 112.33
Turonum res.27.13,56.48,119.38, 126.66,154.80,199.41.
Turpinus Remorum epiſcopus. 53. 36.
Turres trecentæ ſexaginta Antiochiam cingunt 82.45
Turris lateritia Damiatę propugnaculum.137.19.capitur.ibi.88.
Turris lignea mobilis.41.56,83.31. plicatilis ac portatilis. 92.49, 93. 1,97.2.miræ firmitudinis. 137.71.
Turris maritima ad nauium curſus regendos. 46.60
Tuſciæ dux Philippus Henrici imperatoris frater creatur 124.64
Tutela affectata,ſuſpecta 183.61
Tutorum regiorum in Gallia multitudo. 59.41. authoritas. ibi. 24. 67.69,68.25.
Tyara pontifici maximo præ turba excuſſa 175.1
Tyberi⁹ imperator Iuſtini ſucceſſor. 13.76.
Tyranni Longobardiæ 220.62
Tyranni,non reges,à iuſtitia alieni. 165.13.
Tyrannicidarum præmia .128. 65, 219.76.
Tyriorum põtifex hiſtoricus.85.62, 100.68,115.84,137.11.
Tyrus vrbs. 100.41.57,119.65,122. 88,123.62.

V

VACCHO LONGOBARdorum rex 12.12
Vaderada Vacchonis regis filia.12.14
Vades dare qui debeat, accipit. 195. 46.
Vaifarus Aquitaniæ dux. 31.39,36. 43.53.61.83.
Vaiuoda, rerũ Italicarum Ludouici Vngariæ regis procurator.191.84
Valacræ oppidum 65.26
Valdo Lugdunenſis pauperum Lugdunenſium conditor 131.29
Valdrada mulier ſpecioſiſſima. 56. 64.
Valẽtia de Afris recuperata. 144.74.
Valentianæ oppidum 65.17.& 26
Valentina Iohannis Galeatij filia. 213.50.
Valentina Mediolanenſis ducis filia. 219.42.Eius miſeria.ibi.66.& 74.
Valentinæ Ludouici Mediolanenſis ducis vxoris zelotypia 216.42
Valentinianus Cæſar. 2. 6,3.23.42, 4.17.18.
Valeſii comes Carolus Ludouici. x. filius 158.30
Valetudinarium Hieroſolymitanum 105.42.Lutetianum.152.11.
Vallia Gotthorum rex 3.10
Vallius quidã Caroli magni filij pędagogus.52.71,& 54.8.
Valo Philippi Auguſti ſignifer.133. 80.
Valliorum princeps Dauid. 69. 28. Eduardus Eduardi regis Angli filius.196.12.& dein.
Valterus à fontibus 135.20
Valterus Ciſtertiẽſis epiſcopus.105. 57.
Valterus comes fani Pauli. 133. 83. Eius virtus.134.10.19. mors. 138. 71.
Valterus Egerius vnde dictus. 74. 17,75.30.59.
Valterus Franci regis cubicularius Francorum in Syria dux. 136.68.
Valterus magiſter equitum Francorum 185.48
Valterus Manius 188.54
Valterus Meleduni præfectus, proditor,ſuſpenſus.64 76.& dein.
Valterus Senonũ archiepiſcopus 59 24
Vandali 2.45,3.44,29.23.& 25
Vandaloſia,pars Hiſpaniæ nobiliſſima 29.25
Vangionenſis conuentus 36.75,37 30,40.6
Vantadora arx 214.56
Varrato magiſter equitum apud Gallos 23.84,24.1.2
Varnarius magiſter equitũ Burgundionum 19.78
Varus fluuius 155.32
Vaſallus domino mutua fide obligatur 98.35
Vaſco Fluſſatium Comes 187.1
Vaſco Hercembaldi Buziorum principis filius 224.52
Vaſco quidam Carolo magno pro libertate Francorum obſtat 52.33
Vaſcones 22.18.30, 169.55,196.14 eorum annales.42.35.Ingenia.ibi 34
Vaſconia 9.67,22.1,27.9,141.27
Vaſtinetenſium comitatus 69.45
Vaſtinetum oppidum 235.33
Vates ſeu diuinatores 158.38.eorũ præſtigiæ.ibi.48
Vaticanum Lõgobardis habitandum permiſſum 38.76. Saxonibus itẽ 43.33
Vaticinium de Byzantio 130.35
Vaticinium Ioachini abbæ de terra ſancta 120.20
Vaurum oppidum vi captum 131.65
Vbij oppidum 42.88
Veh Hieroſolymis 117.4
Vectigal ingens 200.42
Vectigalis appellatio mollita 209 27.eius nõ ſoluti malum. 185.25. eius inſoliti ac noui indignatio. 206.36.exactores inuiſi.207.6
Velatabi populus 46.12
Velum nauis auratum 233.32
Vellocaſſinũ Francicum 98.25.Normanum.ibi.26,118.54.& 126.55
Venans occiditur Childericus rex. 23.33
Venationis prætextus 234.46
Venceſlaus Bohemorum rex 175.44
Vẽceſlaus Caroli auguſti filius 202 4,217.72
Vendaldus ac Ludouicus Arnulphi auguſti filij 61.24
Venenatæ potionis mira vis 61.22
Venenatæ ſagittæ vulnus 104.10
Venefica in virum auguſta 61.15
Veneficij in regio puero admiſſi inquiſitio 158.39.43
Veneficij inſimulatus Ludouicus x i. 240.16.
Venenum D.Ludouico regi paratur 143.50
Venenum Carolo Quinto Carolus Nauarrus parat 201.62.Venenarij capite luunt. ibi.63
Venenum pro amatorio 214.1
Veneno Carolus Caluus tollitur. 57 86
Veneno fratrem frater tollit 66.5.
Veneno ſublat⁹ Carolus Caluus. 57 86, 58.10.& Robertus Normanorum dux 67.5.
Venenorum in puteos cõſperſio 181 77
Venerandus Dagoberti dux 22.12
Venetiæ 49.13,51.52,125.86
Venetorũ res.38.83,51. 41.53.71,84 70.91.64,100.44.59. & 63,125. 88,128.10. 29.31.33,129.13.75, 130.16,151.19.28.40.43,190.82, 191.46.51,207.46,215.50
Veniæ ab regibus impetratio quando facilior 96.31. Ea quibus detur 182.56
Venti ſecundi opportunitas 92.75.
Ventorum atrocitas 116.88
Ventre Rege,omnia turbata 58.56
Vercellæ vrbs 48.80
Vergobretus magiſtratus 102.45
Veris commoditas 85.18
Vernolium vrbs 126.29,196.9,224 67,230.2
Vernum oppidum 230.8
Vero auro,non ficto rumore ad exercitum parnadum opus eſſe.207. 85.
Verubus affixi toſti exploratores.85 31
Veruicum Scotiæ oppidum 187.10
Veruicus Comes 240.78.eius mors. 241.4
Veſates Francis dediti 9.13
Veſontionum fines à Burgundionibus occupati 3.3.
Veſontio oppidum 187.28
Veſper Siculus inauſpicatus 159.81

Veſpillones 117.37
Veſtfali 40.58,49.20.35. 38.45.50 54.
Veſtis fictio,ac mutatio.123.82,153 55.73
Veteranorum exauthoratio. 233.26
Vetulum iumentum Clotarius contemptim vocatus 20.75
Vgo Arelatenſium rex 62.48
Vgo Brunus Luſinianus 114.42
Vgo Capetus 63.39.69,64.45,107 9,246.26
Vgonis cubicularij in regem ſuũ inſidiæ.100.6.Eius mors.ibi.7
Vgo Gratianopolitanus epiſcopus. 105.49
Vgo Henrici regis Franci filius 67 63
Vgo Lugdunenſium archiepiſcopus. 105.57
Vgo Luſinianus 94.77, 95.22
Vgo Lotarij regis ex Valdrada filius 58.79,59.2
Vgo magnus 63.1.5.40.73.88,75. 83,94.75.83
Vgo Marchiæ Comes 126.62,143. 42,144.5.
Vgonis Marolij virtus 134.59
Vgo Paganus 105.29
Vgo Philippi Regis Franci frater. 73.47
Vgo Pomponenſis 96. 83.85, 97. 14.
Vgo Puteacenſis Comes 97.80,98. 59.76.
Vgonis Templarij audacia 176.87
Vgolinus Girardeſcus Guelfus vtriuſq; fortunæ exemplum 166.59. & dein.77
Vi poſſeſſa quæ regia ſunt aut publica,nullo tempore vſucapi poſſe 203.75
Viberga Heliæ Cenomani Comitis filia 103.14
Vicarius imperij 153.6, & 159.6
Vicenarum arx & ortus 236, 68, 140.74
Viceſima venalium rerum indicta. 125.67,209.23
Vicinorum controuerſiæ 101.40
Victimæ opimæ, de militibus quibuſdam prouerbialiter dictum. 153.42
Victis non nimis inſtandum 50. 28.
Victis omnia infeſta 88.59
Victor III. pontifex maximus 95. 57. & 35,112.13.17
Victor victis infelicior 218.70
Victoris fauor 88.60,153. 75,240. 87.
D.Victori ædes,vt felici omine,dedicatur 147.2
Victoria, cæleſtium munus 88.37, 147.9,219.20
Victoria ingrata 232.20
Victoria,virago ferox 46.34
Victoria vrbs 147.3. euertitur antequam plane conſtet.ibi.16
Victoriæ præſumptio 111.17,134. 40,146.88
Victoriacum oppidum 14.48,107. 31.
Victoriatus nummus 143.4.
Victus tenuis mutati malum 89.87
Vido à Rupeforti 97.7. 11, & 143. 78.
Vido Aegidienſis 152.32
Vido Simonis à Monteforti filius. 155.17.& 86. Eius inſmane facinus.157.10.vltio.166. 41
Vido Britannici liminis cuſtos 46. 39.Britanniæ dux.133.24
Vido Creciacenſis Comes 97.64
Vido Flandriæ comes 169. 41. & 45,170. 49, 173.13. & dein.Eius filius eodem nomine.172 63
Vido Gulielmi Dampetræ filius. 155.45.& dein.57
Vido Gulielmi Flandri Comitis frater 157.42
Vido Hieroſolymorum rex 119.17. 29.& 61,122.85.& dein.
Vido Luſinianus, Picto, Aſiæ rex. 116.11.& 74
Vido Pontifex maximus 152. 56. 57.58
Vido Spoletinorum dux 57.17,59. 33
Vido Truſſellus 87.12
Vido Turrianus Guelforum princeps 176.6
Vido Vicecomitis Toarſenſis minor filius 132.43
Vido,Vidonis Flandri captiui filius 172. 63
Vido Viennenſium epiſcopus Pontifex maximus 99. 43. Eius viſum.ibi.40
Vidomarus,acerrimi ingenij vir 4. 49.& dein.
Viduæ reginæ,deligendi ſibi mariti copia facta 17.84
Vienna Burgundiæ contributa 5. 43, 8. 55. Allobrogum 29. 40, 177.7,194.87
Viennenſe concilium 158.40
Viennenſis Delphinus 181.16
Viennẽſis ſedes aliquot annis vacat, 31.11
Vigobertus homo ſeditioſus.23.32
Villarium oppidum 143.79
Villarius quidam ſacram flammulam bello Gandauenſi geſtat. 211. 68.& 83.Eius proditio. 223.58. Virtus item.226.61
Vilebardus Tranſiuranorum præfectus 23.3.Eius mors.ibi.6
Vimerius Bononienſis Comes pirata dines 80,24,26
Vimeriana claſſis 91 65
Vincentij martyris tunica 11.9
Vincentius prędicator inſignis. 217. 70.
Vindocindus Saxonum dux 42.42. 45.71,44.46
Vindocinenſis procerum Francicorum conuentus 231.60
Vindocinum oppidum 119.27
Vinemarus quidam Fulconis archiepiſcopi percuſſor 61.71
Vinigiſius Spoletinus dux 39.29, 48.9.& 29
Vinomachus Britanniæ rex 53.81
Vinum, ad famelicos capiendos venenum paratiſſimum 121.3
Vini vectigal 201.86,231.43
Vino Sarraceni non vtuntur 121.3
Vir vxorem in vincula conijcit. 222.56
Virorum deſiderio mulieres etiam nobiles ſacro bello ſe miſcuere. 76. 39
Virorum illuſtrium ſupplicia animos mortalium magis mouent. 182.21
Virorum ſummorum conſtantia.96. 36.
Virdunenſis pontifex 239.53
Viridunum oppidum 64.32
Vires,libidinis intemperãtia exhauriri 213.71
Vires quod nequeunt,conſilium expediat 150.68
Virgo plus quàm virilis animi.225. 13.
Virginis Mariæ templa 65.63,105. 18.& 42,126.40,135.52
Virginis ſignum bello prælatum. 130.9. captum.ibi.13
Virginum quarundam magnanimitas miranda 60.28
Viromandui 118.15.26,125.35
Virtus 144.45,162.86,16416,190. 20.
Virtutum Comitatus 199.77
Viſegarda Vacchonis regis filia 12. 14.
Viſigotthi 3.16,4. 39, 5.1,11.3,16. 74,26.72,29.49.& 69
Viſigotthicum bellum 8.71,& 29. 14.
Viſorum portenta 31.20,71.88,89. 54, 99.40,113.9,117.2,187.42, 216.68, 232.40
Vita hominis,quidam velut in theatro actus 59.81
Vita interdum morte ingratior 59. 50.
Vita noſtra innumeris caſibus obnoxia 59.48
Vitæ longiſſimæ homo 107.3.& 10
Vitam corpore non conſtare 78. 88.
Vitæ ſanctorum à Paulo diacono conſcri-

conſcriptæ 44.33
Viterbium, ſedes põtificum Romm. 153.34.
Viterbiana cõctio de põtifice max. eligendo 156.83
Vittembergenſiũ comitum opulentia.175. 50. eorum ſub imperium redactio.ibi.51.
Vitigitis Gothis rex creat.11.43.73.
Vitigitis rex Mediolanũ recipit. 11. 60.
Vitriacenſes Iudæi 181.78
Virgarum cæſionis vltio 23.33
Vizinus Abroditorum rex 45.79
Vldinus Hunnorum dux 2.53
Vlfacius Remorum epiſcop. 53.37.
Vlfoaldus magiſter equitum Auſtraſianorum 23.24.36.& 67
Vltzij Sclauorum gens 44.66
Vlyſſipo Luſitaniæ princeps vrbs. 46.21.
Vmbaldus ex Fano Seueræ 97.16
Vmbertus Mauritaniæ comes.97.10
Vmbertus Delphinatium princeps. 194.86.
Vmbertus præfectus regius.142.66.
Vngari,Vnni dicti. 61.6.8. eorum res.61.83, 74.40,167.59,191.61, 209.3,210.14,232.19.
Vnimano Cæſare terras nõ recte regi. 104.12
Vnius imperium rei militari vtiliſſimum. 122.55
Vnnia in formam prouinciæ Francorum redacta 51.9
Vnnorum res vide.44.64.49,45.42. 82, 46.16. 59,49.77.82.85. vide Vngari.nam Vnni & Vngari ijdẽ ſunt.
Voconia lex.184.45. Eius tacita abrogatio.ibi.47.
Vocum vis, diſciplina nominũ,106. 79.
Vogladenſes campi 8.72.
Volaterræ Hetruriæ vrbs. 53.80
Volo miles Imp. factus. 149.76
Volones milites apud Turcas,qui & Mamaluchi 115.88
Volſinienſium lacus 11.30
Volumen legum Caroli Mag.extat, ſed antiquatum 52.53
Voluntarij milites 196.14
Voſegus mons 20.67
Votum paternum filius ſoluturum ſe recipit 136.64
Vtorum curam pontifex max. ſuſcipit 136.65
Vrbanus pontifex max.69.58,72.3. 28,95.57,152.31.50,Itẽ.204.76, 205.2.17,208.80.
Vrbinum oppidum 38.54
Vrbs Lunæ 39.28
Vrbs orbis terrarum maxima.114.28
Vrbs Roma à Totila mire vexata 12.1.2.
Vrbs ruinis deformata 48.75
Vrbs ſancta. vide Hieroſolyma.
Vrbs ſolo æquata 168.31
Vrbsvetus, Hetruriæ vrbs 53.81
Vrbis captæ gloria cui debeatur,cõtentio 121.66
Vrbis euerſæ veſtigia deleta.168.76
Vrbes à D. Ludo. reſtitutæ. 149. 85.
Vrbes eccleſiaſtici iuris à Columnis proceribus & pontificijs occupatæ. 172.44
Vrbes in Syria à latinis poſſeſſę.123. 75.
Vrbes viris cõſtant,nõ cõtrá.140.37
Vrbes ſuas comites ducesq; vendunt ſacro bello.73.72.& dein.
Vrbium ſuarum muros ipſi ciues à ſuo principe deijcere coguntur. 136.25.
Vrinatoris cuiuſdam pulchrum facinus 154.43
Vrſina ex familia duos reges creare ſtatuit pontifex Rom. 159.8
Vrſinus Iuuenalis Remorum pontifex 229.42
Vrſinus quidam Iohannes Iuuenalis Pariſienſium mercatorum prætor 212.48.& 237.36.
Vrſinorum factio.176.30.& 34.
Vrſum Balduini Belgæ frater confecit 80.22
Vſpergenſis abba hiſtoricus.145.75.
Vt queant laxis &c. à quo conſcriptum.44.31.
Vtinus, quid apud Francos ſignificet 177.58.
Vtricularij cuiuſdam aſtutia 214.60
Vulgi cõmoti auertẽdi ratio.113.81.
Vulgi efferati pertinacia 17.55
Vulgi inermis ex obſeſſa vrbe eiectio 8.45
Vulgi inopis inquietudo 206.55
Vulgi permouendi artes 188.9
Vulgi ſeditioſi tumultus.177. 50, & 180.37.
Vulgi ſtulta credulitas 19.57
Vultus ficti,qui & perſonati 230.6
Vultus ſimulati malum 116.81
Vxor à viro pellicis ſtudio male tractatur 200.15
Vxor,mariti ſuſpendendi cauſſa 180. 65.
Vxor pro viri morte nuptias alteri paciſcitur 13.31
Vxor propter ſeram ætatem repudiata 56.61
Vxor virum in vincula conijcit 222. 68.
Vxoris amore cæſus Athaulphus rex 3.8.
Vxoris amore vir religionem mutat 5.51
Vxoris reginæ contemptus 182.74
Vxoris libera copia fit etiam perpetuæ cuſtodiæ tradito 64.46
Vxoris negatæ dolor 221.81. & dein ſo.ſeq.
Vxoris propter propinquitatem repudium 97.9
Vxoris puerperæ bene ab hoſte exceptæ gratia vir hoſti conciliatur 94.70.
Vxoris gratia maritus e vinculis liberatur 182.42
Vxoris lacrymis marito ſcelera condonata 201.64
Vxoris ſanctitas, viro etiam vtilis. 16.75.
Vxoris ſtupratæ dolor, ac indignatio 26.70,& 85.66
Vxoris ſuæ ſtudioſus Eduardus Angliæ rex 195.10
Vxorẽ domo in caſtra Carolus magnus accerſit.39.39,& 48.1. Item Eduardus Angliæ rex vltra mare 194 62.
Vxorem ſuam maritus Comes reginam ſalutat 136.8
Vxore repudiata,alia ſuperinducta. 107.17.
Vxore viua, alia vxor ſuperinducta. 177.27.
Vxores viros in bellũ ſecutæ 76.39
Vxorum alienarum permolitor caſtigatus 187.44
Vxorum zelotypia 216.42

X

XENODOCHIVM TERræ ſanctæ 105.24.42

Z

ZABANVS LONGObardorum dux 14.10
Zacharias orator 45.38
Zacharias Pont. max. Francos religione ſacramẽti Childerico regi dicti ſoluit 32.80
Zatis Barchinonenſiũ rex 43.52.63.66
Zelandicum bellum 173.24.vide Selandenſes.
Zelotypiæ ardor 216.42
Zizimus Maumethis filius 245.70. 74.78.87,246 4.

Erratorum in propriis nominibus, caſtigatio.

F.173.l.60. pro Betunia repone Orcaiæ. F.219.l.54. Audacis filius Iohannes,lege,Audacis regis frater Ludouicus Aurelianorum dux. F.225.l.37. Saleberienſis,lege Bedfordienſis. F.226.l.84. Alphonſus,lege Ferdinandus. F.242.l.41,& 44. Litauicum,lege Ludouicum. & l. 49. Ludouicus.

